EX LIBRIS
Lucien ALLIENNE
M.C.M.L.



George ALLIENNE
Imprimeur du ROY
M.D.C.L

LIBRARY
Brigham Young University
RARE BOOK COLLECTION
Vault
Quarto
094.2
C682
1521
no.2

DE MEMORA-
BILIBVS ET CLARIS MVLIE-
RIBVS: ALIQVOT DI-
VERSORVM SCRI-
PTORVM O-
PERA.

·S·DE COLINES

PARISIIS.
Ex ædibus Simonis Colinæi.
MDXXI.

¶GENEROSAE ET NOBILI FOEMINAE,
Ioannæ de Vuignacourt, præſtantiſſimi & æquiſſimi viri D.
Caroli Guillardi, Pariſini ſenatus præſidis eminētiſſimi ſpon
ſæ, Io. Rauiſius Textor S. D.

QVoniam nihil eſt relatu dulcius, aut iucun=
dius auditu, q̄ rerū geſtarum cōmemoratio,
herois & virago probatiſſima, multi ſuperio=
rum temporum ſcriptores laborem malue=
runt impertiri colligendis hiſtorijs, q̄ in alio
quouis dicendi genere ſtylum exercere, par=
tim ꝙ huiuſmodi negotium in maiorem ſibi
felicitatem verterent, partim etiā ꝙ amplio=
rem a tota poſteritate gratiam confiderent ſe
relaturos. Quo factū eſt, vt longe plures eius
notę, q̄ alterius authores olim reperti ſint, qui
dicta, ſimul & facta virorū illuſtrium ſuis propagauerint monumentis. Rari
tamen admodum & infrequentes adhuc inueniuntur, qui vitas illuſtrium fœ
minarum conſcripſerint, aut ſaltem eorum ſcripta nobis inuidit iniuria tē=
porum & malignitas, aut eorum forte negligentia, qui fuerunt ingenio adeo
ſtupido, adeo diſtorto iudicio, vt quoniam nihil in bonis literis olfacere aut
ſubodorari poterant, putauerint multitudinem authorū etiam non pœniten
dorum pernicioſam eſſe, quaſi vero liberum non ſit vnum e multis deligere,
ſi cui diſpliceat numerus maior. Fuit neſcio quis Charon Carthaginēſis, qui
de claris mulieribus libros quatuor edidit. Sed tantum abeſt, vt eius opera ad
nos peruenerint, vt nomen etiam in tenebris cum illo inferorum portitore la
teat, & obſcurius videatur, q̄ chaos. Ex antiquis vnicum reperi Plutarchū,
authorem primi huius opuſculi, quod ne vel hominum incuria, vel ſtudiorum
deſuetudine, eandē obliuionis iniuriam pateretur cum cęteris, quę noſtra om
nium iactura, & cōmuni literarum diſpendio perierunt, imprimendum cum
quibuſdam alijs recentioribus curaui. Quod vt facerem, hortatus eſt ſpecta=
tiſſimus vir, Ludouicus Laſſereus, quū literarū, tum virtutis amantiſſimus,
regalis noſtri gymnaſij prouiſor oculatiſſimus, ac eccleſię beatiſſimi Martini
Turonenſis Canonicus & granicarius. Is autem quū videret me ambigere,
cuinam fœminę totum hoc opus de fœminis conſecraretur, vnicam te, & pri=
mam omniū (vt eſt honoris tui, veſtræq; totius familiæ obſeruantiſſimus &
infatigabilis preco) mihi obtulit, quā in fronte collocarem. Atq; vt eo, & mul
to maiore titulo dignam te doceret, aut vt fortaſſe mirari deſinerem, ꝙ omni=
bus alijs longo te prętuliſſet interuallo, multa protinus de tuis virtutibus, ple
nis etiam buccis euomuit, adeo vt parum abeſſet, quin te referret in dearum
indigitamenta. Quibus verbis hactenus me perpulit, vt ſi quis poſtea impe=
ratricem obtuliſſet, ſecundo tantum ſediſſet loco. Et ne fabuloſum mihi vi=
deretur, quod de te prædicauerat vir ille infucatiſſimus, apertis contendebat
argumētis. Dicebat in primis te fœminā (quod in eo ſexu rarum eſt) corda=

tam,ꝙ liberos tuos ab incunabulis, & ipſa iam tum primũ ætate,qua ſerpe= raſtris aſſuefiebant, fouiſſes in ſeueritate,non vt facere ſolent ſtolidę & impru dentes rerum fœminę,palpo & blandicijs corrupiſſes. Sciebas enim indulgen tiam eſſe exinanitionem virtutũ & honeſtatis,& in mentem reuocabas,quod a Sapiente ſcriptum eſt. Filię tibi ſunt,vultum hilarem non oſtendas eis. Nec minoris faciebat induſtriam tuã & diligentiam,quod quũ eſſes delicate,& in mediis opibus nutrita,poſſeſq; citra laborem genialiter & in luxu viuere, fe= ciſſes tamen,quod Prouerbiorum.31.cap.ſcribitur. Quęſiſti lanam & linum, & operata es cõſilio manuũ tuarum. Guſtaſti & vidiſti,quoniam bona nego ciatio. Miſiſti manum tuã ad fortia,& digiti tui apprehenderunt fuſum. Lau dabat te fortitudinis,ꝙ nec vnq̃ proſpera fortuna vultũ extuliſſes, nec remi= ſiſſes aduerſa, ſed eodẽ ſemper tenore vtrãq; ſuſcepiſſes aleã. Ante omnia re= ligionem tuã ſuſpiciebat,& æſtimabat plurimi,nec iniuria. Nam quantũ cõ= muni omniũ,nedum eius vnius rumore intelligo,tantus in ſuperos affectus, tam vehemẽs animi calor tibi ſemper extitit,vt non modo facultatum tuarũ, at etiam primitias vteri & prolis obtuleris deo. Quum enim pręter duos Ca rolos,& duas Magdalenas,quos dulcis vitę exortes,& ab vbere raptos abſtu lit atra dies.& funere merſit acerbo, ſex alios tibi liberos reliquiſſet natura, tres maſculos & fœminas totidẽ, ex his Ioannem natu maximum cultui diui no & eccleſiæ conſecraſti. Quem quũ mors immatura rapuiſſet literis iam & moribus in ſexto decimo anno maturũ,non tamen propterea ſolitam pietatẽ frigere paſſa es. At cœptę iam religioni acrius inſiſtens, mortui loco ſecundũ & proximũ ætate ſuffeciſti Ludouicum tuũ,hominem tãta virtute,tot animi dotibus cumulatum, vt earum beneficio & admiratione Tornacenſes illũ in epiſcopum ſuũ magno plauſu,& obuijs exceperint vlnis. Quorũ expectatio= ni ſic reſpõdit hactenus,vt feliciſſimũ putent ſuũ gregem tanto paſtore. Ma= ſculorum tertius Andreas ciuilis omniſq; humanæ ſapientię ſcientia conſpi= cuꝰ,ſua virtute (quam ex paternis materniſq; moribus imbiberat) conſularẽ adeptus eſt dignitatem,vir beniuola natura,& integra adeo ęquitate,vt incul patiſſimã eius vitam nec Momus quidem carpere poſſit. Ex tribus fœminis & elegantia formę, & morum claritudine ſpectatiſſimis,Anna cultui diuino prorſus dedita (vt oculos ab omni auerteret vanitate) ſe incluſit reformatiſſi= mo cœnobio de Varinuilla Beluacenſis Diœceſeos. Maria nupſit Petro Che ualerio regis ſecretario,& camerę cõpotorũ (ita enim vulgo dici ſolet) graphi ario,ab antiquiſſima Cheualeriorum familia oriũdo. Nupſit Ioanna Bona= uenturę a ſancto Bartholomęo (quem Thomaſſinum dicunt) viro conſulari vndecũq; doctiſſimo,vt omnium verba fidem faciunt. Ne multis morer,ego totam hanc tuam prolẽ tam fortunatam,tam omnibus virtutum coloribus & lineis egregie depictam inter rariſſima humanæ felicitatis exempla connu= mero. Felicem vocat Plynius Lampedonem Lacedæmoniam, ꝙ regis filia, regis vxor & mater fuerit. Felicem quoq; Berenicen,ꝙ filia,ſoror,& mater fuerit olympionicarum. Felicem Curionum familiam,ꝙ in ea tres continua ſerie oratores extiterint. Mihi vero non tam probatur tua felicitas ex multi= tudine prolis,aut liberorum egregiis magiſtratibus,q̃ quod parentum virtu=

tem proxime referant,& imitentur. Sed quid mirũ, quũ a ſimili mores accipiantur hero? Patrem habent magnis virtutũ omniũ laudibus cumulatiſſimũ (cuius ſanctitas teneriores ab iniuria cuſtodiuit,& prouectiores a licẽtia grauitas deterruit) Carolum Guillardũ Pariſini ſenatus eminentiſſimũ pręſidẽ, de quo vere dici poteſt,quod Prouerbiorũ cap.vltimo legitur. Nobilis in portis vir eius,quando ſederit cũ ſenatoribus terræ. Quid igitur mirum,ſi bono prognati ſemine magnos prouentus bonæ frugis afferant? Sed iam ad finem vertendus eſt ſermo,ne ſuſpectus videar aſſentationis,ꝙ aliquanto liberius de te,tuaꝙ familia verba fecerim,quod tamen breuius abſolui non poterat. Tantum ſupereſt herois prudentiſſima,vt hoc opus tuo conſecratũ nomini,tuis auſpicijs euentilatum,æqui boniꝙ conſulas. Quod ſi infra dignitatẽ tuam videatur,non tamen propterea futurum inde opprobriũ putes. Scripſit enim Diophanes ad Deiotarũ regem de agricultura, Pollux de Grãmatica ad Cõmodum Cęſarem ſine vtriuſꝙ principis nota. Lectorem etiam monitum velim,vt non tã fucum ſermonis & apparatum verborũ, q̃ rei veritatem in hoc opere requirat,ſed horum omniũ ſcriptorum qualẽcunꝙ ſtylum boni conſulat. Quod non ęgre faciet,ſi apud ſe meditetur,q̃ periculoſum ſit pro eloquentia pertinax & iuge patrociniũ ſuſcipere,hoc pręcipue ſeculo,quo barbaries Vandalica innumeros prope habet aſſertores,qui repertis bonis frugibꝰ quernam adhuc pręferant glandem. Vale fortis & nunq̃ ſatis laudata fœmina. Vale in Chriſto,qui te,ſponſum,liberos,& reliquã familiam ad ſcopũ felicitatis humanæ (ſi qua eſt ea) dirigat,& cum beatis ſpiritibus in æterna gloria poſt mortem collocet. Ex Nauarra Pariſiorum,anno domini.1521.octauo Calendas Iulij,quo die a Chriſtianis celebrari ſolet natiuitas diui Ioannis Baptiſtę pręcurſoris Chriſti.

❡PLVTARCHI PHILOSOPHI DE VIRTVTIBVS Mulierum traductio, per Alamanum Ranutinũ/ciuem Florentinum.

COgitanti mihi de Mulierũ Virtutibus/ longe ab opinio-
ne Thucydidis eſt aliena ſententia. Is enim optimam eſſe
cenſet, de cuius laude aut vituperatione/ q̃ minimus apud
exteros ſermo habeatur/exiſtimans probæ mulieris nomẽ
itidem/atq; corpus domeſticis parietibus contineri opor-
tere. Mihi vero probabilius dixiſſe viſus eſt Leontinus
Gorgias/qui putat mulieris nõ formam/ſed egregium no-
mẽ atq; famã debere apud q̃plurimos eſſe vulgatã. Quo-
circa peregregie lex apud Romanos inſtituta ſeſe habere
videtur/quæ non minus probarum mulierum/ q̃ virorum
funera publice ab earũ propinquis, meritis laudationibus, celebrari permittit. Hanc
nos fere conſuetudinẽ nuper imitati, poſt Leontidis præſtantiſſimæ mulieris interi-
tum, de virtutibus eius longam ſane tecũ orationem habuimus, non expertẽ, vt mi-
hi tunc viſum eſt, philoſophicę cõſolationis. Et nũc hiſtoriam ad te mittimus, quaſi
perorationem quandã tecũ inſtituti ſermonis futurã, quã cõmode orationi illi ſi li-
beat, annectere poſſis. Plurimũ enim confert ad id quod oſtẽdere nitebamur probã
dum, vnã ſcilicet atq; eandem eſſe virorũ mulierumq; virtutẽ. Non voluptatis tan-
tum gratia, hæc a me excogitata fuiſſe exiſtimes velim, quod ſi quid etiam probati-
oni voluptatis aut iucunditatis inſit, ab ipſa exemplorũ varietate proueniens, non
minus tamen ob idipſum probationis quam intendimus, vim retinere noſtra videri
debebat oratio, præſertim cũ ad faciendam fidem, non parũ ſermonis gratia, atq; iu-
cũditas adiumenti afferre ſoleat. Nec ſane erubeſcere debet gratijs muſas coniũgens
oratio, cũ ipſa coniũctio pulcherrima ſit, vt inquit Euripides. Et facile audientium
animos, ob iucũditatem ad credendũ alliciat. Si enim eandem in viro, muliereq; pin
genda artẽ eſſe probare volens, pręclaras ab Apelle, aut Zeuſi, aut Nicomacho, mu-
lierum depictas imagines proferã, quis iure mihi ſuccenſeat, tanq̃ voluptatẽ potius,
atq; inanẽ gratiã, q̃ in eius quod inſtituiſſem probationẽ inquirẽti? Quod ſi poeticã
facultatẽ, nõ aliã in viris atq; mulieribus eſſe libeat oſtendere. Atq; ob hoc Sapphus
carmina, cũ Anacreontis verſibus conferã, aut Bacchidis rurſus atq; Sibyllæ reſpon-
ſa, ſimul cõparem, iure ne quiſq̃ hoc demõſtrandi genus accuſabit, ſi etiã oblectatio-
ne quadã & voluptate delinitum auditorẽ ad credendũ inducat? Atqui nõ aliter ma
gis muliebris fortitudinis, & eius quæ virũ decet, ſimilitudinem differentiãq; inter-
noſcere quiſq̃ poterit, q̃ ſi virorum vitas, ac res geſtas, tãq̃ egregię cuiuſdã artis ope-
ra, in vnum collatas intueatur, eundẽ ne characterem & formã habeat reginæ Semy-
ramidis, ac Seſoſtris regis magnificentia, aut Tanaquillis & Seruij aſtutia, vel Por-
tiæ Brutiq;, aut rurſus Pelopidæ Timochlięq; prudentia. Nam virtutes ipſæ diffe-
rẽtias aliquas, ac veluti colores proprios quoſdã, ex illorum quibus inſunt, natura ſu
mere videntur, & eorundẽ corporibus adæquari, diuerſitatẽq; nonnullã pro illorum
nutritione atq; exercitatione ſuſcipere. Aliter enim Achillẽ, aliter Aiacẽ fortes ex-
titiſſe putandũ eſt, neq; eandẽ Neſtoris & Vlyſſis fuiſſe prudentiam. nec pari modo
Ageſilaũ & Catonem iuſtos fuiſſe, nec ita Corneliã, vt Olympiadẽ magnanimam
extitiſſe credendũ. Nec tamen idcirco diuerſas eſſe prudentias, aut iuſtitias, aut for-
titudines dicemus. Sed ſolũ ratione quadã propria, & ſingulorũ, quibus inſunt inę-
qualitate, differre ipſas cẽſebimꝰ. Quę igitur mulierũ geſta vulgatiſſima ſunt, quęq;
te ex aliorũ libris cognoſcere potuiſſe arbitror, prętermittã. atq; ea dũtaxat referã,
quę cũ ſint memoratu digna, hiſtoriarũ ſcriptores, cõmunia tantũ, atq; omnibus ma
nifeſta, ſcribẽtes latuiſſe conſtabit. Sed quoniã multa cõmuniter a mulieribus, qui-
buſdã/plęraq; a ſingulis priuatim/egregie facta fuiſſe cõperimus, nõ abſurdũ fore vi-
detur, prius quæ communiter a nonnullis geſta ſunt literis mandare.

Troades.

CApta atq; euerſa iã Troia,cũ plurimi hoſtiles manus, atq; vrbis incendiũ euaſiſſent,plerięq; aduerſa tẽpeſtate iactati,ex imperitia nauigandi cõpulſi,eam Italiæ partẽ,qua Tyberis fluuius mare ingreditur,tenuere,Inde fluminis oſtia nauibus ingreſſi, repente ad cõmeatus,quorum penuria laborabant,cõparandos paſſim diſcurrere. Interea mulieribus apud naues relictis, cogitatio primum,deinde etiam ſermo exoritur, fore vt bene recteque ſibi ac ſuis viris conſulant, ſi quem aliquando longis erroribus nauigationiq; finem poſuerint, & patriam ſibi tandẽ aliquam conſtituerint,quandoquidem propriã ſemel amiſſam, non iam amplius valeant recuperare. His inter ſe non longe admodũ pertractatis, vna omnes conſpiratione facta,nauigia cuncta incenderunt,principio ab earũ vna exorto, cui Homæ nomen fuiſſe perhibetur. His peractis,cũ viri auxilij ferendi cauſa,citato curſu ad naues contenderent, mulieres venientibus obuiam proceſſere,atq; illorũ formidantes iracundiã,aliæ parentes,alię viros oſculabãtur. Itaq; nouo atq; inſueto humanitatis more,facile virorum iracundiã placauerũt,atq; inde ad hodiernum vſq; diem,apud Romanas mulieres permanet conſuetudo, vt oſculando ſalutent eos,qui ſibi aliquo affinitatis gradu coniuncti ſunt. Nã Troiani manendi neceſſitatẽ cõſpicati,& ſimul indigenarũ erga ſe beneuolẽtia cõmoti,libenti animo,quod a mulieribus geſtũ fuerat,acceperunt. ibiq; errandi fine conſtituto,vna cum latinis habitauere.

Phocenſes.

AT vero Phocenſiũ mulierũ facinus,quãq̃ hactenꝰ ſatis digno ſcriptore caruerit,neſcio tamẽ an muliebris virtutis teſtimoniũ,aliorum omniũ præclariſſimum ſit exiſtimandũ,cuius cum in ſacris, quæ ad hodiernum etiã diẽ apud Iampolim Phocenſes peragũt, tum etiã publicis literarum monumentis memoria celebratur,vt pleniꝰ eſt in Daifanti vita explicatũ. Quod vero ad mulieres attinet,huiuſmodi fuiſſe perhibetur. Odium erat bellũq; inter Phocẽſes ac Theſſalos inexpiabile. Cum Phocẽſes Theſſalorũ magiſtratus,ac præfectos omnes,qui in ſuis vrbibus erãt,ſtatuta die ad vnũ interfeciſſent. Qua indignatione cõmoti Theſſali.ccl. Phocenſium obſides,quos apud ſe habebant,iugulauerunt. Deinde coacto exercitu,aduerſus eoſdem profecturi publice decreuerũt, vt capta vrbe, nemini omnino puberi parceretur, mulieres autem puerięq; omnes vænundarentur. Daifantus autem,cũ Barilli filius,qui duobus collegis ſummę rei Phocenſibus preerat,ſuis ciuibus perſuaſit,vt ipſi quidẽ copijs q̃ poſſent maximis, in hoſtes proficiſcerentur,mulieres autẽ atq; omnem puerorum imbellem turbam,e tota ciuitate in vnum coactam,in ſecretiorẽ quandã ciuitatis partem deducerent,eodẽq; loco multum lignorũ ſtipulæq; cõgererent,& aliquot apud eas relictis cuſtodibus, iuberent, vt ſi ſe bello ſuperatos ab hoſtibus audiſſent, tum ſubito incenſa materia,mulieres omnes,pueroſq; cremarent. Cum cæteri Daifanto aſſentirentur, quidã e media concione aſſurgens,placere ſibi conſilium inquit. Attamen æquum eſſe cenſere,mulierũ quoq; ſuper ea re ſententiam ſciſcitari, atq; ita conſilio huiuſmodi vtendum,ſi ipſę quoq; decretum illud comprobaſſent. ſin minus, incolumes illas, & ſui iuris dimittendas, neq; vllam omnino vim moriendi afferendam eſſe cenſere. Hac itaque oratione apud mulieres vulgata, ipſæ prius inter ſe conuentu peracto, Daifanti ſententiam comprobarunt,illius virtutem ac prudentiam laudantes, quod omnium optime, & ciuitati, & earum ſaluti cõſuluiſſet. Hoc idem quoq; pueros ſeorſum cõgregatos,decreuiſſe tradunt. His peractis Phocenſes apud Cleonas Iampolis ciuitatẽ, Theſſalis congreſſi,illos ingenti pugna ſuperarunt, atq; eius victoriæ gratia Dianæ

ſacra omnium maxima,in hodiernum vſq; diẽ faciunt,ipſa Elafluolia nuncupãtes.

Chiæ.

LEuconeam vrbem Chios incoluiſſe,ob huiuſmodi cauſam tradi=
tum eſt. Nam cum e prima Chiorum nobilitate adoleſcens, acce
ptã vxorẽ domũ, vt moris erat,curru traduceret, Hippoclus rex
ſumma familiaritate ſpõſo cõiunctus,vna cum cęteris adoleſcẽti=
bus, põpę celebritatiq; intererat, cũq; vino ac iocis incaluiſſet,in
currum quo ſpõſa vehebatur,inſiluit.nullã ſane vim allaturus,ſed
ludendi,tanq̃ licentia immoderatius abutens. Tum qui aderant
ſponſi familiares,atq; affines,ne qua virgini afferretur contumelia, metuentes,facto
impetu,regẽ obtruncarunt. Poſthæc deorum ira,varijs peſtibus agitati,cum ex ora=
culis finẽ malorũ implorarent, nõ aliter q̃ Hippocli interfectoribus occiſis,placari
deos poſſe,reſponſum accepere. Quo audito,ciues fere vniuerſi regẽ a ſe interfectũ
eſſe,cõclamarunt,rurſus igitur omnes ex vrbe migrare deus iuſſit,qui facto aſſentiẽ=
tes,eius cædis fuiſſe participes faterẽtur. Aeque enim facinori videtur obnoxius qui
auxilium præſtat agenti,& qui perpetratũ facinus,quaſi iure factum collaudat. Igi=
tur qui vrbe excedere cogebãtur, cum & viribus & multitudine plurimum poſſent,
Leuconeã occuparunt/quã ſibi dudum per vim ablatã/per id tẽporis Eritrenſiũ ope
ra/& auxilio recuperatã,Coronenſes poſſidebãt,Verum nõ multo poſt,Coronẽſes
iterũ auxilio Eritrẽſiũ implorato,qui plurimũ inter omnes Iones viribus poterãt,
ob recuperandã Leuconeã, Chijs,qui eã occupauerãt,bellũ intulere.quorũ viribus
cũ obſiſtere Chij nequaq̃ poſſent,his cõditionibus deditionẽ fecere,vt ſibi cum chla
myde,& ſingulis tãtum veſtimẽtis,vrbẽ egredi liceret. Quo audito Chiorũ mulie=
res,grauiſſime viros accuſabãt,ꝙ relictis armis,nudos ſeſe armatis hoſtibus credere
ſtatuiſſent. Cumq; illi iureiurãdo obſtrictos nõ amplius decernẽdi cõpotes eſſe dice
rẽt,mulieres arma nequaq̃ eſſe dimittẽda ſuaſerunt,præſertim cũ & datæ fidei,& ſa
luti ſuę recte cõſulere poſſent,ſi dicãt hoſtibus,haſtã pro tunica & clypeum pro chla
myde,viris fortibus eſſe. Harum cõſilijs viri aſſentiẽtes, ſtatuta ad profectionẽ die,
armati ſubito in medios Eritrẽſes prodiere,quorũ illi audacia perterriti,cũ egregie
inſtitutos, atq; ad omnia paratos cõſpicerẽt, neq; illorũ iter demorari, nec aduerſus
eos procedere auſi ſunt,bene ſecũ agi putãtes,ſi illis cætera õnia relinquẽtes,diſcede
rẽt. Ita mulierũ præceptis,viri audaciã edocti,ſalutẽ ſibi ſuiſq; pepererunt. Nec ſane
minoris virtutis argumẽtum poſteris tẽporibus, Chiæ mulieres prębuerunt. Cum
enim Philippus Demetrij filius, Chiorũ vrbe obſeſſa,vt & famulos,qui intus erãt,
ad defectionẽ cõpelleret, edictum barbarũ ſane, atq; omni ſuperbia plenũ,pręcones
ſuos pronunciare iuſſiſſet,quo famulis omnibus,quicunq; ad ſe defeciſſent,libertatẽ
ac matronæ quã ſibi quiſq; delegiſſet, cõiugium daturũ pollicebatur.exiſtimans ſin
gulos,eã quę domini fuerat vxor expetituros. Hoc audito mulieres, ira atq; ĩdigna=
tione cõmotę vna cum famulis,qui & ipſi grauiter eiuſmodi edictũ tulerãt,prõptiſſi
me ad tutãda mœnia procurrerunt. Lapides & omne telorum genus pugnãtibus vi=
ris,ſummo ſtudio miniſtrãtes, eoſq; adhortationibus atque opere quoad poterant
adiuuãtes, effecere vt irrito incœpto,Philippus tandem obſidione ſoluta,diſcedere
cogeretur,cum ex famulis ne vnus quidem ad eum defeciſſet.

Argiuæ.

NEque vero inter ea,quæ cõmuniter a mulieribus geſta ſunt, minore
laude atq; admiratione, dignam contentionem viſum iri cẽſeo,qua
contra Cleomenẽ Argiuorum regẽ, Teleſſillidis ductu auſpicioq;,
mulieres Argiuæ certarunt. Eã vero mulierem, poeticæ diſciplinæ
fuiſſe peritã,memoriæ proditum eſt. Nãq; parentibus nobiliſſimis

orta,cum valitudine aduerſa laboraret,ab oraculo reſponſum accepit,ſtudioſe Muſas a ſe colendas eſſe,ſi amiſſam valitudinem recipere vellet.Quapropter ipſa deorum prȩceptis obtemperans,omne ſtudium operãq;,ad muſicos cãtus atq; harmonias conuertens,breui tẽpore amiſſam valitudinẽ recepit. Atq; ob artis poeticȩ diſciplinam,plurimum apud cæteras mulieres,famæ ac laudis eſt conſecuta. Poſtmodum vero,cum Cleomenes Spartiatũ rex,multis Argiuorum ciuium interfectis, quippe quos ſeptingentos & ſeptuaginta ſupra ſeptem milia fuiſſe, quidã affirment,Argos ad occupandam ciuitatem contenderet,tum mulieres in ætatis flore cõſtitutas, animus ſubijt ciuitatis aduerſus hoſtes tutandæ.Itaq; duce Teleſſillide,celeriter armis aſſumptis,ſubita corona ciuitatis mœnia cõpleuere.Quæ res nõ parum admirationis hoſtibus præbuit. Et Cleomenem expugnatione ſȩpius nequicq̃ tentata,pluribuſq; militibus amiſſis,ad extremum retrocedere coegerunt. Alterum vero regem Demaratum,vt Socrates (inquit) cum iam partẽ ciuitatis,quæ Pãphilia dicitur, occupaſſet,eiecerunt.Ita mulierum cõſilio atq; virtute,liberata ciuitate,mulieres omnes quȩ in pugna cecidiſſent,in via quæ Argia dicitur, ſepeliri decreuerũt. His autẽ quæ pugnȩ ſuperfuerant,permiſſum eſt,vt Marti ſimulacrũ, earum virtutis monumentũ,ſtatuerent. Hanc vero pugnã,nonnulli ſextodecimo die,alij autem Calẽdis, geſtã fuiſſe tradunt,eius menſis qui nunc quartus apud Argiuos habetur, quondam vero poſtremus numerabatur,quo noſtram ad ȩtatem ſacra quædam apud Argiuos celebrantur.in quibus mulieres chlamydes, ac virilem veſtẽ indutȩ,viri autem peplum geſtantes,& muliebribus velamẽtis capita obuoluti,verſantur. Vt autẽ interfectorum ciuium iacturam inſtaurarent,nõ ſeruis, vt Herodotus inquit, ſed accolis, qui circa vrbem habitabant,vt quiſq; alios excellere videbatur,in ciues electis,ſeſe in matrimonium ſociarunt.

Perſides.

CVm Cyrus aduerſus Mœdos,atq; eorũ regem Aſtyagem, bellũ gerens,ingẽti pugna ſuperatus fuiſſet, milites effuſa fuga,vrbem repetebant.cumq; iam e nauibus, in terram digreſſis,naues tẽpeſtatibus agitatȩ,ad vnũ omnes in litore frangerentur.Igitur Carij,qui Criaſſam vrbem incolebant, ſiue illorum ſortem miſerati, ſeu vires atq; potentiam veriti, benigne ſuſceptos,vt apud ſe manerent,hortati ſunt.& colendorum agrorum partem ipſis diuiſere.Inde cũ breui tempore plurimũ illos incrementi ſumpſiſſe animaduerterent, omnes in epulis atq; cõuiuio trucidare ſtatuerũt,forte ſuper hac re cõſultantes,illos virgo quædã Caſena nomine, quæ ſummo amore Niſeum adamabat,clanculũ vt a nemine videretur,deliteſcens audiuit.cũq; eum quem tantopere deperibat,interfectum iri ſuſtinere nõ poſſet,Cariorũ omne cõſiliũ Niſeo patefecit. Igitur poſtridie Carijs ad cœnã Mileſios inuitantibus,vt eſt Grȩcis hominibus conſuetudo, Niſeus inquit, abſq; mulieribus inite cõuiuia. Cumq; illi mulieres etiã ſecum ducere hortarentur,Niſeus cõuocatos Mileſios,& rem omnẽ vt acta erat admonitos, iubet ipſos quidẽ inermes ad cœnam proficiſci,verũ ſingulos vxori ſuȩ,intra veſtem occultum gladium tradere,& quæq; iuxta propriã vxorem accumbere. Media igitur cœna iam peracta,Carij vt inter eos cõuenerat,inuadẽdi dant ſignum,quod prȩmonitos iã antea Grȩcos minime latuit.Itaq; mulieres patefacto repente ſinu,gladios protulerunt quibus arreptis Grȩci aduerſus Barbaros ruentes,vna ſtrage omnes interfecere. atq; ita regione potiti,& vrbe,quæ illorũ fuerat,deiecta,alterã ſibi condidere ciuitatem, eãque Criaſſam appellarunt. Caſena autem Niſeo in matrimoniũ ſociata,dignum ſuis meritis honorem retulit. Admirabilem itaq; & omni laude proſequendã mulierum audaciam,atq; ſilentium fuiſſe nemo ſane mentis, fateri non poteſt, cum nulla

penitus in tam multis inuenta ſit,quæ vel audita patefecerit, vel timore deiecta ſit,
quo minus omnia,vt ſibi mandatum fuerat,ſtudio ſemper ageret.

Tyrrhenæ.

QVum Tyrrhenorum quidam Lemnũ atq; Imbrum inſulas occu=
paſſent,ex Athenienſis agri mulieribus aliquot liberos procrea=
rũt,quos poſtmodum Athenienſes,eo ꝙ pro ſemibarbaris habe=
rentur,ex inſulis pepulere. Verum hi in Tænarum profecti,Spar
tiatis in ſeruili bello,egregiã operam præſtiterunt. Ii igitur in ci
uitatis partem aſciti,cõnubiorum quoq; iungendorum licentiam
meruere. Ad magiſtratus vero atq; cõſilia eoſdẽ admittere,haud
quaquã dignũ cenſuerũt. Nec multo poſt apud Lacedæmonios ſuſpitio increbruit,
eos in ciuitate res nouas moliri. Quapropter comprehenſi,omnes diligentiſſime ſer
uabantur,quoad manifeſtis argumentis cõuicti,ſupplicio afficerentur. Inter hęc eorũ
vxores frequenter ad carcerem venientes,multis precibus cuſtodes orabant, vt ſalu=
tatum ad viros ingredi ſibi liceret,Quod cum difficulter tãdem impetraſſent,haud
procul abeſſent, tanta erat inſequentium hoſtium celeritas,vt palam conſtaret,eo=
dem impetu victores,victoſq; vrbem intraturos. Fugientibus itaq; mulieres,facto ag
mine,extra vrbem obuiã procedentes, ac veſtibus ex inferiori parte ſublatis,nudos
vteros oſtentãtes, quonam ignauiſſimi ruitis? clamitabãt. An vos latet nõ iterũ vo=
bis huc intrare licere,vnde ſemel naturæ lege egreſſi eſtis? His caſtigationibus accen
ſi Perſæ,& ſimul ſpectaculi pudore cõmoti,mutuo ſeſe accuſantes, inſtaurata acie,in
hoſtes impetum fecere,eoſq; incõpoſitos adorti,non multo labore fuderunt, fuga=
rũtq;. Quapropter lege apud eos cautũ eſt,vt cũ primo Perſarum rex aliquis vrbem
ingreditur,mulieres quotquot in vrbe ſunt,ſingulos auri nũmos a rege accipiãt, Cu
ius legis auctorem Cyrum fuiſſe cõſtat. Idcirco Ochus Perſarum rex cũ vitijs alijs,
tum præcipue auaritia, præ cæteris inſignis, vrbem ſæpius circũuectus,nunq̃ intrare
eandem voluit,mulieres debito ſibi ex lege munere defraudans. At Alexander bis
eam ciuitatem ingreſſus,totiens quoq; nummos dari mulieribus iuſſit,prægnãtibus
duplicem mercedem dari præcipiens.

Celtæ.

CEltæ priuſq̃ ſuperatis alpibus, in Italiã traijcerent, cuius hodie
non paruam incolunt partem, ſeditionibus domeſticis agitati,
eouſq; diſcordię proceſſere,vt ciuile inter ſe bellum conſererent.
Cũq; armati iam vtrinq; in acie conſtitiſſent,mulieres in media
arma progreſſæ,multis precibus lachrymiſq; illorũ animos adeo
flexere, vt amiſſa diſcordia, in pacem ac beniuolentiam reuer=
ſi,ad proprias domos omnes diſcederent, ex quo nata apud eos
conſuetudo poſteris etiam tẽporibus mãſit,vt quoties de bello ſit eis aut pace cõſul
tandũ,mulieres quoq; eiuſmodi cõſultationibus adhibeantur,Præterea ſi qua aduer
ſus ſocios inciderit cõtrouerſia,ex mulierũ ſentẽtia,eandẽ cõponere ſoliti ſunt,Itaq;
inter conditiones quas cũ Annibale pepigerunt, hoc etiã ſcriptum atq; his fere ver=
ſibus reperitur, Si quis Celtarũ, iniuria ſe a Carthaginenſiũ aliquo affectũ,querere=
tur,eius rei Carthaginenſiũ magiſtratus,aut imperatores qui in Hiſpania fuerint,iu
dices ſunto. Sin Carthaginenſium quiſq̃,ab vllo Celtarum iniuſti quippiam paſſus
fuerit,Celtarum mulieres,de ea re iudicium faciunto.

Mileſiæ.

Mileſij,cum propter finium anguſtias,annonę penuria laborarēt. Niſeum quendā egregia forma adoleſcentē,deducendę Colonię,principem cōſtituere. Cūq; illos conſultū oraculum,nouas terras nauibus quęrere iuberet,atq; vbicunq; vectores amiſiſſent,conſiſtere.forte accidit,vt ad Cariæ litora appulſis,atq; ad viros admiſſæ, illos hortari cœperunt,vt repente ſecū veſtibus permutatis,muliebriq; habitu induti,velatis vt earū mos eſt,capitibus,e carcere ſe proriperent. Quarū monitis,cū viri obtemperaſſent, ipſæ quidem in carcere ſubſtiterunt, aſperrima quæq; ac difficillima ſubire paratæ. Cuſtodes autē habitus ſimulatione decepti,viros abire incolumes permiſerunt. Qui egreſſi,Taigetam repentino tumultu occuparūt, inde ſeruos ad libertatē vocantes, ſeditionem excitare nitebantur. Quo timore ſoliciti Spartiatæ,miſſo ad eos Caduceatore,pepigerunt,vt vxoribus fortuniſq; ſuis omnibus,nauibus pręterea atq; pecunijs acceptis,e regione diſcederēt,vtq; nouis ſedibus, nouaq; ciuitate potiti,Lacedęmoniorū coloni atq; affines appellarētur. His acceptis conditionibus cū Polum & Cratidā Lacedæmonios, fratres profectionis duces accepiſſent,plęriq; in Mœdos ſedes cōſtituere,cęteri vero Polum ducē ſecuti,& oraculi fidem experiri cupiētes,Cretam petierūt. Hoc a dijs reſpōſum acceperāt,vt vbicunq; deam Anchoram amiſiſſent, ibi erroribus fine impoſito,cōſiſterent. Igitur ad Cherſoneſſum,quę in Creta eſt,appulſi,relictis in litore nauibus conſtiterant. Verū nocturno ac repentino tumultu perterriti,ſeſe in naues receperunt,atq; ob fugiendi celeritatem attoniti,Dianæ ſimulacrum in litore dimiſere. Hoc ſane antiquiſſimum apud eos permanſerat,quippe quod ex Lemno vſq; ſublatum,aſſidue ſecū in omnia loca detulerant. Hoc itaq; inter nauigandū requirentes, in litore derelictum fuiſſe, perceperunt. Et Polus eorū dux,vno vnco ſuæ nauis Anchoram diminutā animaduertit. Nam cū locis petroſis adhæſiſſet,eaq; violentius poſtmodū traheretur, a reliqua vncus auulſus,nautas latuerat. Tum Polus oraculorū dicta iam ſecutā fidem ſatis intelligens,cōuertendi curſum ſignum propoſuit, & regione occupata, cū plurimis prælijs locorū habitatores ſuperaſſet, Lyctum vrbem ſibi delegit habitandā, finitimis aliquot ciuitatibus vectigalia ſibi præbere coactis,& tunc etiā Athenienſiū ſeſe cognatos dictitantes,ꝙ materni generis ab ijſdem ducāt originem,Spartiatum ſe colonos eſſe profitentur.

Lyciæ.

Qvod autem in Lycia cōtigiſſe ferūt,q̄q̄ fabulę ſimilius q̄ veri eſſe videatur,multorum tamen & ſermonibus, & in vnum cōſentiente fama,celebratū eſſe conſtat. Amiſodarus enim qui & Iſaras dictus eſt, a Zęlia Licyorum colonia veniens, Pyratarū non exiguā multitudinem ſecū deduxit, cui Chimarrus pręerat,vir quidem bellicæ artis peritiſſimus, cæterum immani quadā præditus crudelitate. Hūc nauis vehebat,cuius prora leonē, puppis vero draconem geſtabat inſigne,multiſq; cladibus Lycios vexans,effecerat, vt neq; nauigare tuto,nec maritimas ciuitates incolere poſſet. Hūc fugientē aliquādo, Bellerophon Pegaſo.i. citiſſima quadā,vt arbitror,naui,aſſecutus interemit. Idemq;,cū aggreſſas Lyciam Amazonas pepuliſſet,nullo tantis meritis præmio accepto,iniurijs etiā a rege affectus fuerat. Quibus rebus indignatione percitus, Bellerophon ad maris litus accedens, Neptunum rogauit,vt oram illā infructuoſam,atq; ad ferendū inutilē redderet. Peractiſq; precibus,obuerſa ad litus facie,diſcedebat,cum ſubito mare tumeſcens vniuerſa obruere cœpit,ſpectaculūq; erat horrēdum,tam vaſte ſeſe attollentes,& Bellerophōtem ſequentes fluctus intueri,vt omnia circū loca iam occuparent.

deleĉti e Lyciorum primatibus viri Bellerophontē adeuntes rogabant/vt tantis ma
lis finem imponeret/qui cū diu/multumq; precati/nihil proficerent, mulieres ſubla-
tis ab inferiori parte veſtibus/Bellerophōti obuiā proceſſere. Cumq; ille pudore cō-
motus/conuerſa rurſus ad litus facie/pergeret/vndas quoq; in ſolitum locum refluere
cœpiſſe cōmemorant. Verū aliqui huiuſmodi fabulā interpretantes/nō imprecatio-
nibus illum tradunt maritimas aquas ſuperinduxiſſe. Sed cum ager totius Lycię fe-
raciſſimus/in humili depreſſoq; loco ſitus eſſet, Bellerophontē aggere/qui mare de-
tinebat/reſciſſo/aditum aquis maritimis patefeciſſe tradūt, Cui malo finē ab Belle-
rophonte petentes/viri cum nihil proficerent/mulieres illi circūfuſæ/pudore quodā
deuictum/finem iracundię ponere coegerint. Sunt qui appellatā Chimerā montem
quendā fuiſſe tradant, horrendos ſonitus/atq; incendia emittere conſuetum/quibus
finitimis ager infeſtus/neq; arbores nutrire/neq; fruges proferre poterat. Verum Bel
lerophōtis prudentia/qui montis partē/quę pleniſſima erat, reſcindi iuſſit/fragores
fuiſſe cōpoſitos/magnumq; malis remedium allatū. Verum cū ſibi debitas gratias/
minime referri animaduerteret/indignatione percitus/ ingratos homines vlciſci pa-
rabat. ſed mulierum precibus victus, ab incœpto deſtitit. Quā Veronenſis in quarto
Herculeorum libro cauſam refert/haud quaq̃ eſſe fabuloſa videtur/Aprum enim im
menſę magnitudinis Xanthiorum fines inuaſiſſe tradit/qui fruges fructuſq; circum-
quaq; deſtruens/ a Bellerophonte occiſus fuit. Cumq; nihil gratiæ pro tanto labore
meruiſſet/ vltionem a Neptuno aduerſus ingratos poſtulauit. Quapropter ſalſum
quendam humorē/paſſim per eorū agros ſcaturiſſe/vt omnia quæ in agris naſceban-
tur/illo humore corrupta/deficerent/nec prius tanti mali finem affuiſſe/ q̃ precantiū
mulierum pudore victus Bellerophon Neptunum vt Xanthijs tandem ignoſceret/
exoraret. Quam ob rem lege apud Xanthios cautum eſt/vt a matribus, non a patri-
bus/filij generis nomen ſortiantur.

Saguntinæ.

ROmanis iam bellum inferre meditatus Annibal, prius q̃ copias
in Italiam traiiceret, in Hiſpania bellum gerens, vrbē Hiſpaniæ
opulentiſſimā Saguntum obſedit, ac primo quidem ciues obſi-
dione perterriti, & ſeſe imperata facturos polliciti, argēti trecē-
ta talenta, & totidem obſides dare pepigerūt. Quibus acceptis cō
ditionibus, Annibal cum ſoluiſſet obſidionem, Saguntini pœni-
tentia ducti, nihil eorū quæ pepigerant, pręſtitere. Rurſum igitur
ad obſidionem conuerſus Annibal, & diripiendā militibus vrbem pollicitus, eos ad
pugnandum hortabatur, qui ſummis viribus inito certamine, oppreſſos malis vndiq;
Barbaros, tandē vt ſeſe cōditionibus huiuſmodi dederent, perpulere. vt liberis homi
nibus cū ſingulis tantū veſtimentis, ex vrbe migrare liceret. Mulieres igitur id quod
tādem euenit, fore ſuſpicatę vt. ſ. hoſtes diligentius viros, ne quis occultū telū effer-
ret, intuentes, ſeipſas egredientes negligerent, atq; intactas abire permitterēt, gladiis
intra ſinus occultatis, ex vrbe digreſſæ ſunt, Cūq; omnes iam ciues vrbem exiſſent,
Annibal equitum Maſſilienſiū turmam, ad portam ciuitatis in ſtatione collocauit,
cæteris incompoſito, ad vrbem diripiendam intrare permiſſis, Cūq; multi vt in ta-
libus fieri ſolet, multa vndique aſportarent, non ſe vltro continere Maſſilienſes po-
tuerunt, ſed portæ ſtatione dimiſſa, indignantes, ad pędandum diſceſſere. Interea
mulieres clamore ſublato, quum gladios, quos geſtabant, viris tradidiſſent, ſimul
cum illis impetum in hoſtes fecerunt, ferturque earum vnam ex Hanonis cuiuſ-
dam manibus, direptam haſtam/ in eum ipſum vulnerandum conuertiſſe / verum
quia thorace indutus erat, occidere minime valuit. At viri multis hoſtibus inter-
fectis, reliquis vero qui obuiam venerant / in fugam verſis, vna cum mulieribus,

ſeſe ex vrbe incolumes recepere. Quod poſtq̃ Annibali renunciatũ, equites repẽte, qui perſequerẽtur, dimiſit. Cũq; ex ipſis aliquot adduxiſſent captiuos, vltimo ſupplicio affici iuſſit. Verum maxima pars in proximos mõtes dilapſa, hoſtiles manus effugerunt. qui paulo poſt miſſo ad Annibalẽ caduceatore, veniã atq; in vrbem reditum ab eodem impetrarunt.

Mileſiæ.

MIleſias quandoq; virgines, admirabilis morbus, & immanis quidam furor inuaſit, cuius neq; cauſa vlla, neq; remediũ poterat inueniri. Verum fanaticam quandã contagionem ab aere diffuſam arbitrabantur, quæ illarum mentes ad inſaniam cõuertens, repentinæ mortis cupiditate correptas, vt ſeipſas ſtrangularent, efficiebat. Itaq; permultę, eo mortis genere perierũt, Neq; vero parẽtũ lachrymę, neq; amicorum monitus, ac ſuaſiones, aliquod huic malo remediũ afferre poterant. Tantaq; erat furoris immanitas, vt omnem cuſtodientium diligentiam ſuperaret, vt non humano conſilio, ſed mali cuiuſdã dæmonis impulſu, accidere videretur. Itaq; non iam hominũ ingenijs, ſed deorum quęrendũ remediũ, omnes aſſerebant. Nec vllus tamen antea tanti mali finis inuentus eſt, q̃ ſpectatus quidã vir, ad populũ rogatione perlata decreuit, vt virginũ quæ ſibi ipſis mortem conſciſſent, per medium forũ nuda cadauera efferrentur. Ea res nõ modo virginum furorem cõpreſſit, verumetiam ſedauit atq; extinxit. Magnum profecto virtutis atq; ingenuitatis argumentũ, tantum apud illarũ animos ignominię metum valuiſſe, vt quas illa, quę grauiſſima humanorum malorum exiſtimabatur, mors & dolor, ab inſtituto non auerterant, oblata turpitudinis ſpecies, ita cõmouerit, vt ignominiam perpeti nullo modo poſſent ſatis, q̃ poſt mortem etiam ſubituras eſſe intuebantur.

Chiæ.

MOs Quõdam apud Chiorum virgines fuerat/ vt ſacrorum ſtatutis diebus/ in vnũ omnes coactę per aliquot dies vna verſarentur/ quas earum amatores facto etiam agmine/ ſequebantur/ vt eas ludentes inter ſe/ ac ſaltantes/ cõſpicerent. Noctu autem eodem agmine/ ſingularum domos ingredientes/ parẽtibus fratribuſq; mutuo quęcũq; factu opus eſſet/ adminiſtrabant. Eueniebat autem plęrunq;/ vt tandem plures ſimul amarent adoleſcentes, amore autem tam ſancto/ atq; modeſto/ vt cũ primum virgo deſpõſata eſſet/ repente omnes ab eius amore deſiſterent. In quo illud vel maximũ temperantię mulieribus argumentum cõſpici poteſt/ q; neq; adulterium/ neq; illegitimũ vllum cõcubitum/ apud eos accidiſſe memorię proditum eſt.

Phocenſes.

CVm Phocenſiũ Tyranni Delphos occupaſſent/ Thebani aduerſus eoſdẽ bellum/ quod ſacrum appellarũt/ ſuſcepere. Interea Bacchi ſacerdotes quas illi Thyades vocãt furore correptę/ vt earum moris eſt/ huc atq; illuc ſine diſcrimine errantes/ vagabãtur. Forte accidit vt nocte quadam in ciuitatẽ Amphiſſam imprudentes deuenirent. Cũq; adhuc furore percitæ/ haud quaq̃ mentis cõpotes eſſent/ progreſſæ in forũ corporibus humi ſtratis/ dormitantes procubuere. Verum Amphiſſeę mulieres/ veritæ ne Thyades violarẽtur a militibus Tyrannorum/ qui frequentes in vrbe ea verſabantur/ quod eſſet ea ciuitas fœdere Phocenſibus iũcta/ facto agmine in forum decurrentes/ ſopitas Thyades tacite circũſtetere/ nec eas tamen a ſomno excitarunt. At poſtq̃ illæ ſponte ſua experrectæ ſunt/ aliæ alias domum deducentes/ quæ reficiendis corporibus opus erant/ liberaliſſime præ-

buerunt. Inde a viris licentia impetrata, Thyadas vſq; ad montes proſecutæ ſunt, vn
de tutus iam reditus illis patebat in patriam.

Lucretia, Valeria, & Chlœlia.

TArquinium Superbum, qui a Romulo ſeptimus apud Romanos
regnauit, Lucretiæ virtus, eidemq; illata cõtumelia, ex vrbe pe=
pulerunt. Hanc viro in primis nobili, quiq; reges cõiunctione ſan
guinis attingebat, nuptã, vnus e Tarquinii filijs ad eã veniens, vi=
tiauit. Quæ cognatis amiciſq; omnibus cõuocatis, rẽ omnẽ quo
geſta fuerat ordine, cum enarraſſet, repente ſeſe in eorum cõſpe=
ctu iugulauit. Hac de cauſa, expulſis vrbe Tarquinijs, multis ad=
uerſus Romanos hoſtibus concitatis, tandẽ Porſenam Etruſcorum regem, bellũ ad=
uerſus eoſdem ſuſcipere cõpulit, qui magnis copijs Romanos fines ingreſſus, ciuita=
tem obſedit. Cũq; bello ſimul & fame laborantes Romani, Porſenã haud minus iu
ſtitia & humanitate, q̃ belli artibus valere comperiſſent, illũ inter ſe Tarquiniumq;,
controuerſię diſceptatorẽ elegerunt, liberam ſibi de hac re iudicandi licentiã permit
tẽtes. Verũ Tarquinius haud quaq̃ conditionibus huiuſmodi aſſentiens, minime vi=
ſum in ferenda ſententia, dictabat, qui parum fidus in bello ſocius extitiſſet. Itaq;
Tarquinio dimiſſo, Porſena cum Romanis amicitiã inire ſummo ſtudio contendit.
Igitur agro, quem ex Etruſcis Romani occupauerant, & captiuis omnibus receptis,
viginti præterea acceptis obſidibus, decem videlicet maribus adoleſcentibus, ac vir=
ginibus totidem, obſidionẽ ſoluit. Forte inter virgines quę pro obſidibus datę ſunt,
Valeria Publicolæ Cõſulis filia, extitit. Interea cum nondũ rebus ad integrum com
poſitis, circa Romã Porſena etiam verſaretur, virgines, quas pro obſidibus in caſtra
deductas ante memorauimus, tanq̃ ſeſe loturæ parũper ab exercitu ſecedẽtes, ad Ty
berim deuenere, ibi vnius Chlœliæ nomine adhortationibus impulſæ, paulatim flu
uium ingredientes, obuolutis ad capita veſtibus, & gurgitũ profunditate deterritæ,
mutuoq; ſeſe vt poterant ſubleuantes, vix tandem magno labore, fluuiũ tranſmiſe=
re. Sunt qui Chlœliã equo tranſuectã cohortatione pariter, atq; auxilio nantes alias
adiuuiſſe tradũt, eiusq; rei, quod paulo infra narrabimus, vtuntur argumento. Cum
enim Romani, trãſuectas illas incolumes vehementius admirarentur, ſicut illarum
virtutem, audaciamq; laudandã cenſebant, ita in ſeruanda fide, ab vno rege vinci mi
nime conuenire arbitrabantur. Igitur datis ducibus, puellas iterum ad Porſenã dedu
ci curauerũt. Redeũtibus vero, Tarquinij ad fluminis trãſitum locatis inſidijs parũ
quin illas caperent, abfuit. Ex eo tumultu Valeria Publicolæ conſulis filia, cũ tri=
bus familiaribus in Porſenę caſtra cõfugit. Reliquas vero Porſenæ filius Aruns, cum
equitatu auxilium ferens, e manibus hoſtiũ liberauit. Cumq; omnes in conſpectum
regis deductæ fuiſſent, admiratus earum audaciã Porſena, quænam ex ipſis migra=
tionis author fuiſſet, percontabatur, Tũ cæteræ timore perculſæ, tacitę in Chlœliã
oculos cõiecerunt, mali aliquid illi a Rege impendere metuentes. Verum ipſa nihil
omnino deiecta, ſeipſam extitiſſe profeſſa eſt. At Porſena, eius virtute commotus,
egregie faleris inſtructum equũ Chlœliæ dari iuſſit, cęteras quoq; virgines benigne
alloquutus, omnes Romã ad parentes redire permiſit. Ex hoc plęriq; arguũt Chlœ
liam equo vectam fluuium tranſmiſiſſe. Quidam vero non ea de cauſa donatã equo
Chlœliam autumant, ſed virginis fortitudinem, atq; audaciam admiratum Regẽ,
eo munere dignam exiſtimaſſe, quod maxime virum ſtrenuũ bellicoſumq; deceret.
Poſitum certe huius facinoris monumẽtum, virginis habitu ſtatua equeſtris, in via,
quę ſacra nuncupatur, quam aliqui Chlœliæ, aliqui Valeriæ nomine dicatam aſſe=
runt.

¶Micca et Megiſtona.

ARiſtotimus Elienſium Tyrannide occupata/viribus fretus Antigoni regis/principatum tenebat/atq; intemperanter potentia abutẽs/ nouis quotidie iniurijs miſeros vexabat ciues/cum eſſet et ſuapte natura ferus atq; immanis/ tum barbarorum hominũ conſilijs vteretur/ quibus totius regni adminiſtrationẽ/ et corporis inſuper cuſtodiam commiſerat. Vnum tamẽ egregię præ cęteris memoratur crudelitatis exemplũ/aduerſus Philodemum perpetratũ. Is filiam habuit/et moribus et forma pręſtantem/nomine Miccam/quam Lucius quidam Tyranni ſatelles adamauit/ſi id amorem potius et non efferatam immanemq; libidinẽ oportebat appellare. Igitur miſſo nuncio/virginem ſtatuto tempore ad ſe venire iubet/idemq; parentes neceſſitate compulſi/ virginem vt faceret/ hortabantur. Verũ ipſa vt erat natura prudens/tum ingenue liberaliterq; educata / paternis genibus aduoluta/rogabat ne ſe in turpiſſimum flagitium proficiſci pateretur/vtq; mortuam potius/q̃ amiſſa virginitate/turpiter viuentem aſpicere vellet. Lõgior itaq; mora cũ traheretur/libidine ſimul atq; ebrietate furens Lucius ipſe/in domum virginis proficiſcitur/eamq; paternis genibus/appoſito capite hærentem offendens/ſe ſtatim vt ſequeretur, minitabũdus imperat. Quod illa cum facere cunctaretur/laceratis veſtibus Lucius nudatam grauiſſimis plagis cecidit. quę tam forti animo dolorem perferebat/vt ne gemitum quidem ad plagam vllum omnino ederet. At parentes tã acerbo ſpectaculo grauiter cõmoti/flenteſq;/poſtq̃ nihil orando ſe proficere animaduerterunt/hominum deorumq; auxilium clamoribus implorantes/indignis ſe contumeliis affici querebantur. Tunc ira vinoq; percitus barbarus/ virginem vt forte in paterno ſinu poſito capite conſtiterat/ iugulauit. Nihil tamen eſt immanitate tam atroci permotus Tyrannus/ſed in ciues qui admiſſum facinus criminabantur/ſęuior effectus/eorũ aliquot morte, plurimos vero exilio damnauit. E quibus octoginta forte in Aetholiam confugerunt, qui cum ſummis precibus Tyrannum rogarẽt, vxores paruoſq; natos ad ſe proficiſci permitteret, nihil ab eo penitus impetrare potuerũt. Verũ ipſe non ita multo poſt, palam nuntiari per pręconem iubet, licere mulieribus exulum, cum filijs, omniq; ornatu ac ſupellectile, ad viros proficiſci. Id omnes quarũ viri exulabãt, lęto animo mulieres exceperũt, quas ad ſexcẽtas fuiſſe memorię proditum eſt. Quo maior illis proficiſcendi ſpes eſſet, omnes die ſtatuta proficiſci iubet. Ea igitur poſtq̃ aduenit, cũctę ad ciuitatis portã qua exeũdũ erat, cõuenere, quę ſecum delaturę erant, ſummo ſtudio cõparabant, & paruos filios alię inſtant geſtantes, alię curribus impoſitos trahentes, cęterarum aduentũ pręſtolabantur. Iamq; omnibus quę ad profectionem opus erant cõſtitutis, procedere agmen incœperat, cum repente miſſi a Tyranno ſatellites, anteq̃ agmen aſſequerentur, magno clamore conſiſtere mulieres, nec vlterius quicq̃ progredi iubent. Inde cum ad eas peruentũ eſſet, retrocedere omnes pręcipiunt, arreptiſq; quos illę parauerant curribus, eoſq; mediũ per agmen agitantes, nec manere tuto, nec regredi patiebantur. Quod vero acerbiſſimum erat, tantis anguſtijs preſſæ mulieres, periclitantibus aut morientibus filijs, auxilium ferre non poterant. Multi enim cum e curribus cecidiſſent, rotarum impulſu conterebantur. Cæteros vero ſimul cum matribus ſatellites, non ſecus atq; ouium gregem, in vnum globum ſtipatas, fuſtibus loriſq; cędentes, gradum properare cogebãt, quo ad omnes in carcerem deductas intruſere. Res vero earũ omnes ad Tyrannũ delatę ſunt. Tam ſceleſtum facinus cum grauiter Elienſes perferrent, Dionyſio ſacratę mulieres, quas illi ſexdecim vocant ſacerdotij ornatibus inſignes, ac dei ſacra manibus geſtantes, ad Ariſtotimũ, qui tum in foro obuerſabatur deuenere, quarum permoti ſatellites, qui Tyrannũ circunſtabãt retroducentes, aditum illis ad Tyrannum patefecere. Venientes primo Tyrannus, & manibus ſacra prętẽdentes conſpicatus/cum ſilentio audiuit. Sed poſtq̃ pro captis mulieribus deprecaturas ad-

ueniſſe cognouit,veluti quodam furore correptus, magno clamore ſatellites,ꝙ eas
ad ſe venire permiſerat,obiurgauit. Eas vero multum cõcurſu detruſas,partim etiã
verberibus cæſas,q̃ primum e foro depelli præcepit,& earum ſingulas duobus mul=
ctauit talentis. His tamen atrociter geſtis,Hellanicus,q̃q̃ propemodum ſenio con=
fectus,vlciſcendi Tyranni negotium in ciuitate ſuſcepit. Is propter ętatis imbecilli=
tatem,& duorum filiorum interitum, minime apud Tyrannum ſuſpectus habeba=
tur. Inter eos ciues quos in Aetholia fugiſſe memorauimus ,.coactis quibus pote=
rant copijs,agri partem quandam vrbi finitimam occuparunt. Vbi vt tuto conſiſte=
re,& ciuitati bellum itidem cõmodiſſime inferre poterat. Eo multi ex Elide ciues
quotidie confluentes,iam fere iuſti exercitus ſpeciem confecerant. His rebus percul=
ſus Tyrannus, ad mulieres, quas in carcere clauſas ante diximus,proficiſcitur, vtq;
erat ingenio ferox,minis potius,metuq; q̃ gratia,aut precibus,cum his agendum ar=
bitratus, iubet eas nuntios cũ literis ad viros mittere,eoſq; vt ab obſidione deſiſtãt,
rogare,alioquin ſe paruos natos in eorum conſpectu,prius ipſas,deinde omnes ver=
beribus cæſas,interfecturum minitatur. Ad hæc ſilentium tenentibus mulieribus,cũ
Tyrannus acriter inſtaret,vt quidnam facturæ eſſent,reſponderent,verbum quidem
nullum proferre audebant,verum tacitæ ſeſe mutuo conſpicientes,nihil ſe illius mi=
nis terreri ſignificabant. Tũ Megiſtona Timoleontis vxor,quę cum viri nobilitate,
tum etiam propria virtute,princeps inter mulieres habebatur,& ipſa venienti Tyrã
no aſſurgere dedignata eſt,cæteras etiam aſſurgere prohibuerat. Hęc igitur, vt erat
humi ſedens,talibus verbis ad Tyranni dicta reſpondit. Si quid in te virilis pruden=
tiæ aut conſilij reſideret,non vtiq; mulieres iuberes, quæ facto opus eſſent,ſuis viris
præſcribere, ſed nos ad ipſos tanq̃ ad dominos noſtros permiſiſſes proficiſci,q̃ me=
lioribus vtẽs & ſermonibus,& conſilijs,quã quibus nos paulo ante deluſas fraudaſti.
Quod ſi nũc omni ſpe deſtitutas,ipſos quoq; verbis per nos deludere arbitraris,ve=
hemẽter erras. Neq; nos iterũ abs te decipi ſuſtinebimꝰ,neq; ipſos tã demẽtes fore
arbitreris velimus, vt dũ infantiũ, aut vxorũ vitę cõſulunt,libertatẽ patrię neglectã
patiantur. Neq; enim tantũ ipſis affert mali,ſi nos ac paruos liberos amittãt, quip=
pe quos ne nunc quidẽ habere poſſunt. Quãtum aſſequentur boni,ſi tuis crudelitati=
bus ciues ſuos,ac patriam liberauerint? Talia adhuc loquente Megiſtona, non vltra
compos iracundiæ Tyrannus,paruũ eius filium,quaſi mox illũ interfecturus, in cõ=
ſpectum deduci iubet. quẽ cum miniſtri inter cæteros ludentẽ,requirerent,mater ip=
ſum nomine compellans,huc ad me inquit accede nate,vt antea finẽ vitæ ſortiaris,q̃
ſæuiſſimę Tyrãnidis experientiam,aut vllum omnino ſenſum per ætatẽ poſſis ac=
cipere, mihi enim longe grauius eſt te præter conditionis tuę dignitatem ſeruien=
tem,q̃ mortuum intueri. Cũ talia conſtanter atq; intrepide Megiſtona loqueretur,
iracũdia furens Tyrannus,diſtricto gladio in ipſam ferebatur,verum e familiaribus
quidã nomine Chilon,obuiã veniẽs,tã atrox facinus ipſum perpetrare prohibuit.
Hic ſane amicitiam erga Tyrãnum ſimulans,vna cum cæteris familiaribus apud eũ
verſabatur,ſed extremo odio in eum affectus. vnus erat ex eorũ numero,qui Hella=
nico principe aduerſus Tyrannũ coniurauerant. Is igitur ruentem Ariſtotimũ com=
prehendens,turpe degeneriſq; animi eſſe dicebat,minimeq; virum principẽ decere,
muliebri ſanguine manus cõmaculare. His admonitionibus vix menti redditus Ari=
ſtotimus,relictis mulieribus,illinc diſceſſit. Neq; ita multo poſt prodigiũ accidiſſe
huiuſmodi fertur. Nam dũ Ariſtotimo cum vxore in thalamo quieſcẽte,famuli cœ
nam prępararent, repente ſublimẽ aquilã ſupra Tyranni domũ volitantem conſpe
xere,quę paulatim declinans,magnũ lapidem,quaſi dedita opera,dimiſit in eã tecti
partem,quę thalamo,in quo Tyrannũ cum vxore quieſcere diximus,ſuppoſita erat,
indeq; magno ſtrepitu & clangore ſublata,ex aſpicientiũ oculis ſeſe proripuit. Cla=
more igitur eorum qui auẽ viderãt,excitatus Ariſtotimus,auditaq; re perterritus,
vatẽ quo plurimum vtebatur,ad ſe vocare iubet,quidq; hoc augurio portendi arbi=
tretur,animo non mediocriter perturbatus,ſciſcitabatur. At vates bono ipſum ani=

mo eſſe cohortatus,hoc ſigno portendi dixit,ipſum Ioui curę eſſe,atq; auxilium in omnibus præſtaturũ. Et hæc quidem Tyranno reſpondit,verum ciuibus, quos ſibi fidos atq; amicos expertus erat,magnum periculum inquit,& quãtum antea nunq̃, Tyranni capiti imminere. Igitur qui cũ Hellanico coniurauerant,non vltra cunctãdum eſſe arbitrati,poſtridie Tyrannũ inuadere ſtatuerunt. Nocte autem,quę deſtinatam facinori diem pręceſſit,dormienti Hellanico viſum eſt, alterũ ex his, quos ſupra occiſos memorauimus,filium,ſupra dormientis caput adſtare,ac magna voce obteſtari, quid pater dormis? an te craſtina die ignoras totius ciuitatis imperatorẽ fore? Hoc viſu confirmatus Hellanicus,primo mane ſocios, ad perpetrandum negotium,adhortatur. At vero Ariſtotimus,cum nuntiũ accepiſſet,Craterum magnis copijs auxilium ſibi ferentem,aduentare,iamq; in Olympia cum exercitu conſediſſe,eo vſq; fiducia proceſſerat, vt in forum ſine cuſtodibus cum Chilone prodire ſit auſus. Igitur agendę rei occaſionem oblatã conſpicatus Hellanicus,ſignũ quod dare coniuratis ſtatuerat,non dedit. Sed manus ad cœlum tollens,clara voce,quid cũctamini,inquit o viri,pulcherrimũ ſpectaculum in medio noſtræ ciuitatis edere? Tũc primus Chilon diſtricto gladio, vnum ex his qui Tyrannũ comitabantur, occidit. Thraſibulus vero Lampeduſq;,cum properato gradu Tyrannũ peterent,ipſe illorũ impetum fugiens,in proximã Iouis ædem ſeſe recepit,ibiq; a perſequentibus confoſſus,occubuit. Coniurati poſthæc cadauere in medio foro protracto, ciues ad libertatem cõuocabant. Cũq; frequentes vndiq; cõuenirent, pauci tamen præuenire mulieres potuerũt,quę ſtatim ad primũ nuntiũ excitatæ,ſummo clamore gaudioq; decurrentes in forum,viris qui illic aderant,congratulabantur. Interea cum frequẽs turba in Tyranni regiã prorũperet,vxor eius,vna cum duabus filijs thalamũ ingreſſa,obſeratiſq; foribus,ſeſe inſerto circa collũ laqueo peremit. Erant,vt antea diximus,Tyrãno duæ filiæ,inſignes forma,atq; ætate iam nubiles,has e thalamo in quẽ confugerant,per vim detractas,quidã vt vitiatas occiderent,deducebant. His forte obuiam facta cum mulierũ turba,Megiſtona,perindigna illos ac nefaria moliri exclamat ſi popularem vitam agere velle profitentes, ea tamen facere aggrediantur, quæ vix etiam Tyrannorũ ſæuiſſimi facere auderent. Ad huius vocem,cum omnes propter mulieris reuerentiam ſubſtitiſſent,optimum illi conſiliũ viſum eſt,ex eorũ manibus puellas eripere,ijſq; ſeipſas interimendi facere poteſtatem. Reductis igitur in thalamũ,pręcepit,vt quo eis magis placeret moriendi genere optato, ſeſe perimerent. Tunc earũ quæ natu maior erat,zonam qua cincta erat diſſoluens,laqueum quo ſe perimeret,innectebat,& germanam hortabatur,vt quæ ſe faciẽtem vidiſſet, eadem ipſa quoq; perageret,vtq; humile quicq̃, aut eorum genere indignum facere caueret. Tum iunior zonam manibus adprehendens, orabat, vt ſibi priorem moriendi locum concederet. Ad hæc illa,neq; aliquid omnino inquit dum viuere licuit,negatura tibi ſoror fueram,& nunc quando ita vis,extremã hanc ex me gratiã accipe. Ego autẽ quando tibi ita placet ſuperuiuã,& quod mihi ipſa morte grauius eſt chariſſima ſoror,te prius morientẽ intuebor. Hæc dicens,zonam ſorori tradens, admonebat vt nodum ſpinæ propius admoueret, quo citius faciliuſq; ſuffocaretur. Inde vbi illa eam expiraſſe animaduertit,ſolutum cadauer quoad poterat, veſtibus circũtexit. Tunc ad Megiſtonã conuerſa,rogabat ne ſe poſt mortem turpiter nudatam,iacere pateretur,atq; his dictis,eodem innexa laqueo,vitã finiuit. Ita neminem tam inhumanũ atq; infenſum Tyranno fuiſſe arbitror,qui tali virginũ ingenio,tantaq; animi ingenuitate non flecteretur. Verum hactenus cum pene innumera alia ſuperſint,cõmunia pluriũ mulierum geſta,cõſilio dixiſſe ſufficiat. Deinceps ſingularũ virtutes ſparſim vt quanq; ſors obtulerit,perſcribemus, minus opus eſſe arbitrãtes in hac hiſtoria,temporum ordinem,rationemve ſeruare.

Pieria.

EX Ionibus qui Miletum habitabant, nonnulli aduerſus Nilei fi-
lios, facta ſeditione, in Miuntē diſceſſere, ibiq; ſedibus cōſtitutis,
habitabāt. Verum crebris Mileſiorū incurſionibus agitati, cōti-
nenter aduerſus illos pugnare cogebantur. Sed cū ex eadē ciuita-
te eſſent vtriq; oriūdi, & ſeditionis tantū gratia factæ, aduerſus
ipſos Mileſij pugnarēt, nō extremis odijs inter ſe diſſidere ſatis
conſtabat. Quippe cū feſtis quibuſdā ſacratiſq; diebus, mulieres
ex Miunte Miletū proficiſci paterentur. Erat inter eos qui in Miunte habitabāt, vir
& diuitijs & nobilitate excellens, nomine Pithus, is vxorē Iapigiam, filiā vero Pie-
riam habebat, quæ cum tempus adueniſſet, quo Dianę ſacra peragebantur, Miletum
vt ſacris intereſſet, proficiſcitur. Ibi Frigius ex Nilei filijs maior natu, vehementi
Pieriæ amore correptus, interrogauit quidnam illi gratiſſimum a ſe pręſtari poſſet,
quæ id ſibi longe omnium gratiſſimuū fore reſpondit, ſi det operam q̃ ſæpiſſime,
multiſq; ſocijs comitata Miletū ſibi venire liceat. Quo dicto facile Frigius animad
uertit, amiciciā pacemq; ab illa expoſci. Itaq; cōuocatis in vnū ciuibus, pacem cū his
qui in Miunte habitabant, compoſuit. Ex hoc magnū apud vtrāq; partem Pieriæ
nomen habitum eſt, magnoq; ab omnibus honore beneuolentiaq; colebatur, vt etiā
vulgo inter mulieres optaretur, quod in hunc etiam diem permanſit, vt ſic ſe amari
velle dicant, ſicut Pieriam Frigius adamauit.

Policreta.

BEllum inter Naxi habitatores ac Mileſios ob Ipſicreontis vxorem
Neerā ita exortum eſſe perhibetur, cum Promodontem ex Naxo
oriundum, Ipſicreontis autem viri ſui hoſpitē adamaret, clanculum
illi cū in viri domo verſaretur, ſe cōmiſcuit. Poſthæc amore ardēs,
& viri iracundiam formidans, vna cum Promedonte in Naxū abijt,
ibiq; ſe Veſtę addixit obſequio. Hanc igitur a viro ſępius repetitā,
cum reddere Promedontis gratia Naxij recuſarent, & religionis occaſionem iniurię
prætenderent, repente bellum inter vtroſq; eſt excitatū. Cumq; Ionum plurimi ſe-
ſe Mileſijs ſocios addidiſſent, cum præcipue Eritrei egregie operam nauarunt, ita
multis vtrinq; acceptis atq; illatis calamitatibus, bellum iam diutius protractum,
vnius tandem mulieris opera, finē accepit, quod mulieris itidem peruerſitate fuerat
inſtitutū. Diognitus Eritreorum imperator, cū valle munitionibuſq; Naxiorū vrbē
clauſiſſet, ad populandos agros cōuerſus, ingentē omnifariam rerum generis prædā
abegit, inter quæ mulieres liberę, virgineſq; cōplures extiterint. Ex ijs vnā ipſe ante
alias forma præſtantē, nomine Policretam, ſibi delegit, eiuſq; amore incenſus, non
quaſi captiuam ſeruā, ſed veluti legitimam vxorē, tenebat domi. Interea cū ſolēnis
ſacrorum dies Mileſijs adueniſſet, militibus ducibuſq;, ꝙ nihil penitus hoſtem time
rent, in Venerē potumq; profuſis, Policreta Diognitū rogauit, an ſibi per eum lice-
ret ſacrorū libaminū partem, ad fratres mittere, qui in ciuitate obſidebantur, cumq;
id ſibi permiſiſſet Diognitus, ipſa plumbeam laminam placentæ inſertam, vna cū
alijs quibuſdā cibarijs, ſeruo ad fratres tradidit deferendā, ac ſimul nuntiare iubet,
vt ſolis ijs quę a ſe miſſa eſſent, veſcerentur. Ij cum inter edendum plumbeā laminā
offendiſſent, quæ in ea conſcripta erant perlegerunt. Monebat autē ipſos Policreta,
vt proxima nocte, totis viribus hoſtes adorirentur, haud dubie victoria potituri, ꝙ
omnes diurna crapula vinoq; confecti, negligenter, incōpoſite iacerent. Ea cum Po-
licretæ fratres animaduertiſſent, rem omnem ad imperatores q̃primū deferunt, qui
illorum adhortationibus compulſi, eductis ex vrbe copijs, hoſtium caſtra inuaden-
tes, multiſq; interfectis, nullo labore ipſa ceperunt. Inde ad perquirendos Diogni-
tum, Policretāq; ſunt conuerſi, quæ ſuos ciues pro illius ſalute deprecata, vt incolu-

mis abire liceret,impetrauit.Ipſa vero cum fratribus in vrbem reuertebatur,cui ciues vniuerſi obuiã prodeuntes gratulabantur, eiuſq; virtutem ac prudentiã admirantes, ſummis laudibus efferebant.Verum ipſa tantę lætitiæ magnitudinẽ non ſuſtinens, in omniũ cõſpectu ad ciuitatis portã repente expirauit. vbi etiã ſepulchrũ illi publico ſumptu cõſtitutum eſt, quod faſcinationis ſepulchrũ nuncupatur,quod tanq̃ inuidi cuiuſpiam faſcinatione,conceſſis honoribus Policreta prohibita fuerit. Atq; hęc ita vt enarrata ſunt,geſta fuiſſe,Naxiorũ quidã ſcriptores tradiderũt,verũ Ariſtoteles nõ captam a Diognito Policretam,ſed cum illam forte vidiſſet ingenti amore correptum ſcribit,vltro ſe omnia facturũ eſſe pollicitum,ſi ad eum Policreta accedere vellet.cuius ipſa petitionibus ita ſe aſſenſum ire dixit,ſi ſibi vnũ duntaxat cõcederet,atq; id iureiurãdo præſtito ſe facturũ confirmaret, Quæ omnia,vt petebantur futura cum ſpopondiſſet Diognitus, ipſa Delium liberũ ſibi dari poſtulaui,tſic enim ager vrbi adiacens vocabatur,in quo hoſtes caſtra collocauerãt,aliter ſe nullis conditionibus vnq̃ ad eum venturam.Tum Diognitus & amore ardens,& iuramenti inſuper religioni adſtrictus,motis ex eo loco caſtris, retrocedens, liberũ Policretę agrum conceſſit,quæ illum ſuis ciuibus dono dedit.Ex quo Naxij rurſus Mileſijs ęquales facti,inducias primo,mox etiam pacem,quibus voluere cõditionibus,pepigerunt.

Lampſace.

PHocenſes erãt ex Codri progenie gemini fratres.Fouus & Bleſſus,quorum Fouus primus omniũ,e patria Leucadia ſeſe in mare præcipitare eſt auſus, vt Charon Lampſacenus in hiſtorijs retulit.Is cum eſſet & virtute pręſtans,& regia quadam dignitate ornatus,ad inſulam Paphum aliquando negotiorũ priuatorũ gratia,nauigauit.Vbi a Mandrone Bebriorum, qui & Pitoeſſini dicũtur,rege,& hoſpitio & amicitia ſuſceptus, in bello quod is tum forte cum finitimis gerebat, ſocius fuit. Hoc igitur officio permotus Mandron cũ plurima abeũti Fouo beneuolentiæ argumenta dediſſet,tum in agri ac ciuitatis partẽ aſciuit ſocium,ſi ex Phocide colonos adducẽs Pitoeſſam incolere vellet.Egreſſus igitur in patriam Fouus,ciuibus aliquot perſuaſit,vt habitatum ſecum in Pitoeſſam cõcederent,fratrẽ qui coloniã deduceret,ſimul cum ipſis eodẽ mittẽs. Nec ſane Mandron illos promiſſis defraudanit.Igitur in Pitoeſſa conſtituti,Phocẽſes cũ bella aſſidua cõtra finitimos barbaros gererent,atq; ex eorũ pręda ſpolijſq; ditati,inuiſi primo,mox etiã ſuſpecti Bebricijs eſſe cœperunt. Igitur ex vrbe illos pellere cupientes, primum aduerſus eos Mandronem varijs iniectis ſuſpitionibus, irritare tentabant. Qui cum eſſet ingenio mitis atq; perfacilis, eorum dicta aſpernabatur,verum Mandrone ipſo peregre profecto, Bebricij dolis inuadere Phocẽſes cõſtituerunt,quod cum Lampſace Mandronis filia adhuc innupta, comperiſſet,primo quidẽ amicos ac familiares incœpto deterrere conata eſt,admonẽs rem ſceleſtã ac nefariam ipſos aggredi,cum in ſocios belli ac beneficos viros,nunc vero conciues etiam ſuos,tantum facinus moliantur.Vbi vero nihil eos ſuis verbis moueri ſenſit, rem omnẽ clanculum ad Phocẽſes detulit,qui celebritate quadam & ſolenni epularum apparatu ſimulato Pitoeſſinos ad cõuiuia extra ciuitatẽ vocauerunt.Ipſi vero bifariam diuiſis copijs, partim ad occupanda ciuitatis mœnia, partim captis antea victiſq; Pitoeſſinis,ad reliquam ciuitatẽ capiendã diſcurrunt. Atq; per hunc modũ ciuitate potiti,Mandronem qui rebus cõſuleret reuocarũt. Lampſacẽ vero morbo defunctam,in ciuitate ſepelientes,egregio funere decorarunt,atq; vrbem ex eius nomine Lampſacum appellarunt.Sed poſtq̃ Mandron proditionis ſuſpitionem deuitans,vna cum illis habitare noluit,interfectorũ filios atq; vxores ad ſe mitti iuſſit, quod illi ſine fraude facientes,nulla penitus allata iniuria pręſtiterunt, & Lampſace primo heroicos honores tribuẽtes ad extremũ inter deos referri,eiq; tãq̃ Deę ſacra

fieri publico decreto ſtatuerunt,eumq́ʒ ſacrificandi morem in poſterum ſemper fi-
xum,immobilemq́ʒ ſeruatum.

Aretafila.

ARetafila Cyrenæa ipſa quidē,non multum a noſtra ætatē remo-
ta,quippe quæ Mithridatis tempore claruerit,ſed virtute & re-
rum geſtarū gloria,priſcis Heroum filiabus omni ex parte exti-
tit conferenda. Hæc Eglatore patre nata,Fedimo nupſit,adole-
ſcenti nobilitate ac diuitijs inter conciues ſuos facile principi.
Cūq́ʒ forma & corporis aſpectu pulcherrima eſſet, prudentia ta
men & virtute animi, corporis pulchritudinem ſuperabat, neq́ʒ
ciuilis facundiæ,atq́ʒ eloquentiæ expers habebatur. Hanc etiam patriæ calamitates
illuſtriorē effecerunt. Nicocrates enim Cyrenis occupata Tyrannide,cum ciues per-
multos morte damnaſſet,Menalippo Apollinis ſacerdote propria manu interem-
pto,ſibi ſacerdotij ius,authoritatemq́ʒ vſurpauit,Fedimo quoq́ʒ Aretafilæ viro per
dolū necato, Aretafilā q̄uis inuitam reluctantēq́ʒ duxit vxorē.Is igitur cū multa in
ciues crudeliter,ſuperbeq́ʒ quotidie faceret,tū illud vel in primis ſæuiſſimum appa-
ruit,q́ʒ ad portas ciuitatis cuſtodes appoſuit,qui elata cadauera pugionibus fodien-
tes perſcrutarentur, aut candentibus ferri laminis vrerent,nequis ciuiump ro cadaue
re extra ciuitatē deportatus ipſum lateret.Erant hæc præter domeſtica mala Are-
tafilæ moleſtiſſima,q̄q̄ eius amore deperiens Tyrannus,ipſi plurimum indulgeret,
cumq́ʒ erga omnes immanis atq́ʒ intractabilis eſſet,ſolam ipſam māſuetum facilēq́ʒ
illum habere cōſtabat. Plus tamē ingētis ſpiritus mulierē dolor ex patrię vexatione
ſuſceptus,q̄ viri erga ſe indulgētia cōmouebat. Ciuitatēq́ʒ tā inhumaniter ab eo ve-
xari tacita indignabatur. Præſertim cū nouæ quotidie cędes,varijs in ciues confictis
criminibus a Tyranno fierent,omneſq́ʒ penitus tanta ſcelera vlciſci poſſe deſperarēt.
Exules enim & alioqui impotentes & Tyrāni etiā timore perculſi, varie ſeſe diſper-
ſerant. Sola autē Aretafila publicis rebus ſpē aliquā afferre & cōmunium iniuriarum
vltionē tentare auſa eſt. Ferre Thebanę multorū laudibus celebratam audaciā adimi
tandū ſibi proponēs. Sed cū ſibi nō æque atq́ʒ illi ſocij, atq́ʒ adiutores facinoris adeſ-
ſent,veneno hominē aggredi meditat̄,in quo multa ſibi aduerſa cōtigerūt.cūq́ʒ plu-
rimi peragendi propoſitum tentati modi, eam defeciſſent, ad extremum in crimi-
ne deprehenſa,nō vltra valuit mentē ſuam,qualis eſſet erga virum,diſſimulare,cum
certiſſimis argumētis cōuicta teneretur. Igitur Caluia Nicocratis mater & alioqui
garrula atq́ʒ inexorabilis mulier,grauibus ſupplicijs affectam Aretafilam,q̄primum
interficiendā cenſebat,ſed Nicocratis iracundiā, leniorē faciebat amoris erga Are-
tafilam magnitudo,tum q́ʒ ipſa cōſtanter ſane accuſatoribus reſpōdebat,alias quaſdā
cauſas veneni,quod apud ipſam cōpertum fuerat prętendēs,cū vero manifeſtis indi
cijs argueretur,vt veneni pręparationē diffiteri ſe minime poſſe conſpiceret. Fateor
(inquit) a me medicamentum,nō tamen ad mortē fuiſſe paratum, ſed cum ſcirē mi
vir,multis propter ſummā in me beneuolentiā tuam, peruerſis mulieribus odioſam
eſſe & inuiſam,q́ʒ tātum gloria potentiaq́ʒ excellerē, cōtra earū artes atq́ʒ dolos ali-
quo manſuri in me amoris poculo,tanq̄ præſidio munienda ſtatueram. Ob id igitur
talia a me quæſita fuiſſe non diffiteor,quæ forte leuioris ac muliebris ingenij videri,
non tamen mortis ſupplicio digna exiſtimari debent, niſi tu vir huius cauſæ iudex
conſtitutus,medicaminum & incantationum cauſa,necandam vxorem eſſe cenſue-
ris, quod te forte magis q̄ velles adamauerit. Talia conſtanter dicēte Aretafila, Ni-
cocrati placuit,tormentis adhibitis huius facinoris quæſtionē haberi, eiq́ʒ Caluiam
matrem pręfecit,quæ nulli tormentorum generi parcens, quoad potuit, diligentiſ-
ſime omnia exquiſiuit, quæ omnia adeo conſtanter Aretafila pertulit,vt ipſa etiam
Caluia quærendo ſit fatigata. Tum Nicocrates quæſtionem dimitti iubens,inno-

xiam eſſe Aretafilam ſibi perſuaſit, quodq; ipſam torqueri paſſus eſſet, pœnituit. Nec multo poſt, amoris magnitudine ſuperatus, iterum Aretafilæ priſtino more cõciliatus, ſummis honoribus, atq; omni comitate illius beneuolentiam recuperare nitebatur. Verũ ipſa ſuppliciorum & calamitatũ, quas perpeſſa fuerat, haudquaq̃ immemor, nulla aut gratia, aut beneficentia flectebat animum. Sed cum ad honeſtum erga patriam amorem, illam ad facinus tentandum compulerat, noua inſuper acceſſiſſet indignatio, aliam perdendi Tyranni rationem ingreditur. Erat Aretafilæ ex priore viro filia, ætate iam nubilis, Hac velut eſca, ad alliciẽdum Tyranni fratrem vtebatur, virum ſuapte natura ad voluptates procliuem. Præterea medicamentis & incantationibus nõnullis vſam, ad capiendũ iuuenem, cui Leandro nomen erat, nõnulli perhibent. Hanc igitur, exorato fratre, vxorẽ acciperet, ſummo ſtudio contendẽs, effecit. Inde vbi primũ ſimul cõgreſſi ſunt, puella ſicut a matre fuerat inſtituta, virũ multis verbis ad liberandã patriã exhortat, aſſerẽs, ne ipſũ quidẽ ſub Tyrãnide viuentẽ, liberũ eſſe, cũ nec accipiẽdi ꝑ ſuo arbitrio vxorẽ, nec acceptã retinendi ius haberet, nouas quotidie a Tyrãno calũnias & ſuſpitiones adijciẽs, cõtra fratrem irritabat, gratũ id quoq; Aretafilę futurũ oſtendẽs. Quod vbi Leãder intellexit, maiorẽ animo rẽ aggreſſus Daphnidis familiaris ſui opera, quẽ cõſilij participẽ fecerat, Tyrannũ interficit. Verum nõ vltra Aretafilę obſecutus, re ipſa atq; operibus, patefecit ſe fratricidam potius q̃ Tyrannicidã extitiſſe. Omni enim imperij iure in ſe tranſlato, iniuſte imprudenterq; dominabatur, honore tamẽ aliquo & reuerentia Aretafilam obſeruans, quę cum illi clanculum aduerſaretur, clãdeſtinas moliebatur inſidias, ac primo quidem Libycũ bellum aduerſus eum cõcitauit, Anabo cuidã ex Libya oriũdo perſuadẽs, vt Leandri finibus vaſtatis, exercitũ vrbi admoueret. Poſthæc amicos Leandri, atq; exercitus ductores, tanq̃ deſides, minimeq; ad gerendum bellum idoneos criminabatur, otij ac belli quàm pacis cupidiores affirmans. Quapropter quiete ſibi opus eſſe, ſi ſtabilire Tyrannidem, & liberis ſuis ciuibus cuperet dominari. Itaq; inducias ſi ita velit cũ hoſte facturã, & Anabum in colloquium adducturam pollicetur, ſic enim facilius inter eos res poſſe cõponi, priuſq̃ cœptum nuper inter vtroſq; bellũ mutuis dãnis inferẽdis, crudeſceret. His vbi Leandrũ adnuere animaduertit, priuſq̃ deſtinatus colloquio dies adeſſet, per occultos nũtios Anabum rogat, vt inter colloquia Leandrũ interficiat, magnum auri põdus ſi id effecerit, illi ſe daturã promittẽs. Quibus cõditionibus cũ Libycus aſſenſus eſſet, & inſtaret colloquijs dies, Leander alias ex alijs cauſas proferẽs, colloquium abnuebat. Attamen Aretafilæ verecũdia permotus, quæ vltro ſe illi comitem affuturã pollicebatur, tandẽ inermis ex vrbe, ac ſine cuſtodibus vllis, proceſſit. At cum iã Anabo propinquãs, illũ cõtra venientẽ aſpexiſſet, permotꝰ animo, cuſtodes corporis expectare velle dicebat. At pręſens Aretafila, partim hortãdo, partĩ accuſando formidinẽ, tandẽ vero cũctantẽ ex manu trahẽs, cõſtanter ſane atq; audacter ad barbarũ perduxit, atq; in eius manus captiuũ tradidit, quem vinctũ Libyci, carceriq; incluſum, ſeruarunt, quo ad Aretafilæ amici promiſſam Anabo pecuniam attulerunt. quibus cum magna ciuiũ profecta multitudo eſt. atq; omnes re, vt geſta fuerat, intellecta, curſim ad Aretafilã gratulatũ, atq; cœptum opus perficere hortatũ, proceſſerãt. Ipſa enim cõceptæ aduerſus Tyranni iracũdiæ iã formæ oblita, ad ſuppliciũ de eo ſumendũ lãguidior videbatur. Ciues autẽ de recuperanda libertate in primis erant ſoliciti. Igitur Aretafilã ſumma cũ lætitia adeuntes, quaſi diuinũ aliquod numen, effuſis lachrymis, & proſtratis ſimul corporibus, venerabantur. Alijs itaq; ſuper alios frequẽter aduenientibus, vix tandẽ vt eis Leandrum traderet, impetrauêre. Vnde veſperi ſimul omnes in vrbem redeũt, ac debitis laudibus, honoribuſq; Aretafilę perſolutis, ad ſuppliciũ de Tyranno ſumendũ, animos conuertêre. Et Caluiã quidem Tyrãni matrem viuentẽ cremarunt. Leandrum vero culeo inſutum, in mare proiecêre. Demum reipublicę inſtituendæ intenti, Aretafilam vt vna cum ciuitatis optimatibus

rempublicam gubernandam capeſſeret,hortabantur. Quæ tanq̃ in dubio difficiliꝗ certamine,vtꝗ ad pręmiorum diſtributionem verſata,vbi liberam ciuitatem, ſuiꝗ iuris factam conſpexit,in ſacrarum virginum domum ſecedens,negotiorum omnium,ac ciuilium rerum cura poſthabita, quod reliquum fuit vitę,inter amicas,ſocias mulieres,placide,tranquilleꝗ peregit.

Camma.

GAlatæ duo quidam fuere,Sinatus & Sinorix,cum potentia apud ſuos clari,tum familiaritate inter ſe & generis propinquitate cõiuncti. E quibus Sinatus vxorem duxit virginem,nomine Cammam,corporis forma & pulchritudine claram, neꝗ enim ſolum virtutibus,quæ a muliere exiguntur,modeſtia,& erga virum obſeruantia,ſed prudentia quoꝗ & ingenua quadam animi magnitudine excellebat. Humanitas pręterea,atꝗ erga inferiores pręcipua comitas, amabilem gratamꝗ omnibus ipſam reddebant. Accedebat ad hæc non parui apud eas gentes habitum ornamentum Dianæ ſacratam eſſe, quæ apud Galatas religioſiſſime colitur, cuius feſtis ſacriſꝗ celebrandis, tanta obſeruantia & cultus magnificentia preerat, vt omnes in ſui admirationem conuerteret. Huius igitur captus amore Sinorix,cum neꝗ precibus ipſam flectere,neꝗ vlla vi cogere viuente Sinato,poſſe adnimaduerteret,ſceleſtiſſimum facinus auſus, dolo Sinatũ interemit. Nec ita multo poſt,nuntijs ad Cammam,in Dianæ templo degentem,connubium eius petebat,quæ non humiliter, aut abiecto animo,indignam viri mortem ferens, diligentiſſime quonam pacto de Sinorige ſupplicium ſumeret, obſeruabat. qui maiore in dies ſtudio petitionẽ vrgens,rationes haud multum a veritate alienas afferebat,neꝗ genere, aut alia quapiam re Sinato inferiorem ſe eſſe prędicans,perpetratæ cędis,non odium aut auaritiam,aut aliam omnino cauſam,præter nimium amorem Cammæ fuiſſe teſtabatur, cui facile veniam ab ea tribui cenſebat oportere. Cum iugiter Camma fatigaretur,primo non admodum aſpere aut inhumaniter petentibus,aduerſata,paulatim deinde molleſcere,ac verbis animum flecti ſimulauit,cum præſertim affines amiciꝗ omnes,Sinorigis gratia cõmoti,eius voluntati vt acquieſceret hortarentur., vim quoꝗ ad extremum allaturum illum minitantes. Quibus tot rebus tandem Camma permota,Sinorigem ad ſe in templum vocari iubet,quaſi Deam huius authorem connubij factura,venientem deinde benigne atꝗ humaniter excipiens,ad aram perduxit, & phialam tanq̃ Deę libamen tenens, ipſa primo partem ebibit,reliquum deinde Sinorigi bibendum porrexit. Erat autẽ venenatũ mulſum, quod phiala cõtinebatur,idꝗ poſtq̃ ebibiſſe illũ animaduertit, clara voce exclamãs, & Deæ ſimulacrũ venerata,Te inquit Dearum præclariſſimã obteſtor,me huius tantum diei gratia,Sinato ſuperſtitẽ hactenus fuiſſe. Quid enim illo mortuo,tanti temporis vſus afferre poterat,præter huiuſce vltionis ſpem?cuius iam compos tuo numine effecta, libens volenſꝗ ad virum deſcendo. tibi vero omnium ſceleſtiſſime, ſepulchrum pro thalamo, & pro nuptijs funus, amici familiareſꝗ parabunt. Ea cum Sinorix audiſſet,& iam viſceribus inhærens venenum ſentiret,primo quidem currum conſcendit,agitatione atꝗ concuſſu venenum e corpore depulſurum exiſtimans, verum ibi diutius conſiſtere ob dolorem non potens, lectica ſe circunferri iuſſit,neꝗ ita multo poſt,e vita migrauit. At Camma magnam noctis partẽ,contra veneni vim reluctata,vbi defunctum Sinorigem audiuit,prõpto atꝗ alacri animo deceſſit.

Stratonica, & Chiomara.

PRæbuit inſuper Galatia Stratonicã Deiotari, & Chiomaram Ortiagõtis vxores memoratu ſane dignas mulieres. Quarũ Stratonica cum ſe filijs, qui viro ſuccederent, carere, idq; non viri, ſed ſui vitio euenire, adnimaduerteret, perſuaſit viro, vt ex quacũq; poſſet muliere procreatos filios, ſibi ſupponeret. Tum Deiotarus mulieris prudentiã admiratus, eius conſilijs obtemperare nõ recuſauit. Ipſa igitur ex ancillis virginem præſtanti forma, Electram nomine, deligens, vt Deiotaro coniungeretur, effecit, atq; ex ea progenitos filios ſuſcipiens, tanq̃ legitimos, ingenue, liberaliterq; ſumma cum beneuolentia, educauit.

Chiomara.

EX eadem quoq; Galatia, & Chiomara orta eſt Ortiagõtis vxor, per id temporis capta, quo Romani Galatas, qui in Aſia ſunt, bello ſuperauere. Hanc Tribunus quidã in diuidenda præda ſortitus, vt plærunq; militarium hominũ fert conſuetudo, vitiauit. Is erat cum propenſus ad libidinem, tum vero pecuniæ auidiſſimus, vt facile auaritia libidinem ſuperaret. Igitur cũ Chiomaræ affines multum auri pro ipſa redimenda pollicerentur, Tribunus diligẽtiſſime mulierem obſeruabat. Forte autem fluuius locum in quo Chiomaræ cognati habitabant, & Romanorũ caſtra, medius interfluebat. Hunc, poſtq̃ illi promiſſum redemptionis præmium afferentes, trangreſſi ſunt, iamq; ea recepta domũ remearent, ipſa ſeruorum cuidam iubet, vt Romanum, qui eã ſalutandi gratia vſq; ad fluuium proſequebatur, interficeret. Cũq; eius mãdatis ſeruus obtemperans, captata opportunitate, Tribunum occidiſſet, ipſa deſectum a cadauere caput proprijs veſtibus inuoluens, vna cum ſuis domum remeat. vtq; primum in viri conſpectum peruenit, laxato ſinu, caput quod geſtabat, ante illius pedes effudit. Cũq; ille rei nouitate ac magnitudine perculſus, mulierem interrogaret, num fidem ſeruare præclarum arbitraretur, Sane inquit illa, verum hoc longe, vt opinor, præclarius eſt, vnum duntaxat ex his, qui mecum concubuerint, viuere. Hoc ſe Polybius cum Sardis verſaretur, multorum ſermonibus celebratum audiſſe teſtatur, mulieris conſtantiã atq; prudentiam admirans. Sed alius quoq; eadem prouincia ſcribendi præſtat argumentum. Nam cum Mithridates ad. 40. ex Galatarum optimatibus ſimulata amicitiæ cauſa Pergamum accerſiſſet, aſpere deinde, ſuperbeq; illos exagitans, vehementer eorum contra ſe animos irritauit, Regis iniurias, haud quaq̃ æquo animo tolerantium. Erat inter Galatas Toridorax vir & procero, robuſtoque corpore & animi audacia, ac fortitudine præſtans, Is negotium, concedentibus reliquis ſuſceperat, vt Mithridatem ex gymnaſio vbi iuri dicendo conſiſtere conſueuerat, abreptum in foſſam, quæ non procul inde aberat, præcipitaret. Forte eo die cum Mithridates ad gymnaſium venire nollet, Galatas domum ad ſe venire iubet, eos Thoridorax hortatur, vt cum in vnum congreſſi fuerint, omnes impetu facto, Regem trucident. verum id conſilium Mithridatem minime latuit, Cum ex eorum numero quidam rem omnem ad regem detuliſſet. Quapropter ingenti iracundia percitus Rex, ſingulos Galatas, ſingulis lictoribus mactandos tradidit. Nec ita multo poſt ſibi venit in mentem, eſſe in illorum numero adoleſcentem cum nobilitate inſignem, tũ forma & ætatis flore omnium, qui apud ſe eſſent, præſtãtiſſimũ. Eius igitur miſeratione cõmotus ægre admodũ ferebat quod ipſum quoq; iuſſiſſet interfici. Et quanq̃ de eo iam ſumptum ſupplicium arbitrabatur, aliquos tamen dimiſit, qui ſi viuentem adhuc nacti eſſent, eum morti ſubtraherent. Huic Vipolitano nomen erat. & caſu quodam euenerat, vt is quando comprehenſus fuit, egregiam

veſtem, miroq́ opere elaboratam indutus eſſet. Hanc igitur purā atq́ incruentā lictor habere cupiens, cum in ſpoliando iuuene eſſet occupatus, nuntios procul a Rege miſſos, effuſo curſu ad ſe venientes, & nomine Vipolitanū appellantes, eſt conſpicatus. Ita quæ pluribus exitij cauſa ſolet eſſe auaritia, Vipolitano inſperatam ſalutem attulit. Inter hęc Thoridorax, occiſus regis iuſſu, inhumatus iacebat, neq́ ad eum ſepeliendum amicorū quiſq̄ audebat accedere, verū Pergamena mulier, quam ob eximiam pulchritudinem Thoridorax adamauerat, ſummū diſcrimen ſubire auſa, acceptum corpus, & quibuſcūq́ poterat ornamentis decoratū, ſepelire parabat. Quod vbi regij cuſtodes animaduertere, cōprehenſam mulierē ad regem adducunt, qui eius pulchritudine nonnihil cōmotus, eiuſq́ ſimplicitatem ad fidem admirans, vbi amorem huius rei cauſam eſſe cōperit, eam omni reatu abſoluens, incolumē abire iuſſit, eidemq́ amati corpus ad ſepelturā concedens, veſtes aliosq́ funere dignos ornatus, ex propria ſupellectile largitus eſt.

Thimoclia.

Theagenus Thebanus eadem cū Epaminunda & Pelopida, cæterisq́ optimatibus ſentiēs de rep. in ea pugna, qua pro communibus Gręcię fortunis, apud Cheroneā pugnatū eſt, cecidit. cum iā hoſtilem aciem, quę contra ſe ſteterat, profligatā victor inſequeretur, is præcipuum quempiam ex hoſtibus perſequens, cum ille quonā vſq́ nos tādem perſequeris? clamitaret, Macedoniā vſq́ reſpondit. Huic mortuo, ſoror ſuperſtes relicta fratris virtutē & propinquitatem egregijs operibus eſt teſtata, q̄q̄ virtute alibi haud multum vti licuit, q̄ vt cōmunes calamitates æquo animo toleraret. Nā poſtq̄ Thebis potitus eſt Alexander, milites per omnem vrbem prędabundi diſcurrentes, alius aliam vt cuiq́ fors obtulerat partem diripiebat. Forte euenit vt Thimocliæ domū, vir quidam impius atq́ inhumanius Thracum equitū pręfectus occuparet. qui regi & nomine & genere conueniens moribus, ab eodem vehemēter diſſidebat. Is Thimoclię neq́ genus neq́ ante actæ vitę pudicitiā, veritus, vbi cœnatus multo ſe vino ingurgitauit, Thimocliam ſecum dormitū accerſi iubet, neq́ illata iniuria contentus, inter loquendū diligentiſſime, nunquid auri aut argenti defodiſſet, aut vſpiā occuluiſſet, ſciſcitabatur, ac partim minitando, partim vxoris loco eam ſe habiturum pollicendo, quid cupiebat extorquere conabatur. Illa vero vt erat ingenio prōpta, oblatā ab aduerſario occaſionē libenter arripiens, vtinam mori potius q̄ viuere mihi ante hanc noctē contigiſſet. Corpus enim ab omni cōtumelia intactum, inuiolatūq́ ſeruaſſem, verum te vnum tutorē dominum, virum vbi ita dijs viſum eſt, habitura, quæ tua iam ſunt, amplius te cælare non debeo, mihi enim iam nihil aliud, q̄ quod tibi libuerit accidere poſſe cōſpicio, quo pacto igitur ſe res habeat accipe. Ego cum multū haberem cælati argenti, mundum quoq́ muliebre maximi pretij, auri quoq́ ſignati non parum, vbi vrbē iam propemodū captā animaduerti, omnia proieci, vel vt verius loquar, in puteo aqua carēte depoſui, idq́ pauci admodū nouere. Eſt enim puteus operculo quodam deſuper tectus, & multis vndiq́ circūſeptus vepribus. Tu igitur illa ſumēs fortunatiſſimus euades, mihi vero eadem illa, priſtinæ fortunæ & domeſtici ſplendoris teſtimonium afferent. Ea cum Macedo audiſſet, quoad illuceſceret dies, expectare non valuit, & Thimocliæ ſe ad monſtratum locum deducere, atq́ horti aditum nequis eo peruenire poſſit, claudere iubet. Ipſe poſt hæc interiore dūtaxat tunica indutus, deſcendit in puteum, malo Genio, & illatæ in Thimocliā iniuriæ vltricibus eo ducentibus. Nā poſtq̄ illum iam ad fundum putei deſcēdiſſe Thimoclia animaduertit, multos & ipſa proprijs manibus lapides in puteum deuoluens, plures etiā ancillas eodem deijcere iubens, virum tandem ne quicq̄ auxilia implorantem lapidibus obrutū interemit. Ea res poſtq̄ Macedonibus cōperta eſt, detracto ex puteo cadaue

re,cum iam rex per per prçconem edixiſſet,ne quis Thebanum ciuem auderet occidere,comprehenſam Thimocliam ad regem ducunt, perpetratæ ab ea cædis accuſationem deferentes. Qui cũ ex vultu atq; ſtatura corporis, tum & inceſſus,& morũ grauitate generoſam quandam in ipſa dignitatem contemplatus, primum quænam eſſet interrogauit. Ad quem ipſa cõſtanter atq; interrito vultu reſpondens,mihi inquit, Theagenes frater fuit,qui imperator in Cheronia cõtra vos pro cõmuni Græcorũ ſalute pugnans,occubuit. Ne nos ea quibus nũc premimur, mala ſuſtineremus, Ego vero poſtq̃ noſtro generi indigna pati ſum coacta,ne quaq̃ iã mortem abnuo. mihi enim mori longe melius eſt,q̃ noctem prçteritç ſimilem,niſi tu prohibeas, experiri. His auditis adſtantium plæriq; lachrymas continere non potuerunt. At Alexander non ſe quidem miſereri tali animo præditam mulierem inquiens, ſed magis virtutem ac prudentiã admirari,principibus militiæ edixit,vt cauerent,ne qua poſt hac ingenuæ domui afferretur cõtumelia. Thimocliam vero atq; omnes generis propinquitate ſibi coniunctos,incolumes,atq; ab omni clade intactos ſeruari præcepit.

Erixona.

BAtti cognomẽto Dæmonis filius fuit Archeſilaus,vir moribus haud quaq̃ patri ſimilis. Nam viuo etiam parente cum pinnas & propugnacula quædam circa domum ſuã ædificare cœpiſſet,a patre prohibitus,ac inſuper talento mulctatus eſt. Is itaq; poſt patris mortem cũ & ſuapte natura ferox eſſet,& Learcho ſceleſtiſſimo atq; audaciſſimo viro familiariter vteretur,ex rege ſeſe in Tyrannũ permutauit. Verũ Learchus inſidias Tyrannidi machinatus,optimum quẽq; Cyrenenſium ciuium,aut morte aut exilio damnabat,eius rei culpam omnem in Archeſilaũ transferens,Tandem cum in lœthalem morbũ Archeſilaus incidiſſet, Learchus maritimo echino in portione tradito,ipſum ad mortem compulit. Ipſe vero Tyrãnide occupata, eã Archeſilai filio ſeruare dictitabat. Verũ puer,& quia pede altero claudicaret,& ob ætatis etiam imbecillitatem non magni ſane a ciuibus exiſtimabatur. Igitur ſtudiũ omne in adoleſcẽtis matrem vertentes,ſumma charitate beniuolentiaq; ipſam colebãt. Quæ cũ prudẽtia & amore erga virum,præcipua haberetur,tum affinium clientũq; multitudine nõ paruas in ciuitate vires habehat. Quibus de cauſis permotus Learchus eius coniugium expoſcens,filium Battum in adoptionem,ſi ſibi nupſiſſet, aſſumere,pollicebatur ſucceſſorem poſt ſuam mortem in regno futurũ. At Erixona id enim mulieri nomen erat,quaſi & ipſa coniugium exoptaret,fratres quid ſibi eſſet agendum,cõſulere velle dixit,eũq; ipſum adhortata eſt,vt rem cum fratribus communicaret. Illi igitur debita opera rem quã maxime in longum protrahentes, quod animo facere deſtinauerant,præparabant. Inter hçc Erixona miſſa ad Learchum ancillula,nuntiat, fratres neq; connubio multum aduerſari, neq; eidem palã aſſentiri, q; ſi forte mutuo colloquendi facultas detur,fore vt cum non vltra iam obſiſtere poſſint,facile ac libenter aſſentiãt,igitur optimum ſibi videri,vt ipſe noctu quandocũq; placuerit ad ſe veniat,principio nãq; peracto reliqua proſpere ſucceſſura, exiſtimare. Erant hæc Learcho vehementer grata, cumq; mulieris amore flagraret,ſi ſe vbi illa iuſſerit vẽturũ pollicetur. Atq; hæc omnia Poliarcho, qui inter fratres eius maior erat,authore muliere faciebat. Igitur ſtatuto ſimul congrediendi tempore Poliarchus adoleſcentes duos gladijs armatos,in ſororis cubiculo clanculum ſtatuit,quorum parens non multo antea a Learcho interfectus. Inde vbi Learchus vocante Erixona,domũ ſine cuſtodibus vllis ingreſſus eſt,adoleſcentes impetu facto,multis conſoſſum vulneribus interfecere,& cadauer per feneſtras domus eijcientes Battũ regijs inſignibus ornatum ad populum produxere.eoq; in paterno regno conſtituto,priſtinam reipu.formam Poliarchus Cyrençis ciuibus reddidit. Erãt per ea tempora Cyrenis milites permulti ab Amaſide Aegyptiorũ rege miſſi,quorum fide atq; opera

plurimum Learchus vtebatur,magnũq; per eos timorem ciuibus incuſſerat. Hi ge=
ſtæ res nuntio ad Amaſim miſſo,grauiter Poliarchum accuſabant.quapropter com=
motus Amaſis bellum repente Cyrenęis meditabatur. Verum ob matris mortem oc
cupatus,dum iuſtas illi exequias celebrat, bellum pauliſper differre coactus eſt. In=
terca legatos ad Poliarchum mittit, quo animo in eũ rex eſſet nuntiantes,quorum
verbis cõmotus Poliarchus,purgatum ſeſe ad Amaſidem ſtatuit proficiſci. Erixona
quoq; nunq̃ illum deſerturã aſſerens,atq; omne ſecum diſcrimen ſubire volens, co=
mitẽ fratri itineris ſe addit. Tum eorũ mater Critola,q̃q̃ ætate iam grauis eſſet,q;
vtrunq; miro amore diligeret,ſimul & ipſa itineris laborẽ ſuſcepit. Erat magna mu
lieris eius apud omnes dignitas atq; ęſtimatio,cũ propter egregias virtutes eiuſdẽ,
tum q; Batti, qui Felix cognominatus eſt,ſoror extiterat. Hi poſtq̃ in Aegyptum
peruenere,omnes perpetratum ab eis facinus admirabantur. Amaſis vero præcipue
fortitudinem atq; prudentiam Erixonæ contemplatus,magnis ornatos muneribus
& regia liberalitate,ac magnificentia proſecutus,Cyrenas redire permiſit.

Xenocrita.

NEc minus profecto laudis meruiſſe vidẽtur,quæ a Cumæa Xe=
nocrita aduerſus Ariſtodimum Tyrannũ geſta ſunt. Quem non
nulli ob delitias Battum,id eſt mollem cognominatum arbitrã=
tes, procul a rei veritate diſcedunt. Mollis enim apud barbaros
cognomentum accepit,quod apud eos impuberem deſignat, eo
quod admodum adoleſcens vna cũ æqualibus,comatus adhuc,in
bello aduerſus barbaros geſto,præcipue claruit.nec tantum au=
dacia,& animi vigore in pugnando,quantum prudentia cõſilioq; excellere viſus eſt.
Itaq; cum ciues omnes in admirationẽ ſui cõuertiſſet,magnam eſt apud illos autho
ritatem cõſecutus,& ab iiſdem cum exercitu miſſus, vt Romanis ferret auxilium,
quibus Tyrrheni per id tẽporis,vt Tarquinium Superbũ in regnum reſtituerẽt, bel
lum intulerant. Ea cum diuturnior militia fuiſſet, haud facile dici poteſt, quan=
tum gratiæ apud eos,qui ſecum militabant, ſibi comparauerit. Igitur vbi ſatis eos
conciliaſſe exiſtimauit, perſuadet, vt ſenatus authoritate deiecta, optimates, ac
potentiores omnes ex vrbe pellerent. Quibus tãdem perpetratis, non magno la=
bore ciuitatis,Tyrannidem occupauit. Erat is libidine in mulieres,atq; etiã in inge
nuos pueros,ſupra quam dici poteſt,corruptiſſimus. Fertur enim maſculos quidem
adoleſcentes in mulierum morẽ comatos,& auro, cęteroq; mũdo muliebri inſtru=
ctos ,apud ſe habere conſueuiſſe. mulieres vero,& tõderi capita,& epheborum chla
mydes,& breuiſſimas geſtare tunicas,cogebat. earũq; multis cum deditus eſſet, vnã
tamen prę cæteris amabat Xenocritam. quam exulante patre,domi relictam,nullis
neq; nuntiis, neq; verbis antea tentatam, repente ad ſe deduci iubet, magni ipſam
muneris loco habituram exiſtimans,ſi apud eum quocũq; modo verſari poſſet. Ve=
rum hæc ingenuum puellæ animum haudquaq̃ fregerunt, grauiterq; ferebat,q; in=
ſponſata,indotataq; apud illũ pro pellice verſaretur.non minus præterea,q̃ qui Ty=
ranno infenſiſſimi erant,patriæ libertatem exoptabãt. Forte euenit,vt per id tẽpo=
ris Ariſtodimus opus arduum ſane,maximiq; laboris,verum nullius vſus,aut com=
moditatis futurum,aggrederetur. Ingenti enim foſſa,Cumęorum agrum circunda=
re ſtatuit, quod non vtilitatis cuiuſq̃, vt diximus,aut neceſſitatis gratia excogita=
rat. Sed vt aſſiduo labore fatigatis ciuibus,nullius otii,aut ceſſationis occaſionẽ da=
ret. Erat enim ſingulis certa in menſura agri ſpatiũ definitũ,quod effodere,atq; indi
geſtam humum aſportare cogebantur. Conſueuerat autem Xenocrita quandocunq;
domo abeſſet Ariſtodimus,velato capite in ſecretiorem domus partẽ ſecedere. Ta=
lia igitur facientem,adoleſcentium aliqui,qui ſimul verſabantur,per iocum interro

garūt,cur vnum duntaxat Ariſtodimū tantopere coleret,vt alios ne colloquio quidem dignaretur.quibus illa ſerio,non ioco reſpōdens,inquit,Quia ſolus ex Cumęis Ariſtodimus vir eſt.Hoc dictum animos omnium,qui audierāt,pupugit,generoſiores vero,ad libertatis curam recuperandæ erexit.Fertur quoq; Xenocritam id contēplatam,grauiter ingemiſcētem,ſubieciſſe, q̄ mallem & ipſa cum patre ſimul terram effodere,atq; aſportare, q̄ in huiuſmodi delitiis, ſummaq; potentia apud Ariſtodimum verſari.quæ res magnopere coniuratorum animos confirmauit,quorū princeps Chimoteles erat.Igitur Xenocrita in regiam aditum præbente,inermem atq; omni cuſtodia vacuū,Tyrannum aggreſſi,nullo prohibente interfecerunt.Ita duplici mulieris virtute,Cumęorum ciuitas libertatem accepit.Nam & prima eius recuperandę curam,cogitationemq; iniecit,& ad opus perpetrandum contulit auxiliū.Cumq; Cumæi ciues maximos honores afferre Xenocritæ pararent,illa omnibus neglectis, vnum duntaxat ab eis poſtulauit,vt ſibi Ariſtodimi corpus liceret ſepelire,quo facile perlibenterq; conceſſo, ciues ſacerdotem Cereris ipſam conſtituere, non minus Deæ ſacerdotem,quam mulieri ſacerdotij honorem,gratum futurū arbitrantes.

Pithei vxor.

PIthei quoq; vxorē,quæ Xerxis tēporibus claruit,prudentia,probitateq; inſignē fuiſſe perhibēt.Eius vir Pitheus aurifodina inuenta, cupide nimis,ac ſuperflua quadam curioſitate eiuſmodi operi intentus,omnes in eo ciues occupatos habebat,cum alijs ad fodiendū vteretur,alios conflando,purgandoq; fatigaret, quoſdam vero ei quod iam paratum eſſet,cuſtodiendo præficeret.Omnibus igitur circa auri comparationem occupatis,cum aliud nihil agere poſſent, multiq; ob laboris magnitudinem perirent,cuncti vero tam multum in ea re ſtudium improbarent.Mulieres facto agmine,ad Pithei vxorem venerunt,orantes vt huic malo aliquod remediū imponeret.Ipſa mulieres benigne alloquuta,diſcedere,ac bono animo eſſe iubet.inde fabris, quibus ciuitas ob auri multitudinē abūdabat, adhibitis,aureos panes,atq; omnis generis cibaria ex auro fabrefieri mandauit,& ea præcipue,quibus Pitheū delectari cognouerat.His diligenter ſtudioſeq; cōfectis.Pytheus qui dies aliquot ab vrbe abfuerat, domum redijt.Venienti itaq; & parari cœnam poſtulanti,mulier aureā mēſam afferre iuſſit,in qua nihil quod eſui eſſet,appoſitum erat,ſed omnia ex auro, vt antea diximus,fabrefacta.Ac primo quidem aſpectu gauiſus eſt Pitheus,mira arte ſingula elaborata conſpiciens,inde aſpectu iam abunde ſatiatus,cibum afferri pręcipiebat.verum mulier cuncta quæ poſtulaſſet,ex auro cōpoſita iubebat apponi. Cūq; ille iracundia percitus, eſurire ſe vociferaretur,neq; ſe aurum per id tēporis amplius expoſcere.Tu vero inquit mulier,nullius rei præter hanc vnam habendæ facultatem præbes.Omnis enim virorum cura,omniſq; ars,tuo iuſſu in parando auro verſatur, vt nemo iam agros colat,omniſq; ferendi,plantandi,ac nutriendi arbores diligentia perijt,dum in his fodiendis,ac perquirēdis,quæ minime vſui eſſe poſſunt, tuo iuſſu omnes ſunt occupati,nec pauci etiam eiuſdem rei cauſa moriantur.Hac oratione nō mediocriter cōmotus Pitheus,fodiēdi negotium haudquaq̄ penitus omittēs, quintam duntaxat ciuium partem in opere continuit,reliquos, cum agriculturæ,tum cæteris artibus operam dare præcepit.Poſthæc cum Xerxes in Græciam tranſire pararet,Pitheus egregie inſtructum exercitum mittēs,petebat a rege,vt ex pluribus quos habebat filijs,vni ſaltem vacationem militię concederet, vt eius ſuſtentare ſenectutem, & quæ domi agenda eſſent adminiſtrare poſſet.Verum indignatione atq; iracūdia percitus Xerxes,filium quem domi remanere petierat Pitheus, interfectum, ac membratim conciſum, per caſtra iuſſit circunferri, & reliquos ſecum proficiſci coegit.Quāobrē dolore confectus Pitheus,quod plæriſq; timidis,& inſanis euenire

conſueuit. cum & mortem formidaret, & vitæ ſatietate atq; odio teneretur, vt neq; iam vltra viuere vellet, nec tamen vitam auderet abijcere, miſeram ſane delegit viuendi rationē. Erat in ciuitate tumulus ingens, a quo non procul fluuius, quē Pithoſolim incolæ appellant, pręterfluebat. In eo cum Pitheus monumentum ędificaſſet, fluuij curſū, ita tumuli radices attingeret, deriuauit. Quibus peractis, ipſum monumentum ingreſſus, curaq; omni & gubernatione ciuitatis penes vxorem relicta, eidē ne quis monumentum ingrederetur, cauere pręcepit, vtq; ſingulis diebus paratā cœnam ad monumenti oſtium poni curaret, quo ad priorem intra monumentū protractam conſpexiſſet, q; ſi illam eodē loco poſitam, offenderet, tunc ſe iam mortuū arbitraretur. Et is quidem eo pacto, quod vitæ reliquum fuit, miſerabiliter duxit. mulier vero egregie admodū regni cura ſuſcepta, malorū finem ciuibus ſuis impoſuit.

PLVTARCHI DE CLARIS MVLIERIBVS, FINIS.

OPVS IACOBI PHILIPPI BERGOMENSIS, de claris mulieribus.

FRATRIS IACOBI PHILIPPI BERGOMENſis, ordinis Eremitarū diui Auguſtini, ad ſacratiſſimā Beatricem Aragoniam, Hungarorum & Bohemorum reginam: in librum de claris ſceleſtiſq; mulieribus nouiſſime congeſtum, Prologus.

SCRIPSIMVS iandudum ſacratiſſima regina, latiori volumine de vniuerſis regibus, viriſq; quibuſq; illuſtribus, tam recentioribus q̄ nouiſſimis, ſed & de plæriſq; mulieribus: ac de totius mūdi rebus geſtis, cum geographia multorum regnorum atq; regionū, prout hiſtoria ipſa quam ſcribebamus, locorum aliquā requirebat ſignificationem, vt lucidior fieret. Quod plane volumē, chronicarum Supplementi titulo pręnotauimus, quodq; opus impreſſorum officio, iam pluribus cōmune ſtudioſis hominibus reddere curauim⁹. Id quoq; neſcio quo merito (niſi q; curioſiora admodum mortalibus placent) ab vniuerſis iam fere, ingēti cōparatum eſt affectu. Attamē ſi quid in his, ipſis lectoribus arriſerit, nō vtiq; mihi aſcribendū putaui, ſed deo permunifico gratulandū puto, a quo ſemper effluit quicquid egregium poteſt humana fragilitas. Hinc igitur animata, hinc incenſa fiducia motuſq; (etſi rugoſa fronte in ſenium perductus) cum ſæpe ſæpiuſq; mecum tacita cogitatione animo verſarem, multarum mulierum egregia facta, cum diuina, tum humana ab ipſa glorioſiſſima dei genitrice Maria initiū ſumendo, & alijs propemodum innumerabilibus, cū gentilibus, tum Chriſtianis, ad hanc vſq; noſtræ fęcis ętatem etiam ſubſiſtentibus. Quarum quædā vtpote gentiles, vt cæteros claris facinoribus anteirēt, omne ſtudium, ſubſtantiam, ſanguinem, ac ipſam ſuā animā exigente opportunitate ponere ſtatuere, vt ex ea, nomen ſuū in poſteros deducerent, ac perpetua memoria cōmemorarentur. Chriſticolis vero, quæ plura pro Chriſti gloria, ſtrenue, fortiter, & ſapienter egerunt, ac præter naturam fecerūt. Quibus etſi a natura

rerum mollities inſita & corpus debile,ac tardum ingenium datū fuerit, in virilem tamen euaſerunt animum,ita vt ingenio celebri,infractoq; pectore,atq; virtute conſpicua,auſę fuerint viris etiā difficillima,pro Chriſto aggredi atq; perficere,ex quibus certe maximis laudibus veniunt extollendæ. Et idcirco ne merito etiā ipſæ fraudentur ſuo,in primis in animū venit,ex his quæ hiſtoriæ & memorię referunt,& hebręis veteris teſtamēti,& gētilibus,ſanctiſſimiſq; martyribus & virginibus,atq; alijs plęriſq; noſtri ęui viraginib9,quas aut audacia,ſeu ingenij vires,& iduſtria ac literaria,aut ſingulare aliquod naturę munus,vel fortunæ gratia,ſeu mundialis iniuria notabiles fecit,in vnū deducere voluminis corpus. Nec volo tuæ maieſtati legenti incōgruū videatꝰ,ſi Sarę,Oldę,Iudith,Heſter ſāctiſſimis pudiciſſimiſq; matronis, immixtas Semiramidē. Medeā,Athaliā, Olympiadē & Cleopatrā cōpererit. Neq; etiā poſt ſeruatoris noſtri aduentū ſi ſimiliter ſanctæ Petronillę, Marthæ,Marię Magdalenę,Agnetis,alijſq; ſimilib9 ſanctiſſimis Chriſti martyrib9 & virginibus,cōmixtas Agrippinā Neronis matrē,Fauſtinā Auguſtam,Semiramidem & alias impudiciſſimas fętulentaſq; fœminas,quibus pręgrande ſed pernicioſum fuit ingeniū,vel eiſdē bonis cōforme. Nō enim mihi animus eſt,hoc claritatis nomen ita ſtrictim ſumere, vt ſemper in virtutem vel ſanctitatē videatur exire,quinimmo in ampliorem ſenſum bona cum pace legentiū trahere. Et illas ſolas intelligere claras,quas quocūq; ex facinore orbi,vulgato ſermone notiſſimas nouero. Cum etiā inter apoſtolos alioſque ſanctiſſimos eccleſiæ catholicę doctores viros illuſtres,ſeditioſos hęreticos, Arrhiū, Sabellium,Eunomium,& cæteros tales a diuo noſtro Hieronymo connumeratos legerimus. Verum quoniā extuliſſe laudibus memoratu digna, & depreſſiſſe increpationibus infanda nōnunq̄,nō ſolum erit hinc egiſſe glorioſos in gloriā,vt inde ignauas ab infauſtis paululum retraxiſſe. Et ne more priſco apices tātum tetigiſſe rerum videar,ex quibus a fide dignis cognouiſſe potui,amplius in longiuſculam hiſtoriam protraxiſſe,non ſolum vtile,ſed & opportunum arbitror, exiſtimans harum egregia facinora,non minus tuæ regiæ maieſtati,q̄ quibuſcumq; tam viris q̄ mulieribus placitura. Qꝫ cū vt plurimum harū hiſtoriarum ſis ignara,ſermone prolixiori indigere & lætari te animaduerto. Cōmiſcui etenim hoc in volumiue gentiles fœminas cum Hebræis & Chriſtianis,ſecundū exigentiam tēporum earundem,licet non ſatis bene cōueniant,nec æquo inceſſerint gradu. Erit itaq; hoc opus, tanq̄ apotheca aromataria,in qua ad profectum hominis dulcia & amara reponuntur neceſſaria. Sapit nāq; non ſolū hiſtoriam,ſed & mundi philoſophiā,ad Chriſti euangelium peroptime. Has igitur noſtras clararum mulierum hiſtorias, magno ſtudio a me elaboratas,cum ſatis diffiderem multis placere,& pręſertim his,qui ęgre aliquid probare conſueuere,de dei omnipotētis nihilo minus bonitate confiſus, diſcrimen facturus, tentaui illas in lucem emittere. Et vt ſe oſtendere cœperunt,illico a multis dignę habitæ ſunt. Clarumq; præter cæteros,cui teſtimonium dedit Donatus Arretinus ſacerdos ille dudum per omnia tuus,Strigonenſis eccleſię vicarius,ille inq̄, qui nō modo iuris pontificij,ſed & ſingulari eruditione, doctrina & eloquentia,nemini docto noſtrę ętatis cedit. Sed nec ab hoc munere expers extitit ſapiētiſſimus princeps Hercules Eſtenſis ſororius tuus,qui nec inuitus audiuit eas legentes,non ſemel, ſed pluries,quarum quidem laudationem cum approbatam didiciſſem,extemplo,ne ex me ipſo quicquā, de tua maieſtate afferre viderer,videlicet ne criminandi anſas pręberem inimicis,ſed teſtimonijs veriſſimis vterer,ab eiſdem in primis locupletiſſimis huius operis teſtibus,deinde a tribus clariſſimis tuæ maieſtati notis,viris vtiq; ſapientia ac fide digniſſimis,vtpote in primis ab reuerendiſſimo Nicolao Maria Eſtēſe digniſſimo Adrienſe epiſcopo,viro plane & moribus & eloquentia pontificijq; iuris, ac aliarum bonarū literarum apprime erudititiſſimo,deinde ſeorſum ab Thoma Ceruienſe æque epiſcopo conterraneo noſtro theologo conſultiſſimo ac concionatore diſertiſſimo. Ac demū a Petro Tranenſe,Teleſino coepiſcopo, philoſopho ac

theologo cõſummatiſſimo, quem præ cæteris tua inclita mater mirabilẽ non igno rat. Hi autẽ pleniſſimo ore de tuis incredibilibus virtutibus plurima mihi corã referentes maiora inquiunt plane ſunt pater Iacobe Philippe huius noſtræ diuæ virginis merita, q̃ tuis humeris perferre queas. Neq; equidẽ dixerunt, apud veteres ſiue recentiores mulieres, vſq̃, vlla vnq̃ poſſet inueniri huic comparatio congrua. Ab eiſdem vero percontari cœpi, an tibi mulierum prętantiſſimæ inclytæq; Reginæ id opus dicandum eſſet. Iam diu etenim talis etiam ad nos vſq; de longinquo poſitos, de conſummatiſſimis tuis virtutibus fama proceſſit, vt tanq̃ læticię oleo noſtra im pinguauerint oſſa. Quæ certe in primis magnam humilitati noſtrę fiduciam ſcribẽdi ad ſolium tuæ celſitudinis etiã præſtitere. At illi illico exquirenti mihi cõprobarunt (vno omnium cõſenſu) delectionẽ noſtram, aſſerentes te vtiq; non ſolum Italicum, ſed & totius pene Chriſtianitatis iubar fore præfulgidum ac ſingularẽ non tan tum fœminarum, ſed & regum omniũ gloriã. Aſſeuerantes inſuper, te longe omnipotentem expectatione gratiſſimã munificentiſſimamq; inter cæteros mortales, vt pote Neptem, filiam, ſororẽ, amitam, cõſobrinam, vxorem deniq; inclytam tantorũ regum qui omnes rei bellicę peritiſſimi, qui celeberrimas victorias de hoſtibus ſæpiſſime reportarunt. Aiunt præterea, te illis ornatiſſimis literarum ſtudijs (quas liberales vocant) ita ab adoleſcentia operã dediſſe, vt tibi iam aut in hiſtorijs, aut certe diuinis literis, ſiue quacũq; eruditione, ac etiam in philoſophia ipſa, nihil prorſus incognita remaneãt. Vnde factum eſt, vt tuus ſermo (vt multorũ fert opinio) in omni publica priuataq; re promptiſſimus atq; diſertus exiſtimetur. Perhibent quoq; tibi quandam elegantiſſimã ciuilis eloquentiæ ineſſe vim, a natura inſitã, in qua quidem ſplendidiſſime tuam regiã maieſtatem perſæpe elaboraſſe conſtat, adeo, vt in admirationem etiam audientes quoſcũq; traheret. Ineſt & eidem tuæ maieſtati prõptum & verſatile ingenium, vt illico intelligat, quicquid ab oratoribus ſeu priuatis coram proponatur, reſpondeatq; opportune & latino ſermone, aut idiomate Hũgaro ſeu Pãnonio, aut Theutonico prompte & expedite, ac ſemper comiter & perurbane. In colligendis vero hominibus comiterq; apud te ſuſcipiendis, tuo illo cõiuge Matthia rege prope diuino, par certe eſt humanitas atq; munificentia, per quam tibi in omni regno illo gloriam nõ modicam, cũ maxima omniũ ciuium beneuolẽtia comparaſti. Tui præterea compoſiti mores, manſuetudo, atq; humanitas, & familiare ac vrbaniſſimum viuendi genus, te nõ ſolum deo optimo, ſed cũctis populis admodum gratam charãq; fecere. Neq; parum tuæ excellẽtiſſimę dignitati cõduxiſti, q; Hungaros Bohemoſq; antea ſemibarbaros, ad quẽdam vrbanum viuendi modum tuis mirificis auſpicijs tibi conducere licuerit. Neq; enim inquiunt vlla tuis incredibilibus virtutibus, vtpote fidei, charitati, pietati, religioni, cõſtantiæ, prudentię, for titudini, iuſtitiæ, temperantiæ, ac illibatæ ſemper caſtimoniæ poſſet diebus noſtris inueniri comparatio. Glorioſe etenim, malle pulchreq; mori, q̃ turpiter fœdeq; viuere te omnes autumant. Sed hoc in loco bona cum omniũ pace ingentem ac inauditam certe tuã liberalitatem ſilentio pręterire nequeo, cum ad ſummã tuę celſitudinis & omnium ędificationem pertinere dignoſcatur. Cuius fuiſſe tantã conſtat, vt nullis profecto literis poſſet ipſi tuę maieſtati meritas accõmodare laudationes. Nã parua aut mediocria largiri humanitatis, maxima autẽ, proprium plane deorũ eſt. Dum diuus ipſe maritus tuus rex in viuis ſubſiſteret, vna tecum, & publice & priuatim, tanta vtebamini liberalitate, & charitate, atq; munificentia, vt domus veſtra officina quaſi ſemper fuerit exiſtimata, in qua ſane nihil aliud q̃ liberalitas venderetur. Conſtat etenim vulgato ſermone, vos magis intentos in diſtribuendis erogandiſq; maximis opibus, q̃ in illis comparandis fuiſſe. Quid multa memoro? Te equidem ſolam non mortalẽ aliquem, ſed proprię fortunæ benigniſſimum ſinum vocãt. Quãta itaq; tua ſit, ne dicam humana, ſed diuina liberalitas in ſolo illo memorabili ſane facinore erogationibus tantorum theſaurorum & inęſtimabilis ſupellectilis,

quę tibi obuenerat ex regia conſuetudine illa Hungarica,quam & tutũ,tua ſub po= teſtate apud Strigoniam vrbem tibi reſeruabas, ipſam nempe totam, vt eras ani= mo q̃ diuitijs locupletior,in beneficio & conſeruatione regni liberaliſſime,tua ſpõ te erogare voluiſti, quod quidem ſpecioſum munus perennem certe tibi gloriam acquiſiuit. O Ieſu bone,quid hoc munere maieſtatis excelſius? quidve iucũdius? vni= uerſi profecto obſtupuere. Maius equidem mulieri hoc fuit, q̃ populo Romano Aſiam Attalo regi condonaſſe,cum ipſa etiam non minoris pretij habita ſint, quã tum tota Aſia (vt ita loquar) fuerit æſtimata . Ipſa igitur munera tua virago di= gniſſima,tuam regalem magnitudinem prę ſe ferunt. Ad decus enim & ad gloriam cum ſis nata & educata,omnia ſupra hominem & meditari & facere, videre viſa es. Perſæpe quoq; veluti Chriſtianiſſimã mulierem,ſaluberrima confeſſionis medicina tuam te conſcientiã humiliter abſtergere referunt. Adeo nãq; apud nos exiſtimata es natura,virtute,gloria tam excellẽs,vt etiã hoc vno,ætas noſtra poſſit in omni ge= nere laudis cum antiquioribus nouiſſimiſq; ſelectiſq; mulieribus decertare. Conſimi libus itaq; ex ſententia ſeruatoris noſtri,margaritę & ſancta vtiq; danda ſunt atq; di canda,non autem porcis ſeu impuris canibus & immundis. Et idcirco hoc peregre= gium clararum mulierũ opus,tuo ampliſſimo nomini merito & opportune his tuis in aduerſis fortunis dicandum putauimus,quã ſpecioſiſſimum certe caput,omnium clariſſimarum mulierum futurum indubitato auguramur,modo in tot tuis aduerſis non proſterneris. Et q̃q̃ hęc mea ſcripta ſeu lucubrationes,longe diſtent ab eorũ ma xima laude,quę ſæpe in manibus habes diuorũ,ſcilicet,Eccleſiæ ſanctę doctorũ atq; aliorum pene innumerabilium eruditiſſimorũ virorũ ſublimia opera, quibus ad cu= mulum nihil cõferri poſſet. Attamen & poſt adipem,etiam blãdiſſima oluſcula ap petibilia ſunt. Indubitato etenim credo ſacratiſſima regina, ſi haſce mulierum vi= tas diligenti examine perlegeris,ꝙ iacentem tuum animum,varijſq; moleſtijs deie= ctum,parumper attolles. Ex quibus profecto cognoſces,ꝙ te tãq̃ fidelem & charam ſuam pius dominus his momẽtaneis & fragilibus bonis priuauit & exuit,nõ vtiq; vt contra te ſæuiat,& tanq̃ carnifex perdat,ſed vt optimus liberator, cum eiſdem ſan= ctiſſimis mulieribus,ab omni culpa eximat, & in perpetuum muneret. Nec dubito quin & tandem cum gratiarũ actione cum Apoſtolo dicas. Quæcumq; ſcripta ſunt, equidem optime animaduerto,ꝙ ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt,vt per patien= tiam & conſolationem harum ſcripturarum, & nos ſpem habeamus. Quod ſi fece= ris,nec tuis laudibus vlla vnq̃ ętas finem imponet,atq; ego homũculus, ſumma cum obſeruantia,nomen conſtantiſſime extollam reginę. Tanta profecto eſt inclyta tua apud omnes laudata mãſuetudo & ſapientia,tantaq; religio,& animi tui rectitudo, vt quanto diutius tecum immoror, maiorem eo in me diffidentiæ notam,legentes interpretari queant. Quare mihi nunc modum imponens,tuam maieſtatem exora= tam cupio,vt pro ſingulari ſua ingenitaq; virtute,hoc noſtrum clararum mulierum munus,humaniſſime ſuſcipiat,illudq; ſæpius legat, Quod ſi fecerit, ſecura & periu cunda etiam in aduerſis,eidem videbitur vita. Vale fœminei ſexus,ac cunctarũ regi= narum ornamentum atq; decus.

IACOBVS BERGOMENSIS

DE MARIA VIRGINE PERPETVA, DEIQVE genitrice glorioſiſſima, cœlorum atq; angelorum regina. CAP. PRIMVM.

MARIAE beatiſſimæ & immaculatæ ſemper virginis,
genitricis dei ac domini noſtri Iheſu Chriſti vitam con
ſummatiſſimam, omniũq; perfectiſſimã, hoc in exordio
ſcripturus, quę ſcilicet omni genere mirificorum exẽplo
rum, totum terrarum orbem repleuerat, vereor ne pon-
dere laudis quam meruit, obrutus, magis imbecillitatem
ingenij mei detegã, q̃ eius inenarrabiles diuinaſq; virtu
tes, ſicut par eſt, repræſentem. Cũ ſit ipſa angelorum regi
na, ſacrarium ſpiritus ſancti, & totius ſanctiſſimæ trinita
tis domicilium, portaq; per quam cœleſte regnum ingre
di licet, ſitq; præterea & virtutum omnium ſpecimen, errantium ſemita, honeſtatis
totius norma, atq; deſtitutis ſolatium, afflictis refugiũ, demum quoq; nauigantium
ſalutis portus. Plane hæc talis & tanta, ante omnia ſecula, atq; anteq̃ ſuſpicari quis
auderet, creata fuit. Et q̃q̃ apud nos poſtmodum in carne fuerit fabricata, apud deũ
nihilo minus ante ſecula erat, etſi non ſubſtantia carnali, tamen plena diſpoſitione.
Diuina etenim illa prouidentia, cui omnia prorſus cognita & præſentia ſunt, quũ
& angelorum & hominum defectionem, ante conditam condẽdamve huius mundi
molem, ab æterno luce omni clarius pręuidiſſet, & angelorum quidẽ inſtauratione
per homines, hominum vero per filium ſibi natura atq; æternitate parem, eodem be
neficio redemptionem & ſubuectionem operari decreuiſſet, medium quoq; quo id
fieri aptiſſime poſſet, ſapientiſſime ſimul & beneficentiſſime pręparauit. Nam cum
videret captiuũ hominẽ, liberari niſi a deo nõ poſſe, ſatiſfacere vero deũ innocentẽ,
pro reo homine nõ debere, pulcherrima atq; incomprehenſibili vtriuſq; naturę con
iunctione, ſiue (vt verius loquar) vnione, vnigenito filio humanam naturã aſſumẽdã,
atq; inter homines, vt vero homini viuendum moriendũq;, conſtituit. Quę quidem
omnia, cum diuina mens in illa ineffabili æternitatis & ſapientiæ ſuæ luce præuidiſ-
ſet, Matrem ſuo filio coæterno, omni naturæ munere perfectam, omni virtute prędi
tam, omni ſuæ beneficentiæ munere perornatã, deniq; qualem dei matrem eſſe con-
ueniebat, in ampliſſimo ſuæ mentis vtero prius procreauit. De qua quidem æterna
natiuitate, Sapientiam dixiſſe reor, prout etiã ſanctæ eccleſiæ conſuetudine edoce-
mur, qua diſcimus, peculiare ipſius ſanctiſſimæ virginis ſubſiſtere præconiũ, vel po-
tius teſtimonium, Cuius ſpecialis eſt attributa lectio. Ab initio & ante ſecula creata
ſum, & vſq; ad futurũ ſeculũ nõ deſinã. Simile quid eſt in Prouerbijs, ex ipſius perſo
na, quæ beatiſſima virgo eſt. Domin9 creauit me, ab initio viarũ ſuarũ in opera ſua,
ante ſecula fundauit me. In principio, anteq̃ terrã faceret & abyſſos, priuſq̃ ꝓcede-
rẽt fontes aquarũ, priuſq̃ formarentur mõtes, ante omnes colles generauit me domi
nus. Sic quoq; & diu9 teſtatur Auguſtinus. Ante mũdi cõditionẽ deus omnipotẽs, an
te q̃ Ieſus naſceretur, & vterũ de quo naſceretur, & tẽpus quo naſceretur, & diẽ quo
naſceretur, & ciuitatẽ in qua naſceretur, delegit, atq; thronũ vbi ipſam ſuã ſacratiſſi
mã collocaret genitricẽ, ipſe cõdidit & elegit. Sic quippe & per prophetã prędixiſſe
inquit. Mater Sion dicet homo, & ipſe fundauit eam altiſſimus. Condito itaq; mũ-
do, reuolutiſque ab origine mundi quinq; milibus, ac ſex & octoginta ſupra centum
annis, cum tempus adeſſet, quo dei filius e cœlo ad homines, vt homo deſcenſu-
rus eſſet, quam deus matrem æterna ſua mente conceperat, eam optimis nobiliſſi-
miſque progenitoribus procreandam tandẽ curauit. Nam vt diuus cõmemorat Lu-
cas euangeliſta, ſumpſit eã primo a Seth filio Adæ, qui cultum dei primũ docuit,
deinde a Noe caſtiſſimo, qui virginitatem vſq; ad quingenteſimum vitæ ſuæ annũ,

ſeruauit. Ab Enoch, q̃ in illũ locũ delitiarũ trãſlat⁹ eſt. Ab Abraã fidei patre, Iſaac, Iacob, & Iuda ei⁹ filio, optimis, ſanctiſſimiſq; patriarchis. Deinde ab inclytis, perfectiſſimiſq; regibus, & ꝓphetis, videlicet Dauid, Salomone, Ozia. Aſa. Ezechia & Ioſia rege optimo, õni prꝑconio digno. Cæteroſq; prætereo, quos & diui euangeliſtæ Matthęus videlicet, & Lucas, ſua in genealogia & generatione, ſerio ordine deſcribũt. Ioachim autẽ caſtiſſim⁹ ſanctiſſimusq; vir ex huiuſmodi ſtirpe diuina, tãdẽ procedẽs, Annã æque ſanctiſſimã fœminã duxit vxorẽ, ex qua cũ iã multis annis nullos ſuſcepiſſet liberos, & vterq; nihilo min⁹ caſtiſſie religioſiſſimeq; viueret, ſobolẽ quã illis, neq; ætas, neq; natura dederat, ſummis a deo precibus & votis demũ impetrauere diuinã, & ſupra naturã mirabilẽ. Diuinus enim angelus vtriq; ſeorſum ſanctiſſimæ puellæ cõceptũ, partũq; ꝓmiſit. Nata igitur ſuo tẽpore ipſa puella, Maria iuxta angeli monitionẽ, eſt nuncupata, & ſupra õnes mulieres primũ fuit benedicta. Et a parẽtibus triẽnio, admirabiliter, in domo extitit educata. Quibus exactis, mox tẽpli ſeruitio (vt ipſi vouerãt) cũ ſacris virginibus miniſtratura offertur. Quę quidẽ, cũ eo perueniſſet, nõ ſecus, atq; adulti ſolẽt, q̃ndecim eius tẽpli gradus, facile apteq; cõſcẽdit. Cui⁹ miraculi memoriã, totidẽ poſtea pſalmi, qui ꝓpter id graduales ſunt appellati, Chriſtiana religio celebrauit. Iã q̃ppe domin⁹ in virginis ſuę infãtia magnũ q̃d operabatur, quãtave futura eſſet, huius miraculi indicio prꝑmõſtrabat. Sacrificio igitur ſecũdũ legis cõſuetudinẽ celebrato, votoq; ſuo integre pfecto, virginẽ dilectiſſimã intra ſepta tẽpli, cũ alijs ſacris virginib⁹, ibidẽ educãdis dimiſere parẽtes, & domũ õnes rediere. Admiſſa autẽ Maria virguncula in tẽplo, extẽplo cæteras virgines cũ quibus morabatur, & morũ elegãtia, & virtutũ copia, ac omnis vitæ ſanctimonia anteceſſit, quãto filius ex ea naſcitur⁹ cæteros mortales, in ea ipſa, ad quã deſcẽderat naturæ humilitate erat anteceſſurus. Quotidie nãq; ab angelis frequẽtabatur quotidieq; etiã diuina viſione fruebatur, q̃ eã a malis õnibus cuſtodiebãt, boniſq; õnibus redũdare faciebãt. Euaſit itaq; puella hęc Maria, mox in tã admirabilẽ, tãq; celebrẽ corporis pulchritudinẽ, vt nõ ſolũ cęteras quę in tẽplo erãt, virgines, ſed & quę vnq̃ in mũdo fuerũt, ſuparet mulieres. Vnde & hoc prꝑter naturã in ea fuit admirabile, q̃ q̃plurimos regni Iudæorũ primores nobilioreſq;, ad ſe viſendã, etiã ſua in pueritia excitauerit. Erat eidẽ in primis corpus optime cõpactũ & digna proceritate elatum, facieiq; decus, per õnia præcipuũ, in ſuo quoq; vultu quoddã oculis humanis ſydereũ habebat, ſicut & eius poſtmodũ filius Ieſus Chriſtus, eidẽ per õnia in liniamẽtis corporis ſimillimus, ſine quo certe nũq̃ tã cito, eũ ſecuti fuiſſent apoſtoli, ac cęteri omnes diſcipuli, nec qui ad cõprehendendũ eũ venerãt, corruiſſent. Eratq; in ea quędam inenarrabilis oculorũ lętitia atq; modeſtia, quã tamẽ, etiã ab ipſa puerili ętate, intra veſtimentorũ ſuorũ fimbrias coercere didicit. Erãt prꝑterea illi cœleſtis faciei ſuę motus, ſecundũ actuũ verborũ ſuorũ varij & decori. Aureã inſuper comę volatilis copiã hinc inde per humeros renidentẽ, quã ſemper nihilo minus velo coopertã geſtabat, & lepidã ſonanteq; vocis ſuauitatẽ. Necnõ & quoſdã actus & geſtus prope diuinos. Tã roſei oris, q̃ ſplẽdidæ frõtis, atq; eburnei gutturis. Illi deniq; propter ipſius immenſam prudentiã, erãt verba, nõ ſolũ honeſta, ſed & pauca quidẽ, quæ pro loco, & tẽpore effundebat. Ociũ tanq̃ pernicioſiſſimũ ſuæ virginitatis hoſtẽ, fugiebat. Ieiunia inter cætera ſummopere frequẽtabat, ac meditationibus, contẽplationib⁹, & ſacris orationibus ardẽtiſſime inſiſtebat, & inuigilabat. Quibus plane beneficijs atq; virtutibus, in ãpliſſimã famã apud cũctos Hieroſolymorũ nobiliores prꝑ cęteris tẽpli virginib⁹ feliciſſime peruenit. Hoc itaq; viuẽdi modo beatiſſima puellula virgo Maria ad. 14. vſq; peruenit annũ, vt nõ ſolum de ea nihil mali reprehenſione dignũ cõfingere quiſq̃ potuerit, verũ & boni õnes qui eã nouerãt, vitã, & cõuerſationẽ eius õnẽ admiratione dignã iudicarẽt. Maximus autẽ tẽpli põtifex publice tũc ex more denũciauit, vt virgines oẽs q̃ in tẽplo erãt, & ętatis hoc tẽpus iplerent, domũ ſuã cũ benedictiõe reuerterẽt, vt nuptijs ſcdm morẽ gẽtis, & ętatis maturitatẽ, operã darẽt.

Cui mãdato cũ cæteræ omnes paruiſſent,ſola virgo domini Maria,hoc ſe facere nõ poſſe reſpõdit,dicẽs. Se quidẽ & parentes ſuos domini ſeruitio mãcipaſſe,ſed & inſuper ſe ipſã domino perpetuã virginitatẽ deuouiſſe,quã nũq̃ viro aliquo cõmixtionis more cognito,violare decernebat. His auditis pontifex in anguſtiã animi mox deuenit,ꝙ neq; cõtra ſcripturã,quæ dicit. Vouete & reddite,votũ infringẽdum putaret,nec morẽ genti introducere præſumeret. Diuino itaq; oraculo præmonitus põtifex,mãdauit,vt omnes ex Hieroſolymis alijſq; finitimis locis primores adeſſent, & ad imminentẽ feſtiuitatẽ cõuenirent,quorũ cõſilio ſcire poſſet, quid de tã dubia re faciendũ eſſet. Quod cũ factũ eſſet,omnibus in cõmune placuit,dominũ ſuper hac re cõſulendũ eſſe. Cũctiſq; orationi incũbentibus,mox de oraculo vox prorupit. Secundũ Eſaiæ vaticiniũ requirẽdum eſſe virũ,cui virgo illa cõmendari & deſponſari deberet. Liquet.n. Eſaiã ipſum prædixiſſe. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcẽdet,& requieſcet ſuper eũ ſpiritus domini,ſpiritus ſapiẽtię & intellectus,ſpiritus cõſilij & fortitudinis,ſpiritus ſciẽtiæ & pietatis,ac replebit eũ ſpirit⁹ timoris domini. Ergo ſecundũ hãc prophetiã, cũctos de domo Dauid nuptui habiles nõ coniugatos ſuas virgas ad altare allaturos præcepit,& cuicũq;,virgula florem emiſiſſet,in eiuſq; cacumine ſpiritus ſanctus in colũbæ ſpecie cõſediſſet, ipſum eſſe, cui virgo Maria cõmẽdari ac deſpõſari deberet. Inter cęteros autẽ Ioſeph de domo & familia Dauid grãdæuus homo erat. Cũctis vero iuxta ordinẽ ſuas virgas cũ gaudio palã deferẽtibus,ipſe ſolus pudore ſuffuſus ſuã abſcondit. Vnde cũ nihil diuinæ voci conſonũ ea vice apparuiſſet, Põtifex iterato deũ cõſulendũ & exorandũ eſſe putauit. Quibus illico reſpõdit. Solũ illũ ex his qui deſignati eſſent,virgã ſuã nõ prodidiſſe,cui virgo deſpõſanda veniret. Prodit⁹ eſt itaq; Ioſeph. Qui cũ ſuã attuliſſet virgã,in eiuſq; cacumine colũba e cœlo deſcendẽs cõſediſſet, Liquido omnibus patuit,virginẽ eidẽ eſſe deſponſandã. Nuptiarũ igitur iure,de more celebrato, ſtatim Ioſeph nouus ſpõſus in Bethleẽ ſui ortus ciuitatẽ rediit, domũ ſuã diſpoſiturus neceſſariaq; nuptijs procuraturus. Virgo vero domini Maria,cũ alijs virginibus coęuis & collectaneis ſuis,quas a põtifice ex more ſuſceperat, in Galilęã ad parẽtes ſuos eſt reuerſa. ¶Primo igitur die ſui aduẽtus in Galilęã, miſſus eſt ad eã angelus Gabriel a deo in ſpecie viri,qui ipſi virgini Mariæ & conceptũ dominicũ annũciaret,& conceptionis ipſius vel modũ vel ordinẽ exponeret. Ad eã ergo angelus ingreſſus, primo cubiculũ vbi manebat ingẽti lumine perfudit,ipſamvero reuerẽdiſſime ſalutãs, ait. Aue virgo domini gratiſſima,virgo inquã gratia plena. dominus tecũ,benedicta tu præ õnibus mulierib⁹,atq; benedicta prę õnibus hactenus natis hoibus. At virgo, q̃q̃ angelicos diu antea nouiſſet vultus,& lumẽ cœleſte ſibi inſuetũ nõ eſſet,ea quidẽ angelica viſione minime territa,ſed neq; ipſa luminis viſione ſtupefacta,verũ in ſolo eius ſermone cõturbata,cogitare cœpit qualis iſta ſalutatio eſſe poſſet,quidve portenderet, vel quẽ finẽ eſſet habitura. Cuius ſapientiſſimæ cogitationi angelus diuinitus occurrens, Ne timeas inquit dulciſſima virgo dei Maria,quaſi aliquid tuæ cõtrariũ virginitati,hac ſalutatione contexã. Inueniſti etenim maximã gratiam apud dominũ,quia caſtitatẽ & humilitatem integrã delegiſti,ideo virgo ſine peccato concipies,parieſq; filiũ,& vocabis nomẽ eius Ieſum,id eſt ſaluatorẽ. Ipſe quidẽ magn⁹ erit,quia dominabitur a mari,vſq; ad mare,& a flumine,vſq; ad terminos orbis terrarũ,filiusq; altiſſimi,nõ hominis carnalis vocabitur. Quia cũ in terris naſcetur humili⁹,in cœlo poſtmodũ regnabit ſublimius, Pręterea dabit illi dominus deus, ſedẽ Dauid patris eius,& regnabit in domo Iacob inęternũ,& regni eius nõ erit finis. Ipſe quippe rex regũ ac dominus dominantium eſt,cuius thronus in ſeculũ ſeculi erit. His autẽ verbis angeli virgo haud incredula,modũ ſcire gliſcẽs,reſpondit. Et quomodo iſtud fieri poteſt? Nã cũ virũ iuxta votũ meũ nũq̃ cognouerim quodomo ſine virilis ſeminis incremẽto,vnq̃ parere poſſum? Ad hoc angelus. Ne extimeas inquit venerãda Maria, ꝙ humano more cõcipias. Nã ſine virili cõmixtione,virgo conci-

pies,virgoqꝫ paries,ac virgo nutriẽs permanebis. Spiritus etenim ſanctꝰ ſuperueniet
in te,& virtus altiſſimi,contra omnes libidinis ardores obũbrabit tibi. Ideoqꝫ quod
ex te naſcetur,ſolum erit ſanctum, quia ſolum ſine peccato conceptum, natũqꝫ, vo-
cabitur filius dei. Tũ Maria diuini conſilij nõ ignara,expãſis manibus,luminibuſqꝫ
in cœlũ erectis,cũ ingenti & incredibili humilitate dixit. Ecce ancilla domini,neqꝫ
domine mi tãti ſacramenti dignã me exiſtimo, Veruntamẽ fiat mihi ſecundum ver
bum tuũ. His verbis necdum perfecte prolatis,Filius dei æterni Ieſus,ſpiritu ſancto
cooperãte,in vtero ſanctiſſimę virginis cõceptus eſt,deus & homo verus. Et hoc fuit
die octaua calẽ. Aprilis. Qua quidẽ dei mater glorioſiſſima, maximo primũ affecta
eſt gaudio. Propter quod & ſingulis cõtinuo diebus maximas ob tãtum myſterium Gaudium primum.
deo gratias agebat atqꝫ habebat. ¶Poſt aliquot vero dies, ipſa iã fœliciſſima vir-
go animaduertens,quæ de Elizabet cognata anu, ab angelo intellexerat, ꝙ ſex iam
mẽſibus grauida eſſet,Ad ipſam viſendã & ſalutandã pro cõmuni gaudio protinus
accedere conſtituit,& vna cũ ſuo ſpõſo Ioſeph,cõcito gradu Hieroſolymorũ vrbẽ
ſe cõtulit. Vbi ipſa Elizabeth anus cum eius marito Zacharia, extra eandẽ vrbẽ,in
colle quodã amœniſſimo habitabãt. In cuius domũ cum intraſſet & benigniſſime
ac reuerenter cognatã ſalutaſſet, Cõuerſa Elizabeth iã & ipſa ſpiritu ſancto affatim
repleta,dixit. Benedicta tu es virgo glorioſa,inter omnes mulieres,ſed lõge omniũ,
eſt benedictus fructus vẽtris tui. Quomodo enim cõmerui,vt mater domini mei ad
me miſellã accederes? Ecce enim vt filius meus,meo in vtero,tuã ſalutatiõis vocẽ au
diuit,præ gaudio exultauit,& luſit in ventre meo,gratias agens,ipſi domino noſtro
filio tuo. Audierat quidẽ Elizabeth filius in vtero genitricis, verba domini per os
virginis Mariæ pertonãtis & idcirco de vtero ipſius,in occurſum domini geſtiebat
erumpere. Tunc Elizabeth adiecit dicẽs. Beata quæ credidiſti, quoniam perficiẽtur
in te ea quæ dicta ſunt tibi a domino. Tunc dei mater glorioſiſſima,quæ prius oracu
lum angeli & cõceptionis myſteria,pro virginali pudore celauerat. audiens cognatã
ſuã anũ,ſilẽtiũ ſoluit,& plena ſpiritu ſãcto,intẽtione ſublimi,laudes aggreſſa domi
ni cũ tympano ſpiritꝰ,in Elizabeth cõuerſa,diuino carmine cecinit. dicẽs. ¶Magni-
ficat anima mea dominum. &c. Atqꝫ idcirco diuinitus ab eccleſia ſolẽniter in omni-
bus veſperorũ horis,canticũ iſtud tã mirificum,in honorẽ beatiſſimę huius virginis
decãtari inſtitutũ eſt. Tribus igitur mẽſibus ſanctiſſima virgo in obſequiũ cognatæ
ſuæ Elizabeth ſua in domo permãſit,eius in neceſſitatibus omni cũ ardore charita-
tis & amoris ſedule miniſtrando,donec filiũ domini præcurſorẽ edidit. De cuius no
mine cũ in ipſiꝰ circũciſione,magna inter cognatos & affines orta eſſet diſceptatio,
Zacharias pater eius mutus exiſtens,ſpiritu ſancto ductus,innuit pugilares ſibi affer
ri. Cũ quibus,cõfeſtim ſcripſit. Ioãnes eſt nomẽ eius,quo quidẽ nomine,vniuerſi pti
nus ſunt admirati,ſtatimqꝫ vinculũ linguę eiꝰ ſolutũ eſt. Quas ob res maxima inter
eos ſurrexit exultatio. Moxqꝫ in laudẽ dei õnipotẽtis & ipſe prorũpens,dixit. Be-
nedictus dominꝰ deus Iſrael,quia viſitauit & fecit redẽptionẽ plebis ſuę. Et erexit.
Et reli. Quod itẽ cãticũ optimũ,ab eccleſia horis in matutinalibus,ſicut illud beatę
Mariæ,cõtinuo decãtatur. Hãc itaqꝫ ſanctiſſimã,virginis Marię viſitationẽ,diuinis
ſane myſterijs plenã,ac multis & maximis ſacramẽtis fœcundã. Bonifacius & Sixtꝰ
eius nominis quarti põtifices Ro. ſexto nonas Iulias,ꝑpetuo ſingulis annis ſolẽniter
celebrari ſanxere. Reuerſa poſt hęc beatiſſima virgo ad Ioachin patrẽ,eiꝰ ſpõſo Io-
ſeph cõſociata,& cũ quartus iã extaret mẽſis,ex eo tẽpore quo deſpõſata fuerat,in-
terea paulatim vtero puerperę intumeſcẽte,puerperiũ ſe manifeſtare cœpit,quę res
Ioſeph minime latere potuit. Nã ſponſi more liberius ad virginẽ introiẽs fami-
liariuſqꝫ cum ea colloquens,ipſam grauidam eſſe deprehendit. Quãobrem æſtuare
ac fluctuare animo cœpit,ꝙ ignoraret quid ſibi potiſſimũ faciendum eſſet, cum eã
traducere omnino nollet,quia iuſtus erat,ſed neqꝫ fornicationis ſuſpitione infama-
re,quia pius. Cumqꝫ cogitaret,clam id matrimoniũ diſſoluere,& eã occulte dimit-

tere,Ecce angelus domini eidem in ſomnis apparuit,dicens.Ioſeph fili Dauid,quid
dubitas,quare imprudenter & irrationabiliter cogitas? Scito quia deus eſt,qui gene
ratur, virgo autē quæ generat,huius tu generationis miniſter eris & non largitor,tu
ſeruus es,& nō dominus.Idcirco mandat dominus ipſe,vt ei ſeruias,eiq; miniſtres,
atq; eidem intendas ac opem feras,& huic qui naſcetur,& iſti quæ generat,Et q̄q̄ ti
bi Maria vxor nominetur,non tamen tibi vxorem exiſtimes,ſed dei vnigeniti ma=
trem.Ergo,hoc modo accipe eā,ſicut cōmendatum cœleſtē theſaurū,ac deitatis di
uitias.Accipe inquā,ſicut vnigeniti dei manſionē, ſicutq; honorabile templum, ac
regis ſponſiq; cœleſtis immaculatā domum.Ita igitur fili Dauid Ioſeph,ne timue=
ris accipere Mariam coniugē virginem,tuæ religioſitati commendatā,Serua eā,ha=
betoq; curā.Aſcendes in Aegyptum ob Herodem fugiens,iterū remeabis cū ea poſt
ipſius Herodis obitū reducendo in terrā Iſrael,pariet enim filiū, & vocabis nomen
eius Ieſum,id eſt ſeruatorem.Ipſe enim ſaluū faciet populū ſuum a peccatis ſuis.Igi
tur Ioſeph ſecundum angeli monitionē Mariam hanc virginē duxit vxorem, nec
tamen vllo modo cognouit eā,ſed caſte procurans cuſtodiuit eā.Statimq; virtutem
myſterij ac quoddā magnificū ſacramentum in eadē optime deprehendit, cui etiā
approximare,ſeſe indignum exiſtimabat.Vnde & ſe profunde humilians,ante tan=
tam,tāq; ineffabilem virginē,cauebat,ac ſibimet ſummopere pertimeſcebat, iſtius
tātæ ſanctitatis nedum veſtimenta contingere. ¶Iamq; nonus inſtabat a cōceptio=
ne CHRISTI menſis,cum Ioſeph, vxore & his quæ neceſſaria erant aſſump=
tis, ex Nazareth in Bethleem ciuitatem, vnde oriundus erat, ad imperij manda=
tum explendum tetendit. Erat tunc Octauianus Auguſtus præ cæteris imperatori=
bus, vniuerſam imperij Romani monarchiam tenens, iuſtitia & religione felix.
Cuius quidem virtute pax per totum orbem conſtituta erat, per quā certe per totū
mundū,non amplius ferreū ſed aureum videbatur exortum ſeculū. Cuius quidem
ſuauiſſimo fructu gaudere videbantur agri,lætari maria, tecta ciuitatū,viæ,cāpi,&
alia quæcunq;,exultabant quadā inuſitata lętitia.Qui cū annis iam plurimis impe=
raſſet,anno imperij ſui ſecundo & quadrageſimo quoddā edictū ſtatuit,vt vniuerſus
deſcriberetur orbis.Et hęc deſcriptio primū in oriente facta fuit a pręſide prouincię
Syrię nomine Cirino.Iuſſerat nāq;,vnūquēq; ſub Ro.imperio cōſtitutū,numū argē
teum pro cenſu afferre.Illūq; cenſori offerens,profiteretur ſe ſub Ro.imperio conſti
tutum eſſe.Ioſeph vero vir vtiq; iuſtus,ac ſanctus vtpote ex Dauidis ſtirpe procrea=
tus,& ipſe obedientiæ gratia, cum virgine ſanctiſſima pręgnāte,Bethleē veniens,ſe
pręſidi primū præſentauit. Bouē autem vænalē aſinūq; quo portāda beatiſſima vir
gine vteretur,ſi forte pedibus ambulare grauaretur ſecum adducens. Atq; ita,cum
in veſperā diei ſabbati Bethleē perueniſſent,ibidē omnia vrbis hoſpitia multitudo
quæ pauloante eos anteceſſerat,occupauit.Exquo,cū ad hoſpitandum,eis nullus re=
lictus eſſet locus,Laſſati,extra oppidum , quodā in diuerſorio vbi antrum aderat,
propter frigus Ioſeph cū vxore hoſpitatus eſt. Cum ibidē ſtabularentur animalia,
Ioſeph ipſe collocatis primū boue & aſino,fœnoq; in præſepe appoſito , deniq; ſe
vna cū virgine ſanctiſſima,circa ipſa ſua animalia ad dormiendū collocauit.Verum
vbi nox ipſa medio in curſu extitit,ecce vigilātibus ipſis ingens lux,omni claritate
clarior,ſuper ipſos apparuit.Quo quidē tempore,mox virgo glorioſiſſima cū ſuæ
Chriſtus Ieſus hic naſcitur.
virginitatis pudore vnigenitum æterni patris ante omnia ſecula filiū,ſine vllo par=
tus ſui dolore,ſineq; vlla obſtetrice,aut mulierū ſedulitate eſt enixa. Quem elegan=
tiſſimū filiū ipſa dei mater in velaminibus quę de induſtria ſecū attulerat,tāq̄ obſte
trix & mater inuoluit.Atq; ipſum deum quem genuit,mox ingenti tremore profun
diſſime adorauit, ſuoque quamprimum virgineo lacte cibatum,dormientem tanq̄
in cunis, inter bouem & aſinum ſuper fœnum reclinauit.At ipſa animalia, vt par=
uulum viderunt.dominum & cunctorum viuentiū creatorem cognoſcentes,protinus
adorauerunt.vt Eſaię prophetæ vaticiniū cōprobaretur,quod dicitur.Bos cognouit

poſſeſſorem ſuum,& aſinus pręſepe domini ſui,&c. Ipſa itaq; animalia ſuppliciter, tanq̄ veniam ab ipſo expetentes, colere eum videre viſa ſunt. Quod quidem inter ſeptem gaudia ſanctiſſimę virginis, ſecundū & perq̄maximū ſuum extitit gaudiū. Et idcirco a cōditione mūdi, quo diabolus peccati inuentor, mortē fraudulenter in humanū genus intulerat, vſq; ad hanc admirandā Chriſti domini noſtri natiuitatē, quæ temporis plenitudo vtiq; erat, quam diuini conſilij inſcrutabilis altitudo diſpoſuerat recōciliandam authori ſuo humanā naturam, quinq; milia & ducenti interceſſere anni. In qua quidem plenitudine dominus omnipotens ipſi ſęuiſſimo hoſti, non in ſua quidem maieſtate, ſed in humana humilitate obiecit, eidem eandē naturam & formā mortalitatis, totius tamen peccati expertem, vt ipſam quidē qua ſe viciſſe gloriabatur, vinceretur natura. Eadem itaq; nocte, qua hora natus eſt mundi creator atq; redēptor, venere chori angelorū per aera dulciſſima modulatione cātantes, qui ad ipſum mundi redemptorem venientes, primum adorauerunt, inde ad paſtores qui ea in regione cōplures erant, nocturnis cuſtodijs inter ſeſe conuenerant, & tibijs ac fiſtulis cantu ſolito inuigilabant ſupra greges ſuos, cū magno ſplendore acceſſere, quibus & annūciauere, natū eſſe dominū redemptorē, diu a patribus antiquis expectatum. Qui cum eſſent tremore nō modico perterriti, ac pauore perculſi, mox vnus angelorū eos ſolando, dixit. Nolite timere. Ecce quia annuncio & euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo quia natus eſt vobis hodie ſeruator, qui eſt Chriſtus dominus, in ciuitate Dauid, Et hoc vobis ſignum eſt. Quia inuenietis infantem ipſum pannis inuolutum ac in præſepio poſitum. Quibus expletis, e veſtigio, cum eodem angelo, facta eſt multitudo cœleſtis militiæ exercitus inenarrabili vocum ſuauitate canentiū & laudantium ac dicentiū. Gloria in altiſſimis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ijſdē itaq; verbis & modulationibus ſuauiſſimis ſtupefacti paſtores concito gradu, omnes ad locū indicatum acceſſere, & puerum in præſepio videntes protinus adorauerunt. Quibus peractis, in regionem ſuam, cū plauſu reuerſi, laudantes & glorificantes deum in omnibus quæ audierant & viderant, quia perſpicue cognouerunt verū fuiſſe, quod dictū fuerat illis de puero ipſo. At Ioſeph vir ſanctus, cum hæc omnia ſecum animaduerteret, & proprijs oculis perſpexiſſet, & ipſe mox ante puerum matremq; eius procidens ait. Tibi domine deus meus gratias ingentes ago, q̄ me hac mea in ſenectute decrepita dignū tua præſentia iudicaſti, quodq; genitricis tuæ virginis intactæ, curā qualicūq; modo poſſum, habere voluiſti. Cū ipſam liquido cognoſcā virgultū illud eſſe, quod ex Dauidis ſemine, ſanctiſſimi prophetæ tui, diuinitus iandudū prædixere. Hęc ipſa eo loquente, ecce alia lux perq̄ maxima apparuit, atq; angelorū multitudo eūtiū & redeuntiū in cœlo cum hymnis iubilantium. Maria autē, cum omnia hæc audiret & videret, in corde ſuo cōferebat & cōſeruabat. ¶ Eodē igitur tempore, quo ex matre in terris natus eſt ipſe ſaluator mundi, tres in oriente viſi ſunt ſoles, qui & ſtatim in vnum coierunt, ad denotandas tres fore diuinitatis perſonas, patrē videlicet & filium, & ſpiritū ſanctum, in vnico dei filio ex virgine genito. Quod etiā Romæ comprobatum eſt. Nā & in eadem noctis hora tēplum Pacis ibidē corruit, de quo ſcriptum erat, ipſum ad id vſq; tēpus duraturū, quo virgo diuinitus peperiſſet. Eadem quoq; hora, etiam Romæ olei fons ortus eſt, qui & per diem integrā iugiter fluxit, atq; in Tyberim fluuium vſq; decurrit. Plurima pręterea alia elementa ſuum authorem hoc tempore aduenîſſe, lętabunda cōteſtata ſunt. Admirabilis profecto res extitit, q̄ ineffabilis diuina illa maieſtas, ſubſtantiā propriam, in homine immortalem, ipſis in hominibus impetrare voluerit. ¶ Octauo deinde ab ortu Ieſu die, cum Ioſeph cenſum Cæſari Auguſto ex more perſoluiſſet, ſeque eidem ſubiectum iureiurando affirmaſſet, vt vetuſtiſſimum ſancti Abrahæ morem obſeruaret, cum puero Ieſu (circuncidendi & imponendi nominis gratia) ad templm venit. Quibus ex more rite peractis, impoſitum eſt eidem puero nomen I E S V S, quod

Secundum beatę virginis gaudiū.

Prodigia in na. Chriſti nota.

ab angelo prius q̃ in vtero cõciperetur,nunciatũ fuerat. Atq; idcirco ab ecclеſia hoc
ſolenne feſtũ in calendis Ianua.celebratur.Quo quidẽ in die,Chriſtiani ad deteſta=
tionẽ idololatriæ antiquæ,quædã ligna alias maiorum ſuorũ ſimulachra, maximo
cum gaudio & voluptate,in foco propellunt cõburenda. ❡In ipſo autem ſaluatoris
noſtri Ieſu Chriſti ortu, noua ſtella præter ordinem ſplendida in oriente orta eſt,
quam tres Magi,viri vtiq; potentiſſimi,philoſophiæ & aſtrorum peritiſſimi, con=
cernentes,e veſtigio ex ipſa nouæ ſtellę claritate,cognouerunt regem cœli & terræ
in Iudæa natum.Memoreſq; q̃ maxime,Balaã eorũ prophetæ vaticinio quo prędi=
xerat,ſaluatoris noſtri aduentum, in Iudææ terris naſciturum, dicentis. Naſcetur
ſtella ex Iacob,exurget homo de Iſrael,qui conteret vniuerſos mũdi principes ſub
pedibus.Cumq; indubitato crederent,orbis ſaluatorem natũ,cõmuni decreto ſtatu=
erunt eũ eſſe quęrendum.Iter igitur ſuũ omnes Hieroſolymam regiã ciuitatem ver
ſus dirigere ſtatuerunt,vbi ipſum potius natum exiſtimabant.Eoq; equidem appa=
ratu,qui reges ipſos magnifice decebat,cũ auro & argento,alijſq; innumeris theſau=
ris & muneribus ipſi regi nouo & domino omnium,cõuenientibus.Qui cum equos
conſcendiſſent faleratos,multis cymbalis alijſq; muſicorum& tympanorum generi=
bus comitati,mox ſtella quæ ipſis apparuerat,ipſos tan q̃ itineris eorum dux,ne a ve
ro itinere deuiarent,antecedere cœpit.Atq; ita intẽta contẽplatione, comitati,die=
bus duobus & decem Hieroſolymã feliciſſime applicuere. Quod quidem itineris
ſpatium,vix vnius anni tẽpore,alij cõficere potuiſſent. Quibus regib9, nouitate rei
plurimi permoti,obuiam acceſſerunt,donec ad Herodẽ in palatiũ peruenirent.Nã
rex ipſe cauſam aduentus ipſorũ paulo ante intellexerat.At ſtella quæ illos huc vſq;
præceſſerat,mox ea in ciuitate ab eorum oculis protinus euanuit.Eam ob rem, ab
ipſo Herode accurate petiere, quonam in loco, Iudæorum rex natus eſſet. Omnia
etenim quæ de ſtella viderant & intellexerant,ipſi Herodi ſerio retulerunt. Quam
ob rem,ipſe Herodes valde ſuſpicatus eſt. Qui mox ſacerdotibus & legis doctori=
bus ad ſe conuocatis,ſciſcitatus eſt ſi quid ex Iudæorum & maiorũ ſcripturis habe=
rent,vbi rex Iudæorum foret naſciturus.Ad quẽ hi Magi videndum, adeo feſtinan
ter, tã honorifice etiam adorandi gratia cõuenerant.Reſponderunt,ex eorũ prophe
ta reperiſſe,In Bethleẽ naſciturum fore,ſcribente.Et tu Bethleẽ terra Iuda,nequaq̃
minima es in principibus Iuda,ex te enim exiet dux,qui regat populum meũ Iſra=
el. Tũc callidus Herodes,ſecreto Magis ipſis aſtute dixit.Ite & interrogate diligen
ter de puero,& cum inueneritis renunciate mihi,vt ego pariter accedens,ipſum ado
rem.Indeq; Magos abeũtes,iterum ſtella antecedens ad eum vſq; locum comitata
eſt,vbi infantulus Ieſus dominus noſter in humili ſtabulo,& in gremio pariter bea=
tiſſimæ matris conſiſtebat,tunc tredecim tantũ cõpleuerat dies.Quo cũ Magi ipſi
introgreſſi fuiſſent,admirati plurimum ſunt tãtæ humilitatis ſummi dei hoſpitio=
lũ,& apertis ſuis theſauris,coronaq; vnuſquiſq; in terra depoſita,poplitibus flexis,
primum in carne verbum adorauerũt,in infantia ſapientiã,virtutem in infirmitate,
& demum in veritate hominis,dominum maieſtatis,& vt ſacramentum ſuæ maxi=
mę fidei intelligentiæq; manifeſtarent.Quod cordibus credebant,muneribus etiam
proteſtarentur,obtulerunt ei,aurũ,thus,& myrrhã.Aurum videlicet regi,thus deo,
& myrrham mortali homini,venerantes.ſ.humanam diuinãq; naturam,in vnitate.
Inde poplitibus in terram defixis corã puerulo Ieſu,dixerunt. Ad te,o rex æternæ
gloriæ verum deũ,& dominum noſtrũ adorandum venimus,cũ his muneribus, non
equidem tua maieſtate dignis.Verum & te ipſum obnixe deprecamur, vt noſtram
deuotionem noſtramq; fidem,ſuſcipias,in quo omnis noſtra ſalus dependet,dirigas
quoq; actus noſtros ac mentẽ noſtram,in viã ſalutis æternæ. Deinde eius pedem de=
uotiſſime exoſculãtes,ab eo licet infantulo ſuam diuinã accepere benedictionẽ.Tũc
ſanctus ſenex Ioſeph munerib9 ſuſceptis,vna cũ glorioſiſſima matre virgine vehemẽ
ter lętat9 eſt,quæ quidẽ beata virgo prĩo nõ mediocriter cõſpectũ tãtorũ regũ admi

rata fuerat. Sed & eorũ humilitate atq; precibus ante ipſius conſpectum fuſis, & auditis, tertium accepit gaudium, profecto maximum, quoniã aperte etiam cognouit, ſe ſummi dei genitricẽ fore conſtitutã. At Magi, cũ aliquãdiu in colloquio beatiſſimæ virginis iucũdiſſime ſtetiſſent, diuinæ maieſtatis cõſpectu fruentes, cum ſe ſummo omnium creatori ac glorioſiſſimæ eius matri plurimum cõmendatos reddidiſſent, eorum cõmeatu accepto, iter ſuum ſequẽti die cõſtituerũt ad Herodẽ (vti promiſerant) reuerti. Sed in ſomnis ab angelo domini, mandato accepto, ne vllo modo ad Herodem redire præſumerent, gaudio plurimum recreati, per aliam viam, in patriæ ſuæ regionem reuerſi ſunt. ¶Poſt hæc, acceſſere dies purgationis Mariæ, ſecundum legẽ Moyſi. Tunc puerperis quę ante ſacerdotẽ purificandi gratia ad templum accedebant, cõſuetudine antiquiſſima cauebatur, offerre aut par turturum, aut duos pullos columbarum. Beatiſſima igitur virgo vna cum infantulo domino Ieſu, & ſuo Ioſeph in Hieruſalem acceſſit. Quæ cum primũ in templum introgreſſa eſſet, Ecce Simeon vir iuſtus & timoratus, qui iam annos tres & centum ætatis expleuerat, ſpiritu ſancto edoctus, ad templum nullo quaſi ſenectutis impedimento impeditus peruenit. Huic nãq; diu ante prædictum erat, ꝙ priuſꝗ diẽ ſuum obiret, Dominum omniũ ſaluatorẽ, oculis ſuis omnino cõcerneret. Qui puerũ ipſum e ſinu beatiſſimæ matris quadã inenarrabili iucũditate, in vlnas ſuas excipiens, mox cognouit ipſum, verum ſuũ eſſe redemptorẽ & ſaluatorem, mirificeq; ipſum cõplectens, exclamauit & dixit. ¶Nunc domine dimitte ſeruum tuũ in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuũ, &c. Quod canticũ poſtea etiã in iſtius memoriã, ab eccleſia eſt inſtitutũ, vt ſingulis cõtinuo diebus, in cõpletorij officio ſolẽniter memoretur. Conuerſus deinde ſanctus ſenex Symeon ad beatiſſimã virginem, dixit. O beatiſſima virgo, ſcito hunc puerũ tibi a domino deo eſſe cõceſſum, in mundi totius ſalutẽ, verum ipſe multas patietur cõtumelias & deluſiones, quibus & tu maximo afficieris dolore, vt nulla hoc in ſeculo, anguſtia cõſimili mulier tibi cõparabilis inueniri poſſit, & id ob eiꝰ mortis acerbiſſimã paſſionẽ. Verum ipſa hæc amaritudo poſtmodum in maximã tui conuertetur gloriã. Fies etenim ob hoc totius mundi regina & mater. Huic etiã purificationi, Anna vidua optima matrona, Phanuelis de tribu Aſer filia interfuit, quæ cum eſſet anus & grandæua, cõtinuiſq; obſecrationibus & orationibus dedita, & ipſa eadẽ fere, quæ a ſancto Symeone prædicto dicta fuerant verba, diuinitus inſpirata approbauit & cõfirmauit, atq; alia permulta, quæ de ipſo Ieſu futura erant, in miraculis, multorũq; gentilium veneratione & conuerſione prædixit, beatiſſima virgine ſemper audiente ac in corde conſeruante. Quibus dicti ſancti viri Ioſeph, vna cũ Symeone cantãtes ſuaui modulatione, cum matre virgine ac prophetiſſa Anna, puerulũ Ieſum ad templi altare detulere. Vbi in primis beatiſſima virgo flexis genibus, hæc ipſa ad deũ omnipotẽtem conuerſa, protulit verba. Tibi domine deus meus omnipotens pater, hunc filium vnigenitum tibiq; coæternũ offero, quo me ancillã tuam dignatus es matrem appellari. Ipſum igitur meq;, ad omnem tuam voluntatem commendatos ſuſcipias obſecro. Deinde turtures ſeu columbas ex more delatas reuerenter & deuote, ſuper altare obtulit ſacerdoti. Qui ipſum benedicẽs, admiratus eſt tantam ipſius circa deum venerationem. ¶In huius ergo purificationis & proceſſionis cõmemorationem, poſtmodum ab eccleſia catholica inſtitutum fuit, vt perpetuo, ſingulis annis, quarto nonas Februarias, cum candelis proceſſio & ſolennitas a fidelibus ſolenniter atq; deuote celebraretur. Poſthæc beatiſſima virgo & Ioſeph, Symeoni & Annæ prophetis gratias agentes, valeq; facientes ad Zachariam & Helizabeth cognatos ſanctiſſimoſque viſendos, maxima cum voluptate acceſſere. Vbi & aliquot dies affinitatis cauſa, ac amoris inter ſe maximi, commorati ſunt. Ioanne baptiſta & Ieſu Chriſto infantulis inter ſeſe quotidie mirifica voluptate blandientibus. Deinde conſolati, in Nazareth eorum ciuitatem ſunt reuerſi, animo videlicet quieſcendi, ſuoq; labore viuendi. Cũq; duos ibidẽ annos in ſancta

Gaudium tertium.

Canticũ Symeonis prophetę.

quiete iucundiſſime permanſiſſent, ecce profanus Herodes, e Roma in Hieruſalem regreſſus, decreuit, ſecundũ ſuam peſſimam veſaniæ & inſaniæ machinationẽ, pueris omnibus, qui in Bethleem & in omnibus finibus eius erant, necẽ inferre turpiſſimam, vt vel ſic, regem Iudęorum dominum noſtrũ, quem a Magis natum intellexerat, in tanta puerorũ nece interficeret. Verum eius malitia cõtra conſilium altiſſimi minime potuit. Scriptũ quippe eſt. Nõ eſt ſapientia, nõ eſt cõſilium, nõ eſt prudẽtia cõtra dominum. Nã mox in viſione nocturna per angelum Ioſeph monuit, vt puerũ cũ matre in Aegyptum tacite velociter trãſferret, atq; ibidẽ permaneret, donec ipſe angelus denuo ad eos rediret, Futurũ eſſe aſſerens vt Herodes omnium peſſimus, puerũ inquirere faciat ad perdẽdum. Ioſeph vero q̃primum ſomno excitatus, matrẽ cum puero, vti mãdatum acceperat, in Aegyptũ idolis plenã trãſtulit, atq; in vetuſtam Hermopolis ciuitatẽ, tacite cum eiſdẽ ſe cõtulit, vbi & perbenigne ab accolis exceptus eſt. Sed & in hoc vnum admodum accidit admirandum. Quod vbi in Aegyptum ingreſſus eſt, extẽplo omnes idolorum imagines & ſimulachra corruere, vt illud prophetæ dictum impleretur. Cũ virgo puerũ pariet, omnes Aegypti ſimulachra ſponte corruent. Hermopolis autem hæc ciuitas Moyſi prophetæ opus fuit ꝙ Chenores ſeu Chenephim Pharao cũ ipſum inuidia vellet occidi, ipſũ cõtra Aethiopes cum exercitu non multo miſit. qui cum id bellum per decẽnium protraheretur, Ipſe Moyſes propter eius diuturnitatem, hanc ciuitatem, nõ longe Aethiopia condidit, in qua cum ſuo exercitu ſedens, Aethiopum impetũ ſuſtineret, quam Hermopolim, id eſt Mercurij ciuitatem appellauit. Stetit itaq; in ea magnus propheta Moyſes, atq; poſtmodũ dominus omnium prophetarum Ieſus Chriſtus. Inibi nãq; ibin auem primo conſecratam fuiſſe ſcribitur, quoniam nocentes interficeret ſerpentes.

Hermopoli vrbem quis ædificauit.

De aue ibide nota.

❡ Herodes interea peſſimus & inſanus homo, ſuis in meditationibus iniquis fruſtra, exardeſcens, per ſuos militares pręfectos, omnes Bethleemiticos paruulos infra bimatum necari iuſſit, quoniã quem metuebat ignorabat infantem, generalem ſententiam, in ſuſpectã tetendit ætatem. Sed quos impius homo exemit mundo, Chriſtus pientiſſimus inſeruit cœlo. Et quibus nondum ſanguinis ſui impenderat redemptionem, iam martyrij tribuere voluit dignitatẽ. ❡ Annos igitur ſeptẽ beatiſſima virgo cum ſuo puero Ieſu in ipſa Hermopoli ciuitate q̃ iucundiſſime ciuium omnium gratia ſtetit vixitq;. Qui ipſius virginis virtutem ac formam adnimaduertentes, nõ humanam certe, ſed diuinam potius plurimum admirabantur. Eoq; loci inter cætera ſui diuini ingenij præclara monimenta, veſtem acu pictam, alias contextã, puero Ieſu creſcenti mirabilẽ conſtruxit. Qua confecta, ab ipſo omnipotenti deo impetrauit, vt quemadmodũ puer ipſe excreſceret, ita & ipſa, quod ita eueniſſe, clariſſimo argumento poſtea cõprobatum eſt. Nam ipſa veſtis illa fuit, quæ in paſſione ipſius domini noſtri ſortibus obiecta fuit, vt prophetæ Dauid dictum impleretur, dicens. Et ſuper veſtem meã miſerunt ſortem. Poſtea iterum angelus domini in Hermopolim ad Ioſeph venit, conteſtans mortuũ eſſe Herodem, & eos omnes qui puerum occidere nitebantur, eideq; mãdato diuino iuſſit, vt tolleret puerum ipſum & eius matrem, & ſine vlla prorſus trepidatione & cunctatione, in Nazareth ciuitatem ſuam reuerteretur, ibideq; habitaret, vt adimpleretur quod dictum erat per prophetas. Quoniã Nazaręus vocabitur. In ipſo autẽ eorũ receſſu, dum gratias accolis pro beneficijs receptis agerent, omnes lachrymis fluẽtibus amorẽ ac dilectionem mutuã indicauere. Cõpluresq; pro ſuis eorum imaginibus, quæ in eorum aduentu ceciderant, ipſius beatiſſimæ virginis cũ filio infanti in ſinu poſito, imagines pictas ſuis in templis, atq; etiam priuatis domibus poſuere. Ipſi vero longo itineris labore peracto, tandem ſoſpites in Nazareth peruenere. Vbi & a cõſaguineis alijsq; amicis ſuis, ſumma cum iucũditate ſunt excepti. Ibidem tamen beatiſſima virgo aliquali triſtitia eſt affecta, ꝙ genitorem ipſius Ioachim mortuum, matrem vero Annam, iterum Cleophæ Germano Ioſeph ſponſi ſui nuptam inuenerit. Eodemque loco etiam

Veſtis domini incõſutilis: vide.

cum cæteris affinibus ſuis quinque annis conuixit. Non enim antea auſa fuerat in
Iudæam accedere propter Archelaum qui loco Herodis fratris Iudæam regebat.
Ieſus autem cum factus eſſet annorũ duodecim, Ioſeph ſtatuit vna cum beatiſſima
virgine filioꝗ Ieſu atꝗ cognatis ſuis in paſchatis feſto, Martio menſe celeberrimo
in Hieruſalem cõſcendere, quo cum perueniſſent, ſanctum paſcha ex more celebra-
runt. Diebusꝗ finitis, Ioſeph & glorioſiſſima virgo, cum innumerabilibus ſuis con-
tribulis in patriam redibant, exiſtimantes proculdubio puerum Ieſum cum cæteris
coæuis ſuis ipſos ſecuturum eſſe. Verum vbi vnius diei ſpatio ad oppidum nomine
Hiericho vſꝗ perueniſſent, reſpicientes, inter ſuos puerũ nõ inuenerũt. Idcirco ad-
modum triſtes, illico in Hieruſalem ſunt reuerſi, inquirentes ab agnatis & notis ſi
forte ipſum puerum vidiſſent. Et cum neꝗ in Zachariæ domo inueniſſent, neꝗ a cõ
ſanguineis quidpiã de illo intelligerent, mœſti nimium, in templum orandi gratia
ſunt regreſſi. Et ecce reſpiciẽtes, ipſum Ieſum puerum in medio doctorum ſedentẽ,
differentem ac diſputãtem cõſpexerunt. Ibiꝗ tandiu diſputationis finem expectan
tes, quam inter ipſos doctores propoſuerat, in qua ipſi doctores & pontifex atꝗ alij
innumerabiles, ſumma cũ admiratione obſtupuere, maxime cũ ea ipſa, quę ab ipſo
puero Ieſu, ea in ætate tenera propoſita eſſent difficillima omnibus viderẽtur. Tan
dem cum victor inter omnes extitiſſet, venit obuiam matri, quæ ardentiſſime illum
cõplectens, humiliter cõdoluit, ꝙ ipſam & patrem Ioſeph putatiuum inſcios deſe-
ruiſſet, expoſuitꝗ iter, a quo requirentes ad ipſum inueniendum reuerſi fuerant.
Reſpondit autẽ ipſe puer Ieſus, & quid eſt quod me tantopere quęrebatis, an neſcie-
batis, me in his quæ patris mei ſunt oportere iugiter conſiſtere? Ad quæ me ipſum,
ipſe pater meus miſit, vt eius omnis voluntas, penitus per me adimpleatur? Hæc, &
multa alia cum matre & Ioſeph eloquens, ex templo diſceſſit, & vna cum ipſis humi
liter in ciuitatem Nazareth reuerſus eſt. Vbi multi etiã de eius diſputationis victo-
ria, beatiſſimę matri cõgratulati ſunt, admirãtes admodum tãtam, cum prudentia,
ſapiẽtia, eloquentiã. Stetit igitur deinceps Ieſus cum matre virgine ſubditus ad an-
num ætatis vſꝗ nonum & vigeſimum, quo tẽpore prędictus Ioſeph putatiuus pater
mortuus eſt cũ õni vitæ ſuæ laude, & pręconio. ¶Ea itaꝗ tẽpeſtate accidit vt Ieſus
ipſe vndiꝗ iã notus inter vicinos populos, ob ſuas innumeras virtutes, & ingentem
ac mirificam doctrinam, ab omnibus ferme expeteretur, ac vnuſquiſꝗ optaret, vt do
mum eius inuiſere dignaretur. Cõtigit autem eadem tẽpeſtate, vt quidam ex Cha-
na Galileæ oppido, vir nobilis & optima fama cognitus, nuptias celebraret, ad quas
idem nobilis, ipſam beatiſſimam virginem matrẽ, & Ieſum cum diſcipulis quos iã
ſibi delegerat inuitare voluerit. Ad quas dũ benigniſſime acceſſiſſent, accidit, vt in
fine conuiuij vinum deficeret. Cui indigentiæ pientiſſima Chriſti mater compaſſa,
filio, quem nouerat miracula iandiu feciſſe multa, fidẽtiſſima ait. Fili amantiſſime,
hi vinũ nõ habent. Cui reſpõdit, quod nec ad ſe nec ad eã huius vini defectus pertine
ret, verumtamen non mediocriter condoluit, ꝙ in ipſis nuptijs non eſſent neceſſaria
ad copiam. At beatiſſima mater ſecreto miniſtris dixit, quæcũꝗ vobis filius meus
dilectiſſimus iuſſerit, q̃primum efficite. Verum Ieſus paulpoſt, ipſis miniſtris dixit.
Implete hydrias aqua, quas cum eueſtigio ad ſummũ vſꝗ impleſſent, Ieſus iuſſit eos
haurire quod intus eſſet. E quibus cum optimum hauſiſſent vinum, admiratus Archi
triclinus, ſpõſo patrifamilias ſuccenſuit, dicens. Qui ad nuptias gerendas accedunt,
bonum vinum principio dare cõſueuerunt, & cum inebriati & ſatiati fuerint, quod
deterius fuerit poſtea afferũt. Tu autem ordine prępoſtero omnia feciſti. Neſciebat
autẽ Architriclinus vnde vinum eſſet, & quod de foris venerat, in cella vinaria late-
re crẽdebat. Miniſtri tamen qui hauſerant, vtiꝗ ſciebant quo tandem vino, nuptiæ
ſummo honore decoratę ſunt. Nouit diuina ſapientia, quando vult & quantum, &
vbi, & quibus ſua munera impetiri. ¶Initium autem miraculorum hoc celebratũ eſt
in Chana Galileæ populorum eruditione diſcipulorum cõfirmatione, & matris ſa-

tiſfactione,quo quidem miraculo magna laus atq; præconium ipſi Ieſu acceſſit. Et
quoniam malis,boni ſemper odio fuere,non tulerunt ſacerdotes & phariſei tunc re-
ligioſiſſimi æſtimati viri, Chriſtum miracula facientem,ꝙ ab omni gente mirũ in
modum venerari cœptus eſſet. Vnde in necẽ eius meditati,primo lingua eũ percuſſe
rè,damnantes,ꝙ gentem ſubuerteret,ꝙ legem diuinã aſpernaretur, ꝙ diem ſabba-
tí contẽptui haberet,ꝙ romano populo aduerſaretur,ꝙ Cæſari,dari tributũ diſſua
deret. Hæc omnia ipſi inſimulabant,quo populum in ſua traherent vota. O temera
rius auſus, o impudẽtia teterrima,o impuriſſimi homines,o efferati canes,animad
uertite ꝙ in vos ipſos tela ignea vertitis,nec quid agatis conſideratis. Rati eſtis il-
lum exterminatum iri,qui quando voluit captus & mortuus eſt. Virus inuidiæ om-
nia equidem exedebat,nec quo ſe exhalaret habebat. Habito igitur malignantiũ cõ
ſilio,dixerũt. Morte turpiſſima condẽnemus eũ,Erit enim reſpectus in ſermonibus
ipſius. Si filius dei eſt,liberabit eũ. Ac ſic filij hominum,dentes eorũ arma & ſagit-
tæ,& lingua eorum gladius acutus. Cũ ergo de occidendo Ieſu inter ſeſe malignãtes
colloquerentur. Ecce auaritia tandẽ locũ adinuenit,& Iudas diſcipulus author tãtĩ
mali fuit. Apud quẽ pluſculum auri longe plus, quam fides,aut magiſtri amor va-
luit. Hunc Iudæi pecuniola corruptũ a Chriſto abduxerunt in hæc fœdera,loco no
bis deſignato,Chriſto prodito,pecuniam promiſſam accipiens. Nocte igitur pro-
xima in ortum orationis gratia Chriſtus cum diſcipulis vna conuenit,Iudęi certio-
res redditi,ortum mox ingrediuntur. Chriſtum qui ſit,vel vbi ſit ambigunt. Iudas
propior factus,oſculo detexit Cui Chriſtus comiter ait. O amice , filium hominis
hoc modo prodis,Illum amicum,o bone Ieſu appellas,qui ſanguinem &vitã tuam
tam infenſe ſitit? Quid,o Iuda proditor demoliris? quid operaris? illum ligno affĩ
gis,qui nos omnes ligno obrutos, proprio holocauſto liberauit. Poſt oſculũ autẽ ac
ceptũ Ieſus illico capitur,vincit,& ad Annã & Cayphã ſacerdotes primũ ducitur,
& poſtea Pilato pro Romanis rectorẽ ſe gerenti præſentatur. Apud quẽ flagris im-
maniſſime cęditur,conſpuitur,irridetur,accuſatur & morte turpiſſima demũ dam-
natur. Dum hæc geruntur,Ioannes euangeliſta ipſius dilectus diſcipulus,doloris im
patiens,e veſtigio Bethaniam verſus,vbi virgo mater tanti ſceleris neſcia,cum Ma-
ria Magdalena & Martha ſororibus Lazari ſedebat,citiſſime maturauit, rerum or-
dinem,flens & eiulans expromit. Illam quam Crucis myſterium non latuit, dolor
internus exedit,loco ſtatim mota mulieribus comitata in Hieruſalem feſtinauit,
& inter itineris anguſtias,Ioannẽ ſic alloquitur. Chare nepos,Chriſtiq; alũne,filius
meus inter tormẽta animã adhuc agebat,an ne? dicito. vita viuet quoad adueneri-
mus? libero locutu obſecro fare. Inter lachrymas & ſuſpiria prolapſus Ioãnes quod
neſciebat,pia mente ſpondebat,vna ſic colloquentes ſimul & flentes ad olíueti mon
tem peruenere. Deinde valle Ioſaphath emenſa,ciuitatem Hieroſolymorum ingre
diuntur,in cuius ingreſſu,numeroſam populorũ multitudinem offenderunt,quę ad
montem Caluatię vbi Chriſtus crucifigendus erat pergebat,hanc pręuenire pia ma-
ter nequiuit. Sed gradatim iens,ad locum quendã,vbi Chriſtus erat tranſiturus,tan
dem peruenit. Qui vt magis ludibrio eſſet, trunco arboris,quem Crucem dixere
maiores,onuſtus erat. Cuius plane pondere preſſus, vt ad locum vbi Maria mater
erat,ſe recepit,mox in terra laſſus cecidit. Diſtabat etenim ipſe Ieſus ab illa ſua pri-
ori forma,atq; eius ſpecies adeo ſic mutata erat,vt nec ipſi genitrici ſuę,primo aſpe
ctu cognitus extiterit, Vt autem locũ aliquãtiſper altiorem Maria mater aſcendit,
filium cognoſcens,expauit,ac quaſi exanimata remanſit. Quis inquies hanc glorio-
ſiſſimam matrẽ ad terram proſtrauit? Quæ eius lamentationis cauſa,aut quis tantĩ
vlulatus finis,amor filij an diffidentia, vtrũq; ipſo docente, nõne didicerat? Quid
ergo flebat,quid ocellos madefaciebat,quid tantum gemebat, quid tãta ſuſpiria du
cebat? An non videbat omnium aſtantium oculos in ſe vna coniectos eſſe,vt quod il
la faciebat,& ipſis facere liceret? Non ne flendo tempus terebat, & de diuina boni-

tate diffidere ſe demonſtrabat? Cui ipſa maxime cõfidere videbatur, cui non latuere diuina myſteria. videlicet incarnationis, paſſionis, reſurrectionis, & glorificationis. immo lætari & gaudere debuerat, quia eius filij mors futura ipſius glorificatio eſſet. Sed ipſius fletus vtiq; modeſtiſſimus fuit, & charitate non diffidentia plenus. Hoc itaq; loco vbi virgo collapſa eſt, ædificatum eſt ſacellum, quod antiquitus phanum ſanctæ Mariæ de Spaſmo appellatum eſt. Paulo poſt vt ad ſe rediit beatiſſima mater, ſic ore locuta eſt. O diuina & inclyta ſpecies, o mundi ſpes vnica, hinc abiens, cui matrem ſolandam relinquis? Hæc ne paſſi laboris digna merces, hoc inſtitutionis diuinæ præmium, nec aliud certe Iudæum ingratum dare decuit, qui patri rebellis ſemper fuit, nec fidus erit. Sic colloquentes & lachrymas dantes viam gradiebantur. Et quod itineris erat reſidui, magno labore emenſi ad montem Caluariæ tandem applicuere. In quo Ieſus Chriſtus nudę humi proſtratus, nudus cruci conclauatus eſt, & a terra in altum eleuatus, quo ſpectaculum illud miſerandum, ingrati Iudæorum oculi cernere poſſent. Quod cũ virgo mater vidiſſet, haud paſſa eſt, ſed dolore afflicta, vt mortua relicta eſt. Circunſtabant mulieres, quæ pro virili, nimium afflictam conſolabantur. Sed virgo, in altum oculos tendens, magis magiſq; cruciabatur. Inde vt potuit crucis propior facta, ſic ora laxauit. O caput glorioſum, qua corona te redimitum video? O manus, quarũ opus, ſunt terra, pontus, & æther, quid nunc teneris? O pedes pacem orbi & peccatoribus veniam portantes, quid nunc calcatis. O fili trinitatis medius, modo latronum ſocius, o crux roganti te præbe liberalem, pauliſper te flecte, quo ſacros filij mei pedes exoſculari valeã, redde obſecro virgini, virginẽ filiũ. En dies ille nec fallor adeſt, de quo dudũ Symeon ſanctus prę fatus eſt, cũ dixit. Et tuã animã doloris gladius tranſibit. Dolor iſte, equidem omnia ſuperat, cor diuidit, animã ſeparat & corpus totum diſſoluit. Inter hæc diuina virtus in cruce pẽdens, quę mœſtitudine cõſumptos deſerit nũq̃, matrẽ pie reſpexit, cui & humili voce ait. Mulier ecce filiꝰ tuꝰ, Ioãne oculo deſignato, deinde ipſi. Ecce mater tua. Iã iã vires defierant, & corpus exãgue reſoluebatur, cũ dixit. Sitio. O crudelis, quid eſt hoc ſitire, niſi ſalutem tuam appetere? Acetum aderat cum felle mixtũ quod potui eidem datum eſt. Ille ille eſt Iudęe ingrate, qui te tanto tempore Manna pauit, ſitienti & ſemel petenti, hoc potu ſitim leuaſti. Crede vati, non erit inſultum, quod impie egiſti. Si Cayn ſemper vagari datum eſt, q̄ fratrem occiderit, quid tibi futurum ſit, q̄ omnium Saluatorem, de terra ſubſtuliſti cogita. Viderat autem beatiſſima mater anteq̃ cruci appropinquaret, filij genitalia in deriſum detecta, cuius rubore permota, iecit quoddam velamẽ ad ipſos impuros ſatellites, qui circa crucem aderant, eius mortem expectantes, rogauitq;, vt partes illas viſu inhoneſtas, ſaltem illo velamine tegerent, quod vix tandẽ ab ipſis impijs impetrare potuit. Vt autem potum Chriſtus eius filius libauit, viua & alta voce clamauit. Pater ſpiritum meum tibi cõmendo, & in hæc verba exhalauit. Cuius quidem morte adeo exanimata eſt beatiſſima mater, vt mox in terram moritura caderet, atq; ibidem aliquãdiu incluſo ſpiritu ipſo, immobilis permanſit. Verum vbi multis mulieribus & viris circũ ipſam aſſiſtentibus & conſolantibus reuiuiſcere cœpit, lamentabiles voces aduerſus impios Iudęos habuit. Crucem deinde cõplectens, omnes ſuas cõmemorabat miſerias. Nec mora, & terra pœnitudinis ſigna dedere. Ex aſtantibus miles quidam longinus nomine, eueſtigio latus eius lancea aperuit, ex quo ſanguis & aqua emanarunt, qua propter & Mariæ dolor magis magiſq; renouatus eſt. Vt mortuũ Chriſtum turba vidit, diſceſſit, & virginem matrem mulieribus comitatam, reliquit. Interea a Pilato corpus Ieſu quidam nobilis decurio, cui nomen Ioſeph ab Arimathia petijt, vt eum ſepulchro traderet Quod cum impetraſſet de cruce depoſuit, & palpandum matri præbuit. Quod cum intuita fuiſſet, inquit. Es ne ille benedictus fructus ventris mei, de quo Angelus prædixerat. Aue gratia plena. Quomodo gratia plena, quæ omni amaritudine conſumpta ſum. Dominus tecum, quomodo mecum,

Sancta Maria de Spaſmo: quare nomen accepit.

qui ſine me eſt? Poſtq̃ ſacratiſſimo corpori aliquãdiu parentatũ eſt, a Ioſeph ablatum, reuerenter humatum eſt. Quo facto, Bethaniam cum comitibus reuerſa eſt virgo mater, fidei plena. Id autem virgineum ſepulchrum nouum erat, in quo nondum quiſq̃ poſitus fuerat, haud longe ab eodem loco conſtitutum erat. Cuius antrum totum precioſiſſimis vnguentis, ipſi Ioſeph & Nicodemus nobiliſſimi potentiſſimiq; viri, deliniuere atq; odoribus imbuere, quod in memoriam tantæ paſſionis & mortis eius filij domini noſtri, adhuc extare videm9. At beatiſſima virgo domũ reuerſa crebro animaduertens, quæ ſæpius eius filius prædixerat, videlicet turpiſſimam mortem, deinde reſurrectionẽ in die tertia affuturam, vſq; ad ipſam diem, in contemplatione tantorum myſteriorum omni cum fide permanſit, nec vnq̃, e domo diſceſſit. Quod cum ita vti prædixerat eueniſſet, primum (vt decuit) ea cũ claritate, quę eius gloriam decebat, ipſum diuina & inenarrabili maieſtate fulgentem vidit, & adorauit, ac multis cõplexibus ac ſuauiſſimis verbis, ipſum eſt allocuta. Tãdem cum ſerio intellexiſſet, quo ordine mundus redemptus fuiſſet, q̃q; infernus ſpoliatus ab ipſo accepiſſet, inenarrabili lætitia perfuſa, ſummum gaudium percepit, quod quartum ipſi glorioſiſſimæ virgini aſcribitur. ¶Ab ipſa deinde diſcedẽs dominus & ſaluator noſter, alijs etiam mulieribus & diſcipulis ſuis priuatim ac in cõmuni, ſe glorioſiſſimum perſæpe & ſæpius, vt ſacra euangelij narrat hiſtoria oſtendit, nec ſemel tantũ, ipſi glorioſiſſimę matri, ſed omni die per quadraginta dies ſe oſtendiſſe pie arbitrãdum eſt. ¶Poſt quadraginta vero ab eiuſdem reſurrectione dies cum multa ipſe glorioſus Ieſus pientiſſimam virginem matrem ac ſuos diſcipulos docuiſſet monimenta ſui, demum in Olíueti monte conſiſtens, beatiſſima matre cũ alijs ſanctiſſimis mulieribus cunctiſq; apoſtolis & diſcipulis præſentibus atq; cernentibus, propria virtute cœlum mirabiliter aſcẽdit, & nubes eũ lucida, vt ſacra Actuũ apoſtolorum habet hiſtoria, ab oculis eorum abſtulit & ſuſcepit. Vnde & in huius facti memoriã, pedis ſui recti veſtigium, eo in loco, in marmoreo lapide reliquit, quod in hodiernum vſq; diem, maxima cum reuerentia, ab omnibus conſpicitur. Quo quidem facto & aſpectu, glorioſiſſima mater, quintum ſuſcepit gaudium. Exindeq; vna cum diſcipulis & mulieribus omnibus deſcendens, in domum illã venit in qua ipſe Ieſus filius cũ diſcipulis ſuis paſchalem cœnã celebrauerat. Domus autem ipſa iam Chriſti Ieſu & diſcipulorum eius tota facta fuerat. Nã ipſe dominus domus, vir vtiq; inſignis atq; bonus, cum ex parte Chriſti Ieſu ab apoſtolis accepiſſet, q̃ ibidem ipſe magiſter Ieſus Chriſtus, ſuum paſcha celebraturus eſſet ingenti lætitia, perbenigne & comiter retulit, vnde & mox hilari admodum vultu, En inquit, quæ ad paſcha veſtrum congruunt, ſplendide præparata, vaſa videlicet egregia, epulæ magnificæ, odoramenta, & alia multa quęcũq; neceſſaria, vos igitur veſtrum paſcha ritusq; explete, Deinceps conſtitui vt ipſa domus tota ſit poteſtatis veſtrę, agite de ipſa vt lubet. ¶Sunt qui dicant apparatum hunc regalem fuiſſe, Herodi dicatum, a Galilæa in Hieroſolymam ad Iudæorum ſolennitatem venturo, ea ſtrata magnifica præparata. ¶Catinuſq; ille quo nullus in mũdo lapis pretioſior inuenitur, quo Genuenſes ſeſe fœliciores eſſe gloriantur omnibus populis, in quo Agnus paſchalis repoſitus fuerat, creditus eſt. Eo equidẽ Genuẽſes ipſi nihil pretioſus nihilq; clarius habent. ¶In ea itaq; domo cũ decem dies beatiſſima virgo vna cum ipſis omnibus in continua oratione perſtitiſſent, decimo die, ſpiritus ſanctus ſupra cunctorũ capita in linguis igneis deſcendit. pro quo tam ipſa q̃ cæteri repente omnium ſcientiarum & linguarum intelligentiam percepere, pro qua eis nulla gens extranea, nec vlla lingua barbarica inaceſſa videretur & inuia. Diſceſſuri itaq; abinuicem apoſtoli & cæteri omnes, de conſilio beatiſſimę dei genitricis ipſius, normam ſibi prius futuræ prædicationis in commune conſtituerunt, ne forte alij poſtmodum abducti, diuerſum aliquid his quæ ad fidẽ eius filij domini noſtri Ieſu Chriſti imitabãtur exponerent. Omnes igitur vna cum beatiſſima matre in vno poſiti, etiã ſpiritu ſancto repleti, breue prædicationis

Quartũ gaudium.

Quintum beatiſſimę virginis gaudium.

Nota de catino Genuẽſium.

indicium in vnum conferendo,quod vnusquisq; ſentiebat, compoſuerunt.atq; hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuerunt, quam Symbolum, multis ex cauſis & quidem iuſtiſſimis,appellari voluerunt. Nam Symbolum græce, indiciũ a nobis & collatio dici poteſt,hoc eſt quod plures in vnum conferunt. Id enim beatiſſima virgo,his ſermonibus facere conſuluit,in vnum conferendo, quod vnusquiſq; duodecim apoſtolorum,ſenſiſſet. Indicium autem vel ſignũ idcirco dicitur,quia præuidebat multos inſurgere hæreticos,qui ſimularent ſe eſſe Chriſti apoſtolos,nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris traditionum huiuſmodi lineis, nunciarent. ¶Et idcirco hoc ſignũ ponere iuſſit, per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum eius filiũ verum vtiq; dei filium,vere ſecũdum has apoſtolicas regulas prædicaret. ¶Diſceſſuri igitur ad prędicãdum iſtud vnanimitatis & verę fidei Symbolum apoſtoli a beatiſſima virgine dei genitrice benedictione accepta,vnuſquiſq; cum gaudio,repleti ſpiritu ſancto,ad loca inter ſeſe diuiſa acceſſit. ¶Quæ res ſextũ gaudium beatiſſimæ virgini fuit,cũ ipſa denuo cum ipſis diſcipulis ſpiritu ſancto repleta,hæc omnia conſpexiſſet mirabilia. ¶Inde poſtmodum diſcedens,in domum Ioannis apoſtoli Symoniſque Iuſti diuertit,& modo in hac, modo in alterius hoſpitabatur domo. Sextum gaudium.

¶Expletis vero omnibus,quæ de Chriſto ab angelis fuerant prędicata,a prophetis multifarie multiſq; modis præſignata,diuiniſq; oraculis declarata,virtutibus quoq; exhibita,& quæ humanitatis ſunt oſtenſa pręſagijs,ipſa virgo cum immenſo cruciaretur amore,ac deſiderio plurimo æſtuaret,iugiter cũcta reuoluere cœpit,quę videlicet audierat,viderat,& cognouerat nec quiſq̃ vnq̃ excogitare poſſet,quanto indesinenter,cremaretur ardore pii amoris, & quantis moueretur repleta ſpiritu ſancto ſecretorum cœleſtiũ incitamentis. Quia etſi diligebat Chriſtum ex toto corde,& ex tota anima,& ex tota virtute ſua, nouis tamen quotidie inflãmabatur præſentia abſens deſideriorum affectibus,tanto ſiquidem validius. quãto diuinis illuſtrabatur intus viſitationibus,quam totam repleuerat ſpiritus ſancti gratia,totam incenderat diuinus amor,ita vt in ea nihil eſſet,mundanus quod violaret affectus,ſed ardor continuus,& ebrietas profuſi amoris,Nam etſi Chriſtus eſt ab omnibus amãdus,ex toto corde,& ex tota virtute quęrendus,maxime tamen ab ea ardentius,cuius & dominus,& filius dilectiſſimus erat.vnde & præ nimio ardore, in loco quo ſepultus fuerat,ſæpius habitauit,quatenus ibidem pijs paſceretur internus amor obtutibus, Sic nãq; locus medius erat hinc inde conſtitutus,vt adire poſſet,aſcẽſionis eius veſtigia, & locum ſepulturæ ac reſurrectionis eiuſdem,ſeu omnia in quibus filius paſſus fuerat loca inuiſere. Non q; iam viuentem quęreret cum mortuis,ſed ſuis conſolaretur aſpectibus,Hoc quippe habet impatiẽs amor,vt quem deſiderat,ſemper ſe inuenire credat.vnde etiam beata virgo,q̃uis iã in ſpiritu eſſet,tamen dum in carne viuebat, carneis mouebatur ſenſibus. ¶Et ideo perſæpe prædictorum locorum,recreabatur viſitationibus,& quem genuerat corpore,mentis cõplectebatur amplexibus. Deniq; amor Chriſti,deſiderium ſibi pariebat deſiderio vero gliſcens,quaſi nouis iugiter rapiebatur ardoribus,intantum, vt non ſolum omnia,ſed etiam ſe ipſam tranſcenderit,quia omnino amor impatiens,quod amat, non poteſt non videre. ¶Hoc itaq; modo beatiſſima virgo ſexdecim annos cum habitu ſemper funebri & fuſco tanq̃ peregrina ſtetit. Eius autem veſtimenta huiuſmodi quæ pro filij morte induerat, adeo ſemper redolebant,vt nihil ſuauius vnq̃ quis adorauerit,ſed nec vnq̃ vel colorem,vel vllam attritionem ſint paſſa. Atq; ita beatiſſima virgo ad annos tres & ſexaginta ætatis,in omni vitæ perfectione & miraculorum gloria peruenit. Quo in tẽpore cũ ipſius filio,& domino noſtro Ieſu CHRISTO placuiſſet, ipſam ad ſe euocare, & ex huius caliginoſi ſeculi tenebris,ad gloriam ſuam cœleſtem eam traducere,cum ſatis exiſtimaret ipſam in fidei eius teſtimoniũ inter homines permanſiſſe, eidem angelum ſuum trãſmiſit,videlicet Gabrielem cum viridi palma pręfulgidũ, qui ipſi ſanctiſſimæ virgini poſt triduum mortis dormitionem denunciaret,atq; ip-

ſius in cœlum aſſumptionem certificaret. Qui cum ipſam in Symonis iuſti domum orantem comperiſſet, ea ex more prius ſalutata, dicendo, Aue Maria gratia plena, adiecit. Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius tuus, me hac cum palma, ad te matrē ſuam dilectiſſimam tranſmittit, vt tuam mortem adeſſe propinquam annunciem, videlicet poſt tres dies affuturam. Et in fidei huius ſignum, hanc palmam folijs virentem ad te dono miſit. Exaltaberis etenim ſuper choros angelorum omnium, materꝗ omnium viuentium, & mortuorum de cætero vocaberis, ac te beatiſſimā, atꝗ nimium felicem dicēt omnes generationes. Quibus expletis, palmam pulcherrimā ipſi reuerenter cōtradidit. Cui beatiſſima virgo, poſt gratias exhibitas reſpondit, ſe per omnia ad iuſſa filij ſui capeſſenda præparatam eſſe, verum magnopere optare, atq; id ab ipſo deo filio ſuo humiliter expoſtulabat, dignaretur eidem in hoc obtemperare, quatenus ipſius diſcipuli omnes ſuę dormitioni præſentes adeſſe cōcederet, cum & ipſa ea in hora humani generis hoſtē expaueſcere affirmaret. Cui per humane reſpondit angelus, Non ſolum tibi chariſſimæ genitrici aderunt diſcipuli omnes, ſed & ipſe Ieſus filius tuus cum omnibus angelorum choris præſentes aderunt, Quibus dictis e veſtigio angelus feſtinus ab ea diſceſſit. Hoc itaꝗ nūcio accepto beatiſſima virgo mortem ſuam propinquam imprimis omnibus domeſticis & affinibus ſuis nuncians, palmam pulcherrimā in huiuſmodi ſignum ac ſuæ illibatæ perpetuęꝗ virginitatis & fidei oſtendit, deinde cęteris notis & cōtribulis id innoteſcere voluit, Atꝗ ita die tertia ſe ipſam tanꝗ̄ ad ſponſum ſuum æternum itura, ſuis veſtimentis decenter & mirifice compoſuit. Cum vero iam ipſa mortis hora adeſſet propinqua, Ecce illico ingenti quodam miraculo, diſcipuli affuere omnes, Quibus beatiſſima virgo, poſt ingentes gratias deo relatas, retulit quod de propinqua ipſius morte ab angelo acceperat. Verūtamen ipſa primum non minus obſtupuit de eorum aduentu, q̄ poſtea lætata eſt, ꝙ eidem eueniſſet, ꝙ optauerat rogaueratꝗ. Ex quibus maximū ſibi gaudium afferebatur, tot diſcipulos intueri, cum quibus etiam ipſa viuendi fœlicitatē maximā cōparauerat. Poſtq̄ autem ſancti apoſtoli aduentum ſuū admiratione dignum animaduertiſſent, plurimas gratias deo, & ipſi beatiſſimæ virgini egerunt, ꝙ præſentibus ipſis diem ſuum obire elegiſſet. Paululum vero cum eiſdem ſanctis apoſtolis immorata, paululumꝗ laudibus præſtitis, auditiſꝗ geſſere ipſi ſupra lectulum quaſi dormitura aſcendit, vbi in meditatione rerum cœleſtium cum conſiſteret, ecce omnes angelorum chori cum IHESV CHRISTO eius filio inenarrabili ſplendore, ad eam deſcendere, quos cum vidiſſet ingenti gaudio mox repleta eſt. Tunc dominus ipſe Ieſus Chriſtus totus feſtiuus, ad eandē conuerſus, clara voce ſerio dixit. Veni de Libano mater veni, veni inꝗ ad cœleſtem gloriā tibi a patre meo præparatam atꝗ decretam, Vbi & corona perpetua ac gaudio incredibili & ſempiterno decoraberis atꝗ frueris. Ipſa quippe verba Ieſu Chriſto proſequente, & ipſa oculos claudens, parua occaſione tempori adhibita, animam ſanctiſſimam ipſi deo filio ſuo Ieſu Chriſto reddidit immaculatam, quā diuinis manibus ipſe Ieſus ſuſcipiens, mandauit apoſtolis ſuis, Vt ſanctiſſimum corpus, in valle Ioſaphath ſepelirent ipſumꝗ ad triduum vſꝗ omni adhibita cuſtodia obſeruarent, quoniam ipſum omnino reſuſcitare decernebat atꝗ glorificatum, in cœlum afferre volebat, Ad eam itaꝗ dominus Ieſus Chriſtus tanta cum gloria, & inenarrabili ſplendore, nec nō & cantuum incomprehenſibilis melodiæ aduenit. Vt & apoſtolorum ſanctiſſimū collegium, cæteriꝗ omnes, qui eiuſdem virginis lecto aſtabant, præ nimio gaudio, ex cœleſti illa ſuauitate atꝗ iocunditate, in ſuauiſſimam, immo pene diuinam ectaſim conuerterentur. ℂ Deinde haud multo poſt in ſe reuerſi, ſubito conſpiciunt glorioſiſſimam, intemeratamꝗ dei matrem virginem Mariā, humanis iam exceſſiſſe rebus. Et nihilominus cunctis videbatur ſomnum carpere ſuauiſſimum, Quod tametſi emortua quieſceret, attamen erat facie candidiſſima, labijſꝗ decentiſſime, ſicut roſæ purpureæ. Dum vero apoſtoli omnes & cęteri qui ſanctiſſimo funeri aſtabant, mi-

raculi inſoliti ſpeciem concernentes, extemplo in terram humiliter proſtrati beatiſſimum corpus adorarunt, & lachrymis ac ſanctis gemitibus quo magis poterant exequijs obſecundabant. ¶Tunc Simō Petrus, qui inter apoſtolos, & authoritate & vocis magnitudine omnes anteibat, huiuſmodi præconium de ipſa glorioſiſſima dei genitrice omniumq́ Chriſti diſcipulorum parente Maria in orationis modum diuulgare cœpit, dicens. ¶Vos omnes qui aſtatis dilectiſſimi condiſcipuli in primis hortor ac cōmoneo, vnanimiter in ſchola magiſtri & domini noſtri Ieſu Chriſti permaneatis, donec & ipſi in gaudia ęternę beatitudinis intrare poſſitis, quo beatiſſima mater noſtra virgo hodie tam feliciter introiuit, alternantibus hymnidicis angelorum choris, intra paſcua videlicet æternæ viriditatis. Vbi eſt dulcis ſolēnitas angelorum ac ſupernorum ciuiū. Hodie dilectiſſimi mei glorioſiſſima mater noſtra cœlos aſcendit, rogo nolite triſtari ſed gaudete, quia ineffabiliter ſublimata, cum ſuo filio magiſtroq́ noſtro Ieſu Chriſto inæternum eſt regnatura. Regina noſtra immo totius iam mundi, hodie de terris & de hoc præſenti ſeculo nequā erepta eſt, Idcirco dico gaudete, quia iā iā de ſua immarceſſibili gloria ſecura, ad cœli cum filio ſuo dilectiſſimo peruenit palatium. Exultate inquam atq́ gaudete, & omnis omnino lætetur orbis, qui nobis eius interuenientibus meritis ſalus magis ac magis augebitur, Idcirco dilectiſſimi omnes lætemur & laudemus eam, quia ſi deum prophetico ore in ſanctis eius laudare iubemur, multo magis, in hac fœliciſſima fauſtaq́ dormitione beatiſſimæ matris ipſius atq́ noſtræ oportet nos lachrymas in primis deponere, ac cum ſuauiſſimis cāticis diligentiſſime eā extollere, atq́ dignis iubilare præconijs. ¶Ex quo chariſſimi ac præſtantiſſimi patres cæteriq́ omnes vos magnopere deprecor, quāuis nec noſtra ſanctitas vel facundia ſuppeditet, vt ipſam dei ac domini noſtri Ieſu Chriſti matrem digne laudare queamus, quoniam quicquid humanis dici poteſt verbis, minus ſit a laude ipſius, quia vt oculis videre potuiſtis, diuinis & angelicis eſt excellentius laudata & prædicata præconijs ab angelo, videlicet pluries venerabiliter & officioſiſſime ſalutata, a prophetis prænunciata, a ſanctis patriarchis, figuris & ænigmatibus pręſignata, atq́ etiam a nobis indignis Apoſtolis omnibus vbiq́ terrarū iam exhibita & monſtrata. Hanc tamen quantum in nobis fas eſt, pro modulo paruitatis noſtræ veneremur, ac quibus poſſumus laudibus proſequamur. Quia vt liquido animaduertere & videre poſſumus, Dedit cœlis gloriam, terris pacem, gentibus, immo vniuerſo mundo refudit fidem, finemq́ vitijs, & vitæ ordinem ac optimis moribus diſciplinam. Quæ cum in carne præter carnem viueret, tota in ſe gratiæ plenitudo ſimul infudit. Et q̄q̄ ad huiuſmodi laudes idoneum minime me animaduertā nec quod ſentio explere queā, votis tamen omnibus ab eiuſdem laudibus non ceſſabo, & propterea quia iter ſalutis cuiuſcūq́ in laudibus in primis conſiſtit ſaluatoris, hortor vos, ac in domino Ieſu cōmoneo, in hac præſentis diei (vt ita loquar) ſolennitate a laudibus tantæ virginis nolite ceſſare, Ipſam quidem virginem deus virginitatis & caſtitatis amator, ideo elegit, vt ipſa nobis quoq́ eſſet caſtitatis exemplum, quę ſemper quoad vixit, qua ſe ſpeculo refulſit omnis forma virtutis, Habuimus inquit in ea magiſteria omnis probitatis expreſſa. Quid primū eligere, quidvé reſpuere, quidq́ ſequi debeamus. ¶Prima eius virtus fuit omnium virtutum fundamentum & cuſtos humilitas ipſa de qua gloriabatur mater noſtra, Quia reſpexit inquit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ergo præmiū diſcendi incitamētum, nobilitas eſt magiſtri, Deinde merces laboris, optimi fructus beatitudinis. ¶Et ideo chariſſimi mei, ſi talis ac tanta mater vobis vnq̄ placuit, placeat & virtutis opus, cuius vita, exēplum eſt, diſciplina cuius, mores, decreto erunt optima inſtituta eccleſiarū, quæ cunctos præcellit, & ſupereminet vniuerſis. Ea propter quicunq́ noſtrum, ſibi ab ea optat aliquod auxilium, oportet imitari exemplū. Et idcirco chariſſimi mei maiorem in modum rogo nolite contriſtari nec turbetur cor veſtrum, ſed vna gaudeamus, gaudeamus inquam, quia nobis via nunc cœlorum

eſt patefacta. Quod licet de hoc mundo ſcimus, fauente tamen deo & domino no=
ſtro Ieſu Chriſto, iam amplius in hoc mundo ſumus, quia etſi ſeculū aliquando nos
habere meruit. tenere tamē ōnino nō potuit. Beata igitur mater domini noſtri Ma=
ria, deinceps nō ſolum a nobis filijs ſuis, ſed ab omnibus gentibus propter ipſius in=
gentes virtutes & crebra miracula longe lateꝗ prædicabitur, & cunctis qui ſecuti fue
rint tantę virginis exemplum, tandem cœleſtis beatitudo indubitato cōdonabitur.
Quia ſola eſt quæ poſt deum omnes in virtute confirmabit, ſuis quoꝗ qui eidem ſe
cōmendauerit meritis atꝗ precibus indubitato adiuuabitur. ¶Super excellunt nē=
pe vniuerſa inquit diuus apoſtolus Petrus quæ de illa nobis dicta ſunt. quia diuina
atꝗ ineffabilia ſunt ꝙ deum ex ſe carne factum, ipſa beatiſſima &glorioſiſſima vir
go genuerit. Hic igitur Chariſſimi omnes, quæcūꝗ quærimus omnia affatim ſunt.
In illa poſt deum dirigamus mentem noſtram, vt cum Chriſtus eius filius in fine ſe=
culorum apparuerit, cum ipſo & nos appareamus in gloria, Amen, Aderant autem
ad eius exequias famulaturi ſancti angeli, cum vniuerſa cœlorum curia, qui feſtiua
ſpondebant obſequia, Nec mirum (vt diuus inquit Hieronymus) quia honor mater=
nus eius erat, qui ex ea natus eſt, quem omnis cœlorum ordo veneratur & ipſe filius
aderat ſuper ſe eleuatus, cum patre in ſede maieſtatis domini, vt ipſius ſanctiſſimam
animam, primum vſꝗ ad thronum maieſtatis dei, cum hymnis & laudibus afferent,
Vnde mox ſuauiſſimus odor niſi paradiſi tantus emanauit, vt ex eo ſanctæ mulieres
quæ aderant excitatæ, in pientiſſimum planctum omnes prorumperent. ¶Maxima
deinde veneratione ſeſe ad componendum ſanctiſſimum corpus in loculoꝗ collocā=
dūm ornatiſſime, quo magis poterant ſtudio & deuotione accinxerūt. ¶Sicꝗ demū
decentiſſime in eodem collocatum, ſimul ſanctæ mulieres & apoſtolorum atꝗ alio=
rum plurimorum chorus Ioāne euangeliſta a beato Petro cū palma diuinitus miſſa
præmiſſo comitantibus ſanctis angelis delecti iuuenes feretrum ſubiere, ſicꝗ pom=
pa quaſi cœleſti ad ſepulchrum detulerūt. antequā ſancti illi apoſtoli & alij nonnul
li cōcinne in pſalmis & hymnis cantantes, adeo mirabili modulatione, vt ex reſonā
tia ſuorum cantuum & ſonora iubilatione, vniuerſa ferme Hieroſolymorum ciui=
tas in admirationem fuerit conuerſa, Atꝗ plurimi vndiꝗ ad id ſpectaculum conflue
rent. plurimi vero Iudæorum iniqui & peſtilentes, aduertentes ac cognoſcentes, ꝙ
corpus illius, quæ Ieſum Chriſtum genuerat, qui ſe dei filium apud ſectatores ſuos
effecerat efferretur, non minime turbati, magno cum furore atꝗ inſania in ipſos ir=
ruere, vt corpori ſancto defunctæ iniuriā inferrent, ipſos quoꝗ apoſtolos ab exequia=
rum officio diſturbarent cogitantes apud ſemetipſos, ac conſpirantes atꝗ dicentes.
Si hæc permittimus, futurum eſt vt ex ſecta hac, nobis maximum ſcandalum, & non
modica ruina ſuboriatur. Sicꝗ inter ſe adinuicem tumultuantes, maximum ſciſma
& grandis confuſio ſurrexit. Quod dum ſic intra ſeſe debaccharentur, Ecce vnus ex
eis ſacerdos cæteris audacior & inſolentior, quodam rabido furore incēſus, cucurrit,
vt ſacrilegam manum ſancto feretro iniiceret, vtꝗ ipſum protinus ſubuerteret. Qui
dum manum loculo admouit, illico diuino iudicio, ipſa eius manus infauſta feretro
adhæſit, magno in eo quidem tormento & cruciatu illato, verum protinus ad pœni=
tentiam ex magnitudine facinoris conuerſus, Apoſtolorum auxilium implorare &
expetere cum lachrymis cœpit, vt ſui ipſius dignarentur miſereri, proꝗ ſe deum de=
precarentur, Cui cum ſancti apoſtoli dixiſſent, ſi tuæ ſanitatis beneficium aſſequi
peroptas, te vtiꝗ oportet credere, dominum noſtrum Ieſum. Chriſtum veriſſime in
primis fore dei omnipotentis filium, in vtero quoꝗ huius virginis defunctæ de ſpiri
tu ſancto incarnatum, ex ea pręterea natum, ipſa virgine vtiꝗ permanente, aliter nul
lo pacto te poſſe ſanitatis beneficium aſſequi, At vbi primum dixit. Credo, ſimulꝗ
corpore virginis adorato, confeſtim priſtinam ſanitatem conſecutus eſt. ¶Ad ſuos
deinde Iudæos reuerſus, & miraculum, & rei ordinem, ac diſcriminis cauſam quod
ei acciderat, eiſdem enarrauit, omnibusꝗ ſuaſit, vt & ipſi quoꝗ, in dominum Ieſum

CHRISTVM omnino credere vellent,atq; in ipſam ſuam ſanctiſſimam parētem ſemper virginem illibatam Mariam,Quam ob rem omnis illa turba mox credidit. Apoſtoli autē ſanctiſſimi reliquiq; omnes diſcipuli atq; mulieres,in vallē Ioſaphath tandem peruenientes,admirandum illud atq; ſanctiſſimum corpus,ibidem in monumento nouo venerabiliter ſepeliere, Ea quippe vallis inter montē Sion,ac mōtem Oliueti eſt poſita,vbi & poſtmodum a fidelibus Chriſticolis fabricata fuit eccleſia, miro lapide vndiq; tabulata. ¶Poſtea vero q̄ ſanctiſſimum corpus ſepulturæ, omni impenſo officio (vtpote matri ſaluatoris) apoſtoli dederunt,ibidem circa mauſolęū per triduum orationi tantum inſiſtentes,reſurrectionem eius ſimul & aſſumptionem præſtolabantur. ¶Vbi & poſt trium dierum ſpatium, venit iterato dominus noſter IESVS CHRISTVS feſtiuus totus cum ſuis agminibus angelorum, & maxima beatorum ſpirituum pompa, intra nebulam cryſtallini coloris fulgentiſſimam, quæ quidem totum matris cooperuit monumentum. Cuius tantus erat ſplendor,vt neq; apoſtolorum quidem,neq; ſanctarum mulierum acies, eam aliquo modo ſuſtinere poſſet. Tunc ipſe dominus IHESVS de monumento lapidem tollens, matrē ſuam dulciſſimam ex mortuis reuocans,iterum ſanctam eius animam corpori adiunxit illamq; omnino reſuſcitauit. Eidemq; hæc verba iucundiſſima dicens, veni regina cœlorum & angelorum,veni intemerata mater mea,veni columba mea, immaculata mea veni.iam enim hyems tranſijt & receſſit,veni inquā poſſidere regnū patris mei,atq; immortali illa perfrui beatitudine,Atq; cū eſſet multis & maximis meritorum virtutibus dealbata,ac ſpiritus ſancti muneribus decorata,adiecit. Veni de Libano ſponſa dei,veni coronaberis. Ad hanc itaq; vocem beatiſſima virgo mox conſurrexit,& extemplo diuino iuſſu ſuper choros angelorum cum ingenti pompa atq; triumpho,quintadecima die Auguſti,ętatis vero ſuę ſexageſimo tertio anno,in corpore & anima mirabiliter eſt aſſumpta, Quo quidem die,vniuerſi Chriſticolę eidē maximum ſacrificium & ſolennitatem tribuunt. Aſſumpta inquam fuit, vt iugiter viueret & frueretur,ſpecie & vultu vnigeniti filij ſui ſaluatoris noſtri, quem ſemper amauerat,ac ex toto ſui cordis deſiderio,ſemper concupierat. Quod ſi gaudium in cœlo eſt de quolibet peccatore conuerſo,multo magis putandum pro tantæ virginis exaltatione atq; gloria,q; in ſupernis incomparabilis fiat exultatio atq; tripudium. Cuius nimirum exultatio & feſtiuitas, omnium ſupernorum ciuium eſt etiam gratulatio,præſertim quia ipſius celebritas eſt,& laus & fauor ſaluatoris. Quoniā quicquid in ea geſtum fuit,totum equidem puritas & ſimplicitas,totumq; veritas & gratia,totum deniq; miſericordia & iuſtitia,quæ vtiq; in ea de cœlo proſpexit. Tantus nāq; circa huiuſmodi beatiſſimę virginis Marię aſſumptionē fuit ordo,diſpoſitioq; pulcherrima,omnium videlicet cœleſtium ſpirituū,q; lingua humana minime explicare poſſet. Ceſſere eidem in primis cœleſtes throni,ceſſere poteſtates virtuteſq; beatæ,ceſſere Cherubim,ceſſere & Seraphim, atq; cæteri omnes angeli, qui tametſi natura excelſiores fuerint & ſemper futuri ſint, in mortali tamen aſſumpti corporis, eorū gloriam omnem,eorūq; fulgorem,beatiſſima virgo pręcelluit. Nemo eorū ſpirituum niſi cādidiſſimis fulgentibuſq; veſtimētis eidē occurrit. Hoc itaq; modo beatiſſimā iam cœlorum reginā,ſancti angeli dei in cœlū deduxerūt. ¶Et primo quidē, in fronte prima affuere ſancti angeli,cādidiſſimis induti veſtibus,auro intextis,& gēmis fulgētibus,quē ſinguli cū cytharis,& organis,atq; alijs prope infinitis inſtrumentorum cāticis perſonabant, Secūdo loco archangeli incedebāt albis induti veſtibus, auro argentoq; diſtinctis,alijs atq; aliis coloribus perornati, Veluti Smaragdini, miro quodāmodo canentes,ac ineffabili quadam arte & lyrarū cantu tibiarumq; dulciſſime perſonantes. ¶Poſt hos ſubſequebātur etiam Virtutes & ipſi veluti ſolis radiis amicti,roſas vernantes in manibus portantes,qui ſolūmodo variorum modulatione

canticorum permulcentes, mirifice perſonabant. His autem principatus adiungebā=tur, tanta incedentes grauitate, & maiore quadam reuerentia, coruſcantes ſolaribus æque radijs, ſtellas pręfulgidas in capite geſtantes, cymbalis & tinnitibus argentinis perſtrepentibus in harmoniā proprie dei dignam auditu. ℭDominationes dehinc procedebant viridati, cum cœleſti colore certantes, radiantibus cum ſtellis, canentes ſimul in organis & alijs ſuauiſſimis cantilenis, ad efferendas mirificas ſanctiſſimæ virginis laudes. Hos autem prope & Poteſtates aſſociati applaudebant, cœleſti quidem colore mirifice decorati, cantantes & ipſi vna, cum pſalteriis tibiis, & ſiſtris, reſonantiam quandam concinentes laudes cumulabant. His prædictis iam Cherubim prodibant, Ignita plane & fulgida mirum in modum acies, pariter quoqꝫ & Seraphim veſtibus nimirum purpureis auro ſplendidiſſimis, comis per colla ſparſis auro radiantibus, agilia & elegantia præter humanum ſenſum & intellectum, nimiū certe ſplendida atqꝫ ſpectabilia. ſi humanus fuiſſet eorum aſpectus, & ipſi cantantia laudes ineffabiles, incomprehenſibilis harmoniæ, vt vox dei æterni, pro huiuſmodi exequijs imperatricis & matris vnigeniti filii dei diceretur. Cæterum ipſa eademqꝫ glorioſiſſima regina triumphatrix in throno omni lapide peronatiſſimo ſedens, cœleſtibus quidem margaritis & gemmis atqꝫ fulgoribus coruſcans, lunam tenebat ſub pedibus ſuis, cui paranimphus eius archangelus Gabriel antecedens, palmam inſignem in manibus geſtabat, Apud quam plane deducendam & ipſe ſaluator, omniumqꝫ plaſmator IESVS CHRISTVS ex ea incarnatus eſt natus, tanq̄ princeps & rex regum totus feſtiuus & lætus pariter aſcendebat author ſcilicet, & gloria, atqꝫ ornamentum illius triumphi. ℭSedēs vero ipſa in curru, triumphali, mirabilis equidem ac eximiæ pulchritudinis, atqꝫ ineſtimabilis fulgoris quem nō niſi Michael archangelus optimus auriga deducebat. Sanctis vndiqꝫ angelorum agminibus circunſedentibus ac mirifice canentibus in omnium (vt præmiſſum eſt) muſicorum generibus atqꝫ applauſibus diuinis. atqꝫ omnibus beatorum ſpirituum choris lætantibus in iubilis & exultationibus, & varijs modulantium vocibus, qui omnium aures demulcere potuiſſent. Sicque hoc modo beatiſſima virgo dei ac domini noſtri IESV CHRISTI mater, omniumqꝫ mortalium aduocata ad immortale regnum eſt euecta, & vſqꝫ ad throni celſitudinem eſt ſublimata, vbi poſt CHRISTVM glorioſiſſima reſedit. ℭQuod ad huiuſmodi confirmationem confidenter vbique noſtra ſancta de ea canit eccleſia, quod de nullo alio ſanctorum fas eſt credere, vt vltra angelorum vel archangelorum merita tranſcenderit. Hoc quippe ſpeciale priuilegium beatiſſimæ virginis huius non naturæ equidem fuit, ſed gratiæ, de qua naſci voluit ipſe deus & homo, Idcirco (vt diuus refert Hieronymus) & ipſa plus fuit & eſt meritis & nō natura, q̄ virgo & homo, Aſcenderat enim CHRISTVS in cœlum, gloriam ſuam reſumpturus, vt etiam huic ſuæ ſanctiſſimæ genitrici virgini immortalitatis locum præpararet, vt cum eo poſtmodum in perpetuum regnare poſſet. Et hæc eſt celeberrima omnium ſanctorum feſtiuitas, in qua mater noſtra tandem glorioſa & felix ad æthereum peruenit thalamum, Quæ ſicuti ipſi beatæ virgini incomparabilis eſt, etiam admiranda omnibus ſpiritibus certe extitit. Propter quod, ex perſona eorundem ſpirituum, ſpiritus ſanctus admirans, ait in Canticorum capite tertio. Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij. ℭSanctus vero Thomas apoſtolus, cum diuina ſic diſpenſante prouidentia nec migrationi e corpore, nec ſuſcitationi, nec poſtremo aſſumptionis ſanctiſſimæ matris MARIAE interfuiſſet, quod per Iudæam prædicatione occupatus eſſet, in ipſa quidem hora aſſumptionis ſubito raptus eſt, atque in montem Olineti extitit deportatus, vbi eleuatus in cœlum oculis, confeſtim cernit glorioſiſſi=

mam domini noſtri IESV CHRISTI matrem triumphali admodum pompa cœlum ſcandere, Cui poſt gratiarum actiones tā ipſi beatæ virgini q̄ deo factas ab eadem glorioſiſſima virgine aliquod ſignum ſibi impartiri depoſcit. quo poſtmodū, & ipſe cunctis mundi mortalibus, auderet huiuſmodi aſſumptionem ſuam libera frō te prædicare. Cuius precibus beatiſſima virgo permota, eidem ſuum ſericum cingulum quo eam ſanctæ illæ mulieres poſt ipſius emigrationem cinxerant ſoluens, apoſtolo ipſi Thomæ benigniſſime elargita eſt. ℭQui ſtatim e monte lætus deſcendēs, ad alios ſanctos apoſtolos & fideles concitus peruenit. Quibus & narrauit, quomodo glorioſiſſimam ſaluatoris ſui matrem, ad paradiſi gaudia vidiſſet aſcendere, comitatam innumerabilibus angelorum agminibus. Et vt ea res facilius crederetur, cingulum ſeu zonam ſibi ab eadem condonatum, protinus obtulit viſendum, Quod dum omnes cognouiſſent monumentum extemplo aperuerunt, introſpicienteſq; ſi forte ſanctum corpus inuenirent, nihil equidem niſi ſuauiſſimos odores ex eo perceperunt. Dumque iterum atq; iterum ſolicite exquirerent, comperiunt mauſolęum omnino vacuum, ex quo corpus illius mirificum a mortalibus nuſq̄ amplius compertum eſt, ac ſic tantæ imperatricis aſſumptio longe lateq; ab ipſis apoſtolis aliiſq; diſcipulis clarificata & diuulgata eſt, Cum ſubito etiam ipſi ſanctiſſimi apoſtoli, virtute ſpiritus ſancti, ad eadem loca in quibus antea prædicabant, miro modo fuerunt reſtituti. zona autem ipſa in rei teſtimonium apud beatiſſimum Thomam apoſtolum quoad vixit in pretio fuit, cum qua etiam incredibilia miracula fecit. Quo tempore vel a quibus ipſa zona beatæ virginis ad Italos fuerit delata, nullibi compertum habemus. verum nūc Pratum inſigne & ſpatioſum ac ſpecioſum Thuſciæ oppidum eadem claret zona, & illam incredibili veneratur religione, ac colitur fide, eaq; ſi aliquid ab ipſis implorandum ſit, oppidum accolæ ſuppliciter luſtrant. Ea equidem ipſi Pratenſes ſe feliciores cæteris putāt, quo aliis in hoc preeminent. ℭTali igitur ac tanto triumpho dominus noſter IESVS CHRISTVS ſuam glorioſiſſimam matrem ad ſyderea regna perduxit. Vbi perfrui æterna immortalitate & patris & filij, ac ſpiritus ſancti beatiſſima viſione valeat, tranſcendenſque cunctos cœlos, poſtremo ad imperium glorioſa peruenit, quod e veſtigio latiſſime patuit. Vbi etiam eidem ſtatim tam immenſum lumen apparuit, atq; ſanctorum omnium ſplendor, necnon & gaudium exultantium ſpirituum: & id quidem tantum, vt nec lingua, nec mens, neq; humanus intellectus capere ſufficeret. Ibi quoq; ab ipſo filio domino noſtro IESV CHRISTO ineffabili gaudio incredibiliter affecta, iocundiſſime patri luminum eſt præſentata, Qui eam hilariter excipiens, omnibus electis in commune exultantibus, ipſam in præcipuam angelorum reginam coronauit, & vt preeſſet etiam cœlis mari & terræ decreuit, Et tunc quidem ab omnibus in commune illud ſuaue canticum, cantari cœptum eſt. Regina cœli lætare Alleluia, quia quem meruiſti portare Alleluia, reſurrexit ſicut dixit Alleluia. Fuitq; hoc eius ſeptimum gaudium extremum quidem, & omnium pleniſſimum. Quod etiam paradiſi ſingulare extitit tripudium, & id quidem ex ſex & viginti præſertim prærogatiuis. Quibus ipſa beata virgo digniſſime fuerat prædita & culta, vnde etiam feliciſſimam reportat palmam, Inſignia igitur prima ſuæ ſingularis honorificentiæ, hæc extitere, videlicet, Quod ex regali ſtirpe fuerit orta, decus deinde diuinæ pulchritudinis, morum elegantia, Sapientia, maxima & fœcunditas, Item & a prudentia extitit cōmendabilis, de hinc a iuſtitia, a fortitudine, a temperantia, a magnificentia, ac a liberalitate. præſtabat iterum inſignibus ſanctitatis maximæ, humilitatis, manſuetudinis, clementiæ, miſericordiæ, charitatis, fidei, atque ſpei. Rurſumque in domino gloriabatur, propter illibatam virginitatem & pudicitiam, propter religionem & gratiam atque beatitudinem in omnibus gaudiis & gloria, Quæ in vnum omnes & ſingulæ hæ virtutes, eidem glorioſiſſimæ virgini ad tantum decoris & gaudij acceſſere cumulum, inter ipſa paradiſi amœna, vt fuerit quid equi-

Gaudium vltimum beatę virginis.

dem mirabile dictu, in cœlo præſertim in omnibus ſanctis atq; dei beatis in hanc vſq; diem. ¶Prędicemus itaq; chariſſimi omnes, ac toto cordis ardore magnificemus cōſummatiſſimam, & admirandam totis ſeculis vitam glorioſiſſimæ ac ſuperexcellentiſſimæ matris dei Marię, quæ vere virgo & martyr fuit, q̄uis in pace vitam finierit. Nam in ea paſſa fuit parte, quæ impaſſibilis eſt, & idcirco pluſq̄ martyr habita fuit. Conſtat enim eam deum plus omnibus dilexiſſe, propterea plus doluiſſe, intātum vt doloris vis paſſionis Ieſu Chriſti, eius totam pertranſierit animam, & quia mente paſſa eſt pluſq̄ martyr etiam ab omnibus exiſtimata eſt. Sicut militans eccleſia anniuerſarios triumphos, dieſq; lętiſſimos, de vno quocunq; vitæ ipſius actu, diuinis in officijs, agit ſuis temporibus frequentem memoriam, quę cœlos gloria, & orbem terrarum vniuerſum gaudio ſemper compleat. cuius quidem ducta cōmemorataq; felicitas, magnos ad palmam & ſanctimoniam, ac generoſos excitet animos, Vt & ipſi de ea in orationibus & obſecrationibus ſimus benemeriti, ac tandem poſt huius vitæ conſummationem, eam videre & contemplari poſſimus, Quibus poſt q̄ noſtris demeritis eam hac in vita videre non contigit, Vt vel ſaltem eius integritatem & cōſummatiſſimos actus conſiderantes, tum oculorum, tum aurium ac linguæ cæterorumq; geſtuum quorum cogitatio ſolum paradiſi pars eſt atq; eius odore & ſanctiſſima fama necnon & mirificis exemplis, ſic componamus & nos & noſtras actiones, noſtros ſermones, noſtros deniq; cogitatus, vt in fine vitæ noſtræ ipſam beatiſſimam matrem, ſuperexaltatam, cū omnibus angelis ſanctis ſpiritibus vna videre poſſimus, Quod quia præſtare vel aſſequi ipſi non facile poſſumus, tu paſſim tuos adiuua fideles atq; deuotos, tua veſtigia ſequentes pientiſſima parens Maria, Cum ſis principium virtute potens & pacis amatrix, Ac patriæ cœleſtis honos, & gloria mundi. ¶Demum hoc in loco cum Alano doctore præſtantiſſimo, atq; huius ſanctiſſimæ ac intemeratæ virginis deuotiſſimo Alumno, ardor ſpiritus cunctis fidelibus hæc dicere me cogit.

Hæc eſt ſtella maris: vitę via, porta ſalutis,
Regula iuſtitiæ: limes pietatis, origo
Virtutis, veniæ mater: thalamuſq; pudoris,
Hortus concluſus: fons conſignatus, oliua
Fructificans: cedrus redolens, paradiſus amœnus:
Virgula pigmenti, vinaria cella: liquore
Prædita cœleſti, nectar cœleſte propinans:
Neſcia ſpineti florens roſa, neſcia culpæ
Gratia, fons expers limi: lux nubila pellens.
Spes miſeris: medicina reis, tutela beatis:
Proſcriptis reditus, erranti ſemita: cæcis
Lumen, deiectis requies: recreatio feſſis,
Hæc primos caſus, primæq; parentis iniquam
Abſterſit maculam, vincens virtute reatum:
Diruta reſtituens, reddens ablata: rependens
Perdita, reſtaurans amiſſa: fugata repenſans,
Poſt veſpertinos gemitus, noua gaudia donans:
Poſt mortis tenebras, vitæ nouitate relucens.
Cuius ad aduentum redit ætas aurea mundo:
Poſt facinus pietas, poſt culpam gratia: virtus
Poſt vitium: pax poſt odium, poſt triſte iocoſum:
Vt roſa ſpineti compenſat flore rigorem,
Vt dulcore ſuo, fructu, radicis amarę
Ramus adoptiuus redimit, ſic crimina matris
Iſta luit: matremq; facit, ſua nata renaſci,

Vt ſic munda, ream: corruptam, virgo: pudica
Effrontem: miſeram, felix: humiliſq;, ſuperbam
Abluat, & vitæ pariat ſua filia matrem. ¶Ergo, & ſerui tui iuſta precãtis
Exaudi regina preces, quem criminis acti
Pœnitet, & ſcelerum terrent monumenta ſuorum.
Iamq; animam commendo tibi cum corpore virgo
Intemerata meam, vera probitate carentem.

¶De Eua prima omnium parente. CAP. II.

Eva prima omnium parens, anno ante Chriſti domini noſtri natiuitatẽ nonageſimo nono ſupra centeſimũ quinq; miliũ, non in hac miſeriarum valle, vti omnes mortales ad laborem naſcuntur producta fuit, neq; eodem malleo, aut incude fabrefacta, neq; etiã eiulans, vel inualida venit in mundũ, ſed vt ſacra libri Geneſeos habet hiſtoria, cum deus ipſe omnium plaſmator faber optimus Adã protoplaſtũ ex limo terræ formaſſet in agro Damaſceno, illũq; in hortũ delitiarũ tranſtuliſſet, mox hãc ex latere ipſius Adę dormiẽtis, artificio quodã ſibi tãtum cognito, eduxit in lucẽ, eandẽq; perfectã & ſapientiſſimã, atq; maturã viro, & ſui factoris lętabundam & viſu pulcherrimã, immortalem quoq;, & rerum omniũ dominam, atq; vigilantis viri iã ſociam, quam cum cõſpexiſſet, Euã mox eam appellauit. ¶Neq; enim ſi ſtatum huius mulieris contẽplemur, cuiq̃ naſcẽti vnq̃ maius aut ſplendidius Euæ contigiſſe cõpertum eſt. Quoniam præſtantiorẽ eam cæteris animantibus eduxit, dum ad ſui imaginem deus informatam effinxit. Fuit equidem, vt arbitrari perpulchre poſſumus, corporea formoſitate admirabilis, quia dei & opera ſemper perfectiſſima ſunt, & ideo futuras omnes mulieres eam exceſſiſſe omnino credendum eſt. Quid enim eius ſtatu præclarius, quidq; ſublimius animaduertere poſſumus? Quid tam diligẽter in membris digeſtum, aut decore per articulos inflexum? Quid tam ſublimiter in ora oculoſq; erectum, vel tam vocaliter in verba modulatum? Quid tam velociter animatum? Quid in ſenſu diutius, aut in cogitatione ſecretius? Quid in ſermone effuſius vel ingenio fortius? Quid in diſpoſitione inſtructius, vel memoria tenacius, aut in cogitatu deniq; ſublimius? ¶Vt ex his euidenter appareret ꝙ illam parentem noſtram cum protoplaſto noſtro deus in omnibus dignitatibus venuſtare voluiſſet. Immo & ſtatu filij ſui domini noſtri Ieſu Chriſti ad finem ſeculorum, pro redemptione ſua ſucceſſorumq; omnium venturi, in ſuo corpore ornaſſet. Et quoniam his magnificis fulgoribus inſignis plurimum fuit, non ſuperflue arbitramur eam parentem noſtram inter claras mulieres, tanq̃ fulgor præcipuus, hic ſecundo loco mulierum illuſtrium ſeu clararum, fore apponendam. Hæc itaq;, tam iure originis q̃ incolatus, omni ſplendore illuſtrata eidem deus paradiſum velut amœniſſimum prædium vrbanis conſitum inſignibus, & ruſticis cõuenuſtatum arboribus ſub quadam lege donauit. ¶Quæ loci illius patrona effecta dum vna cum viro ſuo delitijs delectabiliter frueretur, e veſtigio ille mortis præſeminator tantæ felicitatis inuidus, quædam nepharia eius animo ingeſſit, ſi de pomo tantummodo ſibi vetito cõmederet, mox in ampliorem gloriam peruenire, Cui dum leuitate fœminea crederet, arbitrans ſua quadam ſtultitia ad altiora conſcendere, ſtatim contempto vnico dei ſui mandato, pomum vetitum deguſtauit, moxq; virum ſuum, nimium flexibilem, in ſuam ſententiam & errorem traxit. Qui temerario auſu pomo arboris boni & mali deguſtato, ſe & omne futurum genus ex æternitate & quiete optima, in miſeram mortem traxit, ac in corporibus humanis quoddam venenum latenter immerſit, Qui ſcilicet vnicam perfectamque hominis naturam, quadam diuiſionis diſcordia in duabus ſubſtantijs diuiſit, vt

cum humano generi,in vna tantũ mens eſſet.i.quædã germanitas animę & corporis
per vitiatã naturam ob eius præcepti tranſgreſſionẽ aliam voluntatẽ,cõtra naturam
ſibi a deo cõceſſam in animã ingeſſit. Quam ob rẽ & Paulus dixit. Video aliã legem
in mẽbris meis,repugnantẽ legi mentis meæ,& captiuantẽ me in lege peccati,quę eſt
in mẽbris meis. ¶Itaq; parentes noſtri cũ clementia dei ſummi feliciſſimi haberen=
tur,cõfeſtim a turbato creatore maledicta ſuper ſingulos eorũ,prout criminis quan=
titas exigebat,receperũt. De quibus infra dicemus. Verũtamen,vt mortẽ inuentam
vidit,mox velut piiſſimus pater eiſdẽ ſalutis ſuæ myſteriũ oſtendere curauit. ¶Vt
nouo more,quæ materia fuerant iracundiæ,origo eſſe viderẽtur & clemẽtiæ. Sic ar=
cana operatione manifeſtãs,quod infirmitatẽ ſuã, argumentũ voluerit eſſe virtutis,
quantũq; eos amaret,dũ in ipſum peccaſſent,oſtẽderet. ¶Deus autẽ cõtra omnem
ſpem,ex diuitijs ſuæ miſericordiæ, in malo bonũ nactus,in iracundia pietatẽ gene=
rãs,peccandi ſemen fructũ voluit euadere miſerẽdi. Et qui ipſos ac poſteros omnes
propter tranſgreſſionẽ perdere debuiſſet,propter miſericordiã ſuam reparandũ eſſe
promiſit. Atq; illo tẽpore quo ſuppliciũ merebãtur,argumentũ ſaluationis oſtẽdit.
In ipſa ergo parẽte noſtra Eua vt dominus locutus eſt ſtatim omnibus poſteris mi=
ſericordiæ ſuę ſpopõdit auxiliũ,ſtatimq; ignotũ etiã ipſis angelis ſacramentũ quod
nouiſſimo tẽpore implendũ eſt publicauit,& de terreno Adę, Adã promiſit e cœlo
Nã cum ſerpentẽ pro demerito ſuo malediceret,iuſſit in primis eum terrã pro cibo
habere,deinde quia mortẽ illã ipſe primus feciſſet,addidit dicens. Et ponã inimici=
tias inter te & ſemen mulieris. Ipſa quippe caput tuũ calcabit,& tu eius obſeruabis
calcaneũ. Ex quibus quidẽ verbis cum iã in muliere Eua,innuitur Mariã domini no
ſtri Ieſu Chriſti matrẽ fuiſſe promiſſam,Quæ ſerpẽtis inimicitijs oppoſita eſt. po=
nã inquit inimicitias inter te,& mulierẽ. Non certe dicit pono. Ne hoc ad Euã hanc
pertinere videretur,Verbũ eſt promiſſionis,vt diuus refert Hieronymus quod in fu
turũ tranſmittitur. Ponam inquit inimicitias inter te,& mulierẽ. Illã vtiq; dico mu
lierẽ,quæ ſaluatorẽ parturiat,nõ quæ generat fratricidã. ¶Ponam inquit ideſt mu=
lierem ſuſcitabo,quæ non ſolũ te audiat ſicut iſta Eua facilis,& nimium credula,ſed
etiã Gabriele ipſo differente verbum,exigat rationem de nouitate promiſſionis di=
cendo. Quomodo erit iſtud,quoniam virum nõ cognoui? Illam vtiq; ſanctam, quã
ad viſionem angeli,pudor auris tremere fecit. Fidei tamen ardore & conſtantia labi
neſciam,ad inquirendam rationem fecit audacem. ¶Et quæ aduenienti præſtitit de
pudore,quod tacuerat, hoc promittenti de admiratione non ceſſit. Nam & ſolici=
ta de eo quod annunciabatur,exquiſijt. Cui angelus. Spiritus ſanctus ſuperueniet in
te,& virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ecce quia iſtud eſt ſemen mulieris, quod non
per miniſterium cõmixtionis ſexuum infundatur in corpore ſed clauſtro virginita=
tis clauſo,inuenitur in vtero. ¶Ipſum itaq; huius ſanctiſſimę virginis ſemen,fuit do
minus noſter Ieſus Chriſtus,qui ſecundum carnem patrẽ hominem non habuit. De=
niq; ſubiunxit,dicens. Et ipſa tuum calcabit caput. Et quis dubitet,ꝙ nemo præter
dominum noſtrũ ſerpentis caput calcabit,qui ſolus,ſuper dracones & ſcorpiones am
bulauit, ipſeq; omnẽ duxit captiuitatem, Nã quod ſequitur, & tu inſidiaberis calca
neo eius,ad quem aliũ credimus pertinere,niſi ad futurã hominis reſurrectionẽ? Sic
enim calcaneum dicimus ad vltimum veſtigij hominis pertinere. Similes enim ſibi
parentes noſtros videlicet Adã & Euã ideſt ad imaginem ſuã fecit dominus,cum fe
ciſſet eos,& ſimiles futuri ſunt cum reſurgent,quoniã quicquid nũc in nobis authori
noſtro diſſimile videtur,id omne trãſgreſſionis vitio horũ parẽtũ noſtrorũ impreſ=
ſum eſt. Ipſe enim mẽdaciorũ artifex viuã hominis formã, ſuis deceptionibus defor
mauit,& ſuã prauitatẽ noſtris in mẽbris dũ mẽtes corrũpit aſcribit,quæ omnia per
reſurrectionis gloriã,tandẽ ſua pietate & virginis matris ſuæ glorioſæ interceſſione
diluẽtur. & id ſolũ,quod rerũ õniũ authore tanq̃ in ſpeculo reddat emicabit. vt ipſe
inimicus inuentor mortis,ſe doleat,ſuũ opus perdidiſſe,& homo tandẽ ſe integrum

fore glorietur, Non tamen hoc omnes, ſed iuſti tantum, in luce erũt. Quoniam omnes reſurgemus quidẽ, ſed non omnes immutabimur. Ipſam enim perſonarũ diſcretionem, vtiq; faciet diuerſitas meriti, Ad Euã igitur redeuntes, dico, ꝙ poſtq̃ plurimum obiurgata fuit, illã dominus cũ protoplaſto noſtro, perizomatibus cinctos ex loco delectabili inter montes & vepres, ad anxios labores confeſtim emiſit, Cumq; in Hebron agrũ laſſi & exules tandẽ perueniſſent, Ibidẽ egregia mulier, vt nonnullis placet, primum vertente viro ligone terrã, ipſa colere cœpit. Atq; ibidem (vt Methodius martyr ſcribit) centũ partus, cum intolerabilibus doloribus edidit, ac alios labores & algores plurimos, & alia multa huius vitæ incõmoda vſq; in ſenium ſuſtinuit. Tãdem in mortem ſibi a domino prænunciatam cum perueniſſet, eo in loco cũ viro ſuo vbi dominus crucifixus eſt, ſepulta fuit.

¶De ſancta Sara Abraæ vxore. CAP.III.

SARA Hebræa fœmina, magni patriarchæ Abraæ vxor, inuictæ fidei & amoris in deum ac virum ſuũ, atq; etiam ſpectatæ formoſitatis mulier, anno ante Chriſti domini noſtri aduentũ ſeptuageſimo octauo ſupra milleſimũ & octingẽteſimũ, cũ centũ & viginti ſeptẽ vixiſſet annis, in Chananea Syrię ꝓuincia, ſanctiſſime mortẽ obijt, quã Abraã vir ſuus in ea peregrinus, poſt pietiſſimũ cõiugalis amoris luctũ in Hebrõ, permittẽtibus Chananeis, ſepeliuit. Ipſa quippe mortua, Abraã vtiq; iuſtiſſim⁹ vir, mox ibidẽ agrum a quodã Ephron hebronita quadringentis ſiclis probatę monetę emere voluit. In quo nõ ſolũ ipſi ſuę vxori defunctæ ſed & ſibi atq; eius ſoboli, ſepulchra cõſtituit. Hæc Sara, Arã Thare quondã patriarchę filiũ, habuit patrem, qui Abraę & Nachor frater fuit. Cuius pater Aram, Loth filio derelicto & Sara & Melcha filiabus, cũ apud Chaldęos mortem obijſſet, Abraam Sarã hanc & Nachor Melcham duxere vxores. Erat itaq; Sara inter vniuerſas ſui ſeculi claras mulieres, cum inſigni formoſitate & pulchritudine, tum deo digniſſima, pro ſtudio quod circa eum habebat plurimum inſignis & cõſpicua, Perſeuerauit autẽ in ea (vt ſacra libri Geneſeos habet hiſtoria) vſq; in ſuam ſenectutem cœleſtis quidã decor, ac pulchritudinis elegantia, ita vt etiam in illa, facillime poſſet adamari. Abraam autem cum eam duxiſſet vxorem, mox Loth, ſuum & vxoris germanum, cum nullum legitimum haberet filium, adoptauit ſibi: Iuſſuq; diuino cũ eſſet ætatis annorũ quinq; & ſeptuaginta, volens Chaldęam dimittere, & in Chananeam demigrare, etiã ipſa adoleſcentula iam inuicti amoris facibus ſuccẽſa in virum, in ampliſſimas regiones viro peregrinari volẽti, ſeſe inuictã ac fideliſſimam comitẽ eſſe conſtituit. Exiſtimans illum peregrinationis laborem, diuini omnino fore conſilij: atq; neminẽ præter ſe poſſe viro, & domino ſuo, rite obſequia omnia impẽdere. quæ res, etſi tenellæ ætati difficillimũ videretur. præ nimio tamẽ amore, proſequendi conſiliũ & propoſitũ ſumpſit. ¶Egreſſus itaq; Abraã cũ Sara de Arã, perrexit in Chanaan, atq; cũ multo labore tandẽ peruenit in Sichẽ, vbi altari ædificato ſeſe deo optimo plurimum commendauit. ¶ Cumq; haud multo poſt valida fames Chanaã oppreſſiſſet, Abraã famis neceſſitate cõpulſus, cum Sara hac coniuge ſua & omni familia, in Aegyptũ perrexit, Audierat enim Aegyptios fœliciter viuere, eo ꝙ re frumentaria alijſq; plurimis bonis abundarent, vt ſcilicet eorum abundantia, ſuæ inopiæ ſubueniret. Verum cum prudentiſſimus per omnia haberetur, ſciens Aegyptios impuros q̃ maxime circa mulieres eſſe, veritus ne propter vxoris ſpeciem ab eorum rege occideretur, anteq̃ Aegyptum intraret (euitandi periculi gratia) optimam excogitauit artem, Vnde ipſam præmonuit, vt interrogata, reſponderet, ſe illius eſſe ſororem. Ab rege ergo interrogata, Dixit, ſe Abraæ eſſe ſororem, nihil vtiq; mentiti, erat etenim, & hoc propinquitate ſanguinis, ſicut & Loth ea ratione dictus erat frater, Atq; ita, hoc modo Sara pudicitiam ſuam deo optimo commendans, ſe vxorem Pharaoni tacuit, ſed eſſe minime negauit, Verum cum Pharao

ipſam ſibi accepiſſet vxorem,a deo graui morbo e veſtigio afflictus eſt.Quibus qui dem malis permotus,ipſam illico impollutã, multis donatã muneribus, marito reſtituit.Quas ob res & Saræ pudicitia virtuſq; ac gloria apud maritum ſuum magis magisque clarior effulſit. ℂFuit nempe,vt præmiſſum eſt,Sara hæc vſq; in ſenium eximiæ pulchritudinis,mirabiliſq; decoris fœmina,Q uod in nulla prorſus muliere vnq̃ contigiſſe compertum eſt.Nam & Abimelech Paleſtinorũ rex, ipſam in ſua ſenectute propter elegãtiæ formã,ad corruptionẽ, licet fruſtra, adamaſſe legitur,Sed deus vbiq; de ſanctiſſima muliere ſpecialem curam habuiſſe viſus eſt. Demigrauerat enim Abraam cum Sara vxore alia vice,& propter famis neceſſitatem in Gerara Paleſtinæ,Vbi cum Abimelech rex vidiſſet eam,& ipſe illius pulchritudine captus, ipſam ad corruptionẽ ad ſe adduci præcepit.Qui mox ſummi dei voluntate, in maximam deuenit ægritudinem.Cumq; ob hoc,maximo cruciaretur dolore,etiam dominus eidem per viſum terribilis apparuit,dicens.ℂQ uare peregrino meo tantam iniuriam facere præſumpſiſti,vt auferres ei vxorem ſuam? Quo quidem pauore & verbis expergefactus rex,etiam id amicis ſuadentibus, mox vxorem peregrino Abraæ, & ipſam intactã reddidit.Et venia expoſtulata,ſe orationibus Abraæ humiliter cõmendans, illico tam ipſe rex q̃ cæteri ſui omnes ſanitatis beneficium conſequi meruere.Erat nempe & Sara maximæ fidei mulier,eratq; magnæ deuotionis rerum diuinarum,pro quibus plane ſtudijs,digna deo plurimum habebatur. Q uas ob virtutes etiam vir ſuus vtique ſanctiſſimus,deo ſic volente, ſicq; mandante per omnia eidem obediebat. Erat quoq; Abraam vir optimus, erat & ſapiens rebus in omnibus primuſq; prænuntiare præſumpſit:deum vnum creatorem eſſe cunctorum. Et propterea ſolus inter omnes mortales fidei pater appellari promeruit,Vnde & ipſe deus eius virtutẽ magnopere cõprobans.ℂNon perdes inquit Abraam mercedem tuam, Dignũ etenim pro tali religione te exiſtimaui gratia mea,Et idcirco habebis ait filium pro mercede tua,ex quo tãta ſoboles proueniet,quãtus eſt ſtellarum numerus, qui prę multitudine dinumerari minime poteſt.Attamẽ licet de promiſſis ſibi a deo nulla ei prorſus foret dubitatio, Nihilominus:eo q; in carne vna cum vxore dilecta viuebat ex tali deſiderio,iugiter carnalibus mouebãtur ſenſibus.ℂ Habet enim hoc impatiens amor,vt quę magnopere deſideret, ſemper habere exoptet. Vt aliud vix queat cogitare, q̃ quod diligat. Nec amor capit,de dilatione ſolatium,neq; de difficultate remediũ.Sara igitur aduertens ſuam ſterilitatem ſuamq; ſenectutem,amore filiorum iugiter incredibili cruciabatur deſiderio.Quo quidem ęſtu permota,vnã ex ancillis ſuis nomine Agar ægyptiã (in primis domino deo ſic pręcipiente) marito ſuo collocauit,tãq̃ ex ea filios habitura,vt quos natura nõ poterat,volũtate ſuos faceret.Veruntamen de hac cõcubina(Vt diuus refert Auguſtinus)nullo modo aliquod crimen ſanctiſſimo Abraę inferendũ eſt, Quia ea ad explendam libidinẽ vſus non eſt,ſed ad prolem procreandam. Obtemperauit quippe coniugi q; credidit ſuæ ſterilitati fore ſolatium.Nulla vtiq; ibidem laſciuię cupido,nullaq; nequitiæ turpitudo fuit. Ab vxore ancilla marito tantummodo prolis cauſa tradita eſt, a marito etiam cauſa prolis accepta. Atq; ſic ab vtroq; ſolummodo naturæ fructus exquiſitus eſt. ℂVerum ancilla cũ ſe concepiſſe noſſet,Saræ dominæ ſuæ inſuperbire cœpit,quaſi rex foret filius ex ea conceptus : quod Sara ægre ferens, ſuſpitione muliebri,viro ſuo illius crimen, potius q̃ eidem imputare cœpit.ℂAt Abraam vir ſanctus,vt tantummodo voluntatem Saræ impleſſe ac per omnia ſe innocentem demonſtraret pro illius vindicta, e veſtigio,dixit. Ecce ancilla tua in manibus tuis eſt. vtere ea quomodo libet.Corripiente autem eam Sara pro ingratitudine & ſuperbia ſua,fugam mox arripuit.Eunti autem per deſertum,angelus domini occurrit ei,dicẽs.Ipſam illico reuerti ad dominos ſuos,&vitã priſtinã protinus emendare,Quod ſi ſecus foret,& deo inobediens eſſet,ſciret ſe ſtatim moriturã.Si autem rediret pro certo fieret mater pueri,in illa terra poſtea regnaturi. Reuerſa igitur domum,a do=

minis ſuis veniam obtinuit, Et poſt nō multum tēporis Agar Iſmaelem edidit filiū. Quem Sara tanq̄ ſuum cum ingenti gaudio & gratiarum actionibus excepit, nutriens ipſum ac proprium, & ſui principatus per omnia ſucceſſorem, Eo maxime quia putauit impletū eſſe in ipſo quod marito promiſſum fuerat quum ſibi vernaculum ſuum vellet adoptare, dicente deo, hic non erit hęres tuus, ſed qui exiet de te, ille erit hæres tuus. Hoc ergo promiſſum, ne in ancillæ putaret impletum, iam cum eſſet ipſa annorum nonaginta, & dominus ſuus nouem & nonaginta, apparuit dominus Abraæ, & dixit illi. ❡Ego ſum deus, eſto placens in conſpectu meo, & ponam teſtamē tum meum inter me & te, & implebo te valde, eriſq; pater multarum gentium, & nō appellabitur nomen tuum Abram, ſed Abraam, & gentes, ac reges ex te exient. Deinde adiecit deus, Sarai vxor tua, non appellabitur Sarai, ſed Sara erit nomen eius. Benedicam quoq; illam, Et dabo tibi ex ea filiū, & benedicā illum, & erit in nationes, & reges gētium ex eo erunt. Quibus auditis, Abraam mox procidit in faciē ſuā, & riſit, dicens in animo ſuo. Si mihi centum annos habenti naſcetur filius, & ſi Sara annorum nonaginta pariet? Subiunxit autem deus Abraę, & dixit. Vtiq; Sara vxor tua pariet tibi ſingulari dono filium præter naturam. & vocabis eius nomē, Iſaac, & ſtatuam teſtamentum meum ad illum, in teſtamentum æternum, Audiuit itaq; demum deus Abraam, exaudiuitq; & humilem Saram, dans eis filium, Nam poſt hęc, Sara euoluto anno, non ſimpliciter ſecundum naturam generandi, ſed ſupra naturā ſuæ ætatis ꝙ nulli vnq̄ contigiſſe compertum eſt, genuit Iſaac filium, ꝙ maximi beneficij indiciū vtiq; fuit. In iſto itaq; promiſſionis filio, qui per gratiam, non per naturam fuit. De vocatione gentium per gratiā, deus euidenter intelligere voluit. Quę ſcilicet non per generationē, ſed per regenerationē futura erat. ❡Riſit igitur Abraam in promiſſione dei, riſit & Sara, ſed non vtiq; per modum irriſionis diffidētium, ſed gratulantium. Verba enim eius illa, in animo ſuo: Si mihi centum annos habenti naſcetur filius, et ſi Sara nonagenaria pariet, non fuere dubitantis, ſed potius admirantis & exultantis. Ex hoc enim puer id nomen habuit, Nam ꝙ riſus illis vt pater Auguſtinus refert non ad irridendum opprobrium, ſed ad celebrandum gaudiū pertinebat, patet, quia nato Iſaac, & eo nomine vocato. Sara monſtrauit cum dixit. Riſum mihi fecit deus, Quicunq; enim audierit, mihi vtiq; congaudebit. Nato itaque Iſaac Sara, etſi prius Iſmaelem tanq̄ filium proprium diligeret, verita, ne aliquando ab ipſo, filius proprius, mortuo patre, opprimeretur, noluit ipſum cū Iſmaele enutriri, Sed marito ſuaſit, eum cum matre in aliam regionem tranſmitti, Quæ quidem res cum ab initio nimium crudelis Abraæ videretur, filium videlicet paruulum cum muliere ſine alimento proijcere, poſtea cum placuiſſet, ad quæ Sara pręcipiebat cōſenſit. ❡Tradito igitur Iſmaele puerulo matri cum aqua in vtre & modico pane, Iuſſit eam abire, ireq;, quo itineris neceſſitas imperaret. Dum ergo abeunti, panis & aqua deficerent, Agar in maximis curis & ærumnis cōſtituta, puerum iā morti proximum ſub arbore proiecit, & ne ea pręſente deficeret, procul abſceſſit. Ad quā mox veniens angelus dei, dixit ibidem adeſſe fontem, ex quo poſſet puerum recreare, monuitq; eam, omnino ærumnas declinare, ac puero curam adhibere, quod & factū eſt. Sara igitur puerum cum charitate ſuſcipiens, benigne aluit, ac per omnia religioſe educauit, atq; illum incredibili affectu dilexit, eo ꝙ vnigenitus eſſet, ac pro eo, ꝙ ſingulari priuilegio atq; munere ſibi dominus conceſſiſſet. Ipſe quoq; puer parentes ad amorem ſuum atq; fauorem prouocabat, ꝙ omni virtute ſtuderet, & ipſorum magnam haberet ſolicitudinem atq; affectum circa religionem. ❡Cuſtodiebat etenim ad eorum imitationem præcepta dei, eiuſq; iuſtificationes atq; legitima. ❡Porro ipſam Sarā cognouiſſe diuinitatem vnā eſſe eandemq; ſubſtantiā, atq; ipſam in tribus ęqualiter perſonis in eſſe abſolute, & indubitato credidiſſe haud dubito, Et idcirco eius nomē virtus appellatū eſt. Sicut & Paulus in epiſtola ad Hebręos ſcripſit dicēs. ❡Sara, ex fide, virtutem accepit ad emiſſionem ſeminis. Eius equidem fidelis con-

ſtantiſſima,ſpeſq; certa,ac charitas immenſa,maximæ vtiq; erant, q eius ſanctimo‑
nia & cęremonia, cultus,necnon & religionis ſtudiū perq̃ optime demonſtrabant.
Eius deniq; matrimonialis beniuolentię charitas ſancta & incredibilis pene fuit.Nā
tanto amoris ac veræ reuerentię ſtudio virum ſuum quoad uixit proſecuta eſt.vt nō
ſolum illum verbis decentiſſimis appellando eum dominum ſuū, teſte beato Petro
apoſtolo,ſed & ipſius omnes quas perpeſſus fuerat,in corde ſuo ſecreta ſemper ſuſti
nuit paſſiones,Perſæpe enim eius corde obuerſabantur, quæ & quanta vir ſuus ſan‑
ctus Abraam paſſus fuerat dum fidem,ſolus inter cunctos ſeruaſſet incredulos Chal
dęos,dum patriam & propinquos deſeruerit,dum ſuam ſterilitatem cōdoluerit, dū
propter famis egeſtatē modo in Aegypto,modo in Gerara peregrinationis pertu‑
lerit iniurias,dū mori propter ſuam ipſius pulchritudinē extimuerit, dū ſibi ereptā
cruciaretur,quod æquiſſimi iudicis dei non paſſa fuit iuſtitia,Dum iuſſu diuino ſibi
ipſi circuncifionis vulnus inferri vidit.dum etiam filium Iſmaelem cum matre eiece
rit.deniq; q difficillimum videbatur,dum ipſe vir ſuus religioſiſſimus Abraam tē‑
tatus fuit immolatione Iſaac dilectiſſimi filij,quæ res etſi omnem doloris cruciatū
exceſſiſſe viſa ſit,tamen tanq̃ fidelis omnes iſtas iacturas conſtanti animo pertulit.
Agnouerat enim ad cœlū hominibus,& aſperam,per duros huius vitæ anfractus eſſe
viam adeo conſtitutam, quam viam non tenent,qui omnino tentari recuſant. ❡Et
ideo maxima eiſdem ſucceſſerunt bona, Vnde etiam propter ipſius maximas & in‑
numeras virtutes,Arabici populi,qui omnem terrā ab Euphrate vſq; ad mare rubrū
tenent,qui ex Agar ancilla propagati ſunt,ad ampliorem eorum dignitatem, & ex‑
cellētiorem gloriā ſe potius Saracenos q̃ Agarenos appellari maluere. ❡Hæc itaq;
Sara ſancta omnium clariſſimarum matronarum parens & magiſtra, poſteris omni‑
bus,vt augurari poſſumus, duo viuendi genera cōſtituiſſe viſa eſt,vnum videlicet cō
templatiuum,alterumq; actiuum;In quibus ipſa tanq̃ quoddam certiſſimum exem‑
plum & auriga,ſeſe omnibus præmiſit. ❡Vt futuras omnes mulieres accenderet &
inflammaret,ad æmulanda omnium virtutum ornamenta,ex quibus omnis honos,
omniſq; vera laus perficitur. ❡Et de hac ſatis ſuperq;.

❡De Semiramide Aſſyriorum regina. CAP.IIII.

SEmiramis inſignis Aſſyriorum Regina temporibus Saræ prædi
ctę,militaris diſciplinę ſexum mentita ſuum,grandia plurima &
egregia facinora geſſit,quę quidem (etſi diſſimilia Sarę facinori‑
bus ſint habita) illam tamen clariſſimam plurimū reddunt. Hæc
enim a nobiliſſimis parentibus progenita fuit,a quibus in florida
ſua ætate, Nino Aſſyriorum Regi matrimonio iuncta eſt.ex quo
Ninum vnicum genuit filium: Porro cum Ninus rex vniuerſam
Aſiam & Bactriam ſibi ſubegiſſet, ictu ſagittę interfectus eſt. ❡Quę cum admodū
adhuc iuuencula remanſiſſet vidua, & filius ſimiliter puerulus,non exſtimans tutum
fore,tam grāde Imperium,ætati tam tenellæ committere, Adeo grandis & ingentis
animi fuit,vt quas ferus maritus armis ſubegerat nationes,coercueratq; viribus,arte
& ingenio regendas,fœmina aſſumere auderet. ❡Nam quodam aſtu muliebri, falla‑
cia pręgrandi excogitata,more viri in primis decepit ſuū exercitum. ❡Erat hæc Re
gina omnibus lineamentis corporis ſimilis filio, nudæ vtriq; genæ, & conſona vtriq;
vox,atq; ſtatura corporis parū differebat a puero ſibi nato, Quibus iuuātibus,ne in
proceſſu,quod fraudē detegere potuiſſet obeſſet,caput & brachia, ac crura vtriuſq;,
velamentis contexuit. ❡Et quoniam id inſuetum Aſſyrijs forte viſum fuiſſet,egit
(ne afferret hic nouus habitus admirationem populo) vt ornatu ſimili omnes vteren‑
tur. Et ſic Nini olim coniunx filium & fœminam ſimulās,mira cum diligentia ma‑
ieſtatem regiam adepta,eam militaremq; diſciplinā ſeruauit,& mentita ſexū gran‑
dia multa,& egregia multa viris robuſtiſſimis decentia operata eſt. ❡Et dum nullo

labori parcens,aut periculo territa,inauditis facinoribus quorumcunqꝫ ſuperaſſet in-
uidiam,non eſt verita cunctis aperire quæ foret:quod ne etiam fraude ſimulaſſet fœ-
minea,q̃ vellet oſtendere,non ſexum, ſed animum imperio opportunum. ¶Quod
quantum aduertentibus ingeſſit admirationis,tantum mulieris maieſtatem inclytã
ampliauit. Hoc vt eius facinora paulalum protenſius deducamus in medium. Sum
ptis(poſt inſigne figmentum) virili animo armis non ſolum quod vir ſuus quæſiue-
rat,ſeruauit imperium,ſed Aethiopiam a ſe acri laceſſitam bello atqꝫ ſuperatam,iũ
xit eidem,Et in Indos vehementia arma conuertit. Ad quos nõdum præter virum
quiſq̃ acceſſerat. Babyloniam inſuper ingẽtẽ Nembroth ciuitatem in Chaldęa am-
pliat. Cuius muri (vt Philoſtratus hiſtoricus ſcribit) erãt trecenta per circuitum ſta
dia: Plinius vero refert: murorum ipſius ſexaginta quatuor paſſuum milia. Craſſi-
tudo vero quinquaginta cubitos, altitudo autem quater tantum. Erat itaqꝫ Baby-
lonia muris temploqꝫ, ac validiſſima arce admirabilis, Quam poſtmodum Cyrus
Perſarum rex euertit & complanauit. Semiramis autem clariſſima mulier,non con-
tẽta acquiſitos a viro regni terminos tueri, ſed & Aethiopiam quoqꝫ ſuo adiecit im
perio,atqꝫ Indis bellum intulit. quo præter illam,& Alexandrum magnum,nemi-
nem vnq̃ intraſſe legimus. Multas præterea ex nouo cõdidit ciuitates atqꝫ alia in-
gentia peregit facinora: quæ omnia ne dum fœmina,ſed in quocũqꝫ viro ſtrenuo,mi
rabilia atqꝫ laudabilia, & perpetua memoria viderentur celebranda. quæ tamen ſuis
obſcœnitatibus fœdauit,illecebris videlicet & ſtupris. Quia cũ inter cæteras quaſi
aſſidua prurigine libidinis vreretur: & plurimos haberet concubitores, etiã equum
(vt Plinio placet) quẽdam tantum amauit,vt authore Iuba,cum eo coiret, Sed nec
filio miſceri erubuit, a quo cum concubitum expoſtulaſſet ab eodem interfecta eſt.
Dicente Oroſio,Semiramis libidine ardens,ſanguinem ſitiens: cum plurimos quos
concubitu oblectaſſet,occideret,tãdem a filio proprio interfecta eſt,cum duobus &
quadraginta regnaſſet annis. Hæc fœdiſſima fœmina cum decus ſuum per omnia
turpi nota maculaſſet,putans aſtutia ſua abolere quod laſciuia deturpauerat: legem
condidit, vt circa venerea, liceret agere impune quod liberet. ¶ Timenſqꝫ ne a do-
meſticis fœminis concubitu frauderetur filij (vt quidam ſcribunt) prima vſum
femoralium excogitauit , omneſque aulicos ſubcinxit eiſdem, quod adhuc apud
Aegyptios & Afros obſeruatur. Hoc enim laſciuiæ ſceleſtũ facinus, & hæc peſtis
vbiqꝫ euolare conſueuit,adeo,vt niſi e veſtigio e cordibus amoueatur: ſenſim incau-
tas hominum mentes occupet,illaſqꝫ in immane prçcipitium pertrahat,ita vt omne
decus inficiat, & commaculet. Hæc itaqꝫ Semiramis regina adhuc viuẽs, Vt Plutar
chus refert ſibi ſepulchrum extruxit,in quo hæc literis ſcripſit. Quicunqꝫ rex pecu-
nijs indiguerit,patefacto hoc monumẽto quod voluerit accipito, Itaqꝫ Darius Per-
ſarum rex lapide ſublato,pecuniarum nihil inuenit,ſed alias literas reperit: quæ hęc
dicerent. ni malus vir eſſes, ac nũmis inſatiabilis, cadauerum loculos non moueres.

¶De Minerua. CAP. V.

MInerua ſeu Pallas fœmina a poetis cantatiſſima, temporibus Ia-
cob patriarchæ in Græcia, multa fuit claritate conſpicua. Quæ,
vt nonnullis placet, & q̃ maxime illi ſtolidę hominum antiqui-
tati,non ex mortalibus,ſed e cœlo lapſa eſt,& apud Tritonidem
lacum primum inuenta,ex cuius nomine,poſtea Tritonia appel
lata eſt. Hæc nanqꝫ Iouis primi primogenita fuit. Quæ apud ru-
des Afros cum multa ante incognita reperiſſet, non ſolum ipſi,
ſed & Gręci,eam abſqꝫ matre ex Iouis cerebro genitam credidere. Quæ ideo,vt pa
ter Auguſtinus ſcribit,tanto procliuius dea credita fuit,quãto eius origo minus in-
notuit. ¶Nam ipſa primum lanificium Afris & Gręcis omnibus antea incognitum
inuenit. Oſtenſo videlicet quo ordine purgata lana ſuperfluitatibus, & dentibus fer-

reis mollita,colo apponeretur. Atq; demum digitis deducentibus, conuerteretur in filum. Textrinum inſuper excogitauit officium : eaq; docuit, quo pacto inter nectẽrentur inuicem fila & tractu pectinis iungerentur, & pedibus ſolidaretur intextum. In cuius opificij laudem,pugna inſignis illa eiuſdẽ & Arachnes Colophonię recitatur. ℭVſum preterea olei eouſq; mortalibus inauditum, hæc inuenit. Docuit enim Atticos oliuas ſeu baccas mola terere,trapetiſq; premere . Quod quia multum vtilitatis afferre viſum fuit,ei aduerſus Neptunum in nominãdis a ſe Athenis attributa victoria creditur. ℭVolunt etiam huius fuiſſe opus,cum iam quadrigarum prima reperiſſet vſum,etiam ferrea armamenta ad contegenda corpora in bellis ordinaſſe,& leges omnes quibus eatur in pugnam,edocuiſſe. ℭDicunt præterea eam numeros inueniſſe & in ordinem deduxiſſe, qui in hodiernum vſq; ſeruatur. ℭ Cæterum fiſtulas ſeu tibias ex paluſtri calamo , primam eam compoſuiſſe credidere, eaſq; in terras e cœlo deieciſſe,eo quod flantis redderẽt turgidum guttur,& ora deformia. ℭItaq; ob tot comperta inſignia,antiquitas eidem Sapientię numen attribuit. Quo intuitu Athenienſes ſapientiæ ſtudioſi, eam in ſuam ſumpſere patronã, eiq; arcem dicauere : & ingenti templo conſtructo, ſuoq; nomini conſecrato, in eodem illam effigiauere oculis toruam, eo ꝙ raro noſcatur, in quem finem, ſapientis tendat intentum:Galeatam,volẽtes ob id, ſapientum tecta & armata ſignificari cõſilia:Indutam lorica,eo ꝙ ad quoſcunq; fortunæ ictus,ſemper armatus ſit prudens. ℭ Præterea cryſtallina caſſide,& in ea Gorgonis caput infixum,protectam: pręten dens ob hoc,lucida ſapienti omnia,eſſe tegumenta,eoſq; ſemper ſerpentina aſtutia adeo præmunitos, vt ſaxei eorum intuitu videantur ignari. Eius in tutela poſuere noctuam : figurantes, ſicut in luce, ſic & in tenebris videre ſapientes. Hanc ante alia voluerunt perpetua floruiſſe virginitate,quod vt pleniori credatur fide,finxere Vulcanum ignis deũ,ob cõcupiſcentiæ carnis feruorem diu cum ea luctatum fuiſſe, ſuperatumq;. Tandem huius mulieris fama, atq; numinis reuerentia, ſe adeo longe lateq; diffudit,tantumq; fauit illi veterum error, vt fere per vniuerſum orbem eius in honorem templa conſtruerentur, & celebrarentur ſacra, eouſq; conſcenderet, vt in Capitolio penes Iouem optimum maximumque,eidem cella dedicaretur. Et inter potentiſſimos Romanorum deos,cum Iunone regina & ipſa pariter dea haberetur. Huius autem templum apud Mileſios fuiſſe admirandum Herodotus hiſtoricus ſcribit,quod poſtmodũ ab Haliate viro nequiſſimo abſumptum fuit. ℭSunt autem plurimi viri eruditiſſimi qui dicant non vnius Mineruæ ſed plurium,quæ dicta ſunt,fuiſſe comperta, Nam quinq; fuiſſe inuenimus. Primam hanc Iouis filiam, & Apollinis matrem. ℭSecundam Nilo ortam, quam Aegyptij,Saletem dicunt. ℭTertiam ex Ioue ſecũdo natam. ℭQuartam Iouis tertij & Corſicę Oceani filiã: quam Arcades Corion nominãt,quadrigarum inuentricem. ℭ Quintam Palantis filiam,quæ patrem interemit,virginitatem ſuam violare volentem,cui pennarũ talaria affigunt. Quæ quidem Mineruæ prædictas omnes inuenere virtutes.

ℭDe Rhea ſeu Opi. CAP.VI.

RHea ſeu Opis vel Ops Vranij potẽtiſſimi hominis cõiũx,ex Veſta filia, tẽporibus prædictę Mineruæ inter proſpera & aduerſa huius vitæ diſcrimina claritate plurima emicuit. Quæ cũ Saturni regis ſoror pariter & coniunx eſſet:ex eo Iouem & Neptunũ atq; Plutonem filios genuit,quos cum a morte,pacta inter Saturnum & Titonem eius fratrem muliebri aſtutia,liberaſſet:ſe tantummodo egregiam fecit. Qui filij poſtmodum,cũ inſania hominum:cui illius in claritatem pręcipue deitatis euaſiſſent,hæc reginæ non ſolũ decus adepta eſt,quinimmo errore mortalium:dea inſignis & deorũ mater habita eſt, eiq; templa ſacerdotes & ſacra inſtituto publico conſtituta ſunt. Adeoq; enorme

malum conualuit,vt laborantibus ſecũdo bello Punico Romanis, q̃ pro ſalutari remedio ſeu auxilio miſſis cõſularibus viris,ab Attalo Pergami rege ſimulachrũ eius expetitum precibus & ſacrorum ritibus,ex Aſia,cum ſumma diligentia & reuerentia Romam delatum,cum ſumma reuerentia ſuſceptum eſt,& ab ipſis tanq̃ ſublime numen in inſigni templo locatum fuit. Atq; ibidem tanq̃ reipublicæ ſalutare per multa tempora ceremoniis plurimis cultum eſt. Mirabile profecto fortunæ ludibrium, ſeu potius hominum cæcitas, & vt melius dicamus, dæmonum decipula, quorum opere actum eſt,vt fœmina lõgis agitata laboribus, demum ſenex mortua & in cinerem verſa,& apud inferos alligata,& Dea crederetur,& in tã grande ęuum fere ab vniuerſo orbe diuinis honoretur obſequijs.

¶De Iunone regnorum Dea magna. CAP.VII.

IVno fuit Saturni ex prędicta Opi ſeu Rhea filia,quæ poetarũ carmine toto orbi præ cæteris mulieribus gentilitatis labe infectis, celeberrima prædicatur,temporibus patriarchæ Iacob in notiſſimum apud gentiles euaſit nomen. De qua certe potius egregiam fortunã recitare poſſumus, q̃ aliquod opus memorabile de ea referre. Fuit enim cum Ioue illo Cretenſi (quem veteres deum cœli finxere) vno partu edita atq; enutrita: & ab infantia Samum trãſmiſſa,& ibidem cum omni diligẽtia educata. Demum cum ad pubertatẽ perueniſſet,ipſi Ioui fratri nupta eſt. Quod per multa ſecula eiuſdem ſtatua in templo Samij eſt teſtata. Nam exiſtimantes Samij,non modicũ ſibi poſteriſq; ſuis afferre glorię ꝙ ſe penes alta,atq; deſponſata Iuno ſit,quam cœli reginam atq; Deam arbitrabantur,ne memoria dilueretur,eidem ingens templum & mirabile extruxere,ſuoq; Numini dicauere,atq; ex marmore candidiſſimo eiuſdem imaginem in habitu virginis nubentis ſculpſerunt,& ſuo in templo impoſuerunt. Hæc tam magno regi nupta,excreſcente in dies fama eius atq; imperio, longe lateq; ipſius nomen efferente, non modicum & ipſa ſplẽdoris conſecuta eſt. Sane poſtq̃ poeticis fictionibus, & inſana antiquorum liberalitate cœli regina facta eſt, quæ mortalibus regina fuerat, Olympi regnis eam diuitijſq; præfecere, necnon & illi coniugalia iura, atq; parientium auxilia cõmiſere,& alia longe plura ridenda,potius q̃ credenda. Ex quibus ſic humani generis hoſte ſuadente,multa illi vndiq; conſtructa ſunt tẽpla altariaq; plurima,Sacerdotes vates,inter quas fuerunt Caſſandra Chyreſę virgines tam ipſius Iunonis q̃ Apollinis,& ſacra atq; ludi more veteri inſtituta,Et vt de reliquis taceã, poſt Samos,celebri veneratione,ab Argiuis populis & Carthaginenſibus diu multumq; honorata eſt. Et poſtremo Romã delata,in Capitolio, & in cella Iouis optimi,nõ aliter q̃ iure viro iuncta ſuo locata, ſub vocabulo Iunonis reginæ a Romanis rerũ dominis, ceremonijs multis, etiam poſtq̃ in terris chriſtiana religio ſurrexit, honorata eſt.

¶De Iſide Aegyptiorum Dea. CAP.VIII.

ISis,cui antea Io nomen erat clariſſima,non ſolum Aegyptiorũ regina,ſed eorum poſtremo ſanctiſſimum & venerabile numen temporibus ſanctiſſimi patriarchæ Iacob inter mulieres illius tẽporis claras,peregregia fuit,ac memoratu digniſſima,Hęc itaq; celeberrima fœmina,in primis Inachi Argiuorũ regis filia fuit,& Phoronei ſoror:quam etſi poetæ fingant, ad venuſtatem formæ placuiſſe Ioui,& ob id ab eo oppreſſam,& Argũ cuſtodẽ a Mercurio occiſum vaccęq; a Iunone,œſtrum ſuppoſitum,& curſu rapido in Aegyptum deuectam, Ibidemq; a ſe recuparatam formam,& ex Io Iſidem appellatam,ab hiſtoriæ veritate non diſcrepant,Cum ſint qui aſſerant a Ioue adultero,virginẽ oppreſſam,eamq;

ob perpetratum ſcelus,metu patris impulſam,cum quibuſdam ex ſuis conſcendiſſe
nauem,cui vacca eſſet inſigne,& ingenio ingenti prȩditam,animo regnandi cupidi-
neq; agitatã,proſpero vẽto ad Aegyptios trãſfretaſſe,Et ibidẽ anchora iacta,regio-
neq; delectata conſtitiſſe. Vbi cũ cõperiſſet populos regionis,rudes & inertes,& rerũ
humanarum omnium fere ignaros ac ritu beſtiarum potius q̃ hominum viuentes,
cum multo labore,& celebri induſtria docuit illos terras colere,& cultis ſemina cõ-
mittere: & collectas tandem fruges,in cibos ſeu panem deducere. ¶ Præterea etiam
illos ſylueſtres & vagos in vnum redigere, & datis legibus, ciuili more viuere. Et
quod longe ſpectabilius in fœmina eſt, Literas idiomati conuenientes characteribus
adinuenit,& viris ad doctrinam ipſius aptioribus oſtendit quo ordine iungerentur.
Quæ adeo mirabilia inſuetis viſa ſunt,vt arbitrarẽtur facile,ipſam e cœlo lapſam,
Et propterea diuinos eidem honores ſtatuerunt. Sed ea mortua,etiam diabolo ſua-
dente,in tantam venerationem euaſit,vt non ſolum apud Aegyptios ſingulis annis
ſacra illi inſtituerentur.ſed etiam apud Romanos atq; alias natiões templa prægrã
dia illi conſtruerẽtur. Huius autem prȩclaræ mulieris,Apis rex vir fuit,qui cum ea-
dem Iſide multis annis imperauit. Sunt tamẽ qui dicãt huic Iſidi Theglonũ quẽdã
fuiſſe virũ,& ex ea Epaphũ ſuſcepiſſe:qui Aegyptijs poſtea regnauit. De hac qui-
dem muliere veteres poetæ multa finxere figmenta:quæ ad hiſtoriam nõ pertinent.

¶ De Cerere frugum Dea. CAP.IX.

CEres magna Siculorum regina,Cœli regis filia ,ijſdem tempori
bus quibus & prædicta Iſis,apud Siculos magno fuit in pretio.
Quȩ primo cum Sicanio Siculorũ regi coniugio copulata fuiſ-
ſet,tanto ibidem ingenio valuit, vt cum agrorum culturam ex-
cogitaſſet, prima apud eos boues domuit, & iugo aſſuefecit &
aratro atq; vomere adinuentis quibus terras proſcinderet, ſulcis
ſemina primum tradere cœpit. Quæ cum in ampliſſimam ſe-
getem excreuiſſent,eam ſpicis eruere,lapidibus terere,panem conficere, & in cibum
deducere(homines glãdibus & pomis ſylueſtribus aſſuetos) edocuit. Ob quod meri-
tum cũ eſſet mortalis fœmina,eam frugũ Deam Siculi arbitrati ſunt,& diuinis ho
noribus ipſam extulere,eamq; Saturni & Cȳbeles credidere filiam. Huic tantũ vni-
cam ex Ioue filiam Proſerpinam fuiſſe dicunt,quam eidem Orcus Moloſſorum rex
furtim rapuit. Quam cp diu quæſiuiſſet, poetæ veteres multis confixere fabulis.
¶ Altera Ceres apud Eleuſin Atticæ regionis ciuitatem,etiam fuit eiuſdem meri-
ti apud ſuos clara, cui Triptolemum obſequioſum fuiſſe tradunt, Quam vetuſtas
ipſa ſtolida, & deitate & honoribus æque extulit ſub vno tantum nomine, ambarũ
ingenia extulere. Harum itaq; mulierum ingenium,magno equidem præconio di-
gnum exiſtimo,cp vagos ſylueſtreſq; & indoctos homines,e nemoribus ad vrbes trãſ
tulerint, & politico modo eos viuere docuerint. Quod ferino modo viuentes, ad
meliorem viuendi modum edocuerint. Quod corpora lucidiora vegetioraq; mem-
bra,ex alimentis humano vſui conformiora præſtiterint. Quod orbem arboribus
vepribuſq; incompoſitum & incultum in maximam pulchritudinem ad vtilitatem
publicam verterint. Quod deſides animos ad quandam contemplationem excitaue
rint. Quod vires hominum fractas & deſides ex ruſticitate quadam in vrbanũ exer
citium traxerint. Ex quibus ampliatæ conditæq; ſunt vrbes innumerabiles, aucta
quoq; ſunt imperia, atq; alia plurima bona prouenere,Quibus certe humanum ge-
nus propter tot tantaq; beneficia plurimum debere confiteor.

¶ De Marpeſia Amazonum prima regina. CAP.X.

MArpeſia & Lampedo Amazonū innicē reginę, ſorores, tēporibus Iacob fuere: quæ quidem ob illuſtrem bellorū gloriā ſeſe Martis vocauere filias, Quarū, quoniam peregrina eſt hiſtoria, illam paulo altius repetemus. E Scythia igitur ea tēpeſtate prouincia vtiꝗ ſylueſtri & fere exteris inacceſſibilli, quæ quidem ſub arctoo climate, & vſꝗ in oceanum ab Euxino ſinu diſtenditur, Sileſius & Scholapicus quidam regij iuuenes factione maiorum ſuorum pulſi, cum parte populorum iuxta Thermodontem Cappadociæ flumē deuenere: ibiꝗ Cirijs cāpis occupatis, raptu viuere, & incolas latrocinijs infeſtare cœperunt. A quibus tractu temporis per inſidias fere omnes trucidati ſunt homines. Quod cū ægre ferrēt viduatę coniuges, & in ardorem vindictæ deueniſſent, feruide, cum paucis qui ſuperfuerant viris, in arma prorupere. Et primo impetu facto hoſtes a ſuis ſubmouere finibus, Inde vltro circunſtantibus intulere bellum. Demum arbitrantes ſeruitutē potius q̄ cōiugium, ſi exteris adhęrerent hominibus, & fœminas ſolas poſſe ſufficere bellis & armis, ne mitiores viderentur habuiſſe deos cæteris, e quibus viros a cæde finitimorum fortuna ſeruaſſet, communi cōſilio irruentes in ſuos, omnes interemere. Inde in hoſtes furore conuerſo, quaſi virorum neces vlturæ, illos adeo contriuere, vt ab eis pacem impetrarent. Qua ſuſcepta, ad ſucceſſionem conſequendam, viciſſim finitimis adhęrebāt, & cū concepiſſent, e veſtigio reuertebantur in ſedes ſuas. Tandem qui naſcebantur mares, occidebātur ſtatim, fœminas autem reſeruabant, & ad militiā cum diligentia inſtruebant, Et dum adhuc tenellæ forent, mamillas dexteras igne aut alio medicamento eis auferebant, ne adultis exercitium ſagittādi ipſa impediret mamilla. Siniſtra autem linquebatur intacta, vt ex illa nutrimenta porrigerent naſcituris. Ex quo Amazonum vocabulum ſortitæ ſunt: ab a quod eſt ſine, & Mazonum mamma, quaſi ſine mamma, Nec eis in alendis fœminis erat ea cura, quæ noſtris. Nam colo calatiſve alijſꝗ muliebribus exercitijs abiectis, venatiōibus, diſcurſionibus, domatiōibus equorum, laboribus armorum aſſiduis ſagittatiōibus, & huiuſmodi exercitijs, maturiores durabāt, in aptitudinem & virile robur: quibus artibus non ſolum Cirios tenuerunt campos, a ſuis olim maioribus occupatos, quin immo Europæ ingenti parte bellorum iure quæſita, plurimum Aſiæ occupauere, formidabileſꝗ omnibus fuere. Sane ne viribus deeſſet regimen, ante alias Marpeſiam & Lāpedonem has poſt cæſos viros, ſibi inſtituere reginas, ſub quarum auſpicijs, ſuum plurimum auxere imperium, Hæ quidem cū militari diſciplina inſignes vtiꝗ eſſent, partitis intra ſe prouincijs (vtputa) cum vna in regni tutelam ſubſiſteret, reliqua parte copiarum ſumpta, ad ſubijciendos finitimos earum imperio, incedebant. Et ſic viciſſim maximis partis prædis, auxerunt aliquandiu rēpublicā ſuā. Verum cum Lampedo ad vltimum in hoſtes duxiſſet exercitum, repētino barbarorum circumadiacentium incurſu, Marpeſia nimium ſui fidens aliquibus filiabus relictis, cum parte copiarum cæſa eſt. Quid autem de Lampedone eius ſorore factum fuerit, nullibi inuenitur. Has tamen reginas longe ante tempora Iacob fuiſſe multi aſſeuerant, vt & nos in ſecundo chronicorum noſtrorum libro commemorauimus.

¶ De Hipermeſtra optima Lyncei regis vxore. CAP. XI.

HIpermeſtra Danai Argiuorum regis filia, & Lyncei regis coniūx, tēporibus Moyſi prophetæ, & genere & dignitate ac pietate clara plurimum fuit, Nam vt in tertio chronicorum noſtrorum libro ſcripſimus, Danaus & Aegyſtus fuere fratres, Beliꝗ priſci filij ſpectabiles quidem, & imperio præeminētes, Quorū prolibus non fuit ęqua fortuna, eſto numerus æquus: quia Danao quinquaginta filiæ fuere, & Aegyſto totidem filij maſculi. Sane cum Da-

naus habuiſſet oraculo,ꝙ manu nepotis occidendus eſſet.dum tremore hanc ob rem plurimum angeretur,cuius ex tanta filiarum multitudine ſuſpectas deberet habere manus,contigit, vt filiæ ipſius omnes iungerentur coniugio cum filijs Aegyſti,deſponſatiſcꝫ filiabus nepotibus ſuis,filijs videlicet Aegyſti, Cum ſacrũ nuptiale pararetur,Danaus filias ſuas omnes ſummopere præmonuit,vt ſi ſalutem ſuam vellẽt, vnaquæcꝫ virum ſuum nocte prima,dum ſomno graui illigatum cognoſceret,gladio perimeret.quod omnes,gladijs clã cubiculis ſuis illatis, marcentes crapula iuuenes, iuſſu paterno interfecere, Sed ſola Hipermeſtra abſtinuit. ❡Appoſuerat quippe iã animum ſuum in ſponſum,e veſtigio vt viderat illum,diligere cœpit.Et ob id puellarum more,ei compaſſa,ſua cum ingenti laude a funeſta cæde abſtinuit,iuuenicꝫ fugam ſuaſit,per quã mortem euaſit. Verum cum cæteris mane ob ſcelus patratũ crudelis pater applauſiſſet,ſola Hipermeſtra obiurgata, & carcere clauſa,pium aliquãdiu fleuit opus.Verum poſtq̃ crudelis & truculentus ſenex : quinquaginta annis regnaſſet,dei iuſto iudicio, manus Lyncei nepotis euadere non potuit, quin ille ſuus nocuus ſanguis effunderetur, quę multo nepotum ſanguine redimere potuiſſet.Qui tandem regno pulſus & fugatus trãſfretauit in Gręciam,& Argiuorum regnum ingenio & viribus Lyncei occupatum fuit. Qui in eodẽ pro Danao patruo regnauit, memorcꝫ ipſius truculentiæ illum gladio necauit. Eductacꝫ e carcere Hipermeſtra, eacꝫ muliebri alias meliori honore ſibi coniungio iuncta, regni participem effecit. Quæ non ſolum regina effulſit ſed Iunonis Arachne ſacerdos effecta, candore duplici ſplendoris,ornata comparuit.Et cum ſorores in turpem abijſſent infamiam,ipſa ob cõmendabilem pietatem, nomen ſuum, omni laude dignum ad nos vſcꝫ dimiſit inſigne. ❡At Danaus qui plurimo nepotum ſanguine, ſuos iam tremulos annos ampliare niſus fuerat,ſe robuſta ac ſplendida nepotum acie nudauit,& perenni ſe commaculauit infamia.

❡De Diana quæ & Luna. CAP.XII.

Diana quæ & Luna Apollinis Delphici ſoror,& Iouis ſecũdi ex Latona filia tẽporibus Aegyptiacę ſeruitutis, hoc eſt anno ante Chriſti domini noſtri aduẽtum,nonageſimo ſexto poſt milleſimum quingenteſimum,apud Delphos virginitate perpetua inſignis plurimum fuit. Et licet Cicero de natura deorum Dianas multas fuiſſe dicat, hanc tamen præcipuam & nominatiſſimam fuiſſe ſcribit. Cui omnia decora attribuũtur.Eo ꝙ ob virginitatis amorem, ſpreto hominum conſortio ſyluas petierit, & venationibus plurimum operam dederit. Quare eam cũ arcu & Pharetra veteres depinxere, atcꝫ nemorũ & montium eã dixere Deam,Voluerecꝫ ipſam curru vti a ceruis albis tracto. Et propterea virgines plurimæ eandem ſimili modo ſequebantur, Vnde & Nympharum conſortio & obſequio vſam fuiſſe dixerunt.Voluerunt præterea ipſam viarum pręſidiũ fore, & vna cũ Luna multis vocauere nominibus. Ipſa nancꝫ fuit fœmina,quę more ſanctimonialium noſtri ſeculi, libidinis pruritum omnino a ſe abdicauit. Et ideo ſtulta gentilium opinio,eam Lunam dixit, eo ꝙ Lunæ planetæ cõuenire perpulchre viſa ſit. Quæ ſuo frigore concupiſcentias venereas refrenare habet & nemora monteſcꝫ nocte,ſuo luſtrare lumine,ei ad lunam ſpectantia,tanq̃ ſi ipſa luna eſſet, Hæc Orionem Neptuni filium ſe vitiare volentem occidit. Et idcirco eidem hoſtię ſacrę ex humana carne fiebant. Habuit enim apud Epheſum templum admirandũ, magna frequentia & religione frequentatum,Hæc quocꝫ a parturientibus plurimũ inuocabatur,eocꝫ primum vt nata fuit,parturienti matri Apollinem fratrem ſuum, obſtetricis officium exercuiſſe Seruius ſcribat.

¶De Niobe illuſtri Thebanorum regina. CAP.XIII.

NIobe illuſtris fœmina Tantali Phrygiorũ regis filia & Amphionis Thebanorum clariſſimi regis coniunx, temporibus Othoniel Hebręorũ iudicis,& ante domini noſtri IESV CHRISTI aduentũ,anno decimo nono ſupra milleſimum quadringenteſimũ, inter egregias ſui tẽporis fœminas notiſſima euaſit. Hæc Pelopis regis ſoror fuit. Quæ tã Iouis prole q̃ quia præcipua valeret facundia,cũ eſſet fœcũdiſſima mulier,ſeptem viro ſuo peperit filios & totidem filias. Quod quidẽ munus,cum ſapienti profuiſſe debuiſſet,ſuperbienti exitium fuit: Nam tã ſplendore conſpicuæ prolis,q̃ maiorum ſuorum fulgore elata,etiam numinibus obloqui auſa eſt. Erant equidẽ iuſſu Manthus Thyreſiæ vatis filiæ,ſoliciti dierũ vna Thebani cura ſacrum Latonæ matris Apollinis,& Dianę veteri ſuperſtitione venerãdis numinibus,cum quaſi agitata furijs circũſepta natorum acie,& regijs inſignita notis,proſiliuit in mediũ Niobe clamans,& dicẽs:quęnam eſſet Thebanorum dementia;Latonę ſacra diſponete,& exteram fœminã duos tãtum ex adulterio enixã filios,ſibi eorũ reginæ,rege Tantalo natæ,& quæ quatuordecim eis videntibus illis, ex cõiuge peperiſſe gnatos, ſibiq; tanq̃ digniori cęremonias illas deberi. Tandem paruo temporis ſpatio factum eſt, vt ea vidente,eius nati omnes pulchra iuuentute florẽtes infra breue ſpatium letali peſte abſumerẽtur. Et Amphion,ꝙ ex patre quatuordecim filiorũ repente orbus factus eſſet, & dolore im pellente,manu propria gladio ſeſe tranſfodit. Exiſtimantibus Thebanis hæc ira ſuperum vlciſcentiũ,numinis iniuriam contigiſſe. Niobe autẽ tot funeribus ſuperſtes, vidua mœſtaq;,in tam grandẽ atq; obſtinatam taciturnitatem deuenit,vt potius im mobile ſaxum videretur,q̃ fœmina, Quam ob cauſam a poetis poſtea fictum eſt, eã apud Sypilum,vbi ſepulti fuerant filij,in lapideã ſtatuam fuiſſe conuerſam. Durum quippe eſt,ac valde odioſum,ſuperbos homines non ſolũ tolerare, ſed etiam aſpicere,mulieres vero,faſtidioſum & quaſi importabile,cũ illos feruentis animi atq; elati,vt plurimum natura protulerit. Has vero mitis ingenij & remiſſæ virtutis, lautitijs potius q̃ imperijs aptas produxit. Quam ob rẽ mirabile minus,ſi in elatas dei procliuior ſit ira,& iudiciũ ſæuum,quoties eas ſuæ debilitatis cõtingat excedere ter minos.vt inſipiens hæc Niobe fecit,fortunę deluſa fallacia,& ignara,quoniã amplę prolis parentem fore,non virtute parientis,ſed naturæ opus eſt. Satis igitur illi,immo debitum erat:deo ex conceſſis egiſſe gratias, q̃ ſibi diuinos qualeſcũq; quæſiſſe honores,tanq̃ ſui fuiſſet operis,tam numeroſam prolem atq; conſpicuam peperiſſe. Quæ dum ſuperbe potius q̃ prudenter operata eſt:egit,vt infortunium viua ferret, & poſt multa tempora,ſuum nomen poſteritati fieret exoſum.

¶De Arachne ingenioſa muliere. CAP.XIIII.

ARachne Aſiatica fœmina, cuiuſdam Idmonij Colchonij plebei lanarum tinctoris filia, temporibus prædictæ Niobes , nonnullis meritis clariſſima fuit, Cuius inter cætera lanificium ſuum fuiſſe inuentũ plurimi tradunt. Eamq; primam rhetia excogitaſſe,ſed quæ,aut aucupatoria,ſeu piſcatoria fuerint,incertũ eſt. Cum autẽ eius filius nomine Cloſter fuſos lanificio aptos reperiſſet,arbitrã tur quidam hanc texturæ artis principatũ ſuo tempore tenuiſſe, tanq̃ certa hanc grandis ingenij vt digitis filiſq; & ſpatula,& alijs tali exercitio opportunis id egiſſe,quod pictor peregiſſet peniculo, Non equidẽ in muliere ſpernendum exercitiũ,Sane, dum non ſolũ Ipheis quæ habitãs,textrinã habebat, ſed vbiq; fama ſe celebrẽ audiret,adeo elata eſt,vt auſa ſit aduerſus Mineruã,ſeu Palladẽ,huiꝰ artis inuentricem certamen inire,& cũ ſe ſuperari æquo animo ferre non poſſet, ac=

cepto laqueo,vitã finiuit, Ex quo,locus fingendi,poetis datus eſt. Nam cũ nomine
exercitioq; aranea vermis cum Arachne cõueniat,& filo pendeat,vt ipſa laqueo pe
pendit;Arachnẽ deorum miſeratione, in araneam vermem cõuerſam dixere,& aſſi=
dua cura priſtino vacare ſeruitio,Alij vero dixerunt,ꝙ eſto laqueum induerit mori=
tura non tamen mortuam,adiutorio interueniente ſeruorum,ſed artificio poſito,do
lore vacaſſe.

¶De Delbora prophetide Hebræa. CAP.XV.

DElbora prophetis,fœmina natione Hebræa ex tribu Effraim,cu
iuſdã viri tribus ſuę nomine Lapidoth vxor,populiq; Iſrael iu=
dex & princeps,anno ante aduentũ domini noſtri IESV CHRI
STI vigeſimo ſupra milleſimum & trecenteſimũ,Suſcepto itaq;
populi ſui principatu,tantũ ſanctimonia belliſq; valuit, vt mul=
tis populi ſui imperiũ honoribus ampliauerit, ipſumq; populũ
ſuum,a finitimis Chananæis varijs ac plurimis vexationibus op
preſſum,ingenti virtute liberauerit,atq; eum in libertatẽ perq̃ maximam per vigin=
ti annos vẽdicauerit. Nã Aioth Hebręorũ iudice, optimo plane viro vita functo,cũ
populus Iſrael ab inſtitutis & præceptis domini plurimũ deflexiſſet, & Apidis vi=
tulum,atq; alia gentiũ portenta adoraſſet,diuinam miſericordiã & benignitatẽ in=
ſenſiſſime offendit. Quorum quidẽ ingratitudine dominus permotus, illos inſectã=
do,in manus Iabim Chananæorum regis affligendos tradidit,qui in Aſeroth ciuita
te regnabat. Qui habebat armatorũ.300.milia,equitũ.10.milia,& curruũ tria milia
poſſidebat. In ipſa ſua militia Syſara dux erat,apud regem honore primus. Qui ve=
niens ad Iſraelitas,vehementer per.20.annos afflixit, ita vt tributa eis imponeret.
Qui dũ crudelem in modũ opprimerentur agnoſcentes has calamitates ſibi pro le=
gum contẽptu eueniſſe,hanc prophetidem Delborã rogauerũt,vt deum pro eis de=
precaretur. quatenus miſericordiã haberet eorum, & ne deſpiceret eos a Chananæis
oppreſſos. Quæ populi ſui pietate permota,dominũ deum patrum ſuorũ orationi=
bus & obſecrationibus exorare non deſtitit. Cuius orationibus inclinatus dominus,
eorũ ſaluti annuit,& cõfeſtim Barach de tribu Neptalim ducẽ elegit, virũ vtiq; ro=
buſtiſſimũ. Quem cum ad ſe euocaſſet,mandauit vt exercitũ.10.miliũ pugnatorum
tribuũ Neptalim & Zabulon ſibi deligeret,& ad hoſtes procederet intrepidus,quo=
niã victoriam reportaret. Cũq; Barach non ſatis ſibi cõfidens,dixiſſet: nõ ſe exercitũ
fore ducturum,niſi & illa quoq; vna procederet. Illa,vt erat fœmina inuicti & excelſi
animi,maxima fide pręmunita: irata,dixit. Tu quidẽ mulieri dignitatẽ quam cedis,
deus tibi cõtulit,ego non refutabo. Et cõgregãtes prædicti exercitus numerũ, caſtra
metati ſunt apud montẽ Thabor,Quibus Syſara exercitus dux obuiã venit, & non
procul ab eis caſtra fixit,At Delbora cum Barach fide perq̃ maxima præmunita,cõ
tra eos viriliter in certamen acceſſit. Cõgreſſuq; facto,vniuerſum inimicorũ exerci=
tum fuſum,ad internetionẽ vſq; fugauit. Syſara vero exiliẽs de curru,cũ videret fugã
exercitus ſui,& ipſe fugiens venit ad quandã mulierem Cinei nomine Iahel,quæ ro
gantem vt ſe celaret,ſuſcepit: & petenti dedit lactis potũ,Erat enim fatigatus. & cũ
nimium bibiſſet,ſtatim in grauiſſimum ſomnũ eſt conuerſus,Illa vero illico dormiẽ
ti ferreum clauũ per tempora immiſit,& eũ malleo percuſſum, ad terrã vſq; defixit,
& hominibus Delboræ poſt paululũ venientibus,eum oſtendit terra defixũ. Hacq;
victoria Delbora elata etiã exercitum ſuper Aſſur mouens,& obuiam venientem in=
teremit Iabim,& cadente rege,ciuitatẽ cepit,& ad fundamenta vſq; vniuerſam euer
tit. Ac ſic triumphus perq̃ maximus Hebræis per fœminã acceſſit. Ipſa autẽ ne tan=
tum bonum victoriæ ſibi,ſed deo omnipotenti aſcriberetur pro tã ſplendida victo=
ria cum eſſet etiã mulier eruditiſſima,hymnũ domino vna cum Barach decantauit
ſuauiſſimum,vt habetur libro Iudicum cap.quinto. Barach autem poſt hęc princeps
Hebræorum fuit per.40.annos.

¶De Erithræa Sibylla vna ex decem. CAP.XVI.

ERithæa ſeu Eryphilla Sibylla,ex decem Sibyllis ſecunda,temporibus prędictæ Delboræ iudicis,plurimum apud Erithræam inſulam inſignis & honorata fuit. Hæc quippe cum etiam fœmina admodum timorata,rerumq; diuinarũ magnæ deuotionis ac maximi ingenij maxime illuſtrata,necnõ & magni meriti apud deũ omnipotẽtem,meruit diuino munere tãta claritate futura deſcribere,vt euangeliũ potius quam vaticiniũ diceres. Nã de CHRISTI incarnatione,paſſioneq;,ac reſurrectione,necnõ & de beata virgine MARIA, atq; de Iudæorũ regno plurima apertiſſime prædixit,Deinde percunctantibus Gręcis de expeditione Ilii, tanta claritate ſuos labores & Ilii excidium pulchro deſcripſit carmine,vt nil poſt factum,q̄ ante clarius noſceretur,Alijſq; carminibus varios caſus imperij Romani complexa fuit.atq; alia futura prope innumerabilia arcana,diuina mente ita aperte conſpexit,vt eam hiſtoriam dictaſſe,non venturos actus diceres. Quibus meritis,& dilectiſſimam deo fuiſſe arbitrandum eſt,& præ cæteris gentilium fœminis venerandam. Floruit quoq; perpetua virginitate,ꝙ profecto credendum omnino eſt. Cum in contagioſo pectore tanta futurorum lux,nullatenus defluxiſſe potuiſſet. Quibus illuſtrata virtutibus,tandem beato fine quieuit.

¶De Medea Colchorum regina. CAP.XVII.

MEdeæ Colchorum reginæ,quæ fuit temporibus prædictæ Sibyllæ,vitam,non inter claras mulieres vtiq; computandam, pro cautela tamen multarum mulierum,quę neſciunt ſuos a noxijs aſpectibus cohibere oculos,putaui ſcribendam. Quia ex eorum impudentia, ſæpe plurima proueniunt mala, vt ex documento huius perpulchre elicere poſſumus. Fuit itaq; hæc Medea ſęuiſſimum veteris perfidię documentum. Habuit enim Oetam clariſſimum Colchorum regẽ patrem,Matrem vero Perſam ipſius regis coniugem. Fuit formoſa ſatis,ſed malefica in omni genere maleficij. Quæ a quocũq; magiſtro inſtructa fuerit,ita plena euaſit erudita, vt nemo melius. Adeo enim herbarum vires familiares habuit, earumq; virtutes plene nouit,vt cantatis quibuſdam carminibus,turbare cœlum,ventos ex antris elicere,tempeſtates mouere,flumina ſiſtere,venena omnia cõficere, pro libito poſſet,atq; elaboratos ignes ad quodcũq; incendium componere, & omnia huiuſmodi ſciret. Nec illi,quod lõge peius, ab artib9 fuit diſſonus animus. nã deficientibus eis cęteris,ferro vti arbitrabatur leuiſſimũ. Hęc Iaſonem Theſſalũ, eo ſeculo conſpicuũ virtute iuuenẽ,a Pelia patruo,ſuæ probitati inſidianti, ſub prętextu glorioſiſſimæ expeditionis miſſum in Colchos,ad aureum ſurripiendum vellus,eiuſdẽ capta præſtantia,dilexit ardenter,egitq; ad eius promerẽdam gratiam,vt orta inter incolas ſeditione,patri ſuſcitaretur bellũ,& conſequendi votũ Iaſoni ſpatium præſtaretur. Quis hoc ſenſatus homo etiam arbitraretur, ꝙ ex vno oculorum intuitu opulentiſſimi regis exterminium ſequeretur? Eo igitur patrato ſcelere,cum dilecti iuuenis meruiſſet amplexus,cum eodem ſecum patriam, ſubſtãtiamq; omnẽ trahens,clam fugã arripuit. Nec tam grandi facinore contenta,in peius trucem animum cõuertit. Arbitrata quidẽ Oetam ſecuturũ profugos,ad eum ſiſtendũ,in Thomitana Phaſidis inſula,per quã ſecuturo tranſitus futurus erat,Egyaleum puerũ fratrem ſuum quẽ in hoc fugæ comitem ſecũ traxerat,obtrũcari,& eius mẽbra paſſim, per arua diſpergi iuſſit,vt dũ ſparſa miſerabilis colligeret genitor, & ea lachrymans tumulo daret, & fugientibus, etiam fugę ſpatium cõmodaret. Nec fefellit opinio, ſic enim factum eſt. Tandem cum poſt errores plurimos in Theſſaliam cum Iaſone

deueniſſet ſuo, Eſonemq́; ſocerum, tam ex reditu nati q̃ parta victoria, prædaq́; & illuſtri coniugio tanta repleſſet lætitia, vt reuocatus in floridam videretur ætatem, Iaſoni paratura regnum, arte ſua Zizaniam inter natas & Peliam ſeuit eaſq́; in patrẽ miſere armauit. Cæterum labẽtibus annis, exoſa Iaſoni facta, & ab eodem loco eius, Creuſa filia Creontis Corinthiorum regis aſſumpta, Impatiens fremenſq́;, cũ multa in Iaſonem excogitaſſet, eo prorupit, vt ingenio ſuo Creuſam Creontiſq́; regiam omnem abſumeret igne volatili. Et ſpectante Iaſone, quos ex eo ſuſceperat filios trucidaret & Athenas aufugeret. Vbi Aegeo nupta regi, cum Medum a ſe denominatum ſuſcepiſſet filium ex eo, & fruſtra Theſeũ redeũtem veneno tentaſſet occidere, tertio fugam arripuit. & cum Iaſonis in gratiam rediſſet, vna cum eo, omni Theſſalia ab Aegialeo Pelię filio pulſi repedauit patriã in Colchos: Senẽq́; atq́; exulem patrem regno reſtituit. ¶Quid tandem egerit, quove ſub cœlo, ſeu mortis genere diẽ clauſerit, non inuenitur. ¶Huius igitur Medeæ peſſimæ mulieris geſta volui ſub cõpendio hic apponere, Vt reliquæ mulieres diſcant ſuos cohibere acri ſub freno ne laſciuiant oculos, Quia ſi eos clauſiſſet hæc triſtis Medea, & non in Iaſonem impudẽter erexiſſet, Diutius patris potentia ſtetiſſet, ſimiliter & vita fratris, ac ſuum virginitatis decus perſeueraſſet infractum, Quæ omnia ipſorum impudentia ſimul periere.

¶De Orithia Amazonum regina. CAP.XVIII.

ORithia Marpeſiæ reginæ fuit filia, & ipſa prædictarum trium fœminarum tempeſtatibus matri in Amazonum regno fœliciter ſucceſſit, Mulier ſane inter cætera virginitate perpetua inſignis ac plurimum commendanda. Quæ tantum bellis valuit, vt regnum auitum magnopere auxerit, & adeo militaris diſciplinæ ſuæ laudes extulit, vt arbitraretur Euriſteus Mycenarum rex duro poſſe bello eius balteum obtineri, Et ob id aiunt debitori Herculi, tanq̃ maximum iniunctum vt illud offerret eidem. Eximia quippe mulieri gloria eſt, ſibi ad ſplendidam ac morum gloriam & virtutem, obiectum Herculem cuncta ſuperantem. Qui cum in expeditionẽ intraſſet & nouem longis nauibus Amazonũ occupaſſet litus abſente Orithia, in tumultuantes Amazonas ob paucitatem & incuriam de ſe facile victoriã prębuere, captęq́; Menalippa & Hippolita ſorores, Antiope dato reginæ balteo Menalippæ reſtituta eſt, verum cum aſportaſſe Hippolitem Theſeũ expeditionis ſocium Orithia audiſſet in Græciam omnem, conuocatis auxilijs, bellum mouere auſa eſt, Sed ob diſſenſionem, ab auxilijs derelicta, ab Athenienſibus ſuperata in regnum redijt, nec quid vlterius egerit inuenitur.

¶De Argia Græca muliere. CAP.XVIIII.

ARgia mulier Gręca fuit, & ex Argiuorum regibus ſtirpe progenita, Adraſti regis filia, temporibus Abimelech Hebræorum iudicis, cum eſſet nupta Polinici Thebarum regi exuli, perpulchrum atq́; integerrimum cõiugalis amoris perenne exemplũ vniuerſis reliquit. Hæc itaq́; cum viro exuli Theſandrũ peperiſſet filiũ, aduertens maritum curis agitari, facta anxietatum particeps, Adraſtum patrem iam ſenẽ, non ſolum exorauit lachrymis precibuſq́; verum & armauit in Etheoclẽ præter pactionum leges, cum fratre Thebanum regnũ occupantem, Et ne fatale reſponſum detrimentum ſuſciperet, Euridici Amphiarai vatis coniugi, præter naturam fœmineam liberalis effecta, pretioſum illud matronis infaſtum vltro contulit. Ex quo latitans patefactus Amphiaraus in Thebas iuit, ſed infelici fortuna. Nã pręter multam certaminũ ſtragem, cęteris interfectis ducibus, &

Adraſto auxilijs nudato atq; ſemifugato,cũ inter cætera ſordidi vulgi cæſiq; cadaue ra,Polinicis ſui mariti corpus inſepultũ iacere anxia vxor audiſſet, Cõfeſtim regio decore abiecto,& thalami mollitie,ac debilitate fœminei ſexꝰ ſepoſitã, paucis comi tata,acceſſit in caſtra. Nec eam terrere potuerunt inſidiantium itinera,non impii ho mines,non feræ,nõ aues occiſorum hominũ ſequentes corpora,nec quod terribilius eſt, Creontis regis edictum, quo cauebatur pœna capitali,ne quiſq̃ vllum occiſorũ ſepelire pręſumeret corpus: Quin ardẽti plenoq; animo,nocte media certaminis cã pum intrans,'cæſorum atq; fœtenti odore redolẽtia corpora nunc hoc,nũc illud de= uolueret,vt paruæ facis auxilio, ora tabentia dilectiſſimi viri agnoſceret. Nec ante deſtitit,q̃ quod quæreret inueniret. O nimiũ ſemeſa iam facies armorũ rubigine & & ſqualore oppleta puluereo & marcido iam cruore reſperſa, nulli iam certe cogno ſcenda amantiſſimæ coniugi occultari non potuit. Nec infecti vultus ſordes potue= runt amouere vxoris oſcula,non voces,non lachrymas,non ingens regis præceptum. Nam cum ſæpe vitalem per oris oſcula exquiſiſſet,lauiſſet fœtidos artus,& ſępe cũ vocibus in ſuos amplexus reuocaſſet mortuũ,flammis iam flagrantibus, ne quid pij officij prætermiſſum relinqueret,eũ ignibus tradidit cõburendũ, cõſumptũq; ipſa= met vrna cõdidit. Nec ob amorẽ ſui viri expauit ſeueri regis gladiũ aut cathenas ſu= bire. ❡Fleuere perſępe plurimę mulieres virorũ ęgritudines,carceres,paupertatẽ, & multa alia infortunia,tamen ſpe mitioris fortunæ ſtante. Quod etſi videatur lauda= bile,extremum tamen dilectionis indicium dici non poteſt. vt Argiuæ obſequia pi= entiſſima dici potuere. Hæc quippe intrepida hoſtiles petijt agros,dum flere in pa= tria poſſet,fœtidũ cõtrectauit corpꝰ quod iniũxiſſe poterat alijs fœminis,regiũ etiã impendit honorem,cũ clam infodiſſe qualitate temporis inſpecta,ſatis erat. Vlula= tus emiſit fœmineos,vbi poterat pertranſire tacita. Nec quid ſperaret habebat ex occiſo marito,cum quid timeret adeſſet ab hoſte. Sic verus amor,ſic fides integra,ſic coniugij ſanctitas & illibata caſtitas ſuaſiſſe potuere. Quo merito,laudanda,colen= da,& ſplendido extollenda præconio venit hæc Argia.

❡De Manto Tyreſiæ filia. CAP.XX.

MAnto Tyreſiæ maximi Thebanorũ vatis filia, temporibus Thola iudicis Hebręorũ & ante Chriſti domini noſtri aduentũ,trigeſimo ſeptimo,ſupra mileſimũ & ducenteſimum: plurimis virtutibus in= ſignis & clara plurimum fuit. hæc itaq; ſub magiſterio & doctrina patris tam prompti atq; capacis fuit ingenij, vt Pyromantiam ſeu nigromantiã vetuſtiſſimum Zoroaſtis regis inuentum adeo egre= gie diſceret,vt tẽpore ſuo nemo melius flãmarũ motus, calores, & murmura, qbus,neſcio quo diabolico opere,futurorũ dicũt demõſtrationes ineſſe,co gnoſceret. Præterea fibras pecudũ & aliarũ quarũcunq; pecudũ exta perſpicaci co= gnouit intuitu,traxitq; ſępiſſime (vt creditũ eſt) ſuis artibus ſpiritus immũdos & in= ferorum manes coegit in voces,& reſponſa dare quęrentibus cõpulit. Sane cum bel= lo cecidiſſent Argiui,reges qui Thebas obſederant, occupaſſentq; imperialem vrbẽ, hæc nouum regem metuens in Aſiam perrexit,ibiq; Clarii Apollinis fanum poſtea celeberrimũ diuinatione inſtituit, & Mopſum inclytum diuinatorem peperit,licet ex quo conceperit neſciatur. ❡Alij tamen aliter ſentientes,dicunt eam poſt Theba= num bellum,cum quibuſdam ſuis complicibus diu erraſſe,Et tandem in Italiã deue niſſe,Ibiq; cuidam Tyberino iunctam,cõcepiſſe & peperiſſe filium quẽ Cytheonum dixere,a qnibuſdã etiam Bianorẽ vocitatũ. Et inde cũ prole in Ciſalpinã Galliam trãſiſſe, Vbi cũ paluſtria loca Benaco lacui cõtermina cõperiſſet,ſui natura immitiſ ſima ſeu vt ſuis incantationibus vacare liberius poſſet,ſeu vitæ reſiduũ ſecurius du= cere,in palude in ſupereminẽte aquis ſolo ſedẽ poſuiſſe. Et demũ mortuam ibidem

ſepultam fuiſſe. Circa cuius tumulũ (aiunt) Cytheonum ciuitatem grandẽ ſuis conſdidiſſe,& eam de matris nomine Mantuam appellaſſe. Quidam tamen aliter affirmant,eã videlicet vſq; ad mortem virginitatẽ illibatã ſeruaſſe. Sed per ſe vrbẽ Mãtuam condidiſſe,& ex ſuo nomine ipſam vocitaſſe.

¶De Meduſa quæ Gorgonis cognomentum habuit. CAP.XXI.

MEduſa fœmina,quę Gorgonis cognomentum ſortita fuit,vſq; ad tẽpora Thola iudicis Hebręorũ, qui fuit ante Chriſti domini noſtri aduentũ,anno.ſ.quinto decimo ſupra milleſimũ & cẽteſimũ, feliciſſime pruenit. Hæc itaq; Phorci ditiſſimi regis filia,& præ cæteris quatuor ſororibus ſuis hæres fuit,ipſe enim Phorcus rex & pater huius Gorgonis de quo in tertio libro Chronicarum noſtrarũ meminimus quatuor filias habuit eximiæ pulchritudinis, Eurialẽ, videlicet & Stenionẽ,Syllanã ac Meduſam hãc,quę ita ſimiles ſibi erãt,vt vix vna dignoſceretur ab altera.quibus etiã vnum fuit regnũ, vnde finguntur fuiſſe monoculæ.i.eiuſdem vultus & pulchritudinis cũ omni pulchritudine. ¶Huius igitur opulentiſſimum regnum in atlantico mari extitit. & ea cæteris ſororibus pręlata fuit,Quæ tã admirandæ fuit pulchritudinis,vt non ſolũ cæteras ſui temporis mulieres excederet,ſed quaſi quoddam mirabile pręter naturã,quã plurimos ad ſe vidẽdam pertraheret homines. Præterea eã nonnulli agricolationis fuiſſe peritiſſimam aſſerunt eamq; inde Gorgonis conſecutam cognomen. Cuius opere mira cum ſagacitate,non ſolum patrias ſeruauit diuitias,ſed & in immenſum auxit adeo,vt qui eã nouerunt,crediderunt ipſam quoſcũq; reges anteiſſe theſauris. ¶Et ſic tam pulchritudine eximia,q̃ etiam opulentia & ſagacitate in ampliſſimam famam apud multas nationes euaſit. Verum inter alios celebri rumore ad Argiuos perlata eſt. Inter quos Perſeus florentiſſimus Achiuæ iuuentutis,audito talium relatu, in deſiderium incidit,& videndi ſpecioſiſſimam fœminam & occupandi theſauros,& ſic naui conſcenſa, cui Pegaſus equus erat inſigne,in occaſum mirabili celeritate deuectus eſt. Ibiq; prudentia vſus & armis,reginam occupauit, & aurum, & omnia ſua auferens, onuſtus optima præda,ad ſuos cum gaudio remeauit. ¶Ex his,locum ſibi poetica adinuenit fictio,qua legimus Meduſam Gorgonem aſſuetam ſaxeos facere quos inſpiceret, eiuſq; crines in angues verſos ira Mineruæ,eo q; templum eius,Neptuni cõcubitu vitiaſſet,peperiſſetq; Pegaſum & Perſeum equo inſidentem alato, eius in regnum euolaſſe,& Palantei egidis vſu ſuperaſſe. Varro dicit Phorcum huius Meduſæ patrem regem fuiſſe Sardiniæ & Corſicæ inſularum. qui cum Atlante rege naualí prelio decertaſſet,victus,& in mari ſubmerſus,marinus deus Græca loquacitate vocatus eſt. Quod Vergilius in quinto Aene,tetigit dicens, Tritoneſq; citi,Phorciq; exercitus omnis.

¶De Nicoſtrata Ionij Arcadum regis filia. CAP.XXII.

NIcoſtrata ,cui poſtea apud noſtros Carmẽtis nomẽ fuit,tempore Iair Hebręorum iudicis,qui fuit ante CHRISTI domini noſtri aduentum,anno duodecimo,ſupra milleſimum ducenteſimum, apud Italos noſtros vaticinatrix clariſſima effulſit. Hæc quippe Ionij Arcadum regis filia,non ſolum regni fulgore inſignis fuit ſed & literarũ græcarum doctiſſima,adeo verſatilis eximiiq; ingenii fuit,vt ad vaticiniũ vſq; florentiſſime peruenerit,& vates notiſſima vocaretur. Quę cum quęrentibus,& a ſe ipſa nonnunq̃ futura multa carmine expromeret,a Latinis poſtea Carmenta eſt nũcupata. Quæ Euandrum Arcadũ poſtea regem genuit filium,quem fabulæ ſeu quia eloquens atq; facundus ſeu quia aſtutus homo fuerit,ex Mercurio fuiſſe cõceptum volunt. Qui,vt quidã dicũt,cum caſu eũ qui verus pater erat occidiſſet,e regno auito pulſus,ſuadẽte Nicoſtrata matre, &

magna vaticinio ꝓmittente ſi has peteret quas oſtẽderet ſedes facta peregrinationis ſocia. Conſcenſis itaqꝫ nauibus cum parte populorum, vento proſpero, ex Peloponeſo ad Tyberis hoſtia deuenit, & nõ procul ab eodem loco, matre duce in Palatino monte quem a Palante filio nominauit, cum ſuis conſedit. Et ibidem Palantæũ oppidũ cõdidit. Porro Carmenta cũ indigenas gentes comperiſſet fere ſylueſtres, Eſto iandudum Saturni munere didiciſſent ſegetes ſerere, eoſqꝫ nullo literarum vſui, ſeu modico & hoc Grçco modo aſſuetos. eiſdem cum eſſet ingenii verſatilis & prope diuini mulier, nouos literarum characteres adinuenit, eoſqꝫ & earũ coniunctiones atqꝫ ſonos edocuit. Quæ ab initio ſedecim fuere. Syluius deinde quidam ludorum magiſter K poſtmodum ſuperadiecit. Q autem ſuperuacua habetur. H vero, non eſt litera, ſed aſpirationis nota. X temporibus diui patris noſtri Auguſtini perhibetur inuenta. Tunc quoqꝫ, Y & Z, a Græcis Latini mutuati ſunt. Atqꝫ ita his ſupradictis characteribus vſqꝫ in hodiernum omnes vtimur. Cuius mulieris vaticiniũ & ingenium admirati omnes Latii rudes, ipſam non fœminam ſed deã e cœlo lapſam arbitrati ſunt. Quam ob rem cum viuẽtem diuinis celebraſſent honoribus, etiam poſt mortem eidem apud Capitolium vbi primum conſederat, ſacellum ſuo nomini condidere, & ad eius perpetuandã memoriam etiam loca adiacentia a ſuo nomine Carmentalia vocauere. Huic itaqꝫ diuinæ prope mulieri, non ſolum Italia noſtra, ſed & Europa vniuerſa pro tanto beneficio tãtoqꝫ inſigni munere plurimum debere exiſtimo. quã ob rem ne a quoquã ingratitudine merito redargui vnq̃ poſſimus, vt illud pro viribus in æternam memoriam efferamus, piiſſimum eſt. Creditur quoqꝫ illã nobis grammaticę facultatis dediſſe prima ſemina, quæ in ampliorem ſegetem maiores noſtri ſucceſſu temporum traxere, Quibus adeo propitius fuit deus, vt Hebraicis Græciſqꝫ literis parte maxima gloriæ dempta, omnis quaſi Europa amplo terrarum tractu noſtris vtatur. Quibus delinita facultatũ omnium infinita ſplendent volumina hominum geſta, deiqꝫ magnalia perpetua ſeruantur memoria, vt quæ vidiſſe nequiuimus ipſi eis opitulantibus cognoſcamus.

¶De Pentheſilea virgine Amazonum regina. CAP. XXIII.

Pentheſilea virgo Amazonũ regina, temporibus Iepthe Hebręorũ iudicis. qui imperabat Hebræis anno mũdi. 4007. hoc eſt ante aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti nonageſimo ſecũdo ſupra milleſimum & centeſimũ annum. Orithiæ reginę in Amazonum regno ſucceſſit. Hanc ferunt ſpreuiſſe omnem decorẽ fœmineũ, & ſuperata omni muliebri mollicie, arma induere maiorũ ſuarũ aggreſſam & auream comam galea tegere, ac latus munire pharetra, & militari non muliebri ritu currus & equos aſcendere, ſeqꝫ præ cæteris reginis mirabilẽ exhibere, & viribus & diſciplina tali auſa eſt. Cui nec ingenium validum defuiſſe conſtat, Cum legatur ſecuris vſum vſqꝫ in tempus ſuum penitus incognitum, ab ea fuiſſe compertum. Hæc igitur audita Hectoris Troiani virtute, etiam inuiſum ardenter amauit, & cupidine inclytæ prolis in ſucceſſionem regni ex eo ſuſcipiendę, in tã grandem opportunitatẽ, cũ maxima ſuorum copia, in auxilium aduerſus Græcos, facile prouocata deſcendit. Nec eã clara Græcorũ principũ perterruit fama, quin Hectori armis atqꝫ virtute cupiẽs, q̃ formoſitate placere, ſæpiſſime certamina frequentiũ armatorum intraret, & nõnunq̃ haſta proſternere, quandoqꝫ obſiſtẽtes gladio aperire, Et perſępe arcu verſas in fugam turmas pellere, & tot tãqꝫ grandia viriliter agere, vt ipſum ſpectantẽ aliquando Hectorẽ in ſui admirationem deduceret. Tandẽ dum in confertiſſimos hoſtes hæc virago pręliaretur ſola, ſeqꝫ vltra ſolitum tãto amaſio digna reſponderet, multis iam ex ſuis cæſis letali vulnere ſuſcepto, miſeranda medios inter Græcos a ſe ſtratos occubuit. Alij tamen volunt eã Hectore iã mortuo appli-

cuiſſe Troiam, & ibidem acri pugna cæſam. ¶Eſſent qui poſſent mulieres quantũ=
cumqꝫ armatę mirari,in viros vnq̃ incurrere auſa,quoniam vſus in naturam vertatur
alteram, quo hæc, & huiuſmodi longe magis in armis homines factæ ſunt, q̃ ſint,
quos ſexu maſculos natura fecit,& otioſitas & voluptas vertit in fœminas, ſeu le=
pores galeatos.

¶De Helena Tyndari regis filia. CAP.XXIIII.

HElena Tyndari Oebaliæ regis & Lædæ formoſiſſimæ mulieris fi=
lia,quæ ex ſua admiranda & incredibili pulchritudine credita eſt
ſolis filia,& Menelai Lacedæmonum regis cõiunx,tẽporibus prę=
dictæ Penteſileæ reginæ propter diuturnũ bellum ex ea confectum
toto orbi notiſſima effulſit. hæc itaqꝫ tanta pulchritudine inſigni=
ta fuit,vt cæteris omnibus mulieribus merito præponi debeat.Fa
tigauit etenim plurimum diuinũ illum diuini ingenij virũ Home
tum poetã,anteq̃ poſſet illam ſecundũ pręcepta,ſatis cõuenienter carmine deſcribe=
re.¶Præterea pictores & ſculptores multiplices omnes egregij,eundem ſumpſere la
borem,vt tam eximij decoris,ſaltem effigiem,ſi poſſent,poſteritati relinquerẽt.Ab
hac tã ſpectanda pulchritudine, in Laconas Theſeus ab Athenis ante alios euocatus,
virginem ætate tenellam, in palæſtra ex more ludentem,rapuit. Etſi præter oſcula
pauca eidem quicq̃ auferre nequiuerit, tamẽ aliqualem labefactatę virginitatis inie=
cit notam.Quæ a fratribus ab Electra Theſei matre,ſeu vt alij volũt,a Proteo Ae=
gyptio rege,Theſeo abſente repetentibus,reſtituta eſt,Et tandem matura viro,Me=
nelao Lacedæmonũ regi matrimonio coniuncta eſt. Cui Hermionen filiam peperit
vnicam,poſt hęc fluentibus annis,cum Ilion rediſſet Paris,qui ob ſomnium pręgnã=
tis matris,in Ida fuerat expoſitus & in lucta Hectorem fratrem ſuperaſſet,nõ cogni=
tus:mortem,crepũdijs oſtenſis,& a matre cognitis,euitaſſe,memor ſponſionis ſpe=
cioſiſſimæ coniugis,ſibi a Venere oblatæ apud Idam ſuam, fabrefactis ex Ida naui=
bus,regio comitatu ſociatus tranſfretauit in Græciam, vbi a Menelao humaniſſime
fuit hoſpitio ſuſceptus,Ibiqꝫ cum vidiſſet Helenam cœleſti decore conſpicuam,atqꝫ
in regio cultu laſciuientem,ſeqꝫ intueri cupientem,illico captus,& ex moribus ſum=
pta ſpe,captato tẽpore,ſcintillantibus feruore oculis furtim in pudico pectore,ignẽ
ſuæ dilectionis ingeſſit.Cœptiſqꝫ fortuna fauit.Nã exigente opportunitate,eo re=
licto,Cretã Menelaus perrexit.Quam ob rem Paris Helenam ita volentem,ſtatim
rapuit,& ſuæ claſſi paratæ,cũ maxima theſaurorum Menelai parte impoſuit. & ſic
cũ ea gaudens (poſt multa pericula) in Troiam deuenit,Vbi & magno cum honore a
Priamo rege ſuſcepta eſt.hac huius mulieris illecebra vniuerſa Gręcia commota eſt.
Et cũ Gręci omnes principes,Paridis potius iniuriam ponderarent,q̃ Hælene laſci
uiam (ea fruſtra ſæpius repetita) in Troiæ excidium coniurarunt. collectiſqꝫ vnani=
miter viribus, cũ mille & eo amplius nauibus armatorũ onuſtis,litus Phrygiũ occu=
pauere,& Ilion ciuitatẽ obſederũt,fruſtra obſiſtẽtibus Troianis.Helena autẽ quãti
foret ſua formoſitas , ipſamet ex muris obſeſſę ciuitatis perſpicue vidiſſe potuit.
Cernens litus omne hoſtibus completum, & igne ferroque omnia deſolari,populos
certamina inire,ac per mutua vulnera,in mortẽ ruere,& tã Troiano q̃ Gręcanico ſan
guine omnia fœdari.Quæ quidem tam pertinaci propoſito,repetita fuit atqꝫ deten
ta,vt dũ non redderetur,per decẽniũ,cæde multorum nobilium cruenta perſeuerau e
rit obſidio.Qua ſtãte,Hectore iã mortuo & Achille atqꝫ a Pyrrho acerrimo iuuene
Paride trucidato,Helena quaſi paruũ ſibi foret ſemel peccaſſe,in ſecũdas inijt nupti
as,Nupſitqꝫ Deiphobo iuniori.Tandẽ Troia a Gręcis euerſa,Helenã Gręci Mene=
lao reſtituere,Qui gaudens nauim cũ illa cõſcendit, patriã.ſ. repetiturus,ſed tẽpe=
ſtatibus acti,in Aegyptũ,ad Polybũ regẽ deuenerũt.Indeqꝫ diſcedẽtes,atqꝫ octo an=
nis errantes (vt Euſebius refert) in patriã tandem redierunt. Quid autẽ poſt reditũ

ſuum domi egerit,aut quantum vixerit,ſeu quo tempore obierit:non habemus.Iſo crates vero Grecus hiſtoricus de Helena plurima referens,dixit illam iam ſenio confectam,& faciem in rugas contractam/per ſpecula inſpiciētem,viros illos fortes,lōgo riſu ridere conſueuiſſe:qui pro tam caduca tanq̄ fallaci re,tanto ardore & pertinacia depugnaſſent. Nō enim ob aliud ab Homero pugnare Græcos ſcriptum eſt, quā reſtituta Helena ſe receſſuros promittebant. Illā tamen Ouidius noſter fleuiſſe nō riſiſſe refert cū ait. Flet quoq; vt in ſpeculo rugas cōſpexit aniles Tyndaris,& ſecū cur ſit bis rapta,requirit. Et ideo quia nō ſpōte ſua rapta fuit,a viro ſuſcipi promeruit.

¶De Hecuba vxore Priami Troianorum regis. CAP.XXV.

HEcubam clariſſimam Troianorum reginam eximij ſplēdoris fulgentem iiſdem temporibus miſeriarum certiſſimum documentum omnibus fuiſſe conſtat.hæc quippe Cypſei Græcorum regis filia fuit,quam virginem pater in coniugium illuſtri Priamo Troianorum regi dedit, ex quo cum fœcunda admodum foret,decem & nouem vtriuſq; ſexus genuit filios, Inter quos iubar illud eximium Phrygiæ probitatis,Hector fuit. Cuius tātus extitit militiæ fulgor:vt non ſe tantum æterna fama ſplendidum faceret, quinimmo & parentes,patriamq; perenni nobilitauerit gloria, verum non tantum fœlicis regni decore ac multiplicis prolis ſerenitate fulgida facta fuit, quin vrgente aduerſa fortuna,orbi toto longe cognita deueniret. Hectorem nempe ſibi dilectiſſimum & Troilum adoleſcentem,& iam maiora viribus audentem immani Achille cæſos,ea cæde regni ſolidam ſpem fere euerſam mœſtiſſime fleuit. Sic & a Pyrrho Paridē trucidatum,inde auribus naribuſq; Deiphobum obtrūcatum atq; turpiter occiſum,Ilion igne cremari,Polytem patris in gremio confodi, Priamum ipſum ſenem ſecus domeſticas aras exenterari,Caſſandram filiam, Andromachen nurum, ſeq; captiuam ab hoſtibus trahi,Polixenam ante Achillis tumulum obtruncari,Aſtyanacten nepotem e latebris ereptum,ſaxo illidi miſeranda conſpexit. Et poſtremo in litore Thracio tumulatū adoſcētulum Polydorum Polymneſtoris fraude occiſum comperit atq; fleuit. Quibus tot,tāq; immanibus oppreſſam doloribus,in rabiem verſam,per agros Thracios,velut canis diſcerpendo ſe vlulaſſe dicunt,& ſic mortuam in tumulo Helleſpontiaci litoris,cui nomen a ſe Cynoſenia dedit,ſepultam.

¶De Polixena prædictę Hecubę reginæ filia. CAP.XXVI.

POlixena ipſius Hecubæ reginæ filia fuit, tam floridæ pulchritudinis,atq; elegantiæ virgo:vt pectori Achillis Peliadis,flammas immittere potuerit cupidinis, eumq; matris Hecubæ fraude in ſuam necem,nocte ſolum in tēplum deducere. O q̄ minus debito, lapſis Troianis rebus ac viribus & Ilio deiecto,a Neoptolomo in piaculum manium patris,& ad eius tumulū deducta eſt. Ibiq; delicata adoleſcentula videns acrem iuuenem gladium exemiſſe,flētibus circunſtantibus omnibus,adeo conſtanti pectore,& intrepido vultu iugulū prębuit,vt non minus admiratio fortitudinis eius,q̄ pietas pereuntis,moueret animos. Magnum quippe & memoratu dignū nequiuiſſe tenera ętas,ſexuſq; fœmineus, mollities regia,mutata fortuna, grandem opprimere virginis animum. Et potiſſimum ſub victoris & hoſtis gladio nonnunq̄ præſtantiſſimorum virorum pectora perſæpe deficiunt.

¶De Caſſandra prædictę Polixenę ſorore. CAP.XXVII.

CAſſandra Troiana,prædictæ Polixenæ ex vno patre rege ſoror, virgo & ipſa admodum formoſa fuit.quæ capta Troia in ſortē Agamennonis captiua deuenit,quam ſecum Mycenas perduxit, Vbi innocentiſſima puella a doloſa Clytemneſtra ipſius Agamennonis vxore interempta fuit, Hanc(vt Homerus ſcribit)cū Apollo plurimum amaret, & eius concubitum ſummopere expeteret, ipſa hoc munus ab eo expoſtulauit,quod illi Apollo ſe daturū iuramēto affirmauit,a quo illa petijt,vt vates fieret inſignis,& mox quod poſtularat obtinuit:volens poſtmodum Apollo ab ipſa quod ſpoponderat, illa negauit. Quam ob rem indignatus Apollo,cum auferre quod dederat nequiret, egit vt nulla vnq̄ eius vaticinijs fides adhiberetur:& ſic factum eſt,vt quod diceret tanq̄ fatue dictum,a nemine creditum ſit. Nam cum ex raptu Helenæ futura mala patri & fratribus prædiceret,non ſolum non credebant ei,ſed & verberibus duris caſtigabant eam.Et inter cætera cum Mycenis a Menelao traheretur,eidem prędixit:ſibi a Clytemneſtra vxore ptæparatas inſidias atq; mortem. Cuius verbis cum nulla daretur fides,ipſe Mycenas cum perueniſſet,ab ipſa Clytemneſtra occiſus eſt,atq; ipſa eiuſdem Clytemneſtrę iuſſu iugulata.

De Penelope Vlyſſis vxore. CAP.XXVIII.

PEnelope Vlyſſis ſtrenuiſſimi viri vxor ex Icaro rege filia,tēporibus Troiani belli fuit,cūctis matronis(teſte Homero poeta)extitit ſanctiſſimum & æternum illibati decoris atq; intemeratæ pudicitię exemplum, Cuius quidem pudoris vires permultum acriter a fortuna,ſed fruſtra,agitatæ ſunt. Nam dum eſſet iuuēcula & virgo & magnæ venuſtatis ac elegantiæ adoleſcentula,pater illam Vlyſſi matrimonio copulauit.Cui cum Telemachum filiū tantummodo peperiſſet,mox Vlyſſes laceſſentibus Troianis,in bellū conceſſit,Vbi cum per decēnium perſeueraſſet,illa conſtanti animo, per id tempus,omnem viduitatis iniuriam pertulit,Sed & deniq;,Ilio deiecto cum cæteri proceres patriam repetentes,in ſiniſtrā fortunam deueniſſent. Nauis Vlyſſis incertum curſum adeo tenuit, vt ab omnibus mortuus æſtimatus ſit,Qua credulitate,Anthiclia eius genitrix miſeranda,ad leniendum dolorem ſuum,laqueo vitam finiuit,Penolope autem conſtantiſſima atq; ſapientiſſima,etſi ægre plurimum ferret viri abſentiam, longe egregius, ſiniſtram mortis illius ſuſpitionem pertulit,ſed poſt multas lachrymas, & Vlyſſem fruſtra ſæpiſſime vocatum, diſpoſuit cum patre & filio puero animo firmiſſimo caſtiſſimam,& perpetuum ſeruare viduitatem,Verum cum eſſet præſtantiſſimis moribus,& eleganti forma plurimum inſignita,plurimorum nobilium expoſtulationibus vexata fuit.Eo maxime quia in dies,Vlyſſis vitæ ſpes & eiuſdem reditus minueretur,verum eo ventum eſt,vt Penelope ob faſtidium procorū rus abiret. Sed proci ipſi,Vlyſſis domum occupare cœperunt,vt ita Penelopen ipſam his modis in ſuum prouocarent coniugium. Sed caſtiſſima mulier , metuens ne forte ſui pectoris ſacri violaretur propoſitum,cum iam cerneret viam negationibus auferri,diuino illuſtrata lumine interius & aſtutia,infeſtos ſaltem, ad tempus fallendos eſſe eſt arbitrata: Vnde inſtanter petijt,ſibi liceret tādiu expectare virum,donec telam,quam more regalium cœperat,perficere poſſet,Quod cum egregij competitores facile cōceſſiſſent, ipſa fœmineo aſtu,quicquid in die,ſolerti ſtudio texens,videbatur operi iungere,clā reuocatis filis ſubtrahebat in nocte. Qua arte cum eos in regia Vlyſſis bona aſſiduis conuiuijs conſumentes,aliquandiu luſiſſet,nec iam amplius videretur locum fraudi poſſe prętare,pietate dei factum eſt,vt ex Pheacum regno nauigans,poſt vigeſimum ſui diſceſſus annum,ſolus & incognitus Vlyſſes domum deueniret. Et ſuam Penelopen fideliſſimam,ab inſidijs & moleſtijs prouocantium liberauit. Quæ cum vidiſſet

maritum,vix eum cognoſcere potuit. quo tandem cognito,ipſum cum ingenti gau=dio,diu deſyderatum ſuſcepit,Et cum eo iucunda vſq; in mortẽ deuenit. Cuius qui=dem clariſſima atq; cõmendabilis virtus(cum rara certe inueniatur) maximo & æter no digna eſt prçconio:eo quia impulſa acri certamine,conſtantiſſime perſeuerat in=concuſſa,vſq; in finem.

¶De Circe maxima maga & incantatrice. CAP.XXIX.

CIrce Solis & Nymphæ Perſç(vt poetæ omnes teſtãtur)filia,his tẽporibus quibus & Penelope, Incantationibus & celebri forma fa=moſiſſima toto orbi habita eſt. Quam ideo Solis filiã dixere, quia ſingulari floruerit pulchritudine, ac etiam herbarum omnium cla=ruerit cognitione, Quas ob res in maximam euaſit meretricem & notiſſimum ſcortum. Vnde vt liberius turpitudini vacaret, relictis Colchis in Italiam venit,& Etheum Volſcorum mõtem, quem de ſuo nomine in hodiernum vſq; diem Circeum dicimus, primum incolere cœpit, Et licet multa Poetica de ea referantur: videlicet quod magno præſtabat ingenio & q; ſuis blanditijs & incantationibus homines in eius amore ſuccenſos in beluas conuer teret,Diuus tamen Aug. decimo octauo de Ci. dei,non hoc fabuloſum ſed verũ fuiſ ſe vtiq; affirmat,Quia cantatis quibuſdam carminibus, aut infectis veneno poculis, in feras diuerſarum ſpecierum homines cõuertebat. Inter quos fuere Vlyſſis ſocij,eo Mercurij conſilio ſeruato: Qui cum euaginato gladio mortem ei minaretur,niſi ſo=cios in Priſtinam formam reſtitueret,ab eadem quod poſtulabat obtinuit. Verũ cum per annum apud eam permanſiſſet, & Thelegonum ex ea ſuſcepiſſet filium, ab eadẽ plenus conſilij diſceſſit. Eo tamen ſub cortice ſenſum aliquem latere exiſtimo. Hęc itaq;(vt prædictum eſt)haud lõge a Caieta Campaniæ vrbe,in quodã monte ſeu in=ſula habitauit qui Cyrceus ab ea vſq; hodie dictus eſt,Super quem in cacumine poſt=modum oppidum fabricatum Cyrceum habuit nomen, Sicut teſtis eſt Virgilius,in vij. Aene. circa quod aiunt incolæ, adhuc rugire beſtias diuerſi generis. In quo poſt=modum templum permagnificum in eius laudem a gentilibus extructum fuiſſe di=cunt,vbi & monſtrabantur olim quædam Mineruæ antra & Vlyſſis filia. Quo in lo co demum Romani pontifices,Arcem condidere munitiſſimam. Quæ afflictis Ro=manis rebus,barbarorum quam maxime temporibus,auxilio ſemper fuit. Sunt etiã qui dicant hanc fœminam Pici Saturni filij fuiſſe coniugem, eumq; augurãdi docuiſ ſe ſcientiam. Quando autem, ſeu quo mortis genere, aut vbi hæc defuncta ſit Cir=ce,non inuenio.

¶De Camilla Volſcorum regina. CAP.XXX.

CAmilla Volſcorum Regina,ex Methabo rege,& Camilla coniu ge nata,temporibus Sanſon hebræorũ iudicis,hoc eſt ante Chri=ſti domini noſtri aduentum anno cenſiteſimo,ſupra milleſimum & cẽteſimum. cum eſſet virgo memoratu digniſſima, inter arma ta exercitia ab Arũte quodã ex hoſtibus, ſagitta letaliter percuſ=ſa,cum maximo ſuorum damno expirauit. Quæ tantæ dignita=tis & laudis virgo fuit, vt in eius laudes Virgilius longa deſcri=ptiõe,ſeptimum Aeneidos librũ terminauerit. huius itaq; mater regina cum primũ eam peperiſſet,emortua eſt:qua mortua,rex Methabus pater,in ſui ſolatium,ex ma terno nomine,vna tantum litera dempta Camillam nuncupauit. Cui quidem virgi=ni,ab ipſo ſuo natali ſemper ſeuera fortuna fuit. Nam paulo poſt matris obitum Methabus rex pater e regno pulſus,nil aliud ſecũ in nemore abſportauit, præter hãc paruulam filiam,præ cęteris rebus ſibi dilectam. quam cum in nemore detuliſſet,eam magno labore ferino lacte educauit. Quę cum in validiorem deueniſſet ætatem cœ=

pit corpus ſuum,tegere tantum pellibus ferarum,inde fœmineos labores a ſe omnes
abijciẽs,corpus ſuum multis laboribus aſſuefacere cœpit:vt pote fundas circumage-
re arcus tendere,ceruos capreaſq; ſylueſtres inſequi,& alia permulta ſuſtinere.Indeq;
iuuenum amores deludere,ac potẽtum procerum conubia omnino reſpuere: vt vir-
ginitatem ſuam inuiolatam(quam Dianæ obſequijs deuouerat)poſſet integram ob-
ſeruare.Quibus quidem exercitijs virgo aſſuefacta,in patrium regnum tandem cum
gloria reuocata:etiam poſt adeptum regnum, virginitatis propoſitũ inflexo ſerua-
uit robore.Demũ cum Aeneas e Troia in Italiã perueniſſet,& Lauiniam ſumpſiſſet
vxorem,& ob id bellum inter eum Turnumq; Rutilum eſſet exortũ,ipſa Aeneæ par
tibus fauẽs,eidem cum grandi ſuorum agmine in auxilium venit:& cũ ſæpius arma-
ta irruiſſet in hoſtes,& die vna pugnãs ex eis multos occidiſſet,& nouiſſime dũ Cho
rebum quẽdam Cybeles ſacerdotem auidius inſequeretur,a quodam ex hoſtibus ſa
gitta percuſſa,defecit.cuius mors,maximum ſuis damnũ intulit. Eam itaq; Aeneas
cui auxilio venerat,poſt eius mortem laudare volens,non amplius habens quid dice
ret,niſi virginem eam nominare,ait. O decus Italię virgo.¶Hinc puellæ hodiernæ
optimum caſtitatis & pudicitiæ exemplum excerpere poſſunt:videre ſcilicet virgi-
nem ſui iuris adultam,& pro libito nunc huc, nunc illuc diſcurrẽtem, aſſiduo labore
laſciuias & immoderatos appetitus prementem,delitias atq; mollitiem fugientem,
& conſtantiſſimo animo iuuenum verba ſpernentem:quam cum viderint,& ipſæ di-
ſcant,quid eas in domo,quid vbiq; deceat.Quia non conuenit virginẽ optare quodli
bet,nec etiam agere quod licet.

¶De Didone regina optima, CAP.XXXI.

DIdo cui Elyſſa prius nomen fuerat,Beli Phœnicum regis filia,&
Pygmalionis ſoror,Sichęiq; optimi viri coniunx, tẽporibus Da
uid regis,in præcipuum viduitatis euaſit exemplum.Hanc itaq;
puellam forma ſpecioſiſſimam,poſt Beli genitoris mortem,Py-
gmalion prædictus frater,Sichęo ſeu Acerbę Herculis ſacerdoti
viro, vtiq; inſigni & ditiſſimo, in coniugio iunxit. Qui coniu-
gati inuicem ſanctiſſime ſe ſemper amauerunt. Erat præ cæteris
mortalibus cupidiſſimus Pygmalion auri, ſic & ditiſſimus Sichęus.Quem Pygma-
lion cupiditate tractus,per fraudem occidit incautum. Quod cũ cognouiſſet Dido,
adeo impatienter tulit,vt vix a morte potuerit ſe abſtinere.Sane cum multum tem-
poris conſumpſiſſet in lachrymis, & fruſtra ſæpius dilectiſſimum ſibi vocaſſet Si-
chęum,atq; in fratrem diras omnes maledictiões expetiſſet, in ſomnis monita, fugã
capeſſere deliberauit:ne forſan,& ipſa aliquãdo auaritia fratris,traheretur in mortẽ
Et poſita mollitie fœminea,ac firmato in robur virile animo (ex quo poſtea Dido-
nis nomen promeruit quod latina lingua virago ſonat)ſumpta occulte fratris claſſe,
confeſtim naualibus ſocijs cõpleri iuſſit.Et nocte ſumptis theſauris omnibus, quos
viri nouerat eſſe, & quoſcunq; fratri ſubtrahere potuit,clam nauibus imponi fecit.
Et excogitata aſtutia, pluribus inuolucris harena repletis, ſub figmento theſaurorũ
Sichęi inuidentibus omnibus eaſdem onerauit.Et cum iam altum teneret pelagi,mi
rantibus ignaris in mari proijci,inuolucra iuſſit,& lachrymis ſe mortẽ quã diu deſy-
derauerat,theſaurorum Sichęi viri ſubmerſione,adinueniſſe teſtata eſt.ſed ſocijs cõ-
pati,quos non dubitat ſi ad Pygmalionem irent,diris ſupplicijs(vna ſecum)ab aua-
riſſimo rege excarnificari, Sane ſi ſecum fugam arripere vellent,non ſe illis, & eorũ
opportunitatibus defuturam aſſeruit.Quod miſeri nautę audientes(& ſi ęgre) nata-
le ſolum,patrioſq; penates relinquerent,timore tamen ſęuę mortis exterriti, in cõ-
ſenſum exilij venere,& flexis proris,ea duce,in Cyprum inſulã ventum eſt:vbi vir-
gines Veneri in litore lamenta ſuorum more ſoluẽtes,ad ſolatium iuuentutis & pro-
lem procurandam rapuit.Et Iouis antiſtitem cum omni familia pręmonitũ,& ma-

gna huic fugæ ſubſecutura,vaticinantem ſociũ peregrinationis ſuſcepit.Et iam Creta poſt tergum & Sicilia a dextris relicta,in Africũ litus flexit, & Meſſuliorum orã radens,ſinum intrauit poſtea ſatis notum: in quo tutam nauibus ſtationem arbitrata:dare pauxillum quietis,fatigatis remigio,ſtatuit.Ibidemq; cõſiſtens,ne iniuriam accolis facere videretur: & nequis eam magnum aliquid ſuſpicaretur facturam, non amplius,q̃ quantum poſſet bouis corio occupare,ad ſedem ſibi cõſtituendam, ab accolis telluris partem mercata eſt.At illa prudentiſſima,aſtutia vſa:confeſtim bouis corium in tenuiſſimas corigias concidi mandauit:& longe plus ſoli,quam venditores arbitrati ſunt,amplexa eſt.Et auſpicio equini capitis,bellicoſiſſimam cõdidit ciuitatem:quam Carthaginem nuncupauit, & ipſius arcem a corio bouis Byrſam.Socij autem eius fugæ, videntes vrbis principium ac theſauros Didonis innumerabiles, animati:illico ſurrexere,& vrbis mœnia,templaq;,ac forum cum ędificijs publicis & priuatis erigere cœperunt.Ipſa autem datis populo legibus & norma viuendi, cum repente ciuitas euaſiſſet egregia, & ipſa fama inclyta, inuiſæ pulchritudinis, & inauditæ virtutis atq; caſtimoniæ,per omnem Africam delata eſt.Quam ob rem,cum in libidinem proniſſimi homines Afri ſint:Factum eſt, vt rex Libyæ in concupiſcentiam veniſſet eiuſdẽ:Qui eam a principibus vrbis,ſub belli denunciatione in coniugem poſtulauit. Quod cum ipſa reſciſſet, & ſua ſeque ad omnem caſum pro ſalute vrbis & patriæ donaſſet,ægre tulit:verum,terminum impetrauit, intra quem ſe ad virum ituram promiſit.Qui cum veniſſet,conſtructo ingenti rogo in eminẽtiori vrbis parte, quaſi Sichæi olim placatura manes, & pulla tecta veſte, ceremonijs varijs paratis,ac hoſtiis plurimis cæſis,illum aſcẽdit.Et aſtantibus ciuibus atq; expectantibus quidnam factura eſſet.Quæ cum omnia pro votis egiſſet:cultro,quem ſub veſtibus geſſerat,erepto,ac caſtiſſimo pectori appoſito:dixit. O ciues chariſſimi,vt vultis ad virum vado:vocatoq; Sichęo,inquit.Ego ad te venio vir amãtiſſime ad inferos. Et vix verbis tam paucis finitis:in cultrum & in ignem ſeſe præcipitem dedit,& auxilijs fruſtra admotis : cum perfodiſſet vitalia, pudiciſſimum ſanguinem effundens iuit in mortem. ¶De hac Didone, mulierum omnium gemma, diuus Hieronymus contra Iouinianum ſic inquit.Caſta Dido Carthaginem condidit,& pro caſtitate vitam finiuit:quia maluit ardere quam nubere. & rurſus inquit.Eadem vrbs in caſtitatis laude finita fuit:Quia Haſdrubalis vxor,capta & incenſa vrbe:cum ſe cerneret a Romanis capiendam eſſe,apprehenſis ab vtroq; latere paruulis filijs:in ſubiectum domus ſuæ deuolauit incendium. Igitur q̃diu Carthago ſtetit: Dido pro dea habita fuit,& merito quidem ab illo gentili populo:quia fuit inuiolatum pudicitiæ decus, infractæq; viduitatis venerandum ſpecimen.Quam vellem viduæ Chriſtianæ conſiderare dignarentur.Videre ſcilicet mulierem gentilem infidelemq;:cui adhuc Chriſtus nondum aduenerat,nec vlla ſalutis ſpes inerat,ſed ſolum ad conſequendam laudem perituram, tam perſeueranti animo, tamque forti pectore in mortem vſq; pergere:& non aliena manu,ſed ſua illatam:anteq̃ in ſecundas tranſiret nuptias, anteq̃ ſuum venerandiſſimum obſeruantiæ propoſitum violari permitteret. ¶Igitur Carthaginenſes ciues reginam Didonem mortuam,cum maximo luctu mœroreque,pro viribus non ſolum humanis,ſed & diuinis extulere honoribus. Nec tantum publicæ matris & reginę loco:ſed deitatis inclytę habita eſt,atque eam exquiſitiſſimis ſacrificijs ſemper coluere.

¶De Sabba Regina quę Nicaula proprio noīe appellabatur. CAP.XXXIII.

NIcaula Aethiopum Regina, quã ſacer tertius Regnorum liber,Sabbam nominat: cui & dominus in euangelijs teſtimonium dat, ꝙ in die iudicij veniet cum viris generationis incredibilis & condemnabit eos.quia venit a finibus terræ audire ſapientiam Salomonis ante Chriſti domini noſtri aduentum:anno decimo nono, ſupra milleſimum,hoc eſt tempore Salomonis regis: non ſolum diuitijs in=

comparabilibus,ſed & ſcientia atq; inſigniſſimis moribus euaſit ſplẽdida. Hæc itaq; Meroe cuiuſdam Nili inſulæ apud Aethiopiam regina fuit potentiſſima. Quæ cum omni doctrina atq; ſapientia eſſet imbuta, audiens crebro per q̃ maximam regis Salomonis ſapientiam, virtutemq;, ac prudẽtiam: deſyderio eius capta & mirabunda, ad videndum eum, Hieroſolymam ire diſpoſuit. Et magnifico comitatu, ac ſplendido ſumptu ſuſcepto, ſuo inſigni regno derelicto, per Aethiopes Aegyptioſque, & rubri maris litora, atq; Arabum ſolitudines profecta: tãdem multo labore Hieroſolymam peruenit, eum auditura: a quo & ſummo cũ honore ſuſcepta eſt. Cui cum primo ænigmata & quæſtiones quæ ei prius inſolubiles videbantur, atq; ab ipſo de agnitione veri dei, & de creaturis mundi, necnon & de immortalitate animæ, & iudicio futuro: quod apud eam & apud doctores eius gẽtiles duntaxat philoſophos incertum manebat, propoſuiſſet, & earum ſolutiones ab eo velociſſime audiſſet: vltro confeſſa eſt ipſius ſapiẽtiam, longe ſuam exceſſiſſe. Videnſq; culmina regalia, mirabatur, eorũq; pulchritudine mira delectabatur & magnitudine egregia, nihilo minus & de diſpoſitione fabricarum varia: in qua multam regis prudentiam aſtutiamq; cernebat. plus tamen eam obſtupeſcere faciebat domus quæ ſylua Lybani vocabatur: & quotidianarum opulentia cœnarum & apparatus eius, & miniſterium, & veſtes miniſtrantiũ, eorumq; decens circa ſuum officium diſciplina. præcipue tamen ſacrificia quæ quotidie deo celebrabãtur, & ſacerdotum circa hæc necnon maxima leuitarum diligentia: Hæc videns diebus ſingulis nimis admirabatur. Et cum non poſſet tacere miracula quæ videbat, verbis voluntatem ſui cordis aperuit: dicens ad regẽ quibus ſuam mentem victam eſſe monſtrabat. Cũcta, inquit, o rex quæ per auditum ad notitiam cum quadam incredulitate ſeu dubitatione ſuſcipiuntur: tuorum vero bonorum, quæ & ipſe in te poſſides hoc eſt ſapientiam & prudentiam, & quæ tibi præſtãtur ex regno: non eſt mendax fama, ſed vtiq; vera: licet multo minor q̃ in præſenti conſpicio: Nã opinio auribus quidem aliquid ſuadere nititur: dignitas vero rerum, non ita poteſt fieri nota, ſicut aſpectu & ipſa præſentia comprobatur. Ego ſiquidem neq; his quæ nuntiabantur, propter multitudinem & magnitudinem credens, multo potiora conſpexi. & beatum dico populum tuum, ſeruoſq; tuos, pariter & amicos: qui quotidie tuo fruuntur vultu, & tuam ſapientiam audire promerentur. Quis etiam non benedicat deum: ſic hanc prouinciam & eius habitatores amore proſequens, vt te ad regium culmen eueheret? Et ad oſtendendum ſuæ mentis affectum: ſtatim ſuis apertis theſauris, viginti auri talenta regi obtulit, & aromatum infinitam multitudinem, ac lapides pretioſiſſimos multos. Et inter cætera etiam (vt Ioſephus hiſtoricus in octauo antiquitatum libro ſcribit) quaſdã arbuſculas ſeu radices balſama ſudantes: quas Salomon ipſe non longe ab Hieroſolymis in monte Engadi plantari iuſſit & coli. Ipſaq; viciſſim a Salomone maioribus ſuſceptis muneribus, ſumma cum laude in patriam rediit. Hanc eandem: Sibyllam vatem fuiſſe, Comeſtor dicit, deiq; cultricem, quæ eidem Salomoni futura prædixit: eique, lignum quoddam oſtendit: quo vir affigendus eſſet, cuius morte eius regnum eſſet conſumendum. Quod & factum eſt. Id quippe lignum (vt aiunt) in probatica piſcina tempore paſſionis domini noſtri Ieſu Chriſti inuentum fuiſſe perhibetur, ex quo eius crux a Iudæis confecta eſt. Hanc nõnulli ab Aegyptiorum regibus deſcendiſſe ferunt, & (vt prædictum eſt) Meroen Nili inſulam regnum habuiſſe, vbi & tam grandi diuitiarum copia abundauit, vt crederetur omnes mortales in hac vita exceſſiſſe. Nec incongruum aliquibus profecto videri debet, Quia ea in inſula (quæ per q̃ maxima eſt) aurum & argentum ferrũq; permultum effodiuntur, & lapides pretioſiſſimi reperiuntur multiplices: atq; hebenum lignum ibidem naſcitur. in ea tamen diuitiarum abundantia, tanta hæc regina præſtãtiſſima, nullis delitiis, aut otio ſeu molliciei fœmineæ ſeſe dedit: ſed virtutibus omnino inhærens ſcientias permultas perdiſcere curauit. ¶Hæc itaq; regina Sabba: catholicam eccleſiam figuraſſe per omnia viſa eſt. quæ ex gentili populo venit audire

ſapientiam Salomonis; hoc eſt veri pacifici domini noſtri Ieſu Chriſti. venit primo quidem tentans eum per quæſtiones & ænigmata: quæ ei prius inſolubiles videbantur, de agnitione veri dei, & de creaturis mundi, & de immortalitate animæ, atq; iudicio futuro: quod apud eam ſcilicet eccleſiam & apud doctores & philoſophos eius gentiles, incertum ſemper aut dubium manebat. & abſoluitur ab ea. Venit etiam in Hieruſalem ad viſionem ſcilicet pacis, cum multitudine & virtute multa, non cum vna ſola gente vt prius ſynagoga, quæ ſolum habuit Hebræos: ſed cum totius mundi gentibus venit, deferens munera digna Chriſto, id eſt bona opera quæ ad deum per odorem ſuauitatis aſcendūt. ſed & auro venit repleta: ſenſibus ſine dubio, & rationabilibus diſciplinis. Detulit etiam lapidem pretioſum: per quem ornamenta morum poſſumus intelligere. Cum hoc ergo apparatu regina ſabba, hoc eſt eccleſia Chriſtianorum intrare debet ad pacificum regem Chriſtum, & tunc ipſe aperit cor ſuum in confeſſione & pœnitentia præcedentium peccatorū. Et locuta eſt omnia ei quæ erāt in corde ſuo. Propter quod & Chriſtus qui eſt pax noſtra enuntiauit ei omnia verba eius, & non eſt verbum quod omiſerit rex & non enuntiauerit reginæ ſabbę, id eſt eccleſiæ ex gentibus congregatæ. Quod ſi intueamur diligenter eccleſiæ ſtatum & eius diſpenſationes, ordinationeſq; ipſius conſideremus: tūc aduertemus quomodo regina mirata ſit omnem prudentiam Salomonis. quoniamquidem eruditi viri: prudentiam, de humanis negotijs: ſapientiam vero de diuinis intelligi volunt. Vidit quoq; & domū quam ædificauit: ſine dubio incarnationis eius myſteria. Vidit & cibos Salomonis: illos putandum eſt, de quibus ipſe dicebat: Meus cibus eſt, vt faciam volūtatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius. Et vidit ordinem puerorum eius. Et in hoc etiam putandum eſt, & dicendum ordinem eccleſiaſticum, qui in epiſcopatus & preſbyterij ſedibus habetur. Sed & vini fuſores vidit: eius arbitrandum eſt doctores dici, qui verbum dei & doctrinam quaſi vinum populis miſcent: quando auditorum corda lætificant. Vidit & holocauſta eius orationum ſupplicationumq;: ſine dubio myſteria. Hæc omnia ergo vbi vidit in domo regis pacifici Chriſti Sabba regina, obſtupuit, & ait ad eum: Verus eſt ſermo quem audiui in terra mea de verbo tuo, & de prudētia tua: propter enim verbum tuum, quod agnoui verum eſſe, veni ad te. Omnia enim verba quę dicebantur & quę audiebam: cū eſſem in terra mea a doctoribus ſeculi & philoſophis, non vera ſunt: Iſtud autē ſolū verū eſt verbū quod eſt in te.

De Pamphile Græca bombicis inuentrice. CAP. XXXIII.

PAmphilen quādam Græcam fœminam: quę quoddam bonū reipublicę attulit, temporibus Salomonis fuiſſe, & generoſa virtute floruiſſe compertum eſt. Hæc quippe etſi ampliſſimis titulis decorari non poſſit, tamen quoniam aliquid reipu. addidit boni, ſua portione laudis, taciturnitate noſtra fraudari non debet. Quæ cū eſſet ingentis ingenij fœmina, prima (vt quidam autores volunt) ex arbuſculis volatilem bombicem collegit: & illam a ſuperfluitatibus miro modo pectine purgare primum cœpit, & purgatam colo appoſuit, atq; etiam ex ea filum trahere cœpit, & inde texere voluit, & alios itidem docuit. Et ſic illum vſum eouſq; vniuerſis incognitum introduxit. Cuius rei ratio excogitata oſtēdet facile; quantum in reliquis agendis debuerit hæc fœmina valuiſſe.

De Athalia ſæuiſſima Hebræorum regina. CAP. XXXIIII

AThalia Hieroſolymorum regina, fœmina ſiquidem nequiſſima, nongenteſimo ante Chriſti domini noſtri aduentum anno, regni Hieroſolymitarum, per tyrannidem adepta poteſtate, regnauit annis ſeptem. Hæc quippe fœmina Achab regis Iſraelitarum ex illius peſſimæ Iezabelis fœminę Vlyſſis filia fuit: quę qualis mater, & ipſa vtiq; extitit. nuptaq; fuit Ioram Ioſaphat filio regis ſcilicet Hieruſalem. Et tādem Ioſaphat marito atq; Ochozia fi-

lio natu maiore,morte ſublatis,Ioram vir eius præter omnium opinionem,rex Hieruſalem coronatus eſt:qui & hanc coniugem maledictam voluit eſſe reginam. Cui ſplẽdori, Achab genitore defuncto,Ioram frater eius patri ſuffectus,ſuo ſolio nõ modicum ſplendoris iniunxit. Temporis vero ſucceſſu, multis prius agitata infortunijs (viro iam defuncto) Ochoziam filium ſuum vidit in patris throno ſedentem. Sane cũ & ipſe Ochozias filius,ſagittæ ictu iuiſſet in mortem:truculenta mulier in deſyderiũ regnandi accenſa,cum memorabile excogitaſſet facinus, & animum ſatis ad perpetrandum collegiſſet,pulſa fœminea pietate,non ſolum dare lachrymas mortuo filio omiſit, Quinimmo in ampliores fletus ſi fœmineũ illi cor fuiſſet progreſſa,madente adhuc terra cruore nati,in omnem Dauidicæ ſtirpis expediuit gladios: & tandiu in illam debacchata eſt,donec ex maſculis nullũ dimitteret, quin per vulnera in necem compelleretur. Solus quidam tantæ immanitati ſuæ Ioas Ochoziæ regis paruulus filius ſubtractus eſt,ea non aduertente: Nam Ioſaba eiuſdẽ filia & Ochoziæ olim ſoror,furtiue ſubtractum paruulum in domum Ioiadæ pontificis viri ſui,ſeruandum nutriẽdumq́ intulerat. Et ſic per tot impie occiſorũ ſanguinem,mulier audax, tanq̃ in vacuam ſuo opere poſſeſſionem,regium ſolium conſcendere auſa eſt,& regalia diſponere cuncta. Reſplenduit itaq; Athalia hæc diademate regio,equidẽ magis purpureo reſperſa cruore ſpectabilis, q̃ regia nota: Sane ſicuti vltro in innocuas Dauidicæ ſtirpis animas,gladio truculenta ſæuierat,ſic in ſuos exaſperatos,alienos ſenſiſſe potuit. Ioram quidem Iſrael regem fratrem ſuum in agro Naboth iacentem,per mille vulnera canibus vidiſſet exhibentem,capiens potuiſſet facile. Sic & Iezabelem matrem,regijs ornatam,e turri celſa deiectam,& diſcurrentium calcatã pedibus,& plauſtrorum rotis attritam:vt in cœnum verſa, nullum infauſti corporis remaneret veſtigium. Sic & ſeptuaginta fratres ſuos vna hora,apud Samariam (victoris iuſſu) percuſſos: & palis infixa eorum capita,egregij facinoris argumenta pręſtantia. Sic cæteros quoſcunq; cognatos,nec vnus euaderet, quin eiuſdem percuſſoris ferro cõfoderetur. Et poſtremo ne ſanguinolenta & ſceleſta mulier pertranſiret impune,ſe cum ſeptem (vt prædictum eſt) regnaſſet annis: opera Ioiadæ pontificis,eleuato Ioas nepote ſuo in regem,quem ipſa cum reliquis arbitrabatur occiſum:e regia ſede,ſerui detrahi vidit,& clamante in eam populo,militum manibus dedecoroſe ad portam vſq; mulorum fruſtra clamantem atq; minitantem deduci,ibiq; pro meritis,turpiter trucidari: vt nõ alia via,ad inferos pergeret nocua,q̃ innocuos ire coegit. ſic egit diuina iuſtitia, quæ etſi differat,non obliuiſcitur tamen,agitq; ſeueriori ſupplicio,in quos diu expectatos,mores mutari non videt. Quod dum cogitare neglegimus,credere nolumus, nec emendari curamus: & nos ipſos amplioribus flagitijs illigamus dum minime arbitramur abſorpti procella,dum nõ prodeſt miſeri,comiſſa deflemus. Hęc omnia ex quarto Regũ,& ſecũdo Paralipomenis,ac nono Ioſephi hiſtorici libris excerpta ſũt.

¶De Caia Cirilla Tarquinij Priſci Ro. regis vxore. CAP. XXXV.

CAia Cirilla Ethruſca fœmina,Tarquinij Priſci Romanorũ regis vxor gratiſſima,temporibus Ioſiæ regis Iudæ, id eſt ante Chriſti domini noſtri aduentum anno vigeſimo ſexto ſupra ſexcenteſimum:cũ Tarquinio viro ſuo rege,in regnum Romanorum fœliciſſime intrauit: Quę cum eſſet pręſtantiſſimi ingenij fœmina, quantumcunq; regia coniunx,& in regio ſolio ſublimata, non eſt paſſa otio torpere: Quinimmo, cum ſe lanificio inter cætera dediret (quod credam eo tempore apud Latinos honorabile fuiſſe) adeo in illo,egregia opifex & ſolicita euaſit:vt in hodiernum vſq; diem ſui nominis fama ſit protenſa. Nec eam ob rem toto tempore vitæ ſuæ,publico caruit munere. Nam cũ ob hoc apud Romanos mirabilis & amantiſſima haberetur fœmina: inſtituto publico cau

tum eſt,vt ab intrantibus nouis nuptijs primitus ſponſorũ ſuorum domos,vnaquęq; rogaretur quo vocaretur nomine:rogataq;,e veſtigio Caiã vocari profiteretur,quaſi ex hoc ſumpturæ eſſent futuræ frugalitatis fortunam bonam. Quod quantũcumq; apud inſolentes neotericorum animos videatur perq̃minimum, non dubitem quin apud prudentiores illius ſeculi ſimplicitate penſata,optimæ & plurimum laudandę mulieris videatur iudicium.

ℭDe Sappho Leſbia inſigni poetria. CAP.XXXVI.

SAppho poetria Leſbia, ex claris parentibus atq; honeſtis geni‐ta,diuiniq; prope ingenij puella, iiſdem temporibus quibus & prædicta Caia,in omni genere metri plurimum claruit, & inter cætera Sapphicũ verſum prima inuenit:quę adeo generoſæ mẽ tis fuit,vt ætate florens & forma, non cõtenta ſolum literas iun gere plurimas,ſed ampliore feruore animi, ingeniiq; viuacitate perſuaſa, ſtudio peruigili cõſcenſa per abrupta Parnaſi mõtis, ſe felici auſu muſis immiſcuit, A quibus gratia accepta, modulos lyricos expromere non dubitauit. A qua ij verſuum Sapphici dicti ſunt, De qua Ouidius noſter in ſe‐cũdo de Triſtibus ſic meminit,dicens Leſbia quid docuit Sappho niſi amare puel las? Et de Remedijs libro ſecundo,Me certi Sappho meliorem fecit amicæ. Et propterea illi erecta fuit ſtatua ænea , & ſuo nomini dicata , eo q; inter celebres poetas fuerit numerata. Eius tamen opera multorum negligentia amiſſa ſunt. Ve‐rum ſi dãda ſit omnibus fides,& ipſa infelici amore fuit corrupta, Quia ſeu facetia, ſeu decore, ſeu alia gratia cuiuſdam iuuenis dilectione,vna intolerabili peſte capta alias occupata,cũ ille ſuo deſiderio non aſſentiret,ingemiſcens in eius obſtinatam du ritiem, dicunt verſus flebiles eam ceciniſſe, quos Elegos fuiſſe dicũt.Cum tali ſint elegi materiæ attributi,Illa tamen demum ſpe omni fruſtrata,deſperata,ex Leuca dio ſe præcipitem dedit,atq; interijt.

ℭDe Sappho altera vate Cretęa. CAP.XXXVII.

SAppho altera nobiliſſima vates Cretęa fuit,& ipſa diuini ingenij poetria longe ante prædictam Sappho, in eodem carminum mu‐nere plurimum claruit, & plectrum inter cætera ſuæ virtutis mune ra inuenit.Quæ cum ob ſuam maximã eruditionem cuidam ditiſ‐ſimo viro nupſiſſet, eidẽ Dydamũ ſolũ peperit filium. Hæc itaq; cũ apud Aſiaticos omnes ob admirandã doctrinam maximo habe retur in pretio,inter cęteras eius diſcipulas,præſtantiores Anago ram Mileſiam,Cõgillam Colophoniam, & Euthemiam Salaminam habuit, qui‐bus & lyricos verſus plures edocuit.Scripſit autem hæc lyricos modulos,Epigram mata,Elegias,Iambos,atque monades multos,qui mulieris eruditionem præ ſe fer‐re videntur.

ℭDe Olda nobiliſſima Hebręorum prophetiſſa. CAP.XXXVIII.

OLda clariſſima Hebræorũ prophetiſſa, Sellum eiuſdẽ gentis no‐biliſſimi ac præclariſſimi viri vxor,Helchiæq; maximi ipſorum pontificis genitrix,& ipſa eadem tempeſtate Hieruſalẽ prophe‐tiæ dono mirabiliter inſignita fuit,ac maximo apud Ioſiã regem optimum eſt habita in pretio,Cui cũ vaticinando multa ac plu‐rat prædixiſſet,etiã Hieroſolymorum euerſionem, ac populi ip ſius tranſmigrationẽ & diſperſionem,dicens. diuinitatẽ quidem iam decreuiſſe,populi & ciuitatis ruinam, & quod iam contra eos protuliſſet, am‐plius infirmari precibus nõ poſſet.i.vt populus nõ intereat,aut nõ de prouincia pel‐

latur,aut bonis tunc præſentibus minime priuetur,dum tranſgreſſi fuiſſent leges,& tanto tempore pœnitentiā non egiſſent,prophetis monentibus vt ſobrie viuerent, & impietatis ſupplicia deuitarent,quæ facienda dicebat,vt crederent,quia deus eſt, & nequaq̄ mentitus in verbis,quæ per prophetas ſuos prænuntiauit:propter iuſticiā tamen regis retinendas iſtas ærūnas, & poſt eius obitum definita ſupplicia populis inferenda.his a muliere prophetide dictis,qui miſſi fuerant a rege,remeantes domū, eidem retulerūt. Hæc itaqꝫ & alia multa prædixit Olda, Quibus quidem meritis & gratijs,& dilectiſſimam deo optimo fuiſſe haud dubiū eſt,& præ cæteris Hebræorū mulieribus magno dignā præconio,vt in quarto Regnorū libro & decimo antiquitatum Ioſephi perpulchre ſcriptum habetur.

¶De Tomyri Scytharum regina. CAP.XXXIX.

Tomyris Scytharum illuſtriſſima regina,tēporibus Cyri Perſarū regis,hoc eſt quingenteſimo nono & trigeſimo anno ante Chriſti domini noſtri aduentum fuit inſigne nobilitatis & nota,admodum cōſpicua fœmina,qꝫ indomitos Perſas ſibi armis ſubegerit, ac eiſdē multis annis imperauerit.Hanc itaqꝫ mulierē ex quibus parentibus ortū habuerit,aut cui connubio ſe iunxerit,authētico quidem autore non conſtat.Eius autem regnum Scythicū,eſt in ſterili loco,& ſub gelida cœli plaga,Riphæis hyperboreiſqꝫ montibus annexū.Sūtqꝫ (vt a nobis in ſecundo Chronicorum noſtrorū libro dictum eſt) eo in regno ſeu ſolo,homines admodū ſylueſtres & pauperes,ſed ſemper inuicti, & eo vſqꝫ a maximis etiam regibus plurimis bellis laceſſiti, inuicti ſemper extitere. Huic autem Cyrus Perſarum rex,cū vniuerſam ſibi ſubdidiſſet Aſiam,auiditate latius dominandi bellum mouit.Cuius cū prænouiſſet aduentū Tomyris,nō vt fœmina territa latebras petijt,ſeu leges pacis expoſtulauit.Quinimmo,congregatis copijs ſuis,& dux belli ſui facta,cum poſſet nauato opere obſiſtere,in ſuos fines eū intrare paſſa eſt.arbitrata longe melius expugnari Cyri rabiem infra terminos ſuos,q̄ extra poſſe,Et certior facta,eū ad interiora regni penetraſſe,adoleſcētulo filio ſuo vnico, tertia parte copiarum cōmiſſa, iuſſit vt Cyrodoniā pugnaturus pergeret, Cyrus vero tā qualitate locorū & gentiū moribus penſatis,q̄ auditis,ſentiens venientē cum exercitu iuuenē, fraude q̄ armis eum potius vincere ſtatuit,Caſtriſqꝫ vino,quod nondū nouerant Scythæ epuliſqꝫ & delitiis cæteris cōfertim relictis,fugā finxit,Quæ vacua cum intraſſet iuuenis,quaſi victor hoſteqꝫ fugato,lætos cum Scythis ſuis,non ad bellum,ſed ad epulas inuitatus,ample cibos & pocula incognita ingurgitare cœperunt, ex quo ſoluta diſciplina militari,ſomnus affuit:quo ſepulto,ſuperueniens Cyrus, illum cum cæteris dedit in mortem,& quaſi certus victoriæ,ad vlteriora proceſſit.Tomyris autem cum audiſſet ſuorum cædem,etſi plurimum ob vnici filij necem vidua moueretur,non tamen fœmineo more ſe dedit in lachrymas, quinimmo illis ſedatis,iræ & vindictæ cupida,cum reſiduo copiarum,ea arte qua captum filium audierat, etiamſi non omitterentur referta poculis caſtra,hoſtem, licet aſtutiſſimus foret, capi poſſe exiſtimauit.& locorum gnara,fugam ſimulans,auidum ſectatorem inter ſteriles horridoſqꝫ montes,non longo viarum tractu deduxit atqꝫ ſeduxit, & inopem fere omnium opportunitatum inter aſpera ſaltuſque montium conuerſa,cum omni fere ſuo exercitu eum deleuit, nec ipſe Cyrus euaſit, quin cruenta morte viduæ ſatiaret iram.Tomyris autem efferato animo, iuſſit inter cadauera Cyri corpus exquiri, & ei cōperto,auferri caput,& in vtrem ſanguine ſuorum immitti mādauit.Et quaſi ſuperbo regi digniſſimum exhibuiſſet tumulum,ait:Sume Cyre & bibe ſanguinem quem ſemper ſitiſti.Sed quid tandem,nil præter hoc facinus,Tomyris habetur tanto clarius,quanto Cyri maius fuerat imperium.

¶De Amalthea Sibylla virgine. CAP.XL.

AMalthea Sibylla, virgo & vates clariſſima, ex Cumis Cāpaniæ vrbe originem ducens, eadem tempeſtate qua & Tomyris prædicta regina plurimis virtutibus claruit. Cui inter cætera tā grata virginitas fuit, vt tot ſęculorum ſpatio, nulla viri cōtagione fœdari paſſa ſit. Et q̄q̄ aliqui teſtentur, ipſam a Phœbo dilectā, & eius munere diuinitatē obtinuiſſe, Alij potius exiſtimant, virginitatis merito illā ab ipſo vero ſole iuſticiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vaticinii ſuſcepiſſe donum. Quo quidem munere multa ac plurima prædixit & ſcripſit futura. Huic inſuper in Baiano litore ſecus Auerni lacum dicunt fuiſſe inſigne oraculum, quod nunc vſq; ab ea ſeruat cognomen. Quæ deniq; dum Romam veniſſet Tarquinio Priſco nouem attulit libros a ſe editos: Ex quibus cū trecētos Philippicos poſtulaſſet a rege, eo denegante pretiū poſtulatū, e veſtigio turbata, tres eorum eodem vidente combuſſit. Et cū die ſequenti ex ſex reliquis idem pretium quod ante ex nouem petiuerat, poſtulaſſet: aſſeruiſſetq;, ni darentur tres confeſtim exuſturam, & die tertia reliquos, a Tarquinio petitum ſuſcepit. Quos cum ſeruaſſet Tarquinius, a poſteris cōpertum eſt, eos Romanorum facta omnia continere, Quam ob cauſam, maxima cum diligētia, poſt hæc Romani ſeruauere, & iuxta opportunitatum exigentiā, de futuris conſulturi, ad eoſdem quaſi ad oraculum recurrebant. Hæc itaq; poſt multa virtutum inſignia a ſe geſta, apud Siculos diem clauſit extremum, vbi & diu eius tumulū ab accolis demōſtratum cum reuerentia fuit. De Chriſto autem hæc ipſam ceciniſſe tradunt. Et mortis faciem finiet, trium dierum ſomno ſuſcepto, tunc a mortuis regreſſus in lucem veniet, primus reſurrectionis initium oſtendens.

¶De Iudith vidua Hebræa. CAP.XLI.

IVdith Hebræa fœmina, ingentis animi vidua, ſanctiſſimi & perrariſſimi feruoris, integerrimæq; viduitatis, ac caſtitatis exemplū poſteris ſempiternū, temporibus Iudaicę captiuitatis, hoc eſt ante natiuitatē domini noſtri Ieſu Chriſti anno vigeſimo ſupra quingenteſimum, pulcherrimū ac memorabile pietatis opus in liberādam ſuā Bethuliæ ciuitatē, ad ſuæ gentis decus egit, ac tale quidē facinus peregit, vt etiā quicūq; robuſtiſſimus vir acrioris animi facere vtiq; extimuiſſet. Fuit enim hæc fœmina memoratu digniſſima in primis Merari cuiuſdā Hebræi nobiliſſimi filia, Manaſſęq; eiuſdē gentis cōiunx, quæ cū ſpecioſiſſima ac formoſiſſima mulierum ſui ſęculi haberetur fœmina, in ipſo ſuo iuuentutis flore vidua remāſit, nec deinceps ad ſecunda vota, caſtitatis amore tranſire voluit, rata ſatis honeſte mulieri ſemel nupſiſſe, vnde a nemime deinceps quouis modo, ad ſecūdas nuptias potuit prouocari, immo reliquū vitæ ſuæ ſpatiū intra limites cubiculi viri ſui, adeo ſancte adeoq; caſte tranſegit, vt præteritarum omnium matronarum Hebræorū laudes, viduitate celebri ſuperaret. Eo itaq; in optimo viuendi modo Iudith vitā celibē agēs, cum audiſſet quodam die ſacerdotes & cōciues ſuos Bethuliā vrbē ſuā Holopherni principi exercitus Perſarū, illā acriter & infenſe obſidēti, niſi infra triduū a deo auxilium mittereur, velle tradere, Religione & gētis ſuę pietate permota, ſeſe mortis periculo pro eius liberatione omnino exponere ſtatuit. Vnde hæc pudiciſſima fœmina non ſibi numeroſum exercitum, nec fortia tela, non finitimorum opem expoſtulauit, ſed dei altiſſimi prius auxilia, ſumma fide, cum lachrymis & ieiunijs exorauit. Deinde ab ipſo ſummo deo opifice maximo inſtructa, putauit ornamentis ſuis ſe omnino de potentiſſimo imperatore triumphaturam fore. Quam ob rem nocte quadam, diſpoſitis veſtimentis viduitatis, faciem ſuam vnguento perunxit, colligauitque crines ſuos mitra ad decipiendum Holopher-

nem,atq; ita cũ ingenti corporis ornatu,& incredibili pulchritudine, vrbis portis vl tro ſibi apertis ad Holophernem militiæ principẽ quaſi fugitiua cum ſola pediſſe= qua ad caſtra acceſſit. Apud quẽ mox tanto oris decore,& totius corporis venuſtate enituit,vt eiuſdẽ principis & cæterorum eã intuentium falleretur credulitas. Quam ob cauſam barbari omnes dicebant,ipſam non Hebræã neq; terreſtrem, ſed cœleſtẽ omnino fore fœminam,Itaq; ſandalia eius rapuerunt oculos eius,& pulchritudo ip= ſius,captiuã fecit animam Holophernis,cũ prius captis oculis, mens volutaretur in crimen.atq; huiuſmodi irritamẽto & aucupio Iudith ſancta mirabiliter ornata,atro ciſſimi hoſtis anima,& capite tandẽ glorioſiſſimo potita eſt. Poſtq̃ autẽ hęc virago tantũ principem obtruncaſſet,tanto in pretio apud Iudæos habita eſt,vt cũctis die= bus vitæ ſuæ omnibus Iudæis pręferreretur,& triumphali laude perpetuiſq; præco= niis celebraretur,quã non ſolum fœminis prætulerunt,ſed etiam viris imitabilẽ ex= hibuerunt,Quia caſtitatis eius remunerator,virtutem talem ei contulit,vt inuictum omnibus vinceret,& inſuperabilem ſuperaret. Nam Holopherne interfecto, ciuita= teq; liberata,tanq̃ regina Iudith apud Iudæos habita eſt. Illam enim cunctus popu= lus Bethuliæ Hebræis laudibus iugiter efferebat, dicens. Tu gloria Hieruſalem, tu lętitia Iſrael,tu honorificentia populi noſtri,quia feciſti viriliter,& confortatum eſt cor tuum in domino,eo ꝙ caſtitatem amaſti,& poſt virum tuum alterum neſcieris, Ideo & manus domini confortauit te,& eris in æternum benedicta. Demum Iudith cum quinq; & centum vixiſſet annis,deficiens in ſenectute bona,in Bethulia apud vi= rum ſuum cum ingẽti luctu & pompa ſepulta eſt. Cuius quidem vitam etſi apud Iu= dæos inter hagiographa computetur,in Nicęna tamen ſynodo in ſanctarum ſcriptu rarum computata fuit numero.

¶De Lucretia fœmina pudiciſſima ac nobiliſſima. CAP.XLII.

LVcretia Romanæ pudicitię decus,Lucretii Spurii filia,& Tarqui nii Collatini cõiunx,temporibus prædictæ Iudith ob violatã pu dicitiã nolens ſuperuiuere,maculã corporis ſuo cruore deleuit,& maximũ omnibus poſteris verę pudicitiæ exemplũ reliquit. Hęc itaq; cũ eſſet & oris formoſitate ac morũ honeſtate inter Roma= nas matronas ſpecioſiſſima,a Sexto Tarquinii Superbi filio vio= lata,ſe ipſam interemit. Sane cum Tarquinius Superbus Ardeam obſideret ciuitatẽ,apud Collatii oppidum haud longe ab vrbe Roma,quidam regii iuuenes ſimul cœnare cœperunt, inter quos Collatinus Lucretiæ maritus vnus erat Et forte nimio calentibus vino,incideret ſermo de coniugum honeſtate,& cũ cæte= ris ſuã,vt moris eſt,vnuſquiſq; præferret,in cõſilium hoc ventũ eſt,vt conſcẽſis citis equis,viſiſq;,quibus noctu,eis bella gerẽtibus, ignaræ mulieres ſeu coniuges exerce= rentur officiis.probabiliorẽ fide occulta perciperent. Sane cũ iuuenes,Regias Romę inter coęquales ludentes inueniſſent,verſis equis Collatium deuenere, vbi cũ mulie= ribus ſuis lanificio vacantem,& nullo exornatam cultu inuenere Lucretiam. Quam ob rem iudicio omnium laudabilior viſa eſt. Collatinus autẽ reliquos iuuenes beni= gne ſuſcipit in domum,in qua dum honorarentur, Sextus Superbi filius,impudicos oculos in honeſtatem atq; formoſitatem caſtæ mulieris iniecit,& nefario ſuccenſus igne,per vim potiundã,ſi aliter non detur,eiuſdem venuſtatem,tacito ſecũ conſilio diſponit. Nec multis interpoſitis diebus,vrgẽte inſania clã caſtris relictis nocte Col latiũ venit,vbi eo ꝙ viri cõſanguineus eſſet a Lucretia comiter ſuſcept⁹ & honorat⁹ eſt.poſtq̃ autẽ domum omnẽ tacitam ſenſit,& ſic omnes ſopitos arbitratus,extracto gladio cubiculũ intrauit Lucretię, Et quis eſſet aperuit: minatuſq; illi mortẽ ſi vocẽ emitteret,aut ſuę nõ acquieſceret voluntati. Quã cũ reluctantẽ deſiderio ſuo,& mor tis impauidã cerneret,ad damnandam recurrens aſtutiã,inquit ſe illã ſecus ſeruum ex ſuis occiſuram, & cunctis eam a ſe ob adulterium cum adultero cæſam dicere,

ſubſtitit his auditis tremebunda mulier,& a tã obſcœna infamia terrefacta,timens, ſi eo occideretur pacto,purgatorem ſuæ innocentiæ defuturum,Et ob id aſpernanti animo,corpus permiſit adultero. Qui cum illecebris ſuæ voluptatis ſatiſfeciſſet, abiiſſetq; iudicio ſuo victor: Ægra tam ſceleſti facinoris Lucretia,eluceſcẽte die Sp. Lucretium patrem,& Brutum Collatini patruum, & alios affines & neceſſarios confeſtim accerſiri iuſſit & virum. Quibus aduenientibus,quæ a Sexto nocte intempeſta, in eam geſta eſſent,cum lachrymis & ordine narrauit. & cum eam flentem miſere ſolarentur affines,cultrum quem ſub veſte texerat educens,inquit,Ego me etſi peccato abſoluo, non libero ſupplicio, nec vlla deinceps impudica viuet Lucretiæ exemplo: hiſq; dictis,illum impegit in pectus innocuum, & vulneri incũbens vidente viro & patre,moribunda collapſa eſt,nec diu & animam cũ ſanguine fudit. Tũc quoq; iam moriens(vt Ouidius ſcribit)ne etiam procumberet inhoneſte, reſpexit. & hoc etiam cura cadentis erat. Eaq; mortua cum maritus & pater in luctu occuparentur, Brutus eius auunculus cultrum confeſtim ex Lucretiæ vulnere extractum ſumẽs cruorem præ ſe ferentem,magna voce dixit. per hunc caſtiſſimũ ſanguinẽ iuro, me deinceps quacũq; vi potero perſequuturũ Tarquinium Superbum: & nec illũ,neq; aliũ Romę regnare paſſurũ. Infelix equidem Lucretię pulchritudo,& tanto clarius nũq̃ ſatis laudata pudicitia ſua, dignis præconijs extollenda eſt, quanto acrius ingeſta ignominia expiata,cum ex eadem non ſolum re integratum ſit decus,quod fœditate facinoris iuuenis labefactaret impetus, ſed conſecuta ſit Romana libertas. Lucretia igitur violenter compreſſa,etſi nullo adulterio fuerit maculata conſenſu,quia tũ in præclaris eius laudibus dictum eſt,duo fuerunt & vnus adulterium admiſit, Verũtamen vt pater Auguſtinus in primo de ciuitate dei ſcribit, quia in ſe vlta fuit crimen alienum,alterius ſceleri addidit ſuum.

❡De Veturia nobiliſſima Coriolani matre. CAP.XLIII.

VEturia Romana,nobiliſſima fœmina fuit ante aduentũ Chriſti domini noſtri quingenteſimo anno,temporibus videlicet Darij Perſarũ regis,& laudabili opere annos in viriditatem traxit perpetuã. Huic itaq; mulieri erat adoleſcẽns Cneus Martius,cognomento Coriolanus ſtrenuę virtutis filius,cõſilio & manu prõptus & cũ oppugnantibus Romanis Coriolos oppidũ Volſcorũ cuius inclyta probitate captus videretur; Coriolani cognomẽ adeptus eſt,& tam grãdẽ nobilitatis fauorẽ,vt omnia verbis & opere auderet. Quamobrem laborante vrbe annonæ penuria, & opere patrum plurima ex Sicilia delata foret, ſeuera oratione prohibuit, ne plebi partiretur prius,quã quo paulo ante in ſacro mõte ſecedẽs,honores propter diſcordiã nobilitati abſtulerat,dimiſiſſet. In quẽ infeſta plebs,vt erat famelica manus profecto inieciſſet,ni illo a tribuno peropportune dies ad dicendã cauſam indicta fuiſſet. Qui cum nõ paruiſſet, indignus exilio damnatus eſt,& in Volſcos paulo ante Romanorum hoſtes ſeceſſit, a quibus & benigne & honorifice ſuſceptus,Vbiq; enim virtus in pretio eſt: hos iſte tã ſua q̃ Accij Tullij Volſci fraude in bellum aduerſus Romanos redegit,& belli dux ab eiſdẽ factus ad foſſas Cluſillas ad quartum a Roma lapidem, deduxit exercitum. Eoq; rem Romanam redegit,vt a ſenatu,qui pacem æquis legibus impetrarent, ad eum exulem mitterentur. Quos Coriolanus atroci cum reſponſo dimiſit in patriam, ob quod iterum miſſi ſed minime recepti ſunt. Iuere tertio cum infulis velati pontifices,& ſuis cum inſignibus ſupplices,ſed fruſtrati rediere, & iam vndique deſperatio Romanorum intrauerat animos, cum ad Veturiam hanc Corionali matrem, & Volumniam coniugem frequentes & quęrulæ venientes matronæ, obtinuere vt magno nata mulier loco in caſtra hoſtium,precibus lachrymiſq; placaturũ filium poſtq̃ armis ab

hominibus non poſſet reſp. tutari videretur, iret cum coniuge neq; ex eis ingẽs pro‍ſequentium turba defuit. Cuius aduentum cum Coriolanus cognouiſſet, etſi animo turgidus eſſet, conſternatus tamen matris aduentu, e ſella conſurgens exiuit taberna‍culum, & ſuſcepturus illam obuius factus eſt. Sane Veturia hinc coniugem, inde li‍beros Coriolani tenens, non ante filium vidit, q̃ pietate patria poſita, ſe in iram ſuc‍cendit, & vbi ſupplex exiuerat vrbem in hoſtium caſtra veniens, obiurgatrix effecta eſt. & ſuſcitatis in effœto pectore viribus, inquit. Siſte gradum infeſte iuuenis, ſcire velim anteq̃ venias in amplexus meos, an matrem an captiuam hoſtem ſuſceptu‍rus aduenias, Hoſtem puto: Me miſeram in hoc exoptata mortalibus æui lõgitudo deduxiſſe me debuit, vt te damnatum exilio & inde hoſtem reipublicę cernerem? co‍gnoſcis quæſo, quo armatus hoſtis conſiſtas in ſolo, cognoſcis equidem etſi neſcis, Hoc eſt in quo genitus, in quo natus, in quo labore meo educatus es. Quo igitur ani‍mo, qua mente, quo impulſu hoſtilia potuiſti inferre arma? Non intranti tibi parẽ‍ti debitus honos, dulcis vxoris amor, filiorũ pietas, & naturę patrię reuerentia obuij facti ſunt? Non acre pectus mouerunt, non iras quantũcumq; ſuſceptas obruiſſe po‍tuerunt? Non, dum primo illa ſpectares mœnia, in memoriam venit tibi, domus & penates patrij mei ſunt ibi, cõiunx & liberi, Ibi infortunio & opere meo infelix ma‍ter eſt? Venere patres, venere & pontifices, nec ſaxeum pectus potuerunt mouere tu‍um, vt id rogatus ageres, quod ſponte tua facere debueras, Satis me miſeram aduer‍ſo, fœcunditatem meam patrię mihiq; fuiſſe aduerſam: vbi filium & ciuem peperiſſe arbitror, hoſtem & infeſtiſſimum atq; inflexibilem me peperiſſe video. Satius quip‍pe non concepiſſe fuerat, potuerat ſterilitate mea, Roma abſq; oppugnatione con‍ſiſtere, & ego miſella anus in libera mori patria, Sed ego iã nil pati nec miſerius nec turpius poſſum, q̃ vt ſim miſera atq; miſerrima diu futura. de his natis tuis videris, quos ſi pergis, aut in materia mors aut longa ſeruitus manet. Verba lachrymæ ſecu‍tæ ſunt, & inde coniugis preces, atq; natorum & amplexus mutui, clamoreſq; flen‍tium, & orantium matronarum. Quibus verbis & gemitibus precibuſq; actum eſt, vt quod Togatorum maieſtas & ſacerdotũ reuerentia nequiuerat, matris veneratio‍ne ducis acerrimi frangeretur ira, & propoſitum verteretur, & ſuis complexibus, atque oſculis retro ab vrbe caſtra hoſtium mouerentur. Ex quo ſecutum eſt, ne glo‍riæ mulieris ingratitudine detraheretur, vt ex ſenatus conſilio eo in loco in quo Veturia filij iram mollيuerat, templum ad eius rei memoriam perpetuam, & ara for‍tunæ muliebri conſtrueretur. Sanxitque vt prætereuntibus mulieribus, quibus nul‍lus vel minimus vſq; ad illam ætatem a viris præſtabatur honor, & aſſurgerent ho‍mines, via cederent: quod vbiq; etiam nunc ſeruatur. Et q; eis liceret vti auro & purpurea veſte, aureiſque fibulis & armillis, Et ſunt qui dicant etiam ex ſenatuſcon‍ſulto eiſdem mulieribus adiectum fuiſſe, vt quod ante non licebat, poſſent hæredi‍tates conſequi quoruncumque. Quod quidem peramplum donum nec noſtris tem‍poribus mulieribus minoratum eſt, immo tenaciſſima perſeuerantia ſeruatur. Gra‍tias igitur mulieres agant Veturiæ huic atq; eius colant nomen perpetuum, quoties lapillis & purpura & auro ornantur, & incedentibus a viris aſſurgitur.

¶ De Hippone Græca muliere pudiciſſima. CAP. XLIIII.

HIpponem quandam nobilem in Græcia temporibus prędictæ Ve‍turiæ fuiſſe fertur, quæ vno tantum celebri opere clara fuit, quod ne pereat, aut illi meritum ſubtrahatur decus, ad exemplum mul‍tarum, illud tantũ hic cõmemorare operępretium exiſtimẽ. Hæc igitur Hippo pudiciſſima fœmina, vt fertur, a nautis hoſtibus ca‍ſu capta fuit. Quæ cũ forte forma valeret, perpenderetq; prædo‍nes ſuam pudicitiam dehoneſtare velle, tanti caſtitatis ſuæ decus

æſtimauit,vt cum niſi per mortem ſeruari poſſe cerneret nō expectata violētia in vndas ſe præcipitem dedit,a quibus vita ſublata,& pudicitia ſeruata eſt. Quis tā ſeuerū mulieris conſilium nō laudet,paucis quidē annis quibus forſitan vita protendi poterat caſtitatem redimit,& immatura morte,ſibi perenne decus acquiſiuit. Quod virtutis opus procelloſum nequiuit mare contegere,nec deſertæ auferre litus,quin literarum perpetuis monumentis,ſuo cū honore ſeruaretur in lucem. Corpus autem ſuū poſtq̄ ab vndis aliquandiu ludibrii more volutatum eſt,ab eiſdem in Erithræum litus impulſum,litoranis naufragij ritu ſepultum eſt. Tandem cum foret ab hoſtibus exorta fama,quęnam foret,& mortis cauſam,ab Erithręis ſumma cum veneratione ſepulchri locus in litore ingenti tumulo,atq; diu manſuro,in ſeruati decoris teſtimonium exornatus eſt,Vt noſcamus quoniam nullis aduerſæ fortunæ tenebris,lux poſſit obfuſcari virtutis.

¶De Thamiri pictrice egregia. CAP.XLV.

THamitis pictrix ſui æui peregregia, temporibus prædictæ Hipponis & egregio nomine atq; tali artificio inſignis plurimum habita eſt.hęc quippe cuiuſdam egregij pictoris Athenienſis nomine Miconis filia fuit. Cui ingenium tam mirabile inerat,vt deſpectis muliebribus exercitijs paternam artem accuratiſſime imitata fuerit,& in ſingularem pingendi gloriam & famam deuenerit, & in tantam quidem,vt Epheſi apud quos honore præcipuo Diana colebatur,eiuſdem Dianæ effigiem in tabula quadam manu eius pictam tanq̄ celebrem diu ſeruaretur. Quæ cum in longiſſimam ætatem perſeueraſſet, artificij huius teſtimonium tam grande præbuit, vt vſq; quaſi noſtris temporibus memorabile plurimum viſum ſit. Et profecto laudabile plurimum ſi inſpiciamus alia fœminarum exercitia.

¶De Heſter ſancta Hebræa Perſarum regina. CAP.XLVI.

HEſter Perſarum regina,Artaxerſis ſecundi regis coniunx Hebręa ex tribu Beniamin fuit,habuitq; Abiahilem nobiliſſimum inter Hebræos virū Mardochei videlicet germanū patrem. hæc quippe anno ante Chriſti domini noſtri aduentum octogeſimo ſecundo ſupra trecenteſimū ab Artaxerſæ prædicto Perſarum rege in locum repudiatæ Vaſti cōiugis vxor ex milibus delecta, typū beatiſſimæ virginis Mariæ & eccleſię præfigurare viſa eſt,quæ populum ſuū omnem de periculo mortis liberauit, interfecto videlicet Aman qui interpretatur iniquitas,cōuiuii panes ad poſteros miſit.hęc itaq; Heſter Hebræa ambobus parentibus orbata,in Babylone apud auūculū ſuū nomine Mardocheum virū vtiq; optimū ſumma cū diligentia enutrita,in tam admirandā corporis pulchritudinem euaſit,vt quoddā præter naturā admirabile decus omnibus videretur,& gratia vultus ſui reſpicientiū delectabat aſpectum,Inerat nempe huic mulieri in primis quædam inenarrabilis oculorū lætitia & corpus per omnia digna proceritate elatū. Quæ cū vniuerſas illius ſeculi virgines omni ſplendore excederet ab ipſo Artaxerſe rege ex innumerabilibus virginibus preelecta fuit. Nam cum Vaſti reginam vxorem rex ob contumaciam merito repudiaſſet,hanc ſolam ex ingenti virginum multitudine qua tunc abundabat,tanq̄ pulchrior caſtiorq; nutu dei ab ipſo rege ſelecta fuit, didicerat etenim rex ipſe hanc præter pulchritudinem ipſius incomparabilem, ſacris dei ſummi meditationibus & orationibus ſæpius inſiſtere ac inuigilare, noxiosque appetitus totis viribus calcare, & ſuperfluos ornatus omnino reſpuere,ac domeſticam rem cura diligentiſſima curare, atque parſimoniæ & ſobrietati iugiter vacare,quæ cum in cæteris omnia non inuenirentur explicita, ſed in ſola hæc Hebręa

cõperta:merito,deo inſpirante,cçteris omnibus eam prætulit,atq; ſibi vxorem delegit chariſſimam. Verũtamen etſi chariſſima admodũ regi foret,minime eidem prodere voluit,ex qua foret natione. Auũculus autem eius Mardocheus, ex Babylone in Suſim Perſicã vrbem ſtatim tranſiens habitauit illic,vbi ſingulis diebus palatiũ introibat, volens ſcire qualiter puella conuerſaretur, quam tanq̃ filiam diligebat. Erat tunc Aman Amalechites genere,apud Aſſuerũ regem omni honore prælatus, qui cum ad regem ex more introiret,omnes Perſæ & peregrini ex iuſſione regis aſſurgebant: Mardocheus vero propter ſapientiam & patrias leges, illi aſſurgere recuſabat. Id Aman perpendens,intelligenſq; eum eſſe Iudæum, indignatus dixit. Omnes liberi Perſæ adorant me,hic ſeruus exiſtens,hoc facere dedignatur. Et punire volens, ipſum quidem a rege petere tormenta putauit, atq; Iudæos omnes,quos odio habebat,decreuit vna exterminare. Accedens igitur ad regem:ait,gentem eſſe malignam,diſperſam per vniuerſum orbem:o Rex,qui tuo ſeruiunt imperio, nec mixtã quidem,nec aliis gentibus coadunatam,nec eandem cũ cæteris gentibus religionem colentem:quæ nec legibus, inquit, ſimilibus vtitur,ac etiam inimiciſſima moribus & profeſſionibus tui populi,& hominibus cunctis extitit: Sed ſi vis aliquod beneficium ſubiectis tuis cõmodare,iube radicitus eam exterminari,nec eius reliquias aliquas omnino remanere,nec aliquos eorum ad ſeruitutem aut captiuitatem ſeruari. Veruntamen & nullum patiaris damnum,tributa eorum de propria ſubſtantia ipſe me prçbere polliceor. Quadraginta milia pecuniarum talenta vbicunq; & quandocũq; prçceperis, offero,modo ab his malis pacatũ ſit regnum tuũ. Poſtq̃ autẽ Aman hæc regi intimauit,rex eidem & pecunias & homines omnes donauit,vt de his efficeret quicquid vellet. Deſiderio autem adepto Aman,ſtatim mandauit tanq̃ a rege,per omnes gentes præcepta crudelia,vt vna die per omnes prouincias, videlicet centum viginti ſeptem,interficerentur omnes Iudæi vna cum coniugibus & liberis ſuis, nec eſſent in toto regno Perſarum: qui miſererentur eiſdem, tanq̃ inimici & turbatores regni haberentur. Quæ cũ Mardocheo nuntiata fuiſſent, veſtem e veſtigio rũpens,ſaccum induit,cinereq; perfuſus,ſparſis crinibus eiulando & clamando ciuitatem circuibat:dicens,interfici gentem quæ nil peccauit. Et hoc dicens,ad aulã regis peruenit,& eo modo ante eã ſtetit,verum minime ei licebat tali circundatum amictu ingredi. Idem etiam fecerunt Iudæi omnes per ciuitates, quibus de hoc per literas fuerũt certificati,lugentes & plangẽtes denunciatis ſibi calamitatibus. Cum vero quidã reginæ nuntiaſſet Mardocheum,in tam miſero ante aulã habitu ſtantẽ, audito ſermone,turbata,miſit qui eius veſtimentũ mutarẽt. Quo nolẽte ſacco exui. Mandauit eunuchum, interrogans quid ei triſtitiæ contigiſſet quod hunc habitũ nõ deponeret. Tunc Mardocheus per eunuchũ indicauit reginæ cauſam ſui luctus & habitus. Mandauitq; ei,quatenus de his regi ſupplicaret,nec recuſaret pro ſalute gẽtis ſuæ habitum humilẽ aſſumere,per quem regi oſtẽderet, Iudæis periculũ imminere. Aman inquit,qui ſecundum honorẽ poſt regem obtinet, accuſando Iudæos,regem aduerſum eos accendit. Hęc,cũ regina cognouiſſet,rurſum mittit ad Mardocheum: dicens q̈ non eſſet a rege vocata,& ſi quis ad eũ non vocatus intraret, moreretur niſi volens quenquam ſeruare,porrigeret ei virgam auream. Mardocheus vero ea verba deportanti ſibi eunucho ad Heſter renunciare præcepit. Non ſuæ ſaluti prouidere, ſed totius gentis periculũ amouere. Nam ſi nunc ipſa cõtemneret,adiutorẽ quidem genti deum,omnibus modis affuturũ,ipſam vero & paternã domum ab illis quos cõtempſerat periturã. Heſter autẽ cũ eſſet fidelis,denunciauit Mardocheo,vt ad contionẽ omnes Iudæos qui erãt in Suſis cõgregaret,& ieiunare cunctos pro ipſa præciperet.quod & ipſa cũ ſuis agẽs ancillis, promiſit præter legẽ adire regẽ,etiã ſi mori oporteret non recuſaret. Mardocheus autẽ ſecundũ Heſter mandata fecit,deũq; ſuũ petere vt nec eã, nec gentẽ ſuã periturã cõtemneret,ſed ſicut peccanti veniã cõceſſit, & nũc ab interitu denũtiato liberaret. Nõ enim propter aliqđ peccatũ ita cogebatur

ſine gloria deperire,cũ & ipſe dominus noſſet cauſam furoris Aman,ꝙ eũ non ſalu= tabat alias ſalutabat. Neq; enim inquit honorem quem tibi domine offerebam,hũc illi quoq; patiebar offerre: ideoq; iratus contra eos, qui tuas leges non tranſgrediun= tur,talia machinatus eſt. Poſtq̃ vero Heſter in cinere & cilicio per tres dies ieiunaſ= ſet,& deum cum lachrymis propitium ſibi expoſtulaſſet: in cultu regio,cum rubore & timore regem adiuit. Qui videns reginam prę timore ſuper ancillas collapſam: ve ritus nequid ea mali ex illo timore pateretur, confeſtim e ſella ſua ſurrexit, ſuoque eam in gremio ſuſcepit & fouit. exoſculans quoq;,eam blando ſermone allocutus eſt, dicens ꝙ expoſtularet quicquid vellet: quia etiam mediũ ei regnum poſtulanti vtiq; daret. At Heſter eum ad conuiuium cum Aman amico ſuo venire ſupplicauit. Cũq; annuiſſet & adueniſſet inter poculorum lætitiam: iuſſit rex Heſter aperire quod vel= let,nihil enim ſe negaturum eſſe promiſit,etiam ſi mediã regni partem poſcere vo= luiſſet. Tum illa,in poſterum diem explanaturam ſe ſuum conſilium promiſit,ſi rur ſus ad conuiuium cum Aman conueniret. Cumq; rex promiſiſſet, Aman egreſſus & gaudens,ꝙ ſolus apud Heſter cum rege meruit epulari,dum nullus alius talem ho norem potuiſſet adipiſci. Cumq; rex vna cum Aman epulans,interrogaret reginam, quam vellet ab eo donationem impetraret: cõpleturum enim ſe deſyderiũ eius om= nino compromiſit. Tunc regina regis pedibus aduoluta,deprecabatur pro populi ſui periculo: dicens ſe eſſe traditam cum ſua gente in perditionẽ, & idcirco hos ſermo= nes ad ſuam maieſtatem facere decreuiſſet. Neq; enim ſibi moleſtum eſſe debebat,ſi amaram eius ſeruitutem exponeret: paruum quippe hoc ei eſſe malum dicebat, Sed ſupplicabat cito hæc amoueri. Interrogante vero rege a quo hæc ſancita forẽt. Aman (inquit) o rex inimicus gentis noſtræ iſta ex nomine tuo molitus eſt. Quibus ex ver= bis rex plurimum turbatus,e conuiuio in hortos ſtatim ſeceſſit. Aman vero cum iam intellexiſſet quibus in malis eſſet,reginam humiliter rogare cœpit,vt veniam ſuis fa cinoroſis machinationibus impartiri dignaretur. Cũq; ſuper lectum præ dolore pro= ceſſiſſet,vt reginam precaretur: ſuperueniens rex,ex huiuſmodi viſu magis magiſq; incitatus: dixit. Peſſime omnium etiam vxori meæ violẽtiam irrogare non vereris. ad quod Aman obſtupefactus,nihil amplius reſpondit. Tunc vnus ex eunuchis regi= næ,accuſare cœpit Aman,quemadmodum præparaſſet crucem in atrio domus ſuæ, ad Mardochei necem,quæ erat altitudinis cubitorum quinquaginta. Quod rex audi= ens,in illa eum appendere e veſtigio præcepit. atq; ita Aman honore quẽ a rege per= ceperat ſupra modum abuſus,huiuſmodi cruci cõfixus eſt. Rex vero ſubſtantiã eius, reginæ donauit,& Mardocheum in locum eius per omnia ſurrogauit. Nam iam re= gina Heſter ad notitiam eius perduxerat cognationem quam ad illum habebat. Do= nauit vero & regina Mardocheo auunculo ſuo Aman poſſeſſionem,& cætera quæ il= lius fuerant: ſupplicauitque regi liberari a mortis metu gentem Iudæorum,aſſerens ſi patria gens ſua perempta eſſet,nec ipſam nullatenus ſuperuiuere poſſe. Scribas er= go regales ſtatim vocans,iuſſit ſcribere gentibus & principibus,& magiſtratibus pro Iudæis ab India vſq; Aethiopiam centum & viginti ſeptem prouinciarũ. in hæc ver= ba dicens. Aman Amadathi filius, & animo & mente Macedo,alienuſq; a Perſarum gente,pietatem noſtram ſua crudelitate commaculans,peregrinus ſuſceptus fuerat a nobis,& tantam in ſe expertus fuerat humanitatem,vt pater noſter vocaretur, & ab omnibus poſt regem adoraretur ſecundus, Qui in tantum arrogantiæ tumorem ſe ſubleuari præſumpſerat,vt regno nos priuare niteretur & vita. Nam Mardocheum Iudęum,cuius fide & beneficijs viuimus,& conſortem regni noſtri Heſter cum omni gente ſua,nouis quibuſdam & inauditis machinationibus expetiuit in mortem: Hoc cogitans,vt illis interfectis,inſidiaretur noſtræ celſitudini,& regnum Perſarum tran= ſiret in Macedonas: nos autem,cum Iudæos prorſus ab omni culpa immunes repere remus,ſed e contrario iuſtis vtentes legibus,& filios maximi dei viuentis eſſe,cuius beneficio & patribus noſtris & nobis regnum eſt traditum,& vſq; hodie fœliciſſime

cuſtoditur: Eas literas quas ſub nomine noſtro direxerat, inanes & irritas facimus: Pro quo ſcelere ante portas huius noſtrę vrbis Suſis, ipſe qui talia machinatus eſt, & omnis eius cognatio pendet in patibulis. nō nobis ſed deo reddente ei quod meruit. Hoc autem edictum quod nunc mittimus, in cunctis vrbibus proponatur, vt liceat Iudæis vti legibus ſuis: Quibus debetis eſſe adminiculo, vt eos qui ſe ad necem eorum parauerant, poſſint interficere, tertiodecimo die menſis duodecimi: Quā diem deus ſuus omnipotens ex mœrore & luctu conuertit in gaudium. Mardocheus vero regia indutus ſtola, & corona aurea, & torque proceſſit ornatus. Quem videntes ita honorificatum a rege Iudæi in Suſis habitantes, communem extimauerunt eorum fœlicitatem. Tunc Perſidis ſatrapæ, tyranni & regis ſcribæ, ſummum Iudæis reddebant honorem, quoniam timor Mardochei eos ad reuerentiam coaceruabat. Poſtq̄ edictum regis per omnes prouincias lectum eſt: mox Iudæi in Suſis trecentos viros interfecerunt, & decē Aman filios crucifixerunt. poſt hoc etiā per alias ciuitates Iudęi interfecerunt de inimicis ſuis ad ſummam ſeptuagintaſex milium. Quibus geſtis Iudæi in Suſis collecti, quartam & quintamdecimam diem duodecimi menſis, quo de inimicis ſuis vindicati ſunt, cum ſummo gaudio celebrarunt: Scripſitq; Mardocheus omnibus ſub imperio Artaxerſis degentibus Iudæis: quatenus hos obſeruarent dies. vnde prædictos dies Iudæi celebrant, appellantes eos conſeruatores. Mardocheus autē magnus erat & clariſſimus apud regem, principatumq; eius regebat, potiebatur communi conuerſatione cum regina. Tunc Iudæi ſuper omnes libertatis munere, meritis huius ſanctiſſimæ reginæ donati ſunt. Hæc itaq; Heſter regina, ſummis laudibus efferēda eſt: quæ periclitātem populū apparatu regio & lautiſſimo cultu liberare potuit & ſciuit: pro quibus crucem Mardocheo paratam, mutata regis ſententia in Aman, quem ſummo ſtudio rex prius amabat: transferre fecit. Ipſa autem quandiu vixerit, aut quid aliud egerit, aut quo tempore vitæ ſuæ mortua ſit: nuſq̄ habere potuimus.

¶ De Arthemiſia Cariæ Regina. CAP. XLVII.

ARthemiſia Cariæ Regina ingētis animi fœmina, tēporibus prædictæ reginæ Heſter, & ipſa fuit integerrimæ viduitatis decus, & ſanctiſſimi coniugalis amoris exemplum futuris digniſſimum. Hęc quippe Hecathomi primi vrbis Carię regis extitit filia: quę Mauſolum germanum ſuum ex eodē patre editum accepit maritum. Quem adeo in vita dilexit, vt ſuperſtes mortuū vnq̄ obliuiſci nō potuerit. Cuius rei ſtetere diu inſignia monumēta. Nam vt Valerius Maximus ſcribit: cum primum eius amantiſſimus maritus diem clauſiſſet extremum, eius cadauer exquiſitiſſimis honoribus extulit. Nec paſſa fuit poſt funebres ignes collectos cineres aurea in vrna ſeruandos condi: exiſtimans tam amati coniugis omne aliud vas incongruum fore præterq̄ pectus ſuum, in quo veteris amoris flammæ longe plus ſolito eo defuncto flagrabant. Quam ob rem omnes cineres collectos ipſa ebibere voluit: & reſiduum vitæ ſuæ tempus in lachrymis conſumpſit. donec læta in mortem ad virum iret. verum vidua facta ingentia peregit facinora. Et inter cætera ex more ſuo egregio & amabili viro inſigne ſepulchrum erexit: Quod plane opus nimis admirabile & ſumptuoſum fuit. Eo ꝙ tam arte, q̄ impenſa omnia fere orbis ędificia exceſſerit: ac inter ſeptem mundi miracula ſeu mirabilia vnum diu extiterit. Quod ſane opus de mariti nomine mauſolæum appellauit. A quo tanq̄ a digniori ſequentium regum ſepulchra Mauſolæa denominata ſunt. Et non ſolum in hoc Arthemiſia extollenda fuit: ſed & virili robore & audacia ac militari diſciplina plurimum valuit, ac multis triumphis maieſtatem ſui nominis plurimū exornauit. Quia vt legimus poſt viri mortem: ad tempus ſepoſitis lachrymis bis arma ſuſcepit. primo vt ſalutem patrię tutaretur: Secundo vt ſocialem fidem requiſita ſeruaret.

Nam mortuo Mauſolo cum indignarentur Rhodij, non longe ab Halicarnaſo conſtituti eam mulierem preeſſe regno Cariæ, armata claſſe,quaſi certa ſpe potiundi, frequentes ad occupandam eam,illuc venere. Sane Halicarnaſus ciuitas mari imminens Icareo,in loco natura munito ſita erat,geminos habens portus:quam cum Rhodij occupare tentaſſent, aſtutia Arthemiſiæ non ſolum prohibiti ſunt, ſed & eorum Rhodiana ciuitas,ab ipſa fœliciſſime occupata eſt:Qua adepta, iuſſit omnes eorum principes cędi. Pręterea(vt Iuſtinus in tertio epitomatum libro ſcribit)cum rex Perſarum Xerſes aduerſus Lacedæmonas Græcos bellum indixit,requiſita Arthemiſia, cum armatis nauibus venit in pugnam, fractiſq; iam terreſtribus Xerſis copijs, cum in conſpectu Salaminæ in nauale prælium,Xerſis claſſis & Athenienſium ſub Themiſtocle duce conueniſſent, ſpectante Xerſe, Arthemiſia inter primos principes, ſuos exhortans atq; acriter impellens:quaſi cum Xerſe ſexum mutaſſe viſa eſt, Adeo vt ſi tam audax robuſtuſq; Xerſi fuiſſet animus,haud facile claſſis eius proras vertiſſet in fugam. Magna equidem & multo plura fuere huius Arthemiſiæ facinora & acta,quę & admiratione digna ſunt: De quibus hæc dicta ſufficiant.

¶De Olympiade Magni Alexandri matre. CAP.XLVIII.

OLympias Macedonum regina,cui ab infantia Miſtilis nomē fuit quinquageſimo ſupra trecenteſimum ante Chriſti domini noſtri aduentum anno:regina conſtituta,multorum titulorum illuſtris inclytaq; euaſit. Eo ꝙ Neoptolemum Moloſſorū regem habuerit patrem,qui ex Æacidarum ſanguine, qui tunc præ cæteris totius Græciæ, immo orbis terrarum ſplendidior habebatur. præterea & Alexandrum Epyri regē habuit fratrem: & Macedoniæ Philippo marito rege mortuo,filium Alexandrum Magnum,cuius tam ingentia fuere facinora,vt qui illum ſuperaret gloria,nec natus audiretur,nec naſceretur in poſterum:quod Olympiadi huic non modicum fulgoris adiunxit, ſi matribus fulgor eſt præſtantes genuiſſe filios: Sed non omnino fulgor iſte euaſiſſe potuit,quin notis aliquando iniectis obfuſcaretur, eſto ex illis Olympias notior euaſiſſet. Nam adulterij illecebra eius ætate florente,Olympias labefectata fuit:qua nil fere dedecoroſius reginæ contigiſſe potuit. Et quod turpius fuit,ſuſpicatum eſt Alexandrum adulterio genitum. Quæ quidem ſuſpitio adeo Philippum emouit, vt non ſolum aliquando palam diceret,ex ſe ſcilicet Alexandrum non genitum,verum & Olympiadem ignominia notaret repudij, & Cleopatram Alexandri Epyrotæ filiam in vxorem duceret. Quod quantum Olympias ægre tulerit,diſſimulare non potuit. Nam quę vſque in diem illam hac excepta labe,regijs tātum fulgoribus clara erat:enormitatibus varijs,ſeſe fecit inſignem. Creditum quidem eſt,agitatum atq; impulſum Pauſaniam iuuenē ex ſplendido Oreſtis ſanguine natum,in Philippi viri ſui necem conſcio etiā Alexandro. Nam Pauſaniæ ob occiſum Philippum in cruce pendentis caput, opere Olympiadis mane ſequenti,a die qua cruci affixus fuerat, aurea inſignitum corona compertum eſt: & paucis interpoſitis diebus,Olympiade iubente, eius cadauer depoſitum, ſuper reliquijs Philippi honorifice,Macedonico ritu exuſtum eſt,& cum pōpa funebri ſepultum. gladium præterea quo Philippum Pauſanias occiderat, regina ſub nomine Miſtilis in templo Apollinis iuſſit apponi,& Cleopatram ſibi ſuperinductam(poſt illiſam ſaxo filiam)in tantū verbis exaſperauit,vt miſeram ad induendum laqueum compulerit. Aucto tandem maximis victorijs filio Alexandro, eoque apud Babyloniam veneno abſumpto,& Alexandro fratre apud Lucanos cæſo: ac Arideo Macedoniæ rege & Euridice coniuge, eam Macedoniam abſq; Epyro venientem intrare prohibentibus, fauore Macedonum veterum datis in mortem,Macedoniæ regnum ſola obtinuit,vidua & regina:verum cū paſſim in cruorem tam no-

bilium q̃ plebeiorum Macedonum, quaſi belua baccharetur, a Caſſandro in Epidna ciuitate obſeſſa eſt: ab eoq́ꝫ coacta, vt vna cum oppidanis, rerum omnium inopia, deueniret in famem: qua cogente, actum eſt, vt conditionibus appoſitis ſe in fidem Caſſandri committeret. Qui fraude exornatis occiſorum amicis: poſt deditionẽ in mortem vocata eſt. Ad quam occidendam, cum Caſſander vbi detinebatur ſcelerum miniſtros intromiſiſſet, ea iam aduertente, ſe manu venientium morituram, duabus innixa ancillis, imperterrita ſurrexit, & veſtimẽtis crinibuſq́ꝫ cõpoſitis ne quid cadens, videretur inhoneſtum, nec orare paſſa eſt nec audire voces, aut vlulatus fœmineos emittere, quinimmo percuſſoribus obuia facta, paratum in vulnera corpus obtulit vltro: quaſi paruipenderet quod robuſtiſſimi etiam homines conſueuere vt plurimum expaueſcere. Actu equidem illo, confeſſa eſt: ſe vere extitiſſe tam egregij Imperatoris genitricem.

❡De Claudia Veſtali virgine mirabili fœmina. CAP. XLIX.

CLaudia quædam Veſtalis virgo, ex Romanorũ generoſo ſanguine procreata temporibus prædictæ Olympiadis reginæ, perpulchrum ac memorabile pietatis opus in tutando paterno decore fœliciſſime Romæ peregit, quod etiam quiſq́ꝫ robuſtiſſimus iuuenis facere extimuiſſet. Pater igitur huius virginis triumphum ex ſenatus decreto agebat ſpectabili pompa: quod quidẽ Romana plebs frequens, curioſiſſimeq́ꝫ ſpectabat. Dum vero hæc agerẽtur, factum eſt vt vnus tribunorum plebis, ob priuatam ſimultatem, ſe in eum, non aliter q̃ in male meritum prorumpens in medium dedit, & quadam inſolenti audacia, violentas manus in triumphantem iniiciens, eũ de curru euoluere conatus ſit: Quod cum hęc virgo inter ſpectantes conſpiceret, illico vrgente paterna pietate, commota, triſtis & ſui ſexus oblita, ac vittarum honeſtatis quibus obtecta erat, pati non potuit: quinimmo repente inter medias cateruas, impetuoſa prorumpens, & ſibi audaci viſu, cedere turbam cogens, inter tribuni arrogantiam, & patris gloriam ſe indefeſſo robore miſcuit, & quibuſcunq́ꝫ auſis factum ſit, amoto tribuno, liberum in Capitolium patri aſcenſum conceſſit. O dulcis amor: O infracta pietas. quid credemus, vires imbecilli corporis præſtitiſſe virginis? quid religionis obliuionem inieciſſe? præter eum cernere iniuria opprimi, quem meminerat infantiæ ſuæ educatorem, & pijs delinitorem blãditijs, votorum in ſuam ſalutem exhibitorem, noxiorum omnium amatorẽ, & prouectioris ætatis inſtructorem. Sed vt de hoc ſatis dictum ſit: quis ob hoc tumultuantibus hominibus, ſanctimonialem immixtam virginem de honeſtate redarguet? quis temerariam dicet? quis tanq̃ in tribunitiam poteſtatem auſam vere damnabit? Equidem non immerito dubitem: quis ſpectabiliorem triũphum, an pater in Capitolium, an filia in ædem Veſtæ reportauerit.

❡De Irene Græca mirabili pictrice. CAP. L.

IRene Græca Crathini cuiuſdã pictoris filia & diſcipula, iiſdem tẽporibus quibus & prædictæ duæ claræ mulieres, in arte pictoria maximo apud Grecos habita fuit in pretio. Quæ tãto laudabilior æſtimata fuit, quanto & arte & fama videbatur ſuperaſſe magiſtrum patrem ſuum: cum eius nomẽ pluribus in locis diu viguerit. Eius autem pater is fuit, qui frondes, atq́ꝫ radices omnium herbarum ad earum præſtandam notitiam in forma depinxit propria: quod quidem artificium & ingenium memorabile vtique fuit. veruntamen tanta fuit huius filiæ in eadem arte præſtantia, vt patre exiſtente, fere innominatus extiterit. Cuius quidem magiſterij in longum argumenta fuere, puella quædã picta, quæ apud

Eleuſinam ciuitatem, diu in tabula pro miraculo viſa fuit, atq; alia permulta admiranda: Quę ideo, ꝙ id officium eſt a fœmina (vt plurimum) alienum, nec abſq; vi maxima ingenij conſecutum, quod eis etiam tardiſſimũ eſſe conſueuit: dignum aliqua laude celebrari viſum eſt.

¶De Martia Romana mira pictrice. CAP. LI.

MArtia alia ſed multo præſtantior pictrix, Varronis cuiuſdam Romani ciuis filia, virgo quidem perpetua, temporibus Philadelphi regis, hoc eſt anno ante Chriſti domini noſtri natiuitatem ſeptuageſimo ſupra ducenteſimum: & virginali pudicitia & pingendi ac ſculpendi gratia maximo apud Romanos fuit in pretio, quam tãto egregiori laude extollendam putabant, quanto ſui iuris fœmina, ſua ſponte, non alicuius ſuperioris impulſu, integriorem ſeruauerit virginitatem. Non enim erat alicui Veſtę ſacerdotio alligata, aut Dianæ voto obnoxia, ſeu alteri profeſſioni implicita, ſed ſola ſuæ mentis integritate ſuperato carnis aculeo (cui etiam præſtantiſſimi nonnunq̃ ſuccubuere viri) illibatum a contagione hominum corpus, in mortem vſq; ſeruauit. Verum etſi hac tam commẽdabili conſtantia, plurimum hæc laudanda ſit fœmina: non minus tamen ingenij viribus, & artificio manuum comendanda eſt. Hæc quippe aſpernatis muliebribus exercitijs, ne otio torperet, ſe in picturæ & ſculpturæ ſtudium omnino dedit. Quo factum eſt, vt miro & incredibili artificio & politia, penicillo pingeret, atq; ex ebore imagines exquiſitiſſimas ſculperet: ita vt omnes pictores ſui temporis famoſiſſimos ſuperaret. Eiuſq; rei notiſſimum argumẽtum fuit: tabulas a ſe pictas fuiſſe cęteris pretioſiores. Et quod longe mirabilius: aſſerunt eam non tantum eximie pinxiſſe (quod & nõnullis aliquando contigit) verum adeo veloces ad pingendum habuiſſe manus, vt nemo vſq̃ ſimiles habuerit. Fuerunt inſuper diu eius artis inſignia: ſed inter alia eius effigies, quam adeo intergre liniamentis, coloribuſque ſeruatis, & oris habitu in tabula, ſpeculum conſulens protraxit, vt nemini coætaneo, quænam foret, ea viſa verteretur in dubiũ. Et inter cæteras & ad eius mores ſingulares deueniamus. ei fuiſſe mos præcipue aſſerũt, ſeu penicillo pingeret, ſeu celte ſculperet, mulierum imagines ſæpiſſime facere: hominum vero nunq̃ vel raro. Arbitrandum profecto eſt huic cõſuetudini pudicũ ruborẽ cauſam dediſſe. Nam cum antiquitas vtplurimum nudas, aut ſeminudas imagines effigiaret, viſum illi ſit opportunum, aut imperfectos facere viros: aut ſi perfectos feciſſet, virginei videretur pudoris oblita fuiſſe. Quæ ne in alterum incideret, ab vtroq; abſtinuiſſe ſatius arbitrata eſt.

¶De Sulpitia Romana venerandiſſima fœmina. CAP. LII.

SVlpitia Romana venerandiſſima fœmina, ducenteſimo ante Chriſti domini noſtri natiuitatem regnante Ptolemæo Euergete, non minus, matronarum Romanarum teſtimonio, laudis ob obſeruatã caſtimoniam, q̃ cultro ſe perimens Lucretia, cõſecuta eſt. Hęc quippe cuiuſdam Serui Patritij filia, & Tullij Flacci coniunx fuit: nobiles Romani ambo viri. Et cum ſenatus a decemuiris, viſis more veteri Sibyllinis libris, decreuiſſet, vt Veneris Verticordiæ ſimulachrum in vrbe conſecraretur, Vt virgines cæteræq; mulieres, non ſolum a libidine abſtinerẽt, ſed etiam facilius in laudabilem pudicitiam verterentur, petiuiſſetque iuxta decemuirorum mandatum, quo cauebatur, vt caſtior ex Romanis matronis dedicaret illud: ex ingenti multitudine, qua tunc abundabat Roma, caſtiorum fœminarum iudicio, actum eſt, vt primo eis agentibus, centum ex omni cœtu, quæ pudicitia clariores exiſtimatæ eſſent, ſelectæ traderentur: inter quas vna Sulpitia ſumpta eſt. De-

mum ſenatus iuſſu, earundem mulierum iudicio, ex centum decem etiam lucidiores ſubtractæ ſunt: quas inter & Sulpitia numerata. poſtremo, cum ex decem peteretur vna: ſummo omnium conſenſu Sulpitia data eſt. Cui etſi pulchrum fuit, ea tempeſtate Veneris Verticordiæ ſimulachrum dedicaſſe, longe tamen pulchrius, tam ingentis multitudinis exiſtimatione fuit, ꝙ caſtimonia cæteris fuerit prælata: eoq; non tãtum oculis aſſiſtentium, tanq̃ cœleſte pudicitiæ numen omnium admiratione cõſpecta ſit, ſed futurorum omni æuo etiam veneratione, fere immarceſſibilem gloriam ei videatur eſſe delatam. Sed in hoc loco inquiet aliqua, ſi centum pudicæ electæ ſunt, quid huic vni, aliarum magna pudicitiæ addi & ſuperaddi potuit, vt cæteris merito præferretur? palam eſt hi vel hæ videant, quæ arbitrantur ſolum ab alieno q̃ viri cõcubitu abſtinuiſſe pudicitiam. Quæ quidem ſi intueri ſaniori volumus oculo nõ ſolũ cõſiſtit ab amplexibus exterorum virorum abſtinere, quod multę faciũt: ſed alijs in virtutibus plurimis pudicitiæ aſſiſtentibus, quas commemorare nunc longum eſſet.

¶De Sophoniſſa Haſdrubalis Carthaginenſium filia. CAP. LIII

SOphoniſſa Haſdrubalis maximi Carthaginenſium principis filia, & Syphacis potentiſſimi Numidiæ regis coniunx temporibus Ptolemæi Philopatoris, hoc eſt ducenteſimo anno ante Chriſti domini noſtri natiuitatẽ: auſteritate mortis intrepide a ſe ſuſceptę euaſit luculenta & clariſſima. Hęc itaq; cum eſſet ætate florens & forma ſatis egregia: Syphaci prædicto regi a patre in coniugium copulata eſt. Nec ſane id geſtum fuit deſyderio affinitatis regiæ tantum, ſed optabat vir ſagax inſtãte Romanorum bello, ſolum barbarum regem Romanis ſubtrahere, & id opera filiæ blandiẽtis in partes Carthaginenſium aduerſus Romanos conuertere. Nec a præcogitata malitia deceptus eſt. Nam cum nuptias Syphax celebraſſet, a pręmonita adoleſcentula, formoſitate fauente, intantũ ſuæ dilectionis ardore tractus eſt, vt nil præter illam ſibi earum aut delectabile arbitraretur, & ſic dum vreretur infœlix, & appareret P. Scipionẽ ex Sicilia in Africam cum exercitibus traiecturum, Haſdrubalis monitu, Sophoniſſa blanditijs precibuſq; adeo Syphacis animum in ſuum deſyderium traxit, vt nõ ſolum Romanos relinqueret, quibus amicitiæ fidem præſtiterat, & Carthaginenſibus iungeretur: verum vltro belli principatum aſſumeret. Quam ob rem, perfidia calcata fide, quam pridie Scipioni hoſpiti ſuo promiſerat, ei per literas, nondum in Africam transfretanti, ingreſſum interdixit. Cæterum Scipio ingentis animi iuuenis, dãnata barbari regis nequitia, expoſitis haud longe a Carthagine copijs, illum ante alia expugnauit per Maſſiniſſam regem ſocium, & Lælium legatum ſuum: per quos, exercitu fuſo, captus vinctuſq; deductus eſt Cyrtam regiam Numidie ciuitatẽ, nec ante cathenis onuſtus eſt, q̃ Maſſiniſſæ ciuitatis deditio facta. Quo cum nondũ Lælius appuliſſet, eam intrãs, motu rerum repentino tumultuãtibus omnibus, regiam, vt erat armatus, obuiam habuit Sophoniſſam: quæ fortunarum ſuarum conſcia, cum eum intrãtem veſtibulum, vltra alios armis inſignem cerneret, vt erat, regem ſuſpicata, ad eius pedes procumbens, priſtinæ fortunæ animum retinens, inquit: Sic rex inclyte deo viſum eſt, & fœlicitati tuæ, vt in nos, qui paulo ante reges eramus, quæ velis, poſſis omnia: verum ſi permiſſum eſt, vt captiua coram victore, & vitæ mortiſq; ſuæ domino, ſupplices voces emittere poſſit, eius genua & dexteram victorem contingere deiecta: precor per maieſtatem tuam, in qua & ego paulo ante eram, perq; genus regium, & cõmune Numidicum nomẽ, etſi meliori ſuſcipiaris omine, q̃ hinc abierit Syphax, in me, quam tui iuris, nouiter aduerſa fecit fortuna, agas quod in oculis tuis pium bonumq; viſum ſit, dummodo inſolenti & faſtidioſo (potiſſime Penis) Romanorum arbitrio, viua non tradar. Facile enim potes animaduertere, quid ego Romana hoſtis, Carthaginẽ=

ſis & Haſdrubalis filia, ſiue ꝙ Syphacis cõiunx, timere poſſim: & ſi omnis in hoc tollitur modus, vt tua manu potius moriar facito, q̃ in poteſtatem hoſtium viua deueniã, precor & obſecro. Maſſiniſſa qui & ipſe Numida erat, & vti omnes ſunt in libidinem proni, venuſtatem oris orantis inſpiciens: addiderat quippe infortunio pium quoddam & inſolitum decus ſupplici, motus humanitate & a libidine tractus, cum nondum aduentaſſet Lælius, vti erat in armis dextera data (inter fœminarum querulos motus & vlulatus, ac tumultum diſcurrentium vndiꝗ militum) leuauit orantem, eamꝗ e veſtigio ſibi in vxorem accepit, medio in ſtrepitu armorum nuptijs celebratis: puto hac via, arbitratus & libidini ſuæ, & Sophoniſſæ precibus inueniſſe modũ. Die demum ſequenti, Lælium venientem ſuſcepit: & eo ſic iubente, cum omni regio ornatu, & cætera præda, ac noua cõiuge redeũtes in caſtra: primo a Scipione ob rem bene geſtam comiter ſunt ſuſcepti, Deinde cum ab eo, ob celebratas cum captiua Romani populi nuptias, amicabiliter redargutus eſſet, & in tabernaculum ſeceſſiſſet, arbitriſꝗ remotis, ſuſpirijſꝗ ac lachrymis oppletus diu ingemuiſſet, adeo vt a circunſtantibus audiretur: vrgente Sophoniſſę fato, accerſiri iuſſit ad ſe quem ex ſeruis fideliſſimum habebat, cui commiſerat ſeruandum venenum, ad incertos fortunæ caſus, eiꝗ prȩcepit, vt illud poculo dilutum Sophoniſſę deferret, diceretꝗ: libenter ſe illi, quam ſponte dederat fidem ſeruaturum ſi poſſet: verum ſibi, a quibus poterat, arbitrium ſubtrahebatur ſuum: quam ipſe potuerat, non abſꝗ ſuo mœrore præſtaret fidem, ſi vti velit, ſcilicet ne in poteſtatem Romanorum viua deueniat, ipſa tamen patris patriæꝗ & duorum Regum quibus paulo ante nupſerit memor, ſibi quod videretur conſilium ſumeret. Quæ quidem audita, conſtanti vultu, nuntio dixit. Accipio nuptiale munus, etſi nil aliud, a viro coniugi dari poterat, gratum habet: Sed refer, ſatius me morituram fuiſſe, ſi non in funere meo nupſiſſem, Nec acrius dicta dedit, q̃ poculum ſumpſerit, & nullo ſigno trepidationis oſtenſo, cõfeſtim hauſit omne: Nec diu tumeſcens, in mortem quam petierat, miſerabunda collapſa eſt. Ædepol, annoſo homini, cui iam vita tædiũ, nec alia ſpe præter mortẽ, nedum puellæ regiæ, tunc habito reſpectu ad notitiã rerũ vitã intranti, & quid in ea dulcedinis ſit percipere incipiẽti, magnũ & admirabile fuiſſet, & nota dignũ, morti certæ adeo impauide occurriſſe.

¶De Tertia Æmylia Scipionis vxore. CAP. LIIII.

TErtia Æmylia ex Æmyliorũ clariſſima familia nata, Scipioniſꝗ vxor, cẽteſimo & octogeſimo ante Chriſti domini noſtri natiuitatem anno, perpulchro ac lucidiſſimo facinore a ſe geſto, euaſit lucidiſſima. Mulier ſane ſapientiſſima, & ſanctis etiam in cœlum vſꝗ extollenda laudibus. Hæc quippe inter cætera ſuæ ſapientiæ præconia, hoc vnum, præter omnium vxorum morem, fecit: ꝙ cũ vidiſſet virum ſuum iam ſenem, in dilectionẽ ancillulæ ſuæ & cõcubitum incidiſſe, Quantumcunꝗ eidem difficillimum foret, id tamen animo conſtanti, tanq̃ mulier generoſa pertulit. Exiſtimans, vt erat diſcreta mulier, indecens nimium fore, ꝙ vir tantus, qui ſua ingenti virtute reges multos, & validas nationes Ro. ſubiugaſſet imperio, diceretur vel ſciretur amore ancillulæ detentus eſſe. Vnde & quoad vixit, viri crimen omnino oppreſſit ſilentio, vt nedum alteri, ſed etiã vir ipſe, quoad vixit perpẽdere potuit, eam ſciſſe quid ageret. Et non ſolum hoc crimen Scipione ipſo viuente ſeruauit, ſed & eo defuncto, ad auferendam eius infamiam, ſtatim ancillam ipſam liberali animo manumiſit, ac liberto ſuo in coniugem dedit, Et hoc, ne magnifici viri inclyta fama macularetur. Alia profecto fœmina conclamaſſet, & in concilium conuocaſſet, & affines vicinaſque, atꝗ eas longa dicacitate compleſſet, enarraſſetque innumeris querelis, ſe derelictam, ſe omiſſam, ſe vilipenſam, ſe in nullo pretio a viro habitam: eoꝗ viuẽte viduam, & ancillulæ ſeruulæ & deiectæ ſortis me-

retriculæ poſtpoſitā,virum etiam lachrymis & quæſtubus publice infeſtaſſet,nec curaſſet, dum ius ſuum garrulitate defēderet. Eſt profecto fœmina ſuſpitioſum animal & omnino impatiens,& quam maxime in fractione fidei maritalis.nihil enim nuptæ mulieri iniurioſius fieri poteſt,q̄ cū ſe viderit a viro iure ſuo priuari. Quicquid enim a viro in alteram agitur,id in detrimentum amoris ſibi debiti factum eſſe arbitratur.

¶De Dripetrua Laodiceæ Regina. CAP.LV.

DRipetruam Laodiceę Reginam fuiſſe,magniq; Mithridatis filiā ſcriptum eſt. & anno ante Chriſti domini noſtri natiuitatem centeſimo,ex inaudito quodam opere memorabili,a ſe erga patrem fideliſſime geſto,cōmendabilis plurimum euaſit. Nam cum Mithridates pater ſuus a Magno Pompeio ſuperatus fuiſſet,illum nullis periculis aut laboribus, ſeu neceſſitatibus vllis indulgendo deſerere voluit,quinimmo ſemper eum ſubſequens,illi obſequiis fideliſſimis ſeruiuit. Ferunt hanc reginam cum gemino dentium ordine (ſicut & pater erat) fuiſſe natam. quam ob cauſam monſtroſum de ſe ſpectaculum omnibus Aſiaticis ſuo tempore tribuit. qua ex re,etſi nullum in mādendo a tam inuſitata dentium quantitate ſuſceperit impedimentum,tam inſigni deformitate non caruit:quam, vt iam prædictum eſt,laudabili fide compeſcuit.

¶De Claudia Veſtali virgine Romana. CAP.LVI.

CLaudia Veſtalis virgo,Romana fœmina, temporibus Ptolemæi Soter,hoc eſt ſeptuageſimo ante Chriſti domini noſtri natiuitatem anno,apud Romanos ſuos inſigni quadam audacia,perpetuam ſibi laudem & claritatem acquiſiuit. Hæc quippe Veſtalis virgo,cum aſſidue varijs & accuratiſſimis vteretur ornamētis,& ſic nimio cultu ornata in publicum incederet,vt a pluribus iudicata fuit nō honeſta virgo,ſed impudica mulier. Sane factum eſt Marco Cornelio,& Pu. Sempronio conſulibus imperantibus,vt ſimulachrum Ideę videlicet Opis Deorum matris,Romam in fauces Tyberis applicaret: Ad quod ſuſcipiendum e naui manibus, iuxta reſponſum oraculi, Naſica ab vniuerſo Senatu totius vrbis vir optimus iudicatus,cum matronis omnibus eo vſq; concederet, vbi propinqua nauis erat, contigit, vt volentibus nautis litori appropinquare, hæreret vado fluminis,Et cum trahentibus iuuenibus non moueretur, Claudia alijs matronis immixta,ſuæ virtutis & pudicitiæ confiſa,palam genibus flexis, Deam ſupplex deprecata eſt: vt ſi ſe caſtam & pudicā arbitraretur,cingulum, nauis ſequeretur ſuū. Quibus dictis,illico fidenter conſurgens,id futurum non dubitans: Naui cingulum alligari iuſſit. & ab ea iuuenes omnes amoueri præcepit:quibus amotis,Claudia nauem e veſtigio a vado euulſit, & (mirantibus cunctis) eam in partem qua cupiebant, facillime traxit. Ex quo tam mirabili ſucceſſu, ſecuta eſt mox de Claudia optima opinio: Et ſic Claudia quæ ad litus,cum turpi laſciuiæ nota acceſſerat,decorata inſigni pudicitię ſplendore,in ciuitatē rediret. Melius tamen (vt inquit Seneca) cum illa eſſet actum,ſi hoc quod euenit,ornamentum potius exploratæ pudicitię fuiſſet,q̄ dubię patrocinium. De hoc etiam diuus Hieronymus contra Iouinianum meminit,dicens. quod licet id pro voto Claudiæ acceſſerit,abſit,vt credendum ſit,ſanę mentis fuiſſe,quantumcunq; innocuæ gentili fœminę,ſimilia audere. Vt quis,quanq̄ innocēs ſibi videatur & ſit,id velle agere,quod præter naturam ſit,quinimmo potius eſſet tētare deum,q̄ obiecti criminis labem purgare. Sancte equidem tantum viuendum eſt, etſi minus extimemur, non abſq; bono noſtro id patitur deus: vult quippe noſtra fir=

metur patientia, auferatur elatio,& virtus exerceatur.& vt nobiſcum lætemur, dũ alios noſcit indignos, Satis nobis eſt, immo perq̃maximũ, ſi deo teſte bene viuimus. Et idcirco ſi minus bene de nobis ſentiunt homines, dum bene fecerimus, non cures mus. Quia, vt diuus pater inquit Auguſtinus, nec damnare iniuria, nec coronare po teſt laus falſa.

¶De Ipſicretæa Mithridatis regis coniuge. CAP.LVII.

IPſicretæa Mithridatis regis cõiunx & regina, fœmina ſatis ſpectas bilis & generoſa, ac inuicti amoris in virũ, tẽporibus prædictę Ves ſtalis virginis adeo cõmendanda eſt glorioſo præconio, vt ex eo ſui nominis fulgorem perpetuũ meruerit. Mithridati igitur viro ſuo diuturno ac ſumptuoſo, necnon diſcriminibus varijs pendulo, ads uerſus Romanos bello laborãti, amoris eximij facibus incenſa, ſeu regiones ampliſſimas peragranti, ſeu certamina ineũti, ſeu transfre tationes paranti, ſemper fideliſſima comes eſſe voluit. Hæc quidem ægre eius abſens tiam patiens, atq; exiſtimãs, neminem præter ſe rite poſſe obſequia impendere viro, & vtplurimum infida miniſteria ſeruorũ, vt ipſa dilectiſſimo ſibi, poſſet opportuna pręſtare, etſi difficillimũ videretur, ſumpſit tamẽ proſequendi conſiliũ. Et quoniã tanto operi, muliebris habitus videbatur incongruus, & indecens lateri bellicoſiſſis mi regis incedere fœminã, vt marem fingeret: ante alia aureos crines, quibus plurimũ honeſtabatur, ſibi ſecuit, & ſiderei vultus ſui præcipuum decus, non ſolum vna cum crinibus galea tegere paſſa eſt, verum puluere & ſudoribus, ac armorũ deturpare rus bigine, iocalia quæq;, & purpureas veſtes & fluetas in pedes deponere, & eburneum pectus lorica tegere, atq; tibias ocreis deuincire, abijcere annulos, & digitorum pres tioſiſſima ornamenta: & eorum loco enſem, & haſtas geſtare, Parthicos arcus & pha retras monilium loco cingere, & adeo apte omnia, vt ex delicata regina crederes ves teranum militem atq; ſtrenuum. Sed forſan difficilia hæc aſſuetę quidem regiis thas lamis, otio & molliciei, & raro aerem vidẽti, cum eis omiſſis, virili animo inſignita, equis inſidere didiciſſet, inuicta, & armorum onuſta, poſt virum per aſpera montiũ & conuallium concaua, die noctuq; algores, æſtuſq; ſuperans, citato diſcurrere curſu, perſępe comperta fuit. Regaliſq; thori loco, nudam quandoq; humum, & lucos ac ſyluas impauida ferarum corpore durato, cogẽte ſomno premebat. Victori viro, ſeu profugo ſemper comes adiutrixq; laborum, & cõſiliorum particeps incedens vbiq;. Quid multa? pios oculos, vulnera, cædes, ſanguinem quem & ipſa pugnans effundes bat, aliquãdo poſſe absq; horrore conſpicere docuit. Et aures cãtibus aſſuetas, equos rum fremitum, militares tumultus audire, abſq; ſuæ mentis obſtupefactione coegit. Tãdem cum multa pertuliſſet grauia, Mithridatem a Pompeio ſuperatũ atq; fugas tum per Armenios ſaltus, Põtiq; latebras & efferatas quaſcũq; nationes, cum paucis ex amicis ſecuta eſt. Nunc afflictũ ſpe meliori recreans, nunc ſolatijs, quorũ cupidũ videbat & nouerat demulcens, adeo vt illi tantũ conſolationis attulerit, vt in quaſs cũq; ſolitudines ageretur, cõiugali ſibi videretur in thalamo refoueri. O pectus cons iugalis dulcedinis ſacrarium, o inexhauſta amicitiæ virtus? quibus quanq; ſanctis viribus, muliebrem animum roboraſtis, nulla profecto vſquam vxor pro viro ſimis lia, nedum grauiora pertulit: quo merito, ſi in eius perpetuam laudem, antiquitas verſata eſt, minimum admirari iure poſteritas poterit. Cæterum ex tot laboribus, tamq; inclyta fide bene merita mulier, a viro non ſatis dignum retulit præmium. Nam cum is ſenex, iam filium ex ea ſuſceptum iratus occidiſſet, vrgentibus Romas norum viribus, non ſolum in regnum ſed in regiam ſe recepiſſet, eſto animo molires tur ingentia, & in legationibus, varias atque longinquas nationes, in bellum aduers ſus Romanos ſuſcitare conaretur, a Pharnacis filio, ob eius ſæuitiam in filios amis coſque, rebellante obſeſſus eſt. Quod cum cerneret, & eam inexorabilem inueniſſet,

poſtremam rerum ſuarum arbitratus ruinā,cum reliquis tā coniugibus q̄ pellicibus ac filiabus Ipſicretęā,quæ tot vitæ ſuæ ſubſidia laborando præſtiterat,ne illi ſuperuiueret,veneno abſumpſit. Sane ingratiſſimum Mithridatis opus, Ipſicretçæ meritam gloriam minuiſſe non potuit,corpus mortale,veneno immatura morte ſublatū eſt.nomen eius monimentis venerandarum literarum, ad nos vſq;, & in perpetuum celebri fama viuet,& longa quidem poſteritate fraudari non poterit.

ℭDe Iulia C.Cæſaris filia. CAP.LVIII.

IVlia Caij Cæſaris ex Cornelia coniuge vnica filia, quinquageſimo ante Chriſti domini noſtri natiuitatē anno,& genere & coniugio ac ſanctiſſimo amore, fatoq; quodam repentino fuit omnium mulierum ſui ſeculi clariſſima, Nam Iulius Cæſar eius genitor ab Æneа inclyto Troianorum duce,per multos duces immo reges,& alios medios paternam duxit originem, maternā vero ab Ancho quondam Romanorum rege,gloria bellorū atq; triumphorum,& dictatura perpetua inſigni homine. Nupſit præterea magno illi Pompeio,ea tempeſtate Romanorum clariſſimo viro,qui in vincendis regibus& deponēdis,eisq; de nouo faciendis,nationibus ſubigendis, pyratis extinguendis,fauorem Romanæ plebis obtinendo,& regum totius mundi & orbis clientelas aquirendo, non terras tantum ſed cœlum omne fatigauit diu. Quem adeo illuſtris mulier, licet iuuencula & ille ætate prouectus, amauit,vt ob id immaturā obierit mortem. Nam cum Pompeius in comitijs ſacrificaturus, ob hoſtia quā tenebat,ex ſuſcepto vulnere,ſe in varia agitante plurimo reſpergeretur ſanguine,& ob id veſtimentis illis exutus,domum eadem,& alia induturus remitteret,contigit vt deferens ante alios Iuliam prægnantē haberet obuiā,Quæ cū vidiſſet viri cruentas veſtes,anteq̄ cauſam exquireret, ſuſpicata ne forte Pompeio fuiſſet violenta manus iniecta,quaſi non illo occiſo,dilectiſſimo ſibi viro ſuperuiuendum foret,in ſiniſtrum repente delapſa timorem,oculis in tenebras reuolutis,manibus clauſis concidit,e veſtigio expirauit.Nō ſolum viri,atq; ciuium ſuorum,ſed maximo totius orbis ea tempeſtate incommodo.

ℭDe coniugibus Theutonum & Cymbrorum mirabilibus. CAP.LVIIII.

COniuges quædam Theutonum & Cymbrorum, ac earum quidē infinitus pene numerus, temporibus Caij Cæſaris in Germania fuit,Fœminæ plane ob caſtitatis propoſitū miris extollēdæ laudibus,Hæ equidē a Romanis ſuperatæ,ne etiā libertatem ac pudicitiam ſuā perderent,non ex conuentione aliqua,non ex cōſilio publico,in vna nocte non aliter q̄ idem omnibus fuiſſet ſpiritus,in vnā mortis ſententiā deuenere.Romanis igitur rebus florētibus Theutones Cymbriq;,& quædā aliæ Germanorum nationes (vt Oroſius hiſtoricus in quarto hiſtoriarum ſuarum ſcribit) in Romanum coniurauere nomen, vt eos in fugam verti poſſe nemo dubitaret,coniuges, natos & omnem ſupelectilē ſecū magno agmine traxere vehiculis, inde vt omnē Italiā,vno & eodē concuterent impetu,triparito illā intrare agmine,tripliciq; itinere,ſtatuere: Quibus a conſternatis tumultu Romanis, Caius Marius cōſul,in quē niti omnis reip.ſpes ea tēpeſtate videbatur,obuius miſſus,primos obiectos habuit Theutones inſolētes,aduerſus quos, in nihilo declinantes certamen , cum conſeruiſſet & longa pugna partium aliquandiu nutaſſet fortuna, poſtremo multo ſanguine fuſo,terga dedere Theutones, Deinde in Cymbros itum eſt, & vt Theutones apud aquas Sextias, ſic illos in campo Raudio,duplici fudit certamine,facta ſtrage perq̄maxima,Quod aduertentes cū cæteris impedimentis ſepoſitæ coniuges,nō virorū ſecutæ ſunt fugā,ſed plauſtris,quorū grādis illis erat copia,in formā valli redactis,animoſo cōſilio prætextis fuſtibus,

lapidibus gladijsq́;,libertatem ſuam caſtimoniáq́; tutari, q̃ longius poſſent, diſpo= ſuere. Sed acie facta,aduenientibus Romanis militibus,cum non diu obſtitiſſent, ſen ſere quoniam inuacuũ conatus diſponerẽt,& ob id ſi poſſent,inire cum imperatore concordiã petijere. Erat enim illis infixum animo,ſi viros, ſi ſedes auitas, ſi ſubſtã= tias omnes,pugna perdidiſſent,vna ſaltem qua poſſent via, libertatem & pudicitiã ſeruare ſuam. Et idcirco poſtulauere vnanimes,non fugientiũ virorũ pacem,non in patriam redire ſuam,non vt ſua reſarcirent auro dãna,ſed vt omnes Romanis iunge rentur virginibus Veſtalibus:quod cũ honeſtiſſimm viſum foret,& ſyncerӕ mentis teſtimonium,nec impetraſſent,furore ſuccenſӕ,in obſtinatã voti ſui perſeuerantiã, conſiliũ iniere crudeliſſimum. Nam ante omnia colliſis interea parietibus filijs ſuis, vt illos qua poſſent via,turpi ſeruituti ſubtraherent,nocte eadem intra vallũ a ſe cõ= ſtructum,ne & ipſę in dedecus ſuӕ caſtitatis,ac victorũ ludibriũ traherentur, laqueis omnes mortẽ conſciuere ſibi,nec prędӕ aliud ex ſe,pręter pendẽtia cadauera auidis liquere Romanis. Iuiſſent aliӕ mulieres,fractis ſuorum hominũ viribus,obuiam vi= ctoribus ſupplices,ſolutis crinibus,manibus extenſis,& vlulatu multo omnia cõplẽ= tes,& quod obſcœnius fuiſſet,nonnullӕ blanditijs & amplexibus impetraſſent ſi po tuiſſent,ſuppelectilibus ſuis conſeruationem,reditum in patriã,nulla honeſtatis fœ mineӕ habita mẽtione,aut ſe permiſiſſent a quocũq́; more pecudũ trahi. Aſt Cym bricӕ cõſtanti pectore melioris fortunӕ ſeruauere animos,nec vlla paſſӕ ſunt igno= minia maieſtatis gentis ſuӕ gloriam fœdare. Dũq́; ſeruitutem & turpitudinẽ laqueo obſtinatӕ fugerent,nõ viribus,ſed fortunӕ crimine,ſuos viros ſuperatos reſpondẽt, & caſtimoniӕ ſuӕ,paucis abiectis annis, quibus ſuſpendio viuere potuiſſent,vitam longiſſimam adeptӕ ſunt.

¶De Cleopatra Aegyptiorum magna regina. CAP. LX.

CLeopatra magna Aegyptiorum regina, Dionyſij Auletis regis fi= lia,totius orbis fabula, Olympiade centeſima, prima & octogeſi= ma,videlicet quadrageſimo nono anno ante Chriſti domini noſtri natiuitatem, Aegyptiorum regnũ per nephas obtinuit, & viginti duobus annis regnauit. Hӕc quippe fœmina,nulla fere niſi regia di gnitate & oris formoſitate, verӕ claritatis nota refulſit.cum e con trario,auaritia,crudelitate,atq́; luxuria omni mundo cõſpicua fue= rit facta. Nam vt ab eius dominij initio exordium ſumamus. Auletes Dionyſius pa ter ſuus,Romani populi amiciſſimus, & ipſe omnium flagitioſiſſimus, in mortem veniens ex teſtamento inſtituit ſuo,vt filiorũ natu maior, ſumpta in coniugiũ Cleo patra eius filia natu maiore, inſimul poſt ipſius patris mortem regnarent. q́; fami= liariſſima etiam apud Ӕgyptios turpitudo,matres filiasq́; tantum a coniugijs exclu ſiſſe,executum eſt. Porro exurente Cleopatra regnandi libidine,eundem adoleſcen= tulum fratrem & virum ſuum,quintũdecimum ӕtatis agentem annum,veneno ab= ſumpſit.quo mortuo,ſola regni potita eſt. Inde cum ciuitas Alexandrina a Cӕſare capta fuiſſet,& ipſe Cӕſar delectatus formoſitate huius mulieris plures noctes cum ea dormiſſet,poſtq̃ Pompeium ſuperaſſet. tandem quaſi prӕmium noctium & vo= luptatum Cleopatrӕ exhibiturus,regnum ei denuo conceſſit & confirmauit. Arſi= noe ipſius Cleopatrӕ ſorore abducta,ne forte ea duce noui aliquid moliretur in eũ, Sic iã ſcelere gemino regnũ adepta Cleopatra,in voluptates ſuas effuſa,quaſi ſcor= tum orientalium regum facta,auri & iocalium auida, non ſolum contubernales ſuos talium nudos arte ſua fecit,verum & templa ſacraſque Aegyptiorum ӕdes, vaſis,ſta tuis, & cӕteris theſauris vacuas dimiſiſſe traditum eſt. Hӕc iam Cӕſare occiſo, & Bruto ac Caſſio ſuperatis, Antonio in Syriam eunti, obuiam facta, impurum hominem ſua pulchritudine & laſciuientibus oculis facile cepit, & in amore ſuo eum miſere detinuit, eoque deduxit, vt quӕ fratrem veneno necauerat, Antonii

manu Arſinoen ſororem ob ſuſpitionem regiminis amouendam omnem,in templo Dianæ Ephesinæ,quo ſalutem quęritando infelix aufugerat, trucidari faceret, & id adulteriorum ſuorum a nouo amaſio loco primi muneris aſſumptura. Et cum iã ſcelesta mulier, Antonij mores nouiſſet:verita non eſt,ab eodem Syriæ & Arabiæ regnum poſtulare. Sane cum perq̃maximũ videretur illi & nimis incongruum, ad ſatiſfaciendum tamen deſyderio amatæ mulieris,fortiũculas ei ex vtroq; dedit,ſuperadditis etiam ciuitatibus omnibus,quæ intra Eleutreum flumen & Ægyptum Syriaco litori appoſitæ ſunt,Sydone & Tyro retentis.Quæ cum obtinuiſſet,Antonium in Armenios,ſiue vt alijs placet,in Parthos euntem,ad Euphratem vſq; proſecuta. Dum Ægyptum per Syriam repeteret,ab Herode Antipatris Iudæorum rege magnifice ſuſcepta,non erubuit eidem per intermedios ſuum ſuadere concubitum,ſibi ſi annuiſſet, muneris loco Iudęæ ſubtractura regnum, quod ipſe Antonij opere non diu ante ſuſceperat.Verum Herodes aduertens,non ſolum ob Antonij reuerentiam abſtinuit,quinimmo,vt illum a nota tã inceſtuoſæ fœminæ liberaret,ni diſuaſiſſent amici,gladio eam occidere diſpoſuerat.Cleopatra autem fruſtrata,quaſi ob hoc moram traxiſſet,eidem locauit redditus Hiericontis, vbi balſamum naſcebatur, quod & ipſa poſtmodum in Babyloniam Ægyptiam tranſtulit, vbi vigere dicitur vſq; in hodiernum diem.Et inde amplis ab Herode ſuſceptis muneribus, in Ægyptum rediit.Inde vero in fuga ex Parthis redeunti Antonio,accerſita occurrit, Qui quidem Antonius cum fraude,Arthabarzane Armenię regẽ,olim Tigranis filium,cũ filijs & ſatrapis cepiſſet, & theſauris perq̃maximis ſpoliaſſet, atq; argentea cathena vinctũ traheret, vt auidam in ſuos amplexus prouocaret,effœminatus,venienti captiuum regem cum omni regio ornatu ac præda deiecit in gremiũ,quo læta mulier cupidiſſima,adeo blande flagrantem cõplexa eſt, vt repudiata Octauia, Octauiani Auguſti ſorore,illam totis affectibus ſibi vxorem iungeret.Cæterum cum inſatiabilis mulieris in dies regnorum auiditas augeretur,vt omnia complecterentur in vnum,temulẽto Antonio etiam Romanum expoſtulauit imperium,quaſi in manibus,poſſe concedere,fuiſſe Antonii.Quod ipſe minime ſui cõpos, minus opportune ſuis Romanisq; viribus penſatis,ſe daturum ſpopondit.O bone deus,q̃ grandis poſcentis audacia,nec minor ſpondentis ſtultitia.O liberalis homo, tot ſeculis, tanta cum difficultate ſanguine fuſo,& morte tot inſignium virorũ,tot etiam populorum,tot egregiis operibus,tot bellis,vixdum quæſitum imperium,poſtulanti mulierculæ,nõ aliter q̃ vnius domũculæ dominium, inconſulte quaſi e veſtigio daturus conceſſit. Sed quid iam?ob repudium Octauiæ,belli ſeminarium inter Octauianum & Antonium videbatur iniectum, & ob id actum eſt, vt congregatis ex vtraq; parte copiis,iretur in illud.Verum Antonius cũ Cleopatra ſua ornata purpureis velis & auro claſſe proceſſerunt in Ægyptum,vbi cum obuiis hoſtibus,inita terreſtri pugna, ceſſere victi & in claſſem ſe recipientes,Antoniani in Accium rediere,naualis belli experturi fortunam. Aduerſus quos Octauianus cum Agrippa genero factus obuius,cum ingenti claſſe,mira audacia eos aggreſſus eſt.& ſuſceptus,acriter tenuit aliquãdiu Mars dubius pugnam in pendulo.Tandem cum ſuccumbere viderẽtur Antoniani,prima omnium inſolens Cleopatra, cum aurea qua vehebatur naui, & ſexaginta aliis fugam cepit.Quam mox Antonius ſubſecutus eſt,& in Ægyptum redeuntes, incaſſum ſuas vires ad defenſionem regni,tranſmiſſis omnibus filiis,ad rubrum mare diſpoſuerũt. Nam victor Octauianus ſecutus eos, pluribus ſecundis præliis eorum vires exinaniuit. A quibus, cum feræ pacis conditiones peterentur nec obtinerentur, deſperans Antonius(vt nonnulli volunt)mauſolæum regum intrans,ſeſe gladio interemit.Capta vero Alexandria, cum Cleopatra ingenio veteri, inuanum tentaſſet, vti iandudum Cæſarem & Antonium illexerat in ſuam concupiſcentiam,ſic & iuuenem Octauianum illicere, indignans, cum audiſſet ſe ſeruari triumpho, atque de ſalute deſperans , regiis ornata , ſuum Antonium ſecutura , adapertis brachiorum venis

ſerpentes quoſdam vulneribus appoſuit. Aiunt quidam ſerpentes illos, Ipucipes qui ſunt aſpides ſurdi,fuiſſe,qui quẽcunq; momorderint, mortem ſtatim inferunt. Quæ reſalutatis auaritiæ,laſciuiæ,gulæ,cõſuetis exercitijs,vitæ finẽ aſſumpſit infelix. Atq; ita Antonius & Cleopatra peſſima fœmina,eo modo mortui,in vno monumento Octauiani iuſſu vna tumulati ſunt. Ac ſic Lagidarum feliciſſimũ imperium, per fœminam quæ ſuum interemerat germanum, euerſum eſt, quod per annos trecentos & ſex,ſub regibus tredecim feliciter permãſerat. De quibus in ſeptimo Chronicorum noſtrorum diffuſe locuti ſumus.

De Portia magni Bruti coniuge. CAP. LXI.

PORtia Marci Catonis Vticenſis filia,& magni Bruti coniunx,tempore Octauiani Auguſti,& patria fortitudine,atq; amoris maritalis perſeuerantia inſignis plurimum fuit. Hæc quippe cum matrona eſſet multarum virtutum præclara,inter cæteras ipſius prçclaras virtutes,& muliebres curas,adeo virũ ſuum Brutum integre & caſte dilexit,vt opportuno tẽpore nõ potuerit honeſtas amoris flammas caſto occultare in pectore. Quç,quoniã eius in perpetuã euaſere memoriã & laudẽ,& ad eius ampliandã claritatẽ ſe vltro offerũt,huc adſcribẽda putaui. Quieuerat iã peſtifer ciuiliũ bellorũ tumultus, oppreſſis a Cçſare vbiq; Põpeianis,cum in eum dictatorem perpetuum,vt ſatis animaduerſum eſt regnum affectantem,Senatus ſanior pars coniurauit.inter quos & ipſe Brutus interfuit. Qui integritatis Portiæ conſcius, cum eidem ſceleſti facinoris arcanum aperuiſſet, factum eſt,vt ea nocte cui dies illuxit,qua Cæſar humanis rebus coniuratorum opere ſubtractus eſt,exeunte Bruto cubiculum,Portia tonſoris nouaculam ſumeret,quaſi vnguiũ ſuperflua reſecatura, fingensq; illam ſibi caſu incidiſſe, de induſtria ſe vulnerauit. Porro aſtãtes ancillulæ,cum manare vidiſſent ſanguinem,ſuſpicatç aliquid,grauius clamore ſublato,abiens Brutus,in cubiculum reuocatus eſt.& ab eo obiurgata Portia, quoniam tõſoris præripuiſſet officium. Portia autem ſemotis ancillulis inquit, Minime temerarie factum quod putas eſt,tẽtatura autem quo animo me ipſam gladio perimere,& mortem perpeti poſſem, ſi minus tibi pro votis cœpta ſuccederent, feci. O inexhauſti vigoris amor,& vir tali coniuge felix. Sed quid vltra? In ſcelus a coniuratis itum eſt,& occiſores,Cæſare occiſo euaſere,non tamen impune,ſed cum præter çſtimatum,omnia reſpõderent,a reliquo ſenatu damnati parricidæ,in diuerſa abierunt. Brutus autem & Caſſius in orientem tendentes,nõ paruas copias aduerſus Octauianum Auguſtum & Antonium Cæſaris hæredes collegerunt:aduerſus quos cum Octauianus & Antonius eduxiſſent exercitum,apud Philippos pugnatum eſt.& cum victæ fugatæq; Caſſij Brutiq; partes eſſent, & ipſe Brutus etiam occiſus eſt: Quod cum audiſſet Portia,nil ſibi ſubtracto viro lætum futurum exiſtimans,arbitrata non alio animo mortem paſſuram,q̃ olim cultri tonſorij vulnere. confeſtim in vetus propoſitum venit, & cum ad voluntariam necem, nihil ſibi adeo cito, vt pectus expoſcebat,præſtari videbatur in ſeruimentum, ignitos carbones, quos forte propinquos habebat,indubitãter manibus gutturi iniectos,exhauſit. A quibus præcordia exurentibus,ſpiritus vitalis abire in mortem coactus eſt. Nec dubium, quin quãto magis inuſitatum mortis genus intulere, tanto occumbenti plus fulgoris coniugalis diligentiæ ingeſſere. Cuius etiam fortitudini patris reſeratum manibus vulnus,nil meritæ laudis potuit auferre. Apud hanc (vt diuus ſcribit Hieronymus) cum aliquando quædam bene morata laudaretur, quod ſecundum accepiſſet maritum, reſpondiſſe ait: felicem & pudicam matronam, nunquam niſi ſemel nupſiſſe compertum eſt.

De Hortenſia eloquentiſſima oratrice. CAP.LXII.

Hortenſia Quinti Hortenſij egregij oratoris filia, tẽporibus Octauiani Auguſti extitit, mulier dignis extollẽda laudib⁹, cũ nõ ſolũ Hortenſij patris facundiam viuaci pectore fuerit amplexa, ſed eũ etiam pronuntiandi vigorem per omnia ſeruauerit, quem opportunitas exquiſiuit, & qui ſæpiſſime in viris, doctiſſimis deficere conſueuit. Hæc autem triumuirorũ tempore, cum matronarum multitudo exigente reipu. neceſſitate, intolerabili fere onere pecuniæ exoluendæ grauata videretur, nec hominẽ inuenirent neminem, qui in rem tam incongruam patrocinium præſtare auderet. Sola auſa eſt conſtanti animo, corã triumuiris, rem fœminarũ aſſumere, eamq́ perorando tam efficaciter inexhauſta facundia agere, vt maxima audientiũ admiratione, mutato ſexu rediuiuus Hortenſius crederetur. Nec infeliciter opus tam egregium a fœmina præſumptum, aut executum eſt. Nam vti nulla in parte fracta oratione, aut laudabili ſui iuris demonſtratione defecerat, ſic nec ex optato aliquid a triũuiris diminutum eſt, quinimmo libere conceſſum, vt longe amplior pars iniunctæ pecuniæ demeretur. Arbitrati quantum ſub matronali ſtola in publicum taciturnitas laudanda videatur, tantum opportunitate exigente, ornatu ſuo decora ſit extollenda loquacitas. Quo tandem facto, non abſq́ maximo Hortenſiæ fulgore, reliquum quod minimũ erat a matronis facile exactum eſt. Quid dicam vidiſſe tantum veteris proſapiæ ſpiritus in Hortenſia afflauiſſe fœmina? niſi eam merito nomen Hortenſiæ conſecutum.

De Cornificia poetride egregia. CAP.LXIII.

Cornificia poetria memoratu digniſſima, & ipſa iiſdem temporibus, tanto poetico dogmate effulſit, vt non Italico lacte enutrita, ſed Caſtalio latice, & Cornificio germano fratri eiuſdẽ, cui poetæ inſigni ęque eſſet illuſtris in gloria. Nec contenta tantum, tam ſplendida facultate valuiſſe verbis, reor ſacris impellentibus muſis, ad ſcribendum Heliconicum carmẽ, ſępiſſime calamo doctas appoſuit manus, reiecto colo, Et plurima ac inſignia conſcripſit Epigrãmata, quæ Hieronymi preſbyteri viri ſanctiſſimi tẽporibus, vt ipſe teſtatur, in pretio ſtabant. O fœmineum decus, muliebria neglexiſſe, & ſtudijs maximorum vatum ingenium applicuiſſe: verecundentur pigræ & negligẽtes, & de ſe ipſis miſere diffidentes: quę quaſi in otiũ & thalamis natę ſint, ſibi ipſis ſuadẽt, ſe niſi ad amplexus hominum & filios cõcipiendos alendosq́ vtiles eſſe, Cum omnia quæ glorioſos homines faciunt, ſi ſtudiis inſudare velint, habeant cum eis cõmunia. Potuit hæc naturæ, non abiectis viribus, ingenio & vigiliis fœmineum ſuperaſſe ſexum, etſi honeſto labore, perpetuũ quęſiſſe nomen, nec quippe gregarium, ſed quod optat, paucis etiam conceſſum viris, rariſſimum & excellens.

De Sulpitia Lentuli Turcellionis coniuge. CAP.LXIIII.

Sulpitia Lentuli Turcellionis coniunx, & ipſa ſupradictarum duarũ mulierum temporibus inſignium, ęqua fere beneuolentia ſibi incredibilem acquiſiuit famã. Fuit igitur Lẽtulus vir eius, hac eadẽ qua ſupra, procella a triũuiris proſcript⁹. Qui cũ eſſet volucri fuga tutat⁹ in Sicilia, & ibidẽ exul moraretur & inops, facta eius rei cauſa Sulpitia certior, in ſententiam iuit, Labores velle vna cũ marito pati, rata indecens eſſe, lætos honores & fortunam candidã ferre cum viris has, quæ eorundẽ ęrumnas ſi opportunũ ferre ſit, fuga renuerent. Verum nec ad virum pergere facile Sulpitia conſecuta eſt, Sũma quippe

diligentia, ne exiliū ſequeretur viri ſeruabatur a matre Iulia. Sed quas non ludit verus amor cuſtodias? Captato igitur tempore, ſeruili ſumpta veſte matre cuſtodijsq; deceptis, reliquis duabus tantū ancillulis & ſeruulis totidē ſplendida mulier ſociata, natale ſolū patriosq; penates relinquens, exulē virum ſecuta eſt. Cum poſſet lege nō prohibēte, infelici abdicato, nouas celebrare nuptias. Nec expauit mulier inclyta, per ſubterfugia & maris æſtus, ac montana Italica, incerta viri ſequi veſtigia, eūq; in incognitas exquirere religiones, donec comperto ſe illi iūxerit. Honeſtius rata, per mille vitæ diſcrimina virum ſequi a fortuna deiectum, q̄ eo exilio laborante, in patria vacare delitijs & quieti. Inclytæ profecto mentis, & prudentem virū potius q̄ fœminam redolentis, tale iudicium eſt. Non enim ſemper auro & gēmis ſplendendum, nō ſemper indulgendum cultui, non ſemper æſtiuus fugiendus ſol, aut hyemis pluuię & gelu, non ſemper colendi ſunt thalami, nec ſemper ſibi parcendum, Sed cum viris, fortuna exigente, ſubeundi ſunt labores, exilia perpetienda, pauperies toleranda pericula forti animo perferenda. Hæc vxorum ſpectanda militia eſt, hæc ſunt bella, hæ victoriæ, & victoriarum triumphi conſpicui, videlicet molliciem luxumq;, & anguſtias domeſticas, honeſtate & conſtantia ac pudica mente ſuperaſſe, Hinc illis eſt fama perennis & gloria.

¶De Albumea Sibylla Tyburtina. CAP. LXIIII.

ALbumea Sibylla Tyburtina, vates & virgo præcipua, tēpore Octauiani Auguſti in Italia & maxime in orbe Romano, multa claritate refulſit, ac multa ipſi Auguſto prædixit. Hęc ideo Tyburtina dicta fuit. quia Tybure ciuitati iuxta Anienis amnis ripas velut dea exculta fuit. Cuius in gurgite ipſius fluminis, eius ſimulachrum, in manu librum tenens, inuentū fuiſſe fertur, in quo hoc ſcriptum inuentū fuit. Naſcetur Chriſtus in Bethleem, & annuntiabitur in Nazareth. O felix illa mater, cuius vbera illū lactabunt. Hanc igitur Auguſtus, cum Romani eum deificare vellent, conſuluit. Quæ poſt trium dierū ieiunium, reſpōdit ea quæ diuus pater Auguſtinus 18 libro de ciuitate dei cap. 23 refert, dicens. Iudicij ſignum, tellus ſudore madeſcet. E cœlo rex adueniet per ſecula futurus. Et ſunt ſeptē & viginti verſus pulcherrimi, quorū vltimus hic eſt. Decidet e cœlis ignis & ſulphuris amnis. Quorum verſuum, capitales literæ hunc reddunt ſenſum. IESVS CHRISTVS dei filius, veniet ſaluator mundi. Quibus dictis illico, vidente Auguſto, cœlum apertum eſt, nimiusq; ſplēdor ſuper eum irruit, in cœlumq; reſpiciēs, vidit, pulcherrimam virginem ſuper quoddam altare ſtantem, puerulum paruulum in vlnis tenentem, qua viſa, repente vocem etiam audiuit, dicentem: Hęc ara filii dei eſt, hūc ipſum adora. Quibus auditis & viſis, illico Auguſtus, in thalamo ſuo conſiſtens, in terram ſe proiecit, & deum adorauit. Quas ob res, decætero ſe deum appellari prohibuit & recuſauit. Quo in loco poſtea, ad perpetuam rei memoriam, templum celeberrimum, ſub titulo ſanctę MARIAE virginis in Ara cœli, conſtructum fuit, quem locum poſtea ordo beati Franciſci excolendum ſuſcepit.

¶De Mariane Hebræa regina pulcherrima. CAP. LXV.

MArianes Hebræa fœmina, magni Ariſtoboli Iudæorum regis, ex Alexandra vxore filia ſuſcepta, temporibus Octauiani Auguſti, Herodi, Antipatro, genere Idumæo, Hieroſolymorum regi, ſuo infelici omine matrimonio copulata, magis genere q̄ viro felicior fuit. Quæ tantæ, tāq; inuiſæ pulchritudinis admiranda fuit, vt non ſolum eo tempore cæteras fœminas anteiret formoſitate, ſed cœleſtis crederetur imago potius q̄ mortalis. Nec credulitati

huic, Marci Antonij teſtimonium defuit. Erat autem huic Mariani frater nomine Ariſtobolus, ex eiſdem parentibus, æquæ ſecum pulchritudinis & ætatis. cui cũ Alexandra mater defuncto Ariſtobolo patre, ſacerdotij principatũ dari ab Herode Marianis viro, atq; rege ſummopere cuperet ac procuraret. Gelij amici ſuaſione, amborũ effigies optimi pictoris artificio tabula pictas, ad Antoniũ triũuirum extremæ luxuriæ hominem, ad eius in ſe excitandã libidinem, & per conſequens in deſyderium ſuũ trahendum, in Ægyptum vſq; tranſmiſſas aiunt: quas cũ vidiſſet Antonius, primo in admiratione longiuſcula conſtitit, deinde dixiſſe aſſerunt. Hos quantũ ad formoſitatem, profecto dei filios eſſe, & ſubſequenter iuramento affirmaſſe, ſe nũq̃, aut vſq̃, nedum pulchriores, ſed nec ſimiles aſpexiſſe. Sed ad Marianẽ ſolum redeundũ. Hæc quidem, etſi inaudita pulchritudine inſignis fuerit, animi tamen ingenti fortitudine, longe magis emicuit. Quæ cum ad nubilem veniſſet ætatem, infauſto omine Herodi Antipatri alienigenæ Iudæorũ regi nupta eſt. & maximo ſuo quidem infortunio, ſumme ob eius venuſtatẽ ab eodem dilecta. Qui cũ gloriaretur plurimum, ſe ſolum toto orbe poſſeſſorem diuinæ pulchritudinis, in tã grandem curã lapſus eſt, ne quis alter ſibi in hoc poſſet æquari, vt timere cœperit ne ſibi ſuperſtes euaderet Marianes. Ad quod euitandum, primo dũ vocatus in Ægyptum ad Antonium eſſet iturus, cauſam dicturꝰ ſuper morte Ariſtoboli, fratris Marianis a ſe occiſi, & demũ Antonio mortuo acceſſurus ad Octauianum Auguſtũ, & ſe purgaturus ſi poſſet, q; amicis Antonij aduerſus eum auxilia præſtitiſſet: Cyprinæ matri amiciſq; reliquit, vt ſi quid in eum, quod in mortem tenderet, aliquo caſu ageretur, Marianem confeſtim occiderent. Marianes autem tractu temporis, quod occultiſſime decretum fuerat intellexit. Et cum iam ob Ariſtoboli indignam mortem, in Herodem concepiſſet execrabile odium, arbitrata ſe ab Herode, non niſi propter pulchritudinis vſum diligi, cumulauit iras, Vitam ſuam bis immerito damnatam ab eo ęgerrime ferens, & q̃uis Alexandrum & Ariſtobolum conſpicuos pulchritudine pueros, ex eo enixa fuiſſet, in nullo potuit moderaſſe conceptum: eoq; inferente impetu delapſa eſt, vt amanti viro, ſuum denegaret concubitum, & dum ſperneret, quaſi veteris regis proſapiæ omnis in ſe reſurgeret, in dolos geſtu quodam elata, illius calcare conabatur potentiam, non verita perſæpe palam dicere, Herodem alienigenam, non Iudæum, nec regiæ prolis hominem, quinimmo Idumæum ignobilem, nec regia coniuge dignum, trucem, inſolentem, infidum, ſceleſtumq;, & immanem beluam. Quę etſi Herodes cum difficultate ſuſtineret, tamen amore prohibente nil ſæuum audebat in illam tentare. Tandem rebus in peius procedentibus, vt aliquibus placet, a Cyprina Herodis matre, & Salomonie ſorore, quibus Marianes ſumme grauis erat, actum eſt, vt ab eiſdem ſubornato pincerna, Herodi accuſaretur, q; eum conata fuerit exorare, & illi amatorium poculum, quod ipſa parauerat propinaret, Seu q; effigiem ſuam ſpecioſiſſimam ad Antonium, vt illum in ſui deſiderium prouocaret, & in Herodis odium tranſmiſiſſet. Quæ cum Herodes crederet, & Marianis in ſe maleuolentia, fidem faceret: iratus, & anxio furore ſuccenſus, cum amicis longa oratione conqueſtus eſt. Eoq;, eis ſuadentibus, & Alexandra Marianis matre, ad eius gratiam promerendã, deductus eſt, vt eam tanq̃ in regiam maieſtatem excidium molientem, capitali damnatam ſupplicio, iuberet occidi. Quæ quidem tantũ in ſe excitauit generoſi animi, vt vilipeſa morte, integro vultus ſui ſeruato decore, nec ex parte vlla fœmineo vſu flexa, & obiurgantem matrem, tacita audiret, & flentes cæteros, genis ſiccis aſpiceret, & vt in triumphum lætiſſimum, nõ ſolum intrepida, ſed alacri vultu, nullis pro ſalute ſua porrectis precibus, iret in mortem, eamq; a carnifice, vt optatam ſuſciperet. Qua quidem tam immota ſecuritate, non ſolum efferati regis triſtauit inuidiã, ſed & plura ſuo nomini ſecula auxit, q̃ immortalitati ſuæ menſes conceſſiſſe, lachrymis precibuſq; ſuis, flexus potuiſſet Herodes, Poſtq̃ vero Marianes affabilis fœmina interijt, regis animus intantum exarſit, vt ſæpe ſæpiuſq; nomen illius inuocaret,

Quam ob rem omnia moliebatur facere,quæ poſſent ei ſuper hoc aliquod afferre ſolatium,quotidie enim conuiuia,& iucunda colloquia celebrabat,ſed nihilo minus ei in nihilo ſubueniebant.ita vt etiam gubernationes regni recuſaret,tantumq; doloribus tenebatur,vt aliquando etiam Marianem tanq̃ viuentem miniſtris vocare prƈciperet.Cumq; ſic teneretur(vt Ioſephus in quintodecimo antiquitatum ſcribit)ægritudo quædam peſtifera ſuperuenit,quæ plures amicorum eius extinxit:& omnibus ſuſpicari præbuit,quod id per iram dei contigiſſet:videlicet pro iniquitate erga Marianem innocentiſſimam confecta. Ideoq; & ipſe rex ad peiora peruenit, vt vltimo tanq̃ deſperatus & profugus ſolitudines eligeret. Hiſq; cogitationibus & anxietatibus confectus,non diu ſuperuixit:ſed in valitudinem difficillimã incidit.Nam aſtrictione gutturis & mẽtis mutatione ita detentus fuit,vt omnia quæ tali morbo curam conferre conſueuerant,nihil eidẽ omnino prodeſſent,immo dei iudicio contraria viſa ſunt.Vnde demum deſperatione facta,medici,dum nequaq̃ medicaminibus allatis ægritudo ceſſaret,& rex nihil recipere potuiſſet,quæ ille vellet iuſſerunt ei prȩbere,deſperatione ſalutis ſuæ deuouentes.Demum poſtq̃ Alexãdram ſocrum ſuam & filios ſuos ex Mariane ſuſceptos interfici iuſſiſſet, Archelao filio ex pellice ſuſcepto ſucceſſore ſibi conſtituto, vir ab omni iuſtitia effrenatus, & iudicio omnium infeliciſſimus,apud Sebaſtem hoc eſt Samariæ vrbem vita deceſſit.

De Antonia minore,Marci Antonij filia pudiciſſima. CAP.LXVI.

ANtonia minor Marci Antonij triumuiri ex Octauia cõiuge Octauiani Auguſti ſorore filia,temporibus Tyberij cæſaris fuit clariſſimæ viduitatis indelebile exemplum.Hæc quippe pudiciſſima matrona cum Druſio Tyberij fratri,& Octauiani priuigno nupſiſſet, & ex eo Germanicum & Claudium poſtea Auguſtum atq; Liuillam filios peperiſſet,eius vir in Germanica expeditione(opere cognati ſui Tyberij) veneno extinctus, vidua remanſit. Cuius poſt mortem,cum ætate florida atq; cõſpicua formoſitate niteret,rata ſemel honeſtæ mulieri nupſiſſe:A nemine ad ſecundas nuptias prouocari potuit.quinimmo reliquum vitæ ſpatium ſub Liuia ſocru intra limites cubiculi viri ſui,adeo caſte, adeoq; ſancte tranſegit,vt præteritarum omnium matronarum laudes viduitate celebri ſuperarit. Equidẽ Cyncinnatos,Fabricios,Curioſq; abſq; laſciuiȩ nota,pudicam duxiſſe vitã, & laude plurima extollendam exiſtimo dignam fuiſſe.Quod ſi ſic fuit, quibus proſequemur preconijs iuuenem ſcilicet pulchritudine inſignem,& Marci Antonij ſpurciſſimi hominis filiam,non in ſyluis & ſolitudinibus,ſed inter imperialia otia atque delitias,inter Iuliam Octauiani filiam,& aliam Iuliam Marci Agrippæ libidinis & laſciuiæ feruentiſſimos ignes,inter Marci Antonij genitoris ſui,atq; Tyberij principis obſcœnitates & dedecora in patria olim frugi:inter mille concupiſcentiarum exẽpla,conſtanti animo,& forti pectore caſtimoniam,non per tempuſculum,& in ſpem futuri coniugij,ſed virtuti obſequentem,in ſenectam & mortem vſq; ſeruãtem.Ædepol,nil dignum relictum ſatis eſt:quod quidem quia vires excedit ſcribentium,conſyderandum,& merita conſyderatione extollendum, ſatis eſt ſacris ingenijs reliquiſſe.

De Agrippina Neronis matre. CAP.LXVII.

AGrippina Marci Agrippȩ filia,ex Agrippina vxore ſuſcepta,Neroniſq; mater:poſt Chriſti natiuitatem anno quinquageſimo,& genere conſanguinitateq;,& filij monſtroſitate,ac non minus ſua, q̃ vllis claris facinoribus,inter claras mulieres cõputata fuit.Hæc igitur in primis Caij Caligulæ ſoror fuit,nupſitq; Cneo Domitio,homini faſtidioſiſſimo & graui,ex quo Neronem inſignem beluam(præmiſſis ex vtero materno pedibus)peperit. Verum

Domitio eius viro intercutis morbo abſumpto, Nerone adhuc puerulo: cũ formo=
ſiſſima eſſet, Caius frater eius homo ſpurciſſimus, turpi ſtupro ea abuſus eſt: Et ſubli
matus in principem, minus eius mores approbãs, eo ꝙ ſe lepide dominij ſpe miſcue=
rit, ſeu æmuli alicuius impulſu, eam fere bonis omnibus priuatam in inſulam relega=
uit quãdam. Quo tandem, a militibus ſuis trucidato, eiq; Claudio ſubſtituto, ab eo=
dem reuocata eſt. Quæ tractu temporis cum audiſſet Valeriam Meſſalinam varijs
agentibus meritis confoſſam, ſpem e veſtigio intrauit, ſibi natoq; potiundi orbis im=
perij, & celibem principẽ, eſto Germanici patris ſui fuiſſet frater, ſua decora pulchri=
tudine, aduerſus Lolliam Paulinam, opitulante Calixto liberto, & Narciſſo fauen=
te, opere Pallantis Claudium in prægrande nuptiarum ſuarum deſyderium traxit.
Sed obſtare voto honeſtas videbatur, eo ꝙ illi neptis eſſet ex fratre. Verum oratio=
ne Vitellij ſubornati, actum eſt, vt in deſyderium ſuum cogeretur precibus ſenatorũ:
eoq; orante, fieret a ſenatu decretum, quo præſtaretur, patruos poſſe neptes ducere. &
ſic Agrippina volente Claudio & orante Senatu, eius venit in nuptias: Quæ & tan=
dem Auguſta dicta eſt. & carpento in Capitoliũ ferebatur: ſolis ſacerdotibus ante cõ
ceſſum: & inaduerſos ſibi, ſæuire cœpit ſupplicijs. Demum cũ aſtutiſſima eſſet mu=
lier, tempore captato (quanq̃ vtriuſq; filij eſſent Claudio) eum induxit (ſuadente il=
li Mellio Pollione tunc conſule, & vrgente plurimum Pallante liberto, qui ob ſtu=
prum Agrippinæ ſumme fautor erat) vt Neronem priuignum in filium adoptaret
Claudius, quod ante in familia Claudiorum, nemo meminerat: eiq; Octauiam quam
ex Meſſalina ſuſcepit, & quæ Lucio Syllano nobili iuueni deſponſata fuerat, ſpon=
deretur in coniugem: Quibus obtentis, rata in caſſes beluam incidiſſe, non tantum
Claudij aſſiduarum ingurgitationum affecta tædio, quantum ne ante temporis mor=
tem Britannicus Claudij filius in ętatem deueniret ſolidam, exterrita: Narciſſo etiã
pro Britannico multa procurante, quaſi propoſito ſuo futurum obicem arbitrata: in
mortem Claudij facinus exitiale, cõmenta eſt. Delectabatur quidẽ inſanus Claudius
boletis plurimum, illoſq; cibos dicebat deorum, ideoq; abſq; ſemine, & ſua ſponte
naſci. Quod cum aduertiſſet Agrippina, ſtudioſe coctos, veneno infecit, eoſq;, ſecun
dum quoſdam, ipſamet temulento appoſuit. Verum cum vomitu, & alui ſolutione
videretur Claudij ſalus ſecutura, opere Xenophontis medici, veneno illitis pennis,
ad vomitum continuandum porrectis, eo itum eſt quo cupiebat vxor. Ipſe tandem
in cubiculum reductus, ignaris omnibus pręter Agrippinam, mortuus eſt. Cuius qui=
dem mors, non ante ab Agrippina palam nuntiata eſt, q̃ amicorum ſuffragia, omiſſo
Britãnico tanq̃ iuniore, Nero iam pubeſcẽs, ſublimaretur in principem. Quod adeo
Neroni gratum fuit, vt matrem illico tanq̃ bene meritam, in cunctis tam publicis q̃
priuatis pręponeret: Videreturque ſibi titulũ, matri vero principatum ſumpſiſſe. Et
ſic e ſpecula Romani principatus Agrippina toto effulſit orbi. Cæterum ſplendor
iſte tam grandis, turpi macula haud multo poſt labefactatus eſt. Nam cæde plurimũ
atq; exilijs aliquandiu debacchata eſt. Præterea creditum fuit, ea patiente (præter na=
turam) matrem amore illecebri, a filio fuiſſe dilectam: cum is meretricem ei perſimi=
lem, inter pellices aſſumpſiſſet, & concubitum teſtaretur, perſępe maculę veſtibus in=
iectæ, quoties cum ea lectica delata eſt. Dato, velint alij, eam in facinus hoc filium at=
traxiſſe, deſyderio recuperandi dominij, a quo deiecta videbatur: eo ꝙ in Neronem
quibuſdam ex cauſis, multũ oblocuta fuerit. quod firmari volunt ob id: quod decre=
to Nero ſit aſſuetus fugere eius contubernium, & ſolitudines collocutionum: Atta=
men quæ patrinum in coniugium ſuum allexerat, boleto peremerat, ineptum iuue=
nem fraudibus & violentia ſublimarat imperio: indeteſtabilẽ (quanq̃ meritam) mor=
tem deducta eſt. Nam cum in multis filio grauis eſſet, eius meruit odium, ex quo om=
ni honore & Auguſtali maieſtate ab eo priuata eſt. Quæ indignans, & fœmineo irri=
tata furore, eidem vti procurauerat, ſic ſe ſubrepturam imperiũ minata eſt. Quibus
exterritus Nero, cum eam, & oculatam nimium noſceret, & ob memoriam Germa=

nici patris,amicorum ſubſidijs plenam,veneno ter illitam ſurripere conatus eſt. Sed diſcreta mulier antidotis offenſam vitauit. Demum cum & laqueos cæteros,quos in necem eius tetenderat euitaſſet,intellexit Nero cautiori fraude agendum fore, eique expoſcenti,ab Aniceto præfecto claſſis,apud Miſſenũ olim a pueritia nutritore ſuo, reſponſum eſt:nauem poſſe componi fragilem,in qua ſuſcepta Agrippina doli ignara,periclitari poſſet. Quod cum Neroni placuiſſet,eam ab Ancio venientem,quaſi prætéritorum odiorum pœnitens,ficta filiali affectione,ſuſcepit in vlnis, & vſq; domum, cum reuerentia proſecutus eſt: Inde apparata naui in ſuam perniciem,ad cœnam itura,illam conſcendit, comitãtibus Creperio Gallo & Aceronia libertis, eiſq; per noctem nauigantibus:dato ſigno conſcijs,cecidit tectum nauis,plurimo plumbo graue,& oppreſſit Creperium:deinde nautis agentibus,vt trãquillo mari nauis verteretur in latus, auxilia Aceronia inuocante comitis remis occiſa eſt. Et Agrippina humero lęſa & ſaucia,& in mare tandem deiecta,litoralibus ſuffragantibus in Lucrinum lacum,villãq; ſuam deducta eſt. Inde ab Agerino liberto,Neroni quoniam euaſiſſet nuntiatum eſt. Qui detineri illum iuſſit, quaſi ſaluti ſuæ inſidiaturus veniſſet. Miſſiq; ſunt Anicetus & Herculius tetrarchus & Oberius cẽturio claſſiarius,vt illam omnino perimerent. Et cum eſſet ab Aniceto circundata domus,& ancillula,qua ſola ſociata erat Agrippina,fugiſſet,introgreſſi miniſtri ad eam,primus Herculius fuſte percuſſit. inde cum ipſa cerneret centurionem ferrum in mortem eius expedientem, protenſo vtero, clamauit,vt vẽtrem ferirent. Et ſic occiſa,nocte eadem cremata eſt,& vilibus exequijs terra contecta. Alij volunt a Nerone conſpectam poſt cædem, & ex membris aliqua ab eodem damnata,aliqua laudata,& demum ſepultam.

❡De Pompeia Senecæ vxore. CAP.LXVIII.

POmpeia Paulina,Lucij Annei Senecę philoſophi & oratoris eximij inclyta vxor,natione Romana, licet incerta eius careamus familia, poſt Chriſti domini noſtri natiuitatem anno quinquageſimo ſecũdo,floruit:pientiſſimi coniugalis amoris in virum ſuum Senecam, vniuerſo orbi optimum præbuit exẽplum. Accuſatus itaq; fuerat celeberrimus atq; ſenex optimus Seneca apud Neronem,tanq̃ particeps & conſcius Piſonianæ cõiurationis. Qua ſub vmbra,ob vetus,immo ob innatum in virtutes illius odium,ab ipſo Nerone ſæuiendi in Senecam via comperta eſt. Eſto arbitrati quidam ſint, impulſu Popeæ, atque Tigillini,vnicum imperatoriæ credulitatis conſilium,eo itum ſit:vt indiceretur per Centurionem Senecæ,vt ſibi quam vellet mortem deligeret. Quem cum ſe ad executionem accinxiſſe vidiſſet Paulina, ſepoſitis conſolatorijs viri ad vitam blãditijs, quibus hortabatur caſtiſſimi amoris impulſu:mortẽ & illud mortis genus, forti animo capeſſere vna cum marito ſuo dilectiſſimo diſpoſuit: vt quos iunctos honeſta vita tenuerat,iunctos vna mors diſſolueret. Et cum impauida tepentem intraſſet aquã, & eadem hora cum viro, ad effundendum ſpiritum venas aperuiſſet iuſſu principis, cuius in illam nullum erat particulare odium,ad opprimẽdam paululum infamiam innatæ crudelitatis, renitẽs a ſeruis morti ſubtracta eſt. Verum non adeo cito ſanguis conſiſtere coactus eſt,quin pallore perpetuo teſtaretur mulier optima,plurimum vitalis ſpiritus emiſiſſe cum viro. Tamen cum paucis annis, viri memoriam laudabili viduitate ſeruaſſet,cum aliter non poſſet,nomine ſaltem Senecæ,cõiunx clauſit diẽ. Quid præter amoris dulcedinem,& conſpicuum pietatis decus inſigne,ac venerabile ſacrum coniugij,ſuaſiſſe potuiſſet mulieri optimę:malle honeſte (ſi potuiſſet) cum ſene viro mori, q̃ vitam (vt plurimum faciunt fœminæ) ſecundis nuptijs, non abſq; erubeſcentia ineundis, ſeruare? Etenim in maximum matronalis pudicitiæ dedecus nonnullis noſtris temporibus,non dicam ſecundum aut tertium,quod omnibus fere

commune eſt;ſed vſq; ad octauum,ſi caſus emerſerit, mire,connubium: adeo familiare eſt, nouorum hominum thalamis inferre faces; vt videantur meretriculis abſtuliſſe. Quibus conſuetudo eſt,pernoctando nouos ſæpiſſime mutare concubitus:nec alio ſubeunt vultu iugalia ſæpius iterata cura,q̃ ſi per q̃ ſanctiſſimũ honeſtati præſtarent obſequium. Equidem non ſatis certum eſt an ex lupanaris cellula,an ex pręmortui viri thalamo tales exire dicendæ ſint.nec ſuſpicandum,quis agat aut inhoneſtius, intrans,aut ſtultius intromittens. Heu miſeri,quo noſtri corruere mores. Conſueuere veteres,quibus erat pronus in ſanctitate animus, ignominioſum arbitrari, nedum ſeptimas,ſed ſecundas inijſſe nuptias,nec poſſe decætero tales honeſtis iure miſceri matronis. Hodiernæ autem longe aliter,nam libidinoſam pruriginẽ reticentes,ſuas formoſitates chariores q̃ ſeſe exiſtimantes:quoniam crebris ſpõſalitijs viduitatis ſuperata fortuna,toties placuerint varijs maritis.

¶De Sabina Popea Neronis vxore. CAP.LXIX.

SAbina Popea illuſtris fœmina,Neronis coniunx,T. Ollij Patritij Ro. filia:a materno auo Popeo Sabino viro inclyto ſic appellata,anno quinquageſimo a natiuitate Chriſti,cum eſſet inuiſæ formoſitatis mulier & vniuerſas Ro. adoleſcentulas ſua pulchritudine excederet,a Nerone in coniugem ducta eſt. Cum vltra eximiam eius pulchritudinem,q̃ maxime ei eſſet ſermo blandus,& laudabili ſonorus dulcedine, atq; eidem egregium ingenium & verſatile:quæ tamẽ munera adeo ei ſic collata magno fuiſſent apud omnes in pretio, ſi eiſdem honeſtis artibus vti voluiſſet. Illi tamen aſſiduus mos erat,palam modeſtiã præferre,clam autẽ laſciuia vti:quod cõmune eſt mulierũ crimen. & cũ illi rarus eſſet in publicum acceſſus,arte tamen non caruit. Nam cum intellexiſſet callida mulier, intuitu oris ſui multitudinem & primores potiſſime delectari,ſemper eius parte velata egreſſa eſt:non quidem vt abſconderet,quod concupiſci deſyderabat,verum ne intuentium oculos,liberali nimium demõſtratione ſatiaret,ſed potius eius quod occultauerat velo,vidẽdi deſyderiũ linqueret. Et per mores ſuos,cum nunq̃ famæ parceret,eo libidinem flectebat ſuam,quo paratior oſtendebatur vtilitas,nullum faciens inter maritos mœchoſq; diſcrimen. His inſignita notis fœmina, obſequentem ſatis habuit fortunam. Nam cum ſibi abunde facultates,ad gloriam generis ſuſtinendam ſuppeterent:primo Ruffo Criſpo Ro. equiti nupſit. & cum iam ex eo peperiſſet filium,ſuggeſtu Othonis,iuuentute luxuq; valentis,potentiſq; Neronis contubernio, eidem Othoni adhæſit adultero:nec diu & coniunx effecta eſt. Sane is,ſeu amoris feruore minus cautus,ſeu iam nequiens petulcæ mulieris tolerare mores,& ob id eam in Neronis concupiſcentiam trahere conaretur,ſeu ſic exigente fortuna Popeæ,e conuiuio Cæſaris ſurgens,audacius dictitare conſueuerat: ſe ad illam rediturum,cui a ſuperis,omnis conceſſa fuiſſet nobilitas,elegantia morum,& diuina formoſitas:in qua conſiſterent omnium vota mortalium,atq; gaudia,volũtateſq; felicium. Quibus facile irritata Neronis libido,adinuenta non longa cunctatione,per intermedios adeũdi via,in amplexus principis,volens cupienſq; deuenit. Nec multum diſtulit,& artificioſis fœminæ delinimentis adeo irretitus eſt Nero,vt arbitraretur ea eſſe veriſſima,quæ dictare conſueuerat Otho. Quod cum noſſet ſagaciſſima mulier,diſſimulãs quod optabat,apto tẽpore,fictis perfuſa lachrymis, aiebat,aliquãdo ſe amorem ſuũ animo quo cupiebat,inferre non poſſe,cum & ipſa Othoni, coniugali iure obnoxia foret,& principem teneri gratia Atis ancillulæ pellicis aduertebat. Ex quibus ſecutũ eſt,vt Otho ſub ſpecie honoris amotus,præfectus Luſitaniæ prouinciæ mitteretur. Atis vero,excluderetur omnino: Inde in Agrippinã ſupradictam principis matrem inuehi cœpit Popea.dicens aliquando principem,nedum imperio ſed nec libertate

gauiſurum,eumq; eſſe pupillum, & tutricis arbitrio trahi:Quibus nemine obſtante (ob odium fere omnium in ſuperbiam Agrippinæ) actum eſt, vt Neronis iuſſu(vt prędiximus)miſera mater violenta morte ſubtraheretur,& paulatim ſubtraherentur æmuli plures.Tandem cum principem,in ſui dilectionem ardentiſſimum cerneret, & obſtacula ſui deſyderij cuncta fuiſſe ſublata,in coniugium Neronis,retia explicare cœpit.& cum illi iam peperiſſet filiam vnicam,Memmio Regulo,& Virginio Ruf= fo conſulibus:quam ſummo cum gaudio Nero ſuſceperat, eàq; Auguſtam Popeam appellari iuſſit.Quam ob rem mater iam audaci oratione inſtare cœpit, dicens, ne= mini vnq̃ geminam conceſſiſſe noctem,quin e veſtigio ſequeretur concubitum, neq; ſe fore degenerem,& fœcunditate vteri,atq; formoſitate corporis imperatoris mere= ri nuptias:Et cum iam flagrantem principem in deſyderium connubij traxiſſet: pri= mo Octauia coniũx,olim Claudij Cæſaris filia in Pandeteriam inſulam innocua re= legata eſt.Et demum vigeſimo ætatis ſuæ anno impulſu Popeæ,Nerone mandante occiſa,& Popea Cæſari iuncta coniugio:Sed non diu,longis artibus quæſito ac po= tito culmine,eo gauiſa eſt.Nam prægnans iterum facta, fortuitu Neronis ira,calce percuſſa,diem obijt.Cuius corpus igne aboleri Romano more Nero prohibuit,ſed exterorum regum ritu,magnifica exequiarum Pompa,deferri publice iuſſit. Illudq; odoribus refertum Iuliorum tumulo condi.Ipſe autem pro roſtris illam,& potiſſi= me formoſitatis præcipuæ,longà & accurata oratione laudauit:Nonnulla fortunæ ſeu naturæ dona,quibus inſignita erat, loco clariſſimarum virtutum illi attribuens.

¶Sed iam intermiſſis aliquantulum antiquarum gentilium clararum Mulierum virtutibus:ad ſanctarum virginum aliarũq; Matronarum Chriſtianæ religionis prę= cipuum decus & ſtabilimentum tandem noſtra vertenda eſt oratio:quod quidem ad hoc vſq; tempus ſyncerũ & incolume ſeruatur.In cuius quidem tutela,atq; ſinu,opti= mus ſanctæ religionis Chriſtianæ ſtatus conquieſcit.

¶De ſancta Petronilla virgine,diui Petri apoſtoli filia. CAP.LXX.

PEtronillam autem virginem ſanctã,diui Petri apoſtolorum prin= cipis filiam,tanq̃ Chriſtianæ virginitatis primum decus, cæteris claris mulieribus Chriſtianis,hic merito præponendam dignum duxi:eo q; ex eius eximio fulgore,multum ceremoniis noſtris,in= clytæ ſuæ claritatis acceſſerit.Hæc itaq; anno a natali Chriſtiano ſecundo & quinquageſimo,ſuæ vero ætatis,ſexto & vigeſimo,Ro mæ ſanctiſſime quieta dormitione euolauit ad Chriſtum. Hanc quippe virgunculã diuus genitor ſuus Simon,cognomẽto Petrus,paulo anteq̃ Chri ſti domini noſtri ſequeretur veſtigia,ex vxore ſua(poſtea Chriſti martyre)cum ſuſce piſſet,perpulchre ſuam vxoriſq; ſuæ animaduertens ignorãtiam & ſubruſticitatem, poſt baptiſmum(vt pie quidem augurari poſſumus)beatiſſimæ ac pretioſiſſimæ vir= gini Mariæ tanq̃ ſapientiſſimæ erudiendam informandamq; in omnibus tradidit. Quæ,vt erat ingenuę pietatis & clementiæ mater,ac optimæ fidei & charitatis in do minum eius vnigenitum filium,illam præcipuo quodam ardoris affectu,cum Philip pi apoſtoli filiabus atq; alijs nõnullis excepit.Quas cum primum de legis pręceptis, deq; ſanctorum patrum & patriarcharum obediẽtia,atq; prophetarum oraculis per q̃ optime & peregregie inſtruxiſſet:etiam ad ſui ipſius exemplum,docuit omnem frã= gere ſexus mollitiem,& ſanctum virginitatis carpere propoſitum, conteſtans ipſam ſanctiſſimam virginitatis virtutem magnæ dignitatis ineffabiliſq; gloriæ fore apud deum optimum.Quia eius munere,etiam in fragili corpore,ſe deum tanq̃ ſponſum ſicut & ipſa inueniri vtiq; poſſe affirmabat.Et quanq̃ ipſis virginibus, magnus foret pudicitiæ labor,maius tamẽ in æterna vita cum angelicis ſpiritibus dicebat eſſe prę= mium:& ſi temporalis eſſet cuſtodia,remunerationem poſtmodum expeterent ęter=

nam. Pro certo quippe tenerent, in cœleſti gloria nullũ ſacris dei virginibus, clauſum penitus eſſe locum, quinimmo cuncta cœleſtium manſionum eiſdem omnino eſſe reſerata & aperta. Atq; vt ipſis, virginitatis meritũ illuſtrius innoteſceret, & q̃ deo viuo digna foret, aperte protulit: q̃ Ieſus Chriſtus ſuus, atq; vnigenitus dei filius, pro humani generis ſalute hominem aſſumere volens, non aliud q̃ virginalem vterum eligere voluit. Ac vt huiuſmodi virtutem ſibi plurimum placuiſſe demonſtraret, & pudicitiæ bonum vtriq; ſexui intimaretur, ſe virginem matrem ſibi delegerat, virgo & ipſe permãſurus. Et idcirco dicebat: ſuum filiũ deũ & hominem verũ, ſtatuiſſe, viris prębere exemplum virginitatis, ſicut & ipſa fœminis. Monebat præterea eas: illam, ſupernam patriam, ex qua vnuſquiſq; propter inobedientiam primorum parentum diuulſus fuerat, præter cætera omnia præcipue amare, amatamq; optare, & optatam pro virili ſua per bonas operationes acquirere. quia in ipſius acquiſitione, erat cunctis finis beatiſſimus. His igitur & alijs compluribus documẽtis, Petronilla virgo, a glorioſiſſima matre domini edocta. Vt erat diuini ſpiritus adoleſcentula, ſanctiue ſpiritus documento ſuffulta, attentius ſibi cenſuit prouidendum: ne tantus eruditionis labor matris dei amitteretur: Et vt fructum aliquem afferre poſſet, aliqua neceſſaria huic virginitati perpulchre excogitauit. Et primo quidem decernens ob cœleſtis regni prę̈mium pudicitiæ integritatem omnino ſeruare, quod tamen ſine vitæ æternæ merito, neminem poſſe cõſequi certum habebat. Aeterna autem vita, non niſi per omnimodam diuinorum mandatorum obſeruantiam promereri non poſſe, prout a magiſtro ſuo domino Ieſu Chriſto audiuerat, dicente. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mãdata. Ne igitur ſuæ glorioſæ caſtitatis & continentiæ laborem in interitum deduceret: Super omnia mandatorum præcepta integerrime obſeruauit & cuſtodiuit. Sciẽs præterea præceptorum obſeruationem, duplici genere cuſtodiri: vt nihil eorum quę prohibentur faceret, & cuncta quę iubentur implere contenderet. Atq; cum ſæpius audiuiſſet a beatiſſima virgine, inter cætera ſcriptum eſſe: Recede a malo, & fac bonũ. quia ſi faceret bonum, & non recederet a malo: peccatrix haberetur. Cum nihil in bonis vtiq; haberet quo miſericordiæ corporalis opera exercere poſſet: dicente eius ſanctiſſimo genitore Petro, Ecce domine nos reliq̃mus omnia, & ſecuti ſumus te: ad miſericordiæ ſpiritualia ſe conuertit, & crebris orationibus, & obſecrationibus, vigilijs ieiunijſq;, ac alijs operibus bonis indeſinenter proximũ adiuuare contendit: Ac quæcunq; ſancta, quæcunq; amabilia, & quæcunq; bonę & optimę famę eſſent: die noctuq; cogitare & meditari minime recuſabat, atq; quibus poſſet operib⁹ ſatagebat promereri quę domini eſſent. Poſtremo quoq;, vt eſſet ſancta & corpore & ſpiritu, etiam ad ſeruandam totius corporis caſtitatem, pro qua fiducialiter ſuæ virginitatis palmam poſtmodum expetere poſſet: ſuos omnes corporis ſenſus ab omnibus inquinamentis mundauit, necnon vt & animã vna cum corpore mũdam haberet, omni cum cuſtodia etiam cor ſuũ cuſtodiuit. perſæpe quoq; illud domini ſui documentũ memorãs, quo aiebat: Beati mundo corde, quoniam deũ ipſi viderent. & aliud diui patris ſui Petri dictum ſæpius repetitũ: Caſtificate animas veſtras filij chariſſimi. Sciens præterea, a beata virgine matre dei edocta, ſponſum cœleſtẽ a virginibus eius ſpõſis, non corporalia ſed ſpiritualia cõcupiſcere ornamẽta: reiectis omnibus huius ſeculi põpis, ornabat ſe tunicis, in primis humilitatis & charitatis, atq; iuſticię auro, ac ſanctitatis omnis gẽmis ſplendeſcere annitebatur. Et in cunctis ſuis operibus bonis, ſpeculatorem deum ſolum ſibi conſtituebat. Et cũ ſpecioſa nimis haberetur, ſciens ſponſum deum zelantem, ſummopere ſibi cauebat, ne cuiq̃ concupiſcendi occaſionem tribueret. Magna profecto fuit huius ſanctæ Petronillæ dignatio, magna & beatitudo, maximiq; ipſius fulgores: videlicet oculis ſuis commeruiſſe videre inuiſibile verbum, quod in principio erat apud deum, per quod & facta ſunt omnia, carnem factum & humanatum, inter mortales habitaſſe, plenũ omni gratia & veritate: Vidiſſe ipſius gloriam atq; potentiam, non in verbo tantum, ſed in ſignis ac virtutibus plurimis, cunctisque

credentibus in eum,dediſſe poteſtatem filios dei viui fieri:non vt ſuperiores claræ mulieres Ioui ſpurciſſimi hominis: Vidiſſe pręterea poſt eius turpiſſimam mortem, pro ſalute mundi æquiſſimo animo perlatam,poſtq́ꝫ tertium diem triumphatorem mortis,ex ſepulchro reſurrexiſſe,atq́ꝫ in cœlos poſtmodum,eodem corpore,propria virtute cõſcendiſſe: Et virtutem ſpiritus ſancti,tam in ipſam, q̃ in cæteros,in linguis igneis demiſiſſe,cuius munere omnium linguarum ſciẽtia & agnitione & ipſa donata fuit. Præterea & pretioſiſſimæ eius matris Mariæ virginis conſortiũ meruiſſe,a qua tanq̃ a conſummatiſſimo omnium ſcientiarum doctore,optimam bene beateq́ꝫ viuendi normam haurire meruit. Quid plura? vidiſſe & genitorẽ ſuum Simonem Petrum,piſcatorem dudum ignarum & ſubruſticum,ad tantam perueniſſe ſapientiæ cognitionem,vt interroganti domino quem dicerẽt homines ipſum eſſe,E veſtigio reſpondiſſe: Tu es Chriſtus filius dei viui. Qua confeſſione, eidem a domino dictum fuiſſe. Et ego dico tibi Petre: quia tu es Petrus,& ipſe ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam: & vltra ex nunc tibi dono claues regni cœlorũ: vt quod ſolueris ſuper terram,ſit & in cœlo vtiq́ꝫ abſolutũ. Poſtremoq́ꝫ ſuper omnem plebem ſuã,principem euectum cõſpexiſſe: Demum & inter apoſtolos cum cæteris virginibus & alijs ſanctiſſimis mulieribus affuiſſe,quando ſymbolum fidei ſanctum vnanimiter, ad indicium ſuę vnanimitatis,ſanctiſſimi apoſtoli compoſuere. Quibus quidem donis Petronilla virgo,ſuper omnes claras fœminas prædictas,non modo clara ſed & clariſſima effulſit. Poſt aſcenſionem vero domini,cũ per aduentum ſpiritus ſancti ſuper ſingulos apoſtolos,alios quoſq́ꝫ credentes igneæ linguæ ſediſſent, vt diuerſis loquelis, varijſq́ꝫ loquerẽtur: Petrus apoſtolus cum cęteris apoſtolis abinuicem diſceſſuri,normam prius futuræ prædicationis in commune conſtitutam,cæteris omnibus hinc inde diſperſis, ipſe ſolus cum aliquibus Chriſti diſcipulis & alijs a ſe conuerſis & vxore ac Petronilla,in Antiochiam non multo poſt perrexit, & ſedem apoſtolicam ibidem per ſeptem annos prius ſibi conſtituit. Cumq́ꝫ iſtic eius ſancta cõiunx, Petronillæ mater, martyrium pro Chriſto (Euſebio Ceſarienſe teſte) conſtanti pectore pertuliſſet,hinc ipſo ſanctiſſimo Petro apoſtolo diſcedẽte,Romam profecturus, Petronilla illum,nullis periculis,nullis laboribus,aut incommodis indulgendo, inter maris fluctus & æſtus,inter cœliq́ꝫ procellas, barbarorumve perfidias, & hoſtium perſecutiones & infeſtationes, necnon & quandoq́ꝫ perſequentium & ſæuientium manus, eidem ingenti animo in omnibus miniſtratura ſubſequi voluit. Cũq́ꝫ PetrusRomam peregrinus cum illa ac alijs perueniſſet,& ciuitatem olim frugi & modeſtam, turpitudinibus omnibus & peſſimis cõcupiſcentiarum exemplis deditam offendiſſet. Veritus ne quid contrarium virginitati Petronillæ,propter ipſius immenſam pulchritudinem obeſſet: illam in magnam & lõgam corporis ægritudinem deuenire permiſit. Exiſtimãs vtiq́ꝫ ex hoc,etiam magnum illi lucrum prouenire: ſi talem perferret mẽbrorum iacturam: Veruntamen iugiter illam commonere non deſiſtebat,talem langorem æquo perferre animo. Dicens dominum redemptorem noſtrum,hoc modo, ipſam in magna præmia deſtinari volens & decernẽs,per huiuſmodi afflictiones corporis eam experiri oportere. In tantam itaq́ꝫ totius corporis inualitudinem Petronilla deuenit,vt e lectulo aut ſurgere, aut moueri minime poſſet,niſi quantum alienis lacertis anniteretur. Igitur aliquando diſcipulis diſcumbẽtibus cum Petro: Titus quidam diſcipulus, videns Petronillam valitudinariam,dixit Petro. Cum omnes a te ſanentur infirmi,cur Petronillã ſic iacere permittis? Cui Petrus: Quia ſic expedit ei. veruntamen ne putaretur impoſſibilitas ſanitatis eiuſdem ſermonibus excuſari: E veſtigio ad illam ait. Surge Petronilla velocius,& miniſtra nobis. Quæ ſtatim ſanata,ſurrexit & eis miniſtrauit, Cõpleto autem miniſterio, Dixit Petrus: Petronilla redi ad lectum tuum: quæ ſtatim redijt, & vt prius langore laborare cœpit, Ac ſi patri diceret: Mi genitor ſancte; vt valeam animo,quicq̃ tolerare nego, At pretium pars hæc corpore maius habet. Eligo etenim mi pater ſanctiſſime, per omnem hanc

vitam meum atq; humanũ diem,pati ſemper,vt expurgata & expiata hinc euadam. Deniq; Petronilla cum priſtinam ſanitatem ac pulchritudinem recuperaſſet: Flaccus quidam Comes Romanus,eam videns ætate valentem,& totius corporis formoſitate conſpicuam,in ipſius mox cõcupiſcentiam decidit: Romanæq; honeſtatis & iuſticiæ immemor,vt illam ſibi acciperet vxorem,cum armatis acceſſit. At illa ingenuę modeſtię prædita,benignis ſermonibus eidem dixit: Generoſe comes,ſi me vxorem habere deſyderas,iube ad me virgines & matronas graues venire,quæ me ad domum tuam vſq; aſſocient. Quas cum ille pararet,Petronilla magis ac magis orationibus ac ieiunijs inſiſtere cœpit,viaticoq; domini ſacratiſſimo ſuſcepto,ſe iterum in lectulo reclinans,poſt triduum,pridie calendas Iunias ad Chriſtũ migrauit. At Flaccus deluſum ſe videns,ad Felliculam Petronillę ſociam ſe conuertit,vt aut ſibi nuberet,aut idolis immolaret. Quod cum illa vtrunq; renueret,eam immanibus & crudeliſſimis ſuppliciis Chriſti martyrem fecit: qua mortua, eius corpus in cloacam proiecit. Quod cum ſanctus Nicodemus eleuaſſet,iuſſu beatiſſimi Petri apoſtoli in via Ardeatina vna cum ſancta Petronilla cum aromatibus honorifice ſepeliuit. Ac ſic diua Petronilla,vt poſteris nõ ſolum virginitatis & pudicitiæ præſtaret exemplum, etiam per aſpera,per anguſta,& duriſſimos huius vitę anfractus,diuino munere euolauit ad cœlũ. Atq; poſtmodũ vt eius ſãctitas,ab vniuerſo mũdo claris honorificaretur obſequijs,anniuerſalis eius feſtiuitas pridie calendas Iunias vbiq; celebrari cœpta eſt.

❡De ſancta Martha Chriſti hoſpita virgine. CAP.LXXI.

MArtha præclara Chriſti Ieſu diſcipula,hoſpitaque largiſſima,& multa ſanctitate egregia,nobilitate,facultatibusq; ac etiam regia propinquitate,necnon & omnium bonorum fama ſatis clara,anno a natali Chriſtiano ſexageſimo nono,apud Aquenſem vetuſtã Galliarũ vrbem,creberrimis miraculis decorata, migrauit ad dominum. Cuius vitam ſancta Marcella eius ancilla, claro ſermone conſcripſit. Hæc itaq; virgo,pago Hieroſolymorum oppido Bethanico regalis proſapiæ,Syro patre,Eucharia matre extitit oriunda. Cuius vterini fuere,Maria Magdalene natu minor,& ſanctus Lazarus a domino poſtmodũ a morte ſuſcitatus. Quæ quidem fœmina,in primis fuit elato venuſtoq; corpore decorata, hebraicis literis apprime erudita,& ſermone facunda,ac egregijs moribus,necnon & caſtitate refulſit pręcipua: cuius pater,quanq̃ multarum orarum dux haberetur egregius,etiam cum fratre & ſorore iure hæreditatis maternæ tria poſſidebat oppida,ex quibus quotãnis multos percipiebat fructus & prouẽtus: De quibus cum natura eſſet pientiſſima,& ſacras non ignoraret literas,etiam ab ipſa ſua adoleſcentia iam ſacrũ Euangelium condere viſa eſt: Vt ex ipſis ſuis amplis prouentibus,de & iniquo mammona ſibi faceret amicos,qui poſtmodum eam reciperẽt in æterna tabernacula. Sane prætermittendo innumerabiles non modo domeſticos,ſed etiam barbaros,quos iugiter ſuſtẽtabat,paſcebat,veſtiebat,atq; viſitabat: Ieſu Chriſti domini noſtri,eiuſq; pretioſiſſimę matris,ac multorum apoſtolorum a ſe potiſſimum adiuta neceſſitas,vt Euangelij textus eloquitur: a quo perpulchre elicitur,ipſius pręconia in fouendo ſępius peregrinationis ipſorum incommoda. Hanc ante q̃ noſſet Chriſtum Ieſum verum fuiſſe dei prophetam: duodecim annis acerbiſſimos hemorroidarum cruciatus cum multo ſanguinis profluuio pertuliſſe,nonnulli tradunt. in quibus cum multam (ſine aliquo ſanitatis remedio) in medicis expendiſſet pecuniam: tandem auditis creberrimis ac perq̃ maximis Chriſti Ieſu miraculis, credens ipſum vtiq; verũ dei filium,in audaciam fidei virgineum pectus armans, dixit in corde ſuo. Edepol haud dubito,quin ſi ipſius veſtimenti fimbriam contingere potero,ſana fiam. Quam cum retro tandẽ tetigiſſet,ipſeq; conuerſus,eam benigne conſpexiſſet: Filia (inquit) eſto

cōfidēs & iucūda, quia ipſa tua indubitata fides, te ſaluam fecit. Quibus dictis, illicò ſanatā ſe ſenſit. Quo plane beneficio Martha permota, eidē deinceps tanq̄ vero medico & benefactori optimo, ac eius pretioſiſſimę genitrici inhęrere per omnia cœpit. atq; ipſi tanq̄ ſui iuris fœmina, ſeſe ſuo magiſterio erudiendam informandamq; cōtulit. Ob eam rem & diuus Ambroſius hemorroidam eam cenſuit appellandā. Vndè & Euſebius Cęſariēſis, in ſeptimo ſuæ Eccleſiaſticæ libro, hoc miraculum tanq̄ hiſtoriæ dignum, his verbis commemorat, dicens. Mulier quæ ſanguinis profluuium diu pertulerat, a ſaluatore (vt ſacra euāgelij tradit hiſtoria) curata, Hieroſolymitanę vrbis ciuis fuit. Cuius domus ſuis temporibus oſtendebatur. In cuius foribus, baſis quædam in editiore loco collocata mōſtrabatur. In qua ipſius mulieris, velut genibus prouolutæ, palmasq; ſuppliciter tendentis, imago ære videbatur expreſſa. Cui nihilo minus & alia ærea ſtatua adſtabat, fuſa in habitu virili, quadā ſtola mirifice ornata, & dexteram mulieri porrigens. Ad cuius ſtatuæ pedem, e baſi quædam herba, noua ſpecie & inuſitata naſcebatur. Quæ cum exorta eſſet, vſq; ad ſtolam ærei illius indumenti creſcere ſolebat, quæ cum ad verticē vſq; ipſius veſtimenti creuiſſet, maximam vim ad pellendos omnes morbos langoresque habere dicebatur: ita vt quæcumque fuiſſet illa corporis infirmitas, hauſtu exiguo illius graminis depellebatur. Aſſerens nihil omnino habere virium, ſi decerperetur ante q̄ fimbriā illius ærei veſtimenti contigiſſet. Conteſtans illam ſtatuam ad ſimilitudinē vultus Ieſu fuiſſe formatam, quam ipſe Euſebius ſe vidiſſe aſſeruit. Ad Martham autem vnde digreſſi ſumus, nunc noſtra vertenda eſt oratio. Conſecuto igitur ſanitatis beneficio, e veſtigio, vt familiaritatem Chriſti medici ſui mereretur adipiſci, ſeſe magiſterio & doctrinæ beatiſſimę matris eius informandam tradidit. A qua primum humilitatis documentum accepit, ad ſaluatoris, ſuiq; exemplū: dicens, Se nequaq̄ ab eodem filio & ſaluatore ſuo didiciſſe cœlos fabricare, nō angelos creare, nec ipſius deitatis inſignia operari, ſed tantummodo humiliari, ac cętera virtutum quarūcumq; documenta, intra hnmilitatis cuſtodiam aggregare. Sicq; eidē magiſtri & ſaluatoris ſui Ieſu Chriſti proponebat exempla imitanda, quoniam ipſe vtique humilis & mitis, paſtor & agnus poterat dici, qui pro omnibus venerat immolandus. Et vt oſtenderet, nihil ipſa humilitate ſublimius, protulit, ipſum cœlorum dominum, in paruo Bethleem foramine ſe enixam fuiſſe, pānisq; inuoluiſſe, a paſtoribus viſum, a ſtella monſtratum, atq; ibidem a Magis adoratum necnon & alia huiuſmodi humilia de Chriſto oſtendit. Indeq; & charitatem ſummopere cōmonuit amplexari, quoniam in ipſa dicebat vniuerſam legis caudā pendere, atq; per eandē ſolā dei ſimilis fieri poſſe. Ea propter hoſpitalitati magis ac magis toto mentis ardore inſiſtere cœpit. Ac per hoc factum eſt, cum Martha lætabunda dominum aliquando hoſpitio recepiſſet, vt ſoror eius Maria ad pedes ipſius ſedens, & dulcedini verbi dei intenta, otioſa maneret: Cuius rei cauſa Martha contriſtata, apud ipſum conqueſta eſt, q̄ eam in miniſtrando laborantem non adiuuaret. At dominus iudex ſic interpellatus, Mariæ cauſam defendendam ſuſcipiens, Marthæ e veſtigio reſpondit. Martha Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima, cum vnum ſit neceſſariū, quod ſoror tua Maria tanq̄ optimam partem preelegit, quæ nunq̄ auferetur ab ea: Ac ſi diceret. Tu adhuc nauigas, & illa iam in portu eſt. Ea quippe excuſatione, Maria ſecurior ſedit. In iſtis autem duabus mulieribus, duas vitas figuratas eſſe Aurelius pater Auguſtinus dicit, præſentem videlicet & futurā, laborioſam & quietam, temporalem & æternam. His autē beneficijs minime ingratus Ieſus, ſemper eas mirū in modum amare cœpit. q̄ lachrymarū contriſtatione in morte Lazari earū fratris cū maximo charitatis affectu erga eas monſtrauit, quando occaſiones, earum fletus attulit, & ſuſcitatum Lazarum ipſis ſororibus viuum reddidit, vt illud cōprobaſſe videretur, pie eſt flere cum flentibus. Eo quidem miraculo Martha feliciſſimā nimiū ſe exiſtimauit, atq; pro maxima dignitate ſibi duxit, Quę regis omniū ac domini, ſocietatē meruiſſet habere, quē

angeli :i ſpiritus iugiter habere cōcupiſcūt. Et ne tāti muneris eſſet ingrata,quoad ip
ſe ſaluator omniū Ieſus Chriſtus inter homines vt homo fuit,nil aliud præter ipſū
dominū & redemptorē ſuū,ſtudio curabat præcipuo,eiqꝫ (quē tota veneratione cole
bat) obſequi poſſet,& eius ac genitricis ſuæ pretioſiſſimę ꝓmereri gratiā. Qui & ip
ſe demum ex tot laboribus,tantis beneficijs impenſis,tanta,tamqꝫ inclyta fide, huic
bene meritæ virgini Marthæ,poſt aſcenſionē ſuam donum ſpiritus ſancti in linguis
igneis cū cæteris apoſtolis,ac ardētiſſimæ eius germanæ Marię Magdalenę etiā pro
pręmio cōtulit. Quo ſane munere,nō ſolū hebręę ſuę linguę ſed & diuerſarū lingua=
rū ſciētia perpulchre edocta fuit, atqꝫ eodē igne ſuccēſa,per Iudæam in euāgelio nō
modicū laborauit. Cūqꝫ in ipſis omniū virtutū exercitationibus Martha & Maria
ſine intermiſſione ipſi deo & ſaluatori ſuo placere anniterentur,a Iudæis innumeris
iniurijs & cōtumelijs,atqꝫ dānis immenſis laceſſitæ, patriū ſolum linquere cōpulſæ
ſunt. Tranſuectis igitur mare cū Maximino alijsqꝫ nōnullis Chriſti fidelibus Mar=
tha & Maria Magdalena,nō longe a Maſſilia inſigni Galliarū vrbe applicuere. Inde
Martha (ibidē ſorore relicta) ad mediterranea penetrās,ad Aquēſem vrbē peruenit.
Vbi,cū eſſet lingua diſerta & ingenio diuino ac peracuto, eiuſdē populi partem ad
Chriſtū cōuertit. atqꝫ ipſiꝰ fidē nō ſolū lectis ſermonibꝰ,ſed & ꝓdigijs ac clariſſimis
miraculis ſemper cōprobauit. Ex quibus hoc vnū ad honeſtandā hiſtoriā ſolū appo
nendū hic cenſui. Siquidē Draco miræ magnitudinis erat quodam in nemore, inter
Arelatē & Auinionē conſtitutus,medius videlicet animal reſiduusqꝫ draco,quē inco
læ Terraſcurū vocabāt, vnde & locū ipſum, cū priꝰ appellaretur Niger, poſtmodū
appellarūt Terraſcurū. hic cū omnē longe lateqꝫ vaſtaret prouinciā,& nō ſolū armē=
ta & pecudes,ſed & agricolas quoqꝫ & agros ſtercore vaſtaret ſuo & abſorberet, ad
eundē Martha ipſa, populorū precibus ꝓmota, illico acceſſit: quē cū aqua benedicta
in modum crucis aſperſiſſet,cōfeſtim tanq̄ ouis,ipſius cingulo ſe alligari & interfici
permiſit. Ibiqꝫ deinde quādiu vixit,vt in carne,nō carnaliter viuere ſe cōprobaret: ar
dētes diaboli ſagittas in primis ieiuniorū & vigiliarū multarū frigoribꝰ reſtinguere
curauit, Atqꝫ pro ſalute multorū,labores innumeros,perſecutiones,anguſtias ac ęgri
tudines plurimas patienter pertulit. Veſcebat̄ primis annis herbis crudis radicibusqꝫ
ac pomis ſylueſtribꝰ. Poſtea coadunata ibidē fratrū ac ſororū per ſe cōmorantiū mul
titudine,& baſilica ędificata,ſatis ibi etiā aſperā duxit vitā,carnē videlicet & omnē
pinguedinē,oua & caſeū ac vina omnino declinās,ſemel dūtaxat in die comedebat.
Hyeme ouina pelle & pallio,æſtatę vero tunica & birrho, interula caprina,ex more
induebatur,nudis pedibꝰ,albā chameli mitrā in capite gerēs, Cingulo inſuꝑ nodo=
ſo ex ſetis equinis cōfecto,corpuſculū ſuū iugiter cingebat: quod adeo in memoriam
paſſionis dilectiſſimi hoſpitis ſui affligebat, vt ex putrefacta carne ſua ſæpius ver=
mes effluerēt. Extēſis ſolo ramis arboreis,& lapide capiti ſuppoſito recūbebat. Ob=
ſecrationibus ſedule intenta erat,pro quibus cēties ex more ſuſcepto in die,totidēqꝫ
in nocte genua flectebat. Fide,ſpe,& charitate,cęterisqꝫ virtutū fulgoribus inſignita.
Menſa eius cū peregrinis & hoſpitibus perſæpe ex more erat. Dū a diuinis exhor=
tationibus ceſſaret,crebris manuū operibus inuigilabat. verba autē quę prædicando
ꝓferebat,exquiſitiſſimis miraculis cōfirmabat. Porro dū apud Auinionem egregia
Chriſti apoſtola multos curaret ægrotos: ecce iuuenis quidā, qui Rhodani fluminis
aquis obrutus interierat,ei ſuſcitādus obijcitur. Quo viſo illa mox iuxta illū, cūctis
aſtātibꝰ,humi in modū crucis ſe ꝓſtrauit, ac his verbis dominū rogauit. O Adonai
Chriſte Ieſu magiſter meus, ꝗ tua ſancta,ineffabiliqꝫ clemētia fratrē meū Lazarū di
lectū tuū,a mortuis ſuſcitaſti, ꝗ tenes claues mortis & vitę: quiqꝫ morti impas,& fu=
git: ꝗ & mortuos vocas,& reſurgūt. Reſpice hoſpes mi chariſſime,& reſpice q̄ſo ad
fidē & circūdantiū p̄ces,& reſuſcita puerū iſtū,vt vidētes virtutes tuas magnas,cre=
dāt in te deū verū & viuū. Qui viuis & regnas cū patre & ſpū ſancto,in ſecula ſeculo
rū amē. Et apprehenſa mortui manu. In noīe domini Ieſu Chriſti puer,inq̄t,ſurge.

hisq; dictis,e veſtigio viuus & incolumis ſurrexit,& baptiſmũ ſuſcepit. Obitũ ſuum longe ante præſciuit. Deniq; cũ per annum fere febribus æſtuaſſet,nocte media ante trãſitus ſui diem,Chriſtus feſtiuus totus ad eã venit,dicẽs. Veni mea dilecta hoſpita veni,exi de carnis ergaſtulo,& ad palaciũ cœli trãſi,quoniã & tu me ſæpius ſuſcepiſti.Gratiã vero deſolatos cõſolandi,quã tibi ſingulari priuilegio cõtuli,nequaq̃ tibi etiã poſt dormitionẽ auferam.Eosq; qui ad ſepulchrũ tuũ exquirendæ opis tuę gratia deuote aduenerint, indubitanter exaudiã. Poſtmodũ Martha præcepit ſibi dominicã paſſionẽ,quã hebraice ſcriptã ſecũ habebat,legi.Quæ dũ ſecundo legeretur, & lector diceret,pater in manus tuas cõmendo ſpiritũ meũ:illa,dignã deo tradidit animam,Tertiodecimo luſtro totius vitæ ſuæ expleto,ſexta feria,& hora nona,qua Chriſtus mundũ redemit,quarto (vt præmiſſum eſt) calendas Auguſtas. quo quidẽ die,eius anniuerſaria deuotiſſime celebrãtur. Magnus itaq; fuit huius mulieris fulgor,meruiſſe videre & palpare illũ qui ante tẽpora fuit.& per quẽ facta ſunt tempora,quiq; venerat in plenitudine temporũ, & qui habebat poteſtatẽ ponendi animã ſuam,& iterũ recipiendi eã.Fuit nihilo minus & alia Martha martyr,Marij vxor: quæ ſub Claudio principe,martyrii cũ filijs ſui Audifax & Abacho atq; marito palmam adepta eſt.

¶ De ſanctiſſima Chriſti apoſtola Maria Magdalena. CAP.LXXII.

MAria Magdalena ardentiſſima Chriſti Ieſu diſcipula & apoſtola, a vico Iudęæ Magdalo ſic appellata, regnante & imperante Romanis Nerone,anno a natali Chriſtiano ſexageſimo octauo,non lõge a Maſſilia Galliarũ vrbe,migrauit ad dominũ. Hęc quippe (vt aliquibus placet) ab antiquis quibusdã Regulis generoſam duxit originẽ,& Syrũ nobiliſſimũ inter Hebræos virum habuit patrẽ.quæ vti ſuis contẽporaneis ſua ingẽti pulchritudine lętũ ſpectaculũ præbuit,ſic & poſteris omnibus integerrimũ,atq; perpulchrũ diuini amoris, & pœnitentiæ perẽne reliquit exemplũ. Nã cũ eſſet absq; notitia creatoris & ſaluatoris ſui Ieſu Chriſti,vti pecus erat:poſt eius vero notitiã, mediantibus ipſius feruore & pœnitẽtia, euangelia & voces cunctarum gentium ſonare cœpit.Quæ enim (vt diuus ait Hieronymus) aures tã duræ,& præcordia de ſilice tã durata, poterunt ſine lachrymis huius ſanctiſſimæ peccatricis audire conuerſionẽ,pœnitentiã ac feruorem? Ædepol eſt nouis efferenda præconijs,cũ ſit omnium peccatorũ ſingulare ſolatium.Hæc igitur Maria inter Iudæorũ mulieres,non ſolũ generis nobilitate & diuitijs,ſed & totiꝰ corporis pulchritudine admirabilis atq; formoſiſſima fuit.Adeo, vt propter ipſius immenſam & inuiſam pulchritudinẽ,in tam grandẽ deuenerit famam,vt multos Iudæorũ viros,ad eius laſciuiã ſectandã traheret,& ſuis facultatibꝰ pene ſpoliaret. Nã inter cætera,tã grandẽ ac placidũ habebat oculorũ vigorẽ & nitorem,vt quos benigne aſpiceret,ſui neſcios & immobiles fere redderet, ſed & capilliciũ aureũ habebat ſupra modũ numeroſum & longũ,quod ruffum cũ exquiſitiſſimis cincinnulis & gẽmis mirifice cõponebat.faciẽ inſuper omni ſplendore elegantiſſimã,quã etiã purpuriſſo,& ceruſſa iugiter depingebat.Collũ præterea & aures,auro & margaritis ſupra modũ ornabat.Eburneũ pectus,omnibꝰ pretioſiſſimis ornamentis decorabat,atq; vniuerſum corpus armillis aureis & iocalibus,ac veſtimẽtis purpureis,cũ impedibus fluxis ſummo ſtudio iugiter cõponebat, & flagrantiſſimis odoribus quotidie ad laſciuiã prouocandam vtebatur. Et cũ eſſet etiã non mediocriter erudita,& in loquendo blãda,& lepidi mores,etiã quocũq; ſua verteretur oratio.Illa vtiq; cũ eſſet facetiarũ,atq; leporis plena, audientes in ſui dilectionẽ trahebat.Sed nec poſſent huius mulieris vanitates calamo explicari,quibus ad decipiẽdos,prouocandosq; homines in ſui amorẽ,corpus ſuũ perornabat. Ac per hoc,cũ ſe feciſſet turpitudinis proſtibulũ,iure etiã effecta eſt delubrũ dæmoniorũ.Verũ domino noſtro Ieſu Chriſto aliquando prædicante & terrorem peccatoribus interminã-

te, Maria confeſtim iiſdē ſermonibus cōpuncta, ante oculos cordis ſui, ſuæ turpitudinis culpas & æternū dei iudicium ponens: doloreq̃ cordis intrinſecus tacta, culpas ſuas fletibus amariſſime puniens, hiſq̃ verbis corā deo ſua cōfitebatur & deplorabat peccata. Heu me Maria, quia facta ſum ſicut Sodoma, & combuſta ſicut Gomorra. Quis miſerebitur peccatis meis? Durius offendi q̃ Sodoma. quia legē neſciēs illa deliquerat, Ego accepta, peccaui. Ideo i ciuitate domini vilificata eſt anima mea. deletū eſt de libro viuentiū nomen meū, facta ſum ſicut nycticorax in domicilio, nec conſolantē me inuenio. cōſidero a dextris & aſpicio, nec eſt qui cognoſcat me. perijt fuga a me, & nō eſt qui requirat animā meam. facta ſum ſicut vas perditū, audiui vituperationem omniū circūhabitantiū. Væ diei illi in quo me infelicē genuit vterus, & lux iſta crudelis accepit: oportuerat me potius fuiſſe non natā, q̃ ſic in gentibus fabula fierē. Et licet in puluerē mortis deducta ſim, verūtamen ſurgā, & in corde clamabo ad dominū dū mihi tempus adſit acceptabile & dies ſalutis. quia in morte nō eſt memoria, & in inferno nulla eſt cōfeſſio. His fletibus amariſſimis pfuſa Maria, ſpē non modicā ſuſcipiēs, inquit. Quid fruſtra deciperis fœmina peccatrix? Surgā ait, & ad dominū Ieſum Chriſtū dominū deum viuū & verum, rerū omnium creatorē, redemptorēq̃ meum certiſſimū ibo, dolorēq̃ meum iterū atq̃ iterū plāgā, ac vniuerſa ſcelera mea amariſſime deplorabo. Ad ipſum igitur dominū Ieſum Chriſtū Maria plena fide cōuerſa, tanq̃ ſui oblita, nō inuitata, tanq̃ ad medicum ſuū, in domum Simonis leproſi, phariſei quadā die conuiuante, nulla cōſideratione habita, lymphatico more, ſparſis crinibus, veſte cōciſa, & lacerato pectore, ad pedes ipſius Saluatoris ſui retro irruit: & procūbens, ſui cordis cōpunctionem lachrymarū fonte demonſtrauit, & ipſius pedes lachrymis rigauit & lauit, atq̃ ſæpius deoſculans, crinibus terſit, & mundiſſimo ſuæ deuotionis vnguento perungēs, dicebat. Erraui mi domine ſicut ouis perdita, quære famulā tuā, ne lupus crudelis deuoret eā. Multi dixerunt animæ meæ, nō eſt ſalus ipſi in deo eius. Non intres mi domine in iudiciū cum famula tua. Defecit anima mea in ſalutari tuo, defecerūt & oculi mei lachrymis: effuſa eſt in terra gloria mea. Memento domine quia puluis & vermis ſum, vide humilitatem meā, & dolorē meum: & remitte mihi vt refrigerer, priusq̃ a te abeā. Cuius cū confeſſionē & pœnitentiā vidiſſet dominus: Ait. O mulier, magna eſt fides tua, idcirco dimiſſa ſunt tibi peccata tua, q̃q̃ enormia & plurima. Quæ cū in ōni famulatu deuotionis & confeſſionis ſuæ nō eſſet repudiata, & talia ex ore eius audiſſe verba, auſu familiaritatis confiſa, etiā aliud ſuper ſanctiſſimum domini caput, pretioſiſſimi liquoris effudit vnguētum, adeo fragrantiſſimū, vt tota domus ex odoris ipſius fragrantia more aromatum redoleret. His ex ſentētia geſtis, Maria e veſtigio domū reuerſa, vniuerſa monilia & ardētes gēmas, ac omnes corporis cultus ac ſecularis habitus omnino depoſuit & reiecit, omniaq̃ fratri Lazaro, & ſorori Marthæ virgini conſignauit, quaſi ſui propoſiti impedimentum. Et habitu ipſius medici ac magiſtri ſui domini Ieſu Chriſti, humili videlicet tunica, & humiliori pallio ſeſe induit, ac cōtegere voluit. Quo quidē habitu toto fere tēpore vitæ ſuę cōtenta fuit. Et deinceps toto veſtigio ipſi domino inhęrens, quaſi ſui oblita, cum ipſo ſuo magiſtro & doctore ſuauiſſimo tanq̃ optimā partem omnibus rebus præpoſuit. ibi ſuū gaudium, ibi ſuam requiem ac verū cibū exiſtimans. quia eius refectionē ſpiritualem, meliorē ſibi exiſtimabat q̃ quācumq̃ carnalem. vnde & poſtmodū ipſius domini & ſaluatoris ſui, rebus ac locis in omnibus comes ſemper extitit, ac de ſua ſubſtantia eidē, ac pretioſiſſimæ eius genitrici Mariæ, necnō & apoſtolis ingenti charitate miniſtrare nō deſtitit. Quorum beneficio & ſanctimonia permotus Ieſus, illas diligere mirificis indicijs monſtrare dignatus eſt. Vnde vt ipſam & Marthā ſororē ſuā ingenti amore et dilectione proſequi videretur, non ſolū in reſuſcitatione Lazari eorum fratris, ſed et in effuſione lachrymarū ſuarū euidentiſſime cōprobat: quod veræ pietatis & amoris indiciū fuit, cū poſt lachrymas, mox frater eiſdē etiā viuus redditus fuerit. Mirū in modū eius

dulciſſimis ac ſuauiſſimis oble̲ctabatur ſermonibus, nec ſibi quicq̃ dignius aut illuſtrius vel etiã iucundiꝰ, q̃ aſſidue alere animum ſuũ cõſummatiſſimis ipſius domini documentis. Ex quibus plane, eã omnimodã dei ſapientiã, ac rerũ omniũ diuinarũ ſcientiam, pulcherrime promeruiſſe & ebibiſſe reor. vnde & tanq̃ operũ domini electrix, atq; illius veræ diſciplinæ doctrix, de ſe cũctis mortalibus, ad bene beateq; viuẽdum omnibus diebus vitæ ſuæ optimũ præbuit exemplũ. Sicq; eidem ſuo magiſtro ac domino, & matri ipſius virgini in afflictionibus cõſtitutis, vſq; ad mortẽ præ cęteris magno ſolatio & cõmodo fuit. Eo deniq; in cruce pro ſalute omniũ exanimato, Maria extẽplo abiecta omni mollitie, atq; ſui ſexus debilitate ſepoſita, ſciſſa veſte, crinibusq; reſolutis, mœſto & ardenti animo ſeſe inter frequentẽ turbã, ac impios ſatellites proiiciens, ad crucẽ ipſius acceſſit: ibidẽq; proſtrata eã cõplectens, piẽtiſſimis vlulatibus & plangoribus amplexari, & ſanctiſſimũ cruorẽ exoſculari nõ deſtitit, atq; iiſdẽ amplexibus & vocibus ſæpius ipſum ſuũ dilectiſſimũ magiſtrũ & dominũ reuocabat exanimẽ. Neq; eã ab amore ipſius, armatorũ furẽtiũ manus retrahere potuere, aut ſacerdotũ & Pilati præſidis imperantis edicta, quibus cauebatur, nequis eidẽ viuo aut mortuo aliquod præſtaret pietatis officiũ. Sic ſanctus amor, ſicq; integerrima fides, ac ingentia beneficia ſuadebant, ac cõſtringebant: ob quæ merito laudãda, colenda ac ſplendido præconio extollẽda venit Maria. Quo quidem fidei feruore & amore ac ſedulitate, Maria rite appellãda eſt. Sed & poſt mortẽ, cũ ipſius abſentiã perferre nõ poſſet, ꝑ totã noctẽ, nõ ſemel aut bis, ſed crebro, tanq̃ ſui oblita, ad ſepulchrũ eius cucurriſſe deprehenſum eſt. & licet prius ipſum dominũ cum altera Maria videre & adorare meruerit, & ab ipſo domino Ieſu, auete audiſſe dicatur, & domum per noctẽ rediiſſe, nihilominus ibidem diu manere ob deſideriũ nõ potuit, ſed iterato ad ſepulchrũ cucurrit. Quo in loco cũ lapidẽ, quo monumentũ fuerat clauſum, ablatũ vidiſſet, illico ad Simonẽ Petrũ & ad Ioãnẽ (quẽ plurimũ diligebat Ieſus) currens, dixit. Heu mihi domine mi, quia tulerũt dominũ de monumẽto, & neſcio vbi poſuerunt eũ. Quibus verbis permoti Petrus & Ioãnes, ad monumentũ & ipſi mox cucurrerũt. vbi cũ linteamina & ſudariũ quo domini caput inuolutũ fuerat, ſeorſum poſitum vidiſſent, eũ reſuſcitatũ perfecte illico crediderunt. At Maria quæ domini maieſtatẽ ſæpius nouerat, recedere omnino recuſauit, immo ad monumentũ plorando, ꝑtinaciter cõſiſtere decreuit. Eoq; in planctu pertinaciter perſiſtẽs, & ſe inclinãs, duos angelos in albis in loco monumenti ſedẽtes, vnum ad caput & vnum ad pedes vbi poſitũ fuerat corpꝰ magiſtri ſui, videre meruit, Qui eã voluntatẽ & quaſi amẽtẽ increpando, dixerũt. mulier quid ploras, & quẽ queris? Quibꝰ illa (ignorãs ꝙ angeli eſſent) dñm meũ inqt ego ploro, quia tulerũt eũ, & neſcio vbi poſuerũt eũ, cũ tamẽ paulo ante adoraſſet eũ. Cũq; ipſos angelos intueretur, neſciens ipſos angelos, vtiq; tanq̃ alienata huc atq; illuc faciẽ circũferendo, nihil aliud ſapere videbatur aut deſiderare, niſi videre dominũ Ieſum, cuius ſuauiſſimo conſortio, iandudũ plurimũ delectata fuerat. Deniq; etiã retrorſum cõuerſa, ipſum dominũ Ieſum ſtantem conſpexit, quẽ cũ neſciret ipſum, exiſtimauit hortulanũ eſſe. Cui dominus iiſdẽ verbis quibus & angeli, illã interrogans inquit. Mulier quid ploras, quẽ queris? Illa tanq̃ amẽs, nil aliud reſpondit, niſi: Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, precor dicito mihi vbi poſuiſti eũ, quia ego eũ tollã. Cũq; ipſam Mariã appellaſſet, e veſtigio quẽ facie nõ nouerat, voce agnouit. Verum etiã aliquo in errore perſiſtens, nequaq̃ illũ dominũ, ſed Rabbi. i. magiſtrũ vocauit. Tanta quippe erat illius mentis perturbatio, vt quem hortulanum putabat, dominũ nũcuparet. Et dei filiũ reſuſcitatũ magiſtrũ vocaret. At Ieſus ad eã (quẽ quęrebat viuentẽ cũ mortuis) quæ errore fœmineo, & muliebri imbecillitate huc illucq; currebat, & corpus occiſi quærebat, cuius pedes viuentis tenuerat, locutus eſt, dicens. Noli me tangere, Nondũ enim aſcendi ad patrẽ meũ: quaſi diceret, Ex quo nõ credis me perfecte ſurrexiſſe, nõ mereris me tangere. Sic necdũ putas me ad patrẽ meũ aſcẽdiſſe, ſed hominũ fraude ſublatũ. meo itaq; tactu, te indignã facio.

Hoc autem Ieſum dominum ſuũ dixiſſe quidam aſſeuerant, nõ vt Mariæ dilectiſſi=
mæ ſuæ quærentis ſtudium obtũderet, ſed vt diſpenſationẽ carnis aſſumptæ, in diui=
nitatis gloriam ſciret eſſe mutatã, & nequaq̃ velle eſſe cũ domino, quem ſpirituali=
ter debuerat credere regnare cum patre. Poſt aſcenſionem vero dilectiſſimi magiſtri
ſui, vſqꝫ ad miſſionem ſpiritus ſancti, vna cum pretioſiſſima eius genitrice Maria,
omnibusqꝫ apoſtolis, atqꝫ alijs plurimis vtriusqꝫ ſexus diſcipulis, & ipſa in cœnacu=
lo montis Sion propter timorẽ Iudæorũ in oratione ardenter perſeuerauit. propter
quod, donum ſpiritus ſancti & ipſa recepit. Eodẽqꝫ modo igneæ linguę ſuper eam,
ſicut & in cæteros quosqꝫ diſcipulos ſedere: vt loquelis diuerſis, varijsqꝫ loqueretur.
per quod ei etiã tanq̃ apoſtolæ, nulla gens extranea, nec vlla barbarica lingua difficil
lima videretur. Præceptum etiã eidẽ a domino datũ hoc, ad prædicandũ dei verbũ,
primo per Iudęam, deinde ad quaſdã Gallicas nationes ſtatuit proficiſci. Diſceſſuri
itaqꝫ abinuicẽ apoſtoli, normã prius ſibi futuræ prędicationis in cõmune conſtitue=
rũt: ne forte alij peſtilẽtes falſiqꝫ apoſtoli abducti, diuerſum aliquid ab his quę fidei
Chriſti innitebãtur exponerẽt. Omnes igitur apoſtoli vna cum beata Matre Ieſu, &
cęteri omnes in vno poſiti: ipſi 12 primi paſtores ſpiritu ſancto repleti, Breue quod=
dam futuræ prædicationis indiciũ, in vnũ cõferendo quod vnusquisqꝫ ſentiebat cõ=
poſuerunt, atqꝫ hanc credentibus regulã dandã eſſe ſtatuerunt. Quã quidẽ regulam,
ſymbolũ, multis & iuſtiſſimis cauſis appellauerunt. Nã ſymbolũ græce, apud Lati=
nos collatio & indiciũ appellari poteſt, hoc eſt quod plures in vnũ cõferunt. Id quip=
pe fecere apoſtoli in his ſermonibus: in vnũ collatis, quę vnuſquisqꝫ ſentiebat. Indi=
ciũ vero vel ſignũ diceretur, vt ex illo cognoſceretur ille qui Chriſtũ vere ſecundum
ſuas regulas prædicaret. Diſceſſuri igitur ad prædicandũ apoſtoli, & omnes fideles
iſtud vnanimitatis & fidei ſuæ indiciũ poſuerunt, vt videlicet primo ſymbolũ fidei
vnusquisqꝫ in corde ſuo, deinde in documẽtis ſuis imprætermiſſe & conſtantiſſime
prædicaret, vt ſi forte aliquis occurreret prædicanti de quo dubitaretur, ſymbolũ. i.
indiciũ proderet, vtrũ foret hoſtis vel amic9. His itaqꝫ fidei ſignis pulcherrimis atqꝫ
indicijs Maria Magdalenę ab apoſtolis ſumptis, poſt ſeparationẽ apoſtolorũ prius
in Iudæã efficaciſſimis ſermonibus prędicauit. Deinde rebus ſuis ãpliſſimis ꝑ Chri
ſto magiſtro ſuo pientiſſime erogatis, Domoqꝫ ſuo in eccleſiã cõſtructa, vt Iudæo=
rũ perſecutiones declinaret, immo vt ſpiritui ſãcto aſſentire videretur, ad gẽtes ſecũ=
dum domini ſui præceptũ tranſire cõſtituit. Diſceſſura vero in primis a beata virgi=
ne ſanctiſſima Maria doctrice ſua, cũ licentiã eius & benedictionẽ expoſtulaſſet: alia
quædã & pręcipua vitæ pręcepta pientiſſime denuo dedit, videlicet ſeruare parſimo
niã, paupertate gaudere, mãſuetudinẽ colere, ſtudere paci, puritatẽ cordis ſummope
re amplecti, ac patientiã in omnibns cuſtodire. His & alijs documentis ſuſceptis, va
lefaciens beatiſſimæ virgini Mariæ, cũ Martha ſorore ſua, Lazaro, Maximino ſan=
ctiſſimo & optimo viro, ex ſeptuaginta duobus diſcipulis vni, alijs plurimis Chri=
ſti fidelibus conſociata, Nauigio tandem poſt multas tempeſtates acti, Maſſiliam
nobilem Galliarum vrbem applicuere, Vbi cum applicuiſſent, in primis multos la=
bores, multasqꝫ egeſtates ac tribulationes a gentili illo populo ſuſtinere coacti ſunt,
verum ipſa nihil eidem moleſti videbatur pro Chriſto, quia egregium & grandem
aliquem fructum acquirere ſperabat. Itaque cum regem ac reginam cum multis ſuis
exquiſitiſſimis declamationibus, necnon & in mirabilibus exquiſitiſſimis quoqꝫ mi
raculis conuertiſſet, etiam ad mediterranea loca ſine ſacculo, ſine pera, aut alicuius
adminiculi ſecularis, ad Aquenſem vrbem vſque pedibus ſuis cum cæteris comiti=
bus penetrauit. quibus in locis etiam fundatis erectiſque eccleſijs multis. vt ſolo deo
efficeretur digna, ac de excelſis locis, excelſa contemplari poſſet, ad exemplum ſal=
uatoris & magiſtri ſui IESV CHRISTI, qui oraturus aſcenderat in montem vel
in templum. & in Thabor monte ſe tranſfigurauerat, in monte Caluario cruci ſuf=
fixus fuerat, ac in monte Olíueti in fulgida nube cœlum penetrauerat, necnon

& deniq; in mõtem Sion, in cuius ſummitate cœnaculũ erat, vbi ſibi & apoſtolis ſpi ritus ſanctus datus fuerat: rati mõtes & colles rationem aliquam cũ cœleſtibus habe= re. omnibus valefaciens, ſpiritu ſancto inſpirata, Marſiliã verſus regrediens, ad ſe= cretiſſimũ locum in montem conceſſit. Ibidẽ etiam cum multa luſtraſſet loca, tandẽ aſperrimum montẽ. 12. milibus ab vrbe prædicta procul ſecretiſſimum, & quo vix reptãdo manibus genibusq; poſſet aſcendi, diuinitus ſibi præparatum inuenit. Quo quidem loco delectata, per triginta annos incognita poſtmodũ ſtetit. vbi plane nec aquarum fluenta, nec herbarum aut arborũ erant ſolatia, vt ex hoc manifeſte proba= retur, ꝙ magiſter ſuus Ieſus Chriſtus ipſam nõ terrenis refectionibus & epulis diſpo ſuerat ſatiare. Qualibet autẽ die ſeptem horis canonicis ab angelis in æthera eleua= batur, & cœleſtium agminum glorioſos concentus corporeis etiã auribus audiebat. vnde diebus ſingulis, his ſuauiſſimis ſatiata conuiuijs, per eoſdem angelos ad locum proprium inde reuocata, alimentis corporalibus nullatenus indigebat. Demum Ma gdalena iã ætate matura, ſciens ſe iã ex itinere longo, nimiumq; difficili in ſoporem ſuauiſſimũ, placidamq; quietem a domino Ieſu Chriſto propediem traducẽdam, atq; eo conducendã, vbi bonis bene actæ vitæ corona, & omnium ſanctarũ actionum præmia conferuntur, vt ſe præparare, nõ ad mortẽ, ſed ad immortalitatẽ videretur. proximo ante reſurrectionẽ domini die, miniſterio angelorũ ex monte illo ſupradi= cto, cũ maximo ſplẽdore, ante altare vbi ſanctus vir Maximinus erat epiſcopus de= lata eſt. Quam idẽ vir ſanctiſſimus ad modũ ſolis radiantem cum inſpiceret, multo tremore & pauore perterritus eſt. Quẽ illa placido vultu, & ſuauiſſimis ſermonibus alloquens: Accede inquit ad me mi pater ſancte, accede ad filiam tuam, nec verearis. Conuocans igitur Maximinus epiſcopus ſacerdotes, eidem ſanctiſſimũ domini ſui corpus & ſanguinẽ offerens, tanta cũ deuotione, tantaq; cũ lachrymarũ copia ſuſce= pit, quanta eius dignationi cõpetere noſceret. Eoq; ſuſcepto, e veſtigio ibidẽ ante al tare, ſuũ ſanctiſſimũ deo optimo reddidit ſpiritũ. qua exanimata, illico tantis fra= grauit odoribus, vt delibutã optimis vnguentis putaretur. Maximinus autẽ ſanctiſſi mum corpus diuerſis aromatibus cõditũ, eo in loco honorifice ſepeliuit. De eiuſdem vero Magdalenę ſanctiſſimæ mulieris admirandis plurimisve miraculis, quibus in vita pariter & poſt mortẽ claruit, modo cũ mihi plurima & inaudita quidẽ vndiq; ſe offerũt ſcribenda, cõſulto nunc relinquo, ne longam nimiũ videar cõtexere hiſto= riam. Huiuſmodi itaq; Magdalenę olim peccatricis cõuerſatio fuit & pœnitentia, ac demũ vera ſapientia adeo fulgida, vt ætati ne dicã ſuæ, ſed ſeculis omnibus ni= hil vſq̃ auditũ fuerit ipſa ardentius, ipſaq; ſanctius, vt merito cũctis claris mulierib9 in omni genere claritatis & fulgoris veniat præferenda. Demũ plurimi Francorum reges, alijq; principes & præpotentes illius prouinciæ & regni viri, exiſtimantes nõ modicũ ſibi, poſterisq; ſuis afferre gloriæ, ꝙ ſe penes ſteterit, & vitã cœlibẽ duxerit Chriſti apoſtola Magdalena, quã ob hoc ſanctiſſimam & cœli reginã fere arbitrabã tur, ne loci illius in quo per triginta annos aſperrime vixit memoria, facile elucre= tur, ibidẽ ingens templũ, deinde monaſteriũ præ cęteris mirabile conſtruxere, atq; plurimis eius reliquijs eo delatis, cũ ingentibus diuitijs & prouentibus, nomini eius dedicauere. Ad eundẽ autem locũ inacceſſibilẽ, & iter deuiũ, deinceps & in præſens vſq;, cum quotidie ſigna fiãt plurima: innumerabiles populi ex omni orbe ad vota perſoluenda, & ad cõprobandam verã in ipſa dilectionẽ ac deuotionẽ, necnõ ad de= ducẽdas peruigiles in eius antro noctes, iugiter cõcurrũt. Qui tẽplum & antrũ intro= greſſi, mox vt locũ & lapidẽ quẽ maxime cõſpiciunt, ſuper quẽ triginta cõtinuis an nis, ſine vllo prorſus ſtramento aut tegumẽto quieuit: ſi tamẽ illa quies dicẽda erat, ſuper quo iugibus orationibus cũ lachrymis pene dies noctesq; lugebat, in maximã peccatorũ ſuorũ contritionẽ, ex illius ſanctiſſimæ pœnitẽtię cõſideratione reſoluũ= tur. Nec vll9 adeo duri & obdurati cordis inuenit, qui eũdẽ locũ adeat, vt ſe a lachry mis cohiberi poſſit. Ad quẽ, cũ aliquãdo venerãd9 ſacerdos F. Petrarcha cũ multis

deuotionis cauſa acceſſiſſet, prouolutus genibus lachrymiſꝗ perfuſus, expāſis manibus, hos in eius laudem cecinit verſus.

Dulcis amica dei, lachrymis inflectere noſtris,
Atꝗ humiles attende preces, noſtręꝗ ſaluti
Conſule. nanꝗ potes. neꝗ enim tibi tangere fruſtra
Permiſſum, lachrymis pedes perfundere ſacros,
Et nitidis ſiccare comis, ferre oſcula plantis:
Inꝗ caput domini pretioſos ſpargere odores.
Nec tibi congreſſus primos a morte reſurgens,
Et voces audire ſuas, & membra videre,
Immortale decus, lumenꝗ habitura per æuum.
Nequicq̃ dedit ætherei rex Chriſtus olympi.
Viderat ille cruci hærentem, nec dura pauentem
Iudaicæ tormenta manus, turbæꝗ furentis
Iurgia & inſultus, æquantes verbera linguas:
Sed mœſtam intrepidamꝗ ſimul, digitiſꝗ cruentos
Tractantem clauos, implentem vulnera fletu,
Pectora tundentem, violentis candida pugnis,
Vellentem flauos manibus ſine more capillos.
Viderat hæc inquam, dum pectora fida ſuorum
Diffugerent, pellente metu. memor ergo reuiſit
Te primam ante alios, tibi ſe primum obtulit vni,
Te quoꝗ digreſſus terris, & ad aſtra regreſſus,
Bis tria luſtra, cibi nunq̃ mortalis egentem,
Rupe ſub hac aluit, tam longo tempore, ſolis
Diuinis contenta epulis, & rore ſalubri.
Hæc domus atra tibi & ſtillantibus humida ſaxis,
Horrifico tenebroſa ſitu, tecta aurea regum,
Delitiaſꝗ omnes, & dulcia vicerat arua.
Hic incluſa libens longis veſtita capillis,
Veſte carens alia, ter denos paſſa Decembres
Diceris: hic nec fracta gelu, nec victa pauore.
Nāꝗ famem, frigus, durum quoꝗ ſaxa cubile
Dulcia fecit amor, ſpeſꝗ alto pectore fixa.
Hic hominum non viſa oculis, ſtipata cateruis
Angelicis, ſeptemꝗ die ſubuecta per horas,
Cœleſtes audire choros, alterna canentes
Carmina, corporeo de carcere digna fuiſti.

❡De ſancta Thecla virgine & martyre. CAP. LXXIII.

THecla Chriſti ſanctiſſima virgo, primaꝗ eius martyr, diui Pauli apoſtoli ardētiſſima diſcipula, Nerone impuriſſimo homine Romanis imperante, anno. ſ. nono & ſexageſimo ſalutis noſtræ, poſt innumera acerbiſſimaꝗ tormenta, apud Seleuciam Aſiæ vrbem pro Chriſto conſtantiſſime tolerata, nono calendas Octobris, cū magno ſui nominis fulgore migrauit ad Chriſtum. Hæc quippe cum natione eſſet Aſiatica, ex Iconioꝗ inſigni vrbe originem duceret, nō ſolū parentū generoſitate, magnove ſuæ pulchritudinis fulgore, ſed & atrociſſimis immaniſſimiſꝗ tormētis, ꝓ caſtitate, proꝗ fidei ardore cōſtātiſſime platis, clara & inſignis plurimū fuit. Cuius mater Theoclia nomine cū virgūculam ipſam, Thamiro cuidā nobili & ꝑpulchro iuueni deſpōdiſſet, cōtigit diuū apoſtolū Paulū,

ea in vrbe,in domo cuiuſdã ciuis nomine Honiſiphori Chriſtianiſſimi ac optimi viri,quę videlicet domui Theocliæ vicina erat,de caſtitate,deq; oratione,atq; alijs plurimis virtutibus ſermonem facere. Erat autem Paulus,ea ſanctorum documentorum & ſermonis elegantia in primis inſignitus,vt vel ipſos lapides excitaret in amorem redemptoris Chriſti,quæ quidem verba cum audiſſet Thecla,mox tãtam eidem attulere voluptatem,immo potius quandam felicitatem,vt deum aliquem ſuis in concionibus audiſſe viſa ſit. In feneſtra itaq; domus ſuæ per triduũ,quaſi ſui oblita,ad audiendum hominem pellecta,ſine vllo prorſus cibo cõſedit,vt inde a nemine amoueri potuerit. Quod vbi matri nuntiatũ fuiſſet,& rem verã agnouiſſet,illico ſponſum ad ſe accerſitum,cum lachrymis,his verbis allocuta eſt. Heu proh dolor,heuq; fili mi Thamire,nouum tibi ſpectaculum dictura ſum. Tres quippe ſunt dies totidemq; noctes, ex quo Thecla ſponſa tua, Chriſti neſcio cuius prophetæ amore detenta, e feneſtra (vt vides) non recedit. Ibidem plane tanq̃ in epulis intenta, ita viro cuidam peregrino,ſeductoria de illo verba efficaciſſime promenti adhæret,vt etiam mirum videatur,quomodo talis virguncula,ſe tã ſęuiſſime affligat. Accede ergo inquit protinus ad eam,quoniam tibi deſpondi eam. Cumq; ambo puellam dulciſſimis verbis alloquerentur,hortarenturq;,vt vel aliquid diceret,aut ſaltem in eoſdem oculos cõuertere dignaretur,illa adeo Pauli doctrinæ intenta,ſe nil ſenſiſſe viſa eſt. At Thamirus ſponſus e veſtigio excruciatus,ad hoſpitium Pauli (de eius doctrina,deq; religione ſciſcitaturus) perrexit. Qui cum certior factus eſſet,eum Chriſtianũ eſſe,qui virgines ſuis exhortationibus nubere prohiberet: indignatione & furore ſuccenſus,ipſum vinctum Sextilio præſidi præſentauit: Illicoq; Paulus in carcerem includi iuſſus eſt. Ad quem nihilo minus Thecla (quibuſdam muneribus carceris ianitoribus oblatis) inclyto & inuicto animo,audiendi ſanctiſſimi hominis auida,tetrum carcerem intrare non horruit: proſtrataq; pedibus ſancti viri,eius vincula & pedes exoſculari non ceſſauit: grandem profecto fidem,egregiumq; amorem præ ſe ferre viſa eſt. Eidemq; Paulus cum multa tradidiſſet documẽta,eam quoq; iam in fide fundatiſſimam cum conſpexiſſet,commonuit,ſibi neceſſe fore per varios cruciatus,& ęrumnas intrare in regnum dei: veruntamen eidem in ærumnis perſeueranti,opemq; petenti,tanq̃ filiæ chariſſimæ adeſſe ſibi deum & dominum Ieſum Chriſtum omnium ſaluatorem non dubitaret,quemadmodum ipſe pollicitus eſt in pſalmo, videlicet. Cum ipſo ſum in tribulatione,eripiam,& glorificabo eum. quo tam præſente præſidio armata,clamaret cum fiducia, cum a carnificibus veniret excrucianda, & diceret. Dominus illuminatio mea,& ſalus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ,a quo trepidabo? Si exurrexerit aduerſum me prælium,in ipſo etiã ſperabo. Thecla igitur his documentis & alijs perq̃ optime inſtructa,a proconſule accerſita,interrogataq;: Cur ſecũdum Iconiorum legem non nuberet,fidemq; cõnubij ſeruaret. Illa eidem quidq̃ reſpondere haud eſt dignata. Quam ob rem proconſul indignatione non modica commotus, Paulum in primis duriſſimis verberibus cæſum, extra ciuitatem depellens: Theclam virginem tanq̃ maleficam ſupplicio igni exurẽdam damnauit. Sed Thecla iam documentis Pauli præmonita,vbi ſe crucis ſigno pręmuniiſſet,in ignẽ proiecta, diuino eam protegente auxilio,ab incendio penitus illæſa,exinde cum gaudio exiliuit: quo quidem miraculo magis magiſq; roborata,cum ſe a tanto periculo a deo liberatam animaduerteret, illum pſalmiſtæ verſum cecinit,dicens. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo,conſolationes tuæ domine lætificauerunt animam meã. Indeq; exiens cum Paulo in Antiochiam vſq; conceſſit. Erat tunc Antiochiæ quidam Regulus Alexander nomine,qui ciuitati preerat,Is cũ vidiſſet Theclam virginem ætate valentem,corporiſq; formoſitate conſpicuam,mox in eius cõcupiſcentiam lapſus,ſuę dignitatis immemor,aſpernanti,quibus potuit viribus,virgini,ſtuprum inferre curauit: quod virgo grandi adeo pertulit indignatione,vt coronam eidẽ protinus de capite excuteret,eiq; pallium proſcinderet & laceraret,ſed

& alia multo maiore animaduerſione a domino noſtro Ieſu Chriſto vltus eſt, ꝙ vi-
delicet eum in quandam mentis hebetudinem, & inſaniam mox redegerit. Quas ob
res, Thecla tanq̃ malefica & venefica caſtiganda proconſuli mox tradita eſt. Quam
cum ad beſtias deuorandam damnaſſet, etiam tanq̃ ad delitias inuitata, ad ipſa ſup-
plicia lætiſſime perrexit, ſed etiam ab eiſdem diuina operante virtute, illæſa euaſit.
Denique cum fuſtes & beſtias, necnon & plurima alia ſine vlla prorſus læſione pertu-
liſſet tormenta, factum eſt, vt quædam mirabilis pietatis vis, mox efferatum & ada-
mantinum proconſulis pectus præ compaſſione innocentiſſimæ virginis penetraret,
& durum eius in lachrymas emolliret cor, Diceretq; virgini. Quæ nam es tu, aut quæ
circa te aguntur mirabilia? quia ferarum nulla te contingere poteſt ferocitas. Illa au-
tem, cum inquit ancilla dei viui ſim, nullę mihi ferę nocere poſſũt. Quoniam ipſe eſt
deus ſolus, ſalutis terminus, ac vitæ mortiſq; diſcretio, ipſe lumẽ vitæ eſt iis qui in eo
ſpem omnem conſtituunt: Et vt multa compendio dicam. Qui in hunc, inquit, cre-
diderint, procul dubio vitam habebunt æternam. Hęc cum audiſſet proconſul, The-
clam populo liberam remiſit, atq; permiſit. Illicoq; totus ciuitatis populus ad ſuſci-
piẽdam virginem cum gaudio effunditur, vt prorſus migraſſe quaſi ciuitatem puta-
retur. Omnis quippe ætas, omnis ſexus in iubilo conclamare cœpit, dicens. Vnus ve-
rus eſt deus Ieſus Chriſtus, qui ſaluauit innocẽtiſſimam Chriſti virginem Theclam.
Tãtus nempe extitit populi clamor, vt in ipſis vocibus omnis ciuitas etiam quodam
motu contremiſceret. Illam igitur vniuerſi fideles ſuſceperunt vt patronam, dilexe-
runt vt alumnam, ac vt ſanctam venerati ſunt. Eo maxime, quia nouerant ipſam vir-
ginem nobilem, virginemq; diuitem, & quod his maius eſt, ardore fidei, tam cito di-
uitias, matrem, ſponſum ac propriam vitam quaſi ſpreuiſſe & calcaſſe. Erat etenim
virgo omni veneratione digna, omniq; laude celebranda, quæ cum ſummis delitijs
enutrita, varijs quoq; huius mundi blandimentis, velut quibuſdam vinculis irretita
eſſet, ſubito ad prædicationem vnius peregrini concionantis eruperit, & cuncta ſimul
corporis bona cum virtute commutaſſe, atq; ſuam carnem, in ipſo ſuę iuuẽtutis flore
(tãq̃ ſacratam domini hoſtiam) deo obtuliſſe viſa ſit. Itaq; Thecla haud multo poſt,
audito ꝙ Paulus magiſter ſuus Smyrnæ eſſet, ex Iconio a pluribus cõſociata, eo pro-
fecta eſt. A quo & perbenigne, tanq̃ dulcis filia atq; chariſſima, aſſumpta & excepta,
mox eius pedibus prouoluta eſt, & aliquot diebus (inſtructionis gratia) ab eodẽ cha-
ritate quadam detẽta eſt, nõ eodem vtiq; loco aut refectione (vt aliqui arbitrati ſunt)
ſed in opus dei, vt rebus multis probatum eſt. Quo in tempore, multis ab eodem do
cumẽtis admonita & edocta eſt, vtpote omnimodam ſanctimoniam & perfectionem
ad imitationem ſaluatoris ſui complecteretur: dicens ex hoc potiſſimum eam perfe-
ctam eſſe debere, ſicut & pater cœleſtis perfectus eſt. Et vt cauta ſolicitaq; eſſet, cõtra
inſidias callidi hoſtis, & qualia contra eum ſumere deberet arma, Qualibusve orna-
mentis tanq̃ ſponſã Chriſti ſe oporteret ornari: Poſtremoq;, ad omnem laborem &
perſecutionem perferendam, ex conſyderatione maxime inſtabilitatis humanę, ac cõ
templatione felicitatis æternę. Deniq; & virtutes ac vitia diſcernere, ac quid inter bo
num & malum, fictamq; ac veram humilitatem intereſſet docuit. His igitur & alijs
multis Thecla virgo a beato Paulo documentis informata, ab eo diſcedens Couum
reuerſa, inde Seluciam abijt, vbi & ſponſum iam defunctum reperiẽs, tanq̃ vera chri-
ſticola & virgo, multos & exemplo, doctrinaq;, atq; miraculis Chriſti iugo ſubiuga-
uit. Indeq; tanti muneris gratia percepta, non delitijs, non voluptatibus, aut quibuſ-
uis peccatis, ſed ſoli domino, indultum vitæ ſpatium humilis & deuota exhibuit. Et
ne quod acceperat donum incauta & negligens cuſtos amitteret, currebat vt non ne-
gligeret, atq; feſtinabat vt brauium ſupernæ patriæ celerius cum ſodalibus ſuis virgi-
nibus comprehenderet. Quantis igitur hæc ſanctiſſima virgo Thecla claruerit virtu-
tibus & miraculis, quantave ſanctimonia: in hodiernum vſq; per orbem vbique tota
fidelis teſtatur eccleſia. Demum poſt multos labores pro Chriſto exactos ſentiens

beatiſſima virgo ſibi adeſſe mortem, dixit. Domine rex meus & deus meus, redemptorque omnium, precor adeſto mihi, & animam egredientem in tuo miſericordi ſinu pientiſſime excipere digneris. Tua enim in fide & miſericordia ſperans ad te venio: & hęc dicens ſanctum ipſi domino emiſit ſpiritum, nono videlicet calēdas Octobres, Quo quidem die, eius annuam diem celebramus.

De ſancta Domicilla Flauia virgine. CAP. LXXIIII.

DOmicilla Flauia, nobiliſſima virgo Ro. Flauij Clemētis Romani pontificis, ex ſorore neptis, nonageſimo ſalutis Chriſtianę anno: quanq̃ & rerum terrenarum abundantia, corporalibusq; bonis admodum floreret, pro amore Chriſti cœleſtibusq; bonis (in primis Nerei & Archilei eius eunuchorum documentis pręmonita) omnem coniugij voluptatem, omnemque poſteritatis curam, diuitiarum illecebras, ſeculi pompas, ac carnis omnem cupidinem reſpuens, vt mundum ſibi crucifixiſſe per omnia oſtenderet, ſeque mundo. atque ne cuiq̃ de ſe prorſus etiam leuem obſcœni rumoris fabulam faceret, reiectis omnibus (vt præmiſſum eſt) ſeculi pōpis, ſe tunicā humilem induit, & ſacro velamine ab auunculo ſuo pontifice Romano conſecrari fecit, ac virginitatis perpetuæ votum prima emiſit. Quæ tametſi foret generis nobilitate, doctrinaq; ac religione admodū inſignita, adeo vt merito inter claras mulieres cuiuſcunq; conditionis veniret computanda: veruntamen inter alia, etiam hunc ſibi fulgoris titulum vendicauit, q; pietatem adeo adamaſſe ſummo ardore viſa eſt, vt propter cōtinentes & largas ipſius eleæmoſynas, eius aula, pauperum domus diceretur: cum pene omnes egeſtate laborātes eius auxilio ſuſtentarentur & confouerentur. pupilliq; omnes, in ea matrem inueniſſe dicerentur. Cumq; his in virtutibus iugiter ardentiſſime obuerſaretur Flauia hæc virgo: Dominus qui multimodis vexationibus ſanctos ſuos ad patientiam tentare conſueuit, etiam ipſam intolerabilium tentationum diſcrimina ſubire coegit, vt ipſe ſua diuina virtute, per patientiam, ex huius vitę turbinibus quaſi de pelago eruens, ad portum ſalutis perducere videretur, maximam itaq; eidem, & cæteris Chriſti fidelibus perſecutionem excitari permiſit. Quippe cum Chriſti fidem & verbo & opere ſine ceſſatione cōſtantiſſime prædicaret, ab infidelibus iuſſu Domitiani principis capta, bonisq; omnibus in primis ſpoliata, ac innumeris verberibus contumeliisq; diu afflicta, in Pōtum inſulam deniq; relegata eſt: vbi cum longum pro Chriſto duxiſſet exilium, ac multos ibidem, & doctrina ac miraculis ad veram Chriſti perduxiſſet fidem, tandem in cubiculo domus ſuę cum Euphroſyna & Theodora, alijſq; plurimis virginibus, nonis Februarij a quodam tyranno exuſta eſt, quo etiam die, eius anniuerſalia clariſſima, a fidelibus cum gaudio celebrantur. Eorum autem corpora ſtatim a ſancto Cæſario diacono collecta, in ſarcophago nouo ſimul condita ſunt.

De Triaria Romana. CAP. LXXV.

TRiaria, Lucij Vitellij fratris Auli Ro. principis coniūx: anno ſalutis noſtræ nonageſimo, cum multis alijs meritis foret ſpectabilis, in hoc vno, ob feruidum viri ſui amorem, ac etiam ob inſitam naturæ atrocitatem, tantæ fuit ferocitatis contra muliebrem morem: q; virago merito venerit appellanda. Diſcordātibus igitur ob principatum, Vitellio Cæſare atq; Veſpaſiano, actum eſt: vt cum intraſſent Terracinam Volſcorum oppidum, nonnulli gladiatores ſub Iuliano quodam duce, & remiges etiam plures Romanæ claſſis haud lōge a Cyrceo mōte ſub Apollinario præfecto morantes, & hi cū Veſpaſiano ſentiētes,

per negligentiam & ſocordiam tenerentur,ſerui cuiuſdam indicio factum eſt,vt no=ͨte illa Lucius intraret:Qui dum in ſemiſopitos arma arripiētes hoſtes atq; oppida=nos infeſtos ferro ſæuiret:Triaria hæc,quæ per noctem virum ſecuta,ciuitatem intra=uerat,in coniugis victoriam auida,gladio accincta,& Vitellianis immixta militibus, nunc huc,nunc illuc,per medias noctis tenebras inter clamores diſſonos,& diſcurren tia tela,ſanguinem morientiumq; ſingultus extremos,nil militaris ſeueritatis omit=tēdo,irruebat in miſeros,adeo vt crudeliter nimium atq; ſuperbe,in hoſtes egiſſe re=latum ſit.Ingentes in ſano pectore coniugalis amoris ſunt vires,nulla illis,dummo=do viri gloria extollatur,formido:nulla pietatis memoria,nulla fœminei ſexus eru=beſcentia,nulla deniq; temporū qualitatis extimatio.Potuit Triaria in decus viri vt omnia facili labore ſubire:quę nedum fœminas,quibus vt plurimum mos eſt in diur no viris obmurmurare,nocte in ſinu cōiugis foueri,ſed robuſtos iuuenes atq; bellico=ſos horrore quandoq; corripere.Et ſi tanto cum impetu ſe tulit hæc in arma noctur=na,mulier,quis credet eam hoc tantum facinore fuiſſe conſpicuam,cum non conſue=uerint,ſeu exitioſæ ſint,ſeu celebres,ſolæ mortalium pectora ſubire virtutes.

¶De ſancta Serapia virgine. CAP.LXXVI.

SErapiam inſignem virginem & martyrem Antiochenam tantū=modo fuiſſe inuenimus:verum quibus ex parentibus, aut quo ex genere,nobili ſiue ignobili,haud inuenire potui.Nobilē nihilo minus ex conſequētibus eam fuiſſe reor:q; ſub ſpecie fœminę,vi=rilem ac nobilem animum præ ſe ferre viſa eſt,q; pro fide Chriſti caſtitatiſq; amore,maximo animi vigore,multa ac terribilia tor=mentorum genera contempſerit. Hæc igitur Serapia Hadriano principe Romani imperāte,anno videlicet ſalutis noſtrę vigeſimo ſupra centeſimū, cum Romam ex Antiochia deuotionis gratia adnauigaſſet,audita q̄ maxime ſancti=tatis fama illuſtris fœminæ Sabinæ Romanæ,cū vna fides eaſdem iam ambas copu=laſſet(ſic quippe morum ſimilitudo,maximam inter ſe contrahere didicit familiari=tatem)ad illam protinus in ſuo Vendinenſi oppido conceſſit,a qua & perhumaniſſi=me hoſpitio recepta fuit.Sed haud multo poſt(cognito q; eſſet Chriſtiana peregri=na)a quodam prędide Berillo nomine,eius tribunalibus iuſſa eſt ſiſti.Cui cum pręci=peret dijs thura offerre:Serapia reſpōdit,Ego deum omnipotētem colo,qui cœlum & terram mareq; & cūcta quæ in eis ſunt creauit.Non autem deos,quos me colere iu=bes,ſcilicet Iouem,Iunonē,Venerem & reliquos:qui dij non ſunt,ſed dæmones peſ=ſimi,ludificatoreſq; callidiſſimi.Tum præſes ad illam:accede ergo inquit & ſacrifica Chriſto deo tuo nunc ſi vales:& quod genus ſacrificij illi offeres?vt me ait mundā, per caſtam conuerſationem exhibeam.Nam ſi ipſo iuuante munda permanſero,ero eius vtiq; templum,ac optimum ſacrificium.Sæpe ſæpiuſq; a tyranno admonita & interpellata vt thura dijs offerret:& ipſa iterato conſtanti pectore ac vultu in propo=ſito perſiſtens,id ſe nunq̄ facturam minime reſpondit.Quam ob rem tyrānus multa indignatione permotus,mox Serapiā virginē duobus laſciuis iuuenibus illudendam tradi pręcepit,vt per totā noctē ea abuterētur.Quæ vbi in ſecreto domus ſuæ cubicu lo,ſe perductā vidit:cōfeſtim genibus prouoluta,cū lachrymis,his verbis dominum exorauit:dicēs.Te inuoco domine mi Ieſu Chriſte,qui es virtꝰ mea, lumēq; omniū, & gaudiū ſempiternū:Adeſto nūc peregrinæ tuę,libera eā a ſordida iuuenū iſtorum cōtagione,cōfūde eorū impudētiā,& me ancillā tuā præſerua ab omni inquinamēto carnis,vt ad te impolluta puenire valeā.Iuuenes itaq; prædicti,nocte inſequēte cū ſtu prandæ virginis cauſa ad eā acceſſiſſent:ſubito ſonitus magnus factus eſt,terribiliſq; ac horribilis terræmotus:adeo vt per totū oppidū audiretur,quo tremefacti,cecide=rūt in terrā exanimes.Diluculo vero cū a quærētibus in terrā proſtrati inuenti fuiſ=ſent,nec ſe penitus erigere valētes:mox cōcurſus populi factus eſt nō modicus.inter=rogans autem præſes Serapiam, quibus maleficijs ſic iuuenes eneruaſſet:Reſpōdit,

Nobis Chriſtianis,eſſe maleficos non licet. Nam quos per maleficia veſtra ſæpe interfeciſtis:noſter dominus Ieſus Chriſtus cũ fide inuocatus,mox viuificauit. Ad hæc præſes. Si Chriſtus tuus omnes maleficas artes ſuperat,eum inuoca vt his iuuenibus ſanitatis beneficium reſtituatur. Certus quippe ſum,quia illos tuis maleficijs dementaueris,verita ne tuas turpitudines detegerent. Serapia dixit: Deus cuius ego ancilla humilis ſum,omnipotẽs vtiq; eſt,& nihil apud illum omnino impoſſibile, Perge,inquit, o præſes ad locum vbi iuuenes ſunt, precareq; ſuper eos deos tuos. At ille,immo ait, precare tu deum tuum. Tum Serapia,vt nõ alij fraudentur miraculo,aut certe male ſentiant ſicut & tu:iube ergo eos hic in cõſpectu omniũ ad me perduci. Quibus perductis: orauit Serapia his verbis dominum. Domine deus omnipotens, qui feciſti ex nihilo cœlum & terram ac omnia quæ in eis ſunt,quiq; per ſanctos apoſtolos tuos,mortuos ſuſcitaſti,leproſos mundaſti,dæmones effugaſti,mutis quoque linguam donaſti,ſurdos audire feciſti:exaudi nunc ancillam tuam te precãtem: in teq; confidentem,& ne diſſimules propter hunc incredulum,& releua hos iacẽtes iuuenes in conſpectu omnium expectantium te,accelera domine,vt cognoſcant,quia tu ſolus es deus,qui facis mirabilia in cœlo & in terra,& non eſt alius præter te. Et his dictis, præcepit cunctis audientibus,vt in nomine domini Ieſu Chriſti ſurgerent. Qui mox vt audierunt ſurgentes,in conſpectu populi ſteterunt: & quo pacto id eis accidiſſet, enarrauerunt. Quam ob rem & ipſi iuuenes alijq; nonnulli eo in oppido,relictis idolis,conuerſi ſunt ad dominum deum verum,Chriſtoq; ſubiecti ſunt. Verum cum præcipienti præſidi vt maleficiorum genus Serapia indicaret,& dijs ſacrificaret,illaq; id efficere negligeret: Tyrannus eidem lampades ardentes circa latera apponi iuſſit,inde aliud tormentorum genus videlicet fuſtigationis neruorum aliorumq; flagellorũ eam excruciari mandauit. At illa conſtantia pertinaciſſima,pro tuenda amplificandaq; fide Chriſtiana,& alia plurima tormẽta ſuſtinere induit,deforme ſatis ſibi exiſtimans, quam religione ac ſignis præſtaret plurimis, a cruciatibus ſuperari. Itaque poſtremo,poſteaq̃ omne corpus Serapiæ vel tormentis,vel verberibus fuiſſet abſumptum:data ſententia,capitis obtruncatione martyrij coronam adepta eſt, tertio ſcilicet nonas Septembris. Huius itaq; clariſſimæ mulieris virtus non potuit cruciatibus ſuperari,quin merito inter claras ſanctaſq; mulieres venit applicãda. Eius autem ſanctiſſimum corpus ab illuſtri Sabina collectum,in ſuo monumento quod ſibi præparauerat,debito honore cum aromatibus conditum eſt.

¶De illuſtri & ſancta Sabina Romana. CAP. LXXVII.

SAbina illuſtris & famatiſſima matronarum ac martyrum fœmina,& ipſa eo ęuo,quo & prędicta diua Serapia,Romę multis clariſſimis titulis,necnon & perenni virtutum fama effulſit clariſſima,ac celebrata fuit. Hæc itaq; in primis apud Romanos ex illuſtri prępotẽtiq; familia nato,Herodem Metallarium habuit patrem:quam idem pater cum puellulam forma eximiam,innumerabilibus diuitijs dotatam, præclariſſimo iuueni Valentino patritio coniugio iunxiſſet,illum quãdiu ſuperuixit Sabina ſanctiſſime dilexit. verum cum primum idem amantiſſimus vir,ſuum diem clauſiſſet extremum, eiuſq; cadauer regijs honoribus extuliſſet:a Sixto pontifice in fide Chriſtiana inſtructa & baptizata,mox tanq̃ quoddam cœleſte pudicitiæ numen viduitatis propoſitum ſumens,omnibus admirationi fuit. In primis enim parſimoniæ & ſobrietati vacare,& ieiunijs diuinis inhærere cœpit,inde ſummopere ſacris meditationibus & orationibus die noctuq; inſiſtere,ac inuigilare,atq; ſuperfluas reſpuere cogitationes, tanq̃ ſui propoſiti impedimẽtum aggreſſa eſt. Cumq; prædictam Serapiam ſanctiſſimam peregrinam, tanq̃ pudiciſſimam fœminam,omni cum gaudio hoſpitio recepiſſet ſuo:vidẽs eius

mentem per omnia cultui diuino deditam,eam deinceps ceu fidei ſuæ ardore germanam & matrem habuit. & non modo vſui ſuo de facultatibus ſuis miniſtrauit, ſed & eius hortatu ac commonitione,ipſam adeo ad omnia pietatis opera accendit,vt omnes Chriſti pauperes,tanq̄ filios a ſe editos,alacri vultu iugiter exciperet ac confoueret. Inde etiam ad mundi tribulationes & paſſiones æquo animo perferendas,ita ex documento apoſtoli Iacobi eam incanduit & inflāmauit,vt ipſa eaſdem vltro,ſummo cum gaudio exoptaret. Sæpius etenim illud beati Iacobi documentum ſuo obuerſabatur in ore,& dicebat. Omne quippe gaudium exiſtimare debemus ſoror chariſſima:cum in varias tentationes inciderimus. Vnde & poſtmodum,quanq̄ compluribus iniurijs laceſſita,in eadem tamen animi virtute ſemper conſtantiſſime permanſit,nec vnq̄ ſibi cuiq̄ tyranno iraſci permiſit,tam perſeuerans in amore Chriſti fuit. Demū cum ſanctiſſimas reliquias prædictæ Serapiæ collegiſſet,& eas ex more Chriſtiano tractaſſet, ac ſuo in monumento quod ſibi ſummo ornatu conſtruxerat repoſuiſſet:apud Elpidium pręfectū e veſtigio accuſata eſt quod eſſet Chriſtiana,quodq; Serapiam martyrem ſepulturæ tradidiſſet. Quam cum furore ſibi in prætorio præſentari iuſſiſſet,ab eadem e veſtigio exquiſiuit. Tu es Sabina vxor quondam Valentini illuſtriſſimæ memoriæ,ac Herodis Metallarij optimi viri filia? Sabina reſpondit:Ego ſum. Et ille. Quare oblita es generis tui, & maluiſti te ſociare impuriſſimis Chriſtianis quorum vita mors eſt,& non magis deis,quos adorarūt maiores tui Auguſtiq; noſtri? Ad hæc illa. Ego gratias ago domino Ieſu Chriſto,qui me peccatricē per ſanctum pontificem noſtrum Sixtum,ac ſanctam famulam ſuā Serapiam de multis ſordibus ac dæmonum poteſtate liberare dignatus eſt,vt amplius erroribus nō decipiar,ſicut vos errare cōcerno,adorādo dæmones,peſſimos ludificatores. Tunc præſes: Ergo non ſolum inquit nos,ſed & ſacratiſſimi Auguſti noſtri decepti,dæmones adorant & non deos? Sabina reſpondit. vtinam deum adoraretis qui fecit omnia,cuiuſq; nutu cuncta reguntur viſibilia pariter & inuiſibilia,& nō ſtulta aut inſenſata veſtra dæmonum ſimulacra. quia pariter cum eis arſuri eſtis vos & imperatores veſtri. Pręfectus dixit: Per deos,niſi ſacrificaueris,ſine vlla cunctatione de te capitalem ferā ſententiā. Sabina inquit. Dæmonijs vnq̄ nō ſacrificabo,quia Chriſtiana ſum,& Chriſtum pro deo vero habeo,& ipſius ancilla ſum atq; cultrix. & licet ait mihi omnia tormentorum genera inferre mandaueris,licet & mortem crudelem identidem minteris,nunq̄ tamē efficies,vt propter exiguum huius vitę temporis,fidem domini mei Ieſu Chriſti (pro qua mihi cœli aperti ſunt) abnegem. Tunc præfectus in Auentino monte ſacrilegam protulit ſententiam: dicens. Sabinam,licet Romanam patritiam, deos noſtros blaſphemantem,Auguſtiſq; non obtemperantem,gladio percuti decernimus, atq; eius omnes facultates publicis titulis præſignari. Cumq; tyrānus ſua ſcelerata dementia triſtem de eius morte tuliſſet ſententiam,atq; ipſa forti animo ac cōſtanti vultu omnia pertuliſſet,inclinato iam capite,ſuis fidelibus inter fletum & lamentationem vociferātibus,eam innocentem & ſanctam perimi. Quid ergo,inquit, innocenti mihi mori ſatius eſſe duxiſtis? Ac ſic hæc ſapientiſſima ac præclara inter mulieres fœmina,nec etiā in ipſo ſuo vitæ exceſſu,ſui obliuiſci potuit. Gladio itaq; Sabina percuſſa,quarto calendas Septembris martyrij palmā promeruit. Quo quidem die,& eius anniuerſaria a fidelibus cum omni deuotione celebrantur.

¶ De ſancta Simphorioſa martyre. CAP. LXXVIII.

SImphorioſa Romana nobiliſſima ac pudiciſſima matrona, Getuli quondam martyris nobiliſſimi viri vxor,& ipſa eadem tempeſtate,qua Hadrianus princeps Romanis imperabat,hoc eſt primo & vigeſimo ſupra centeſimum,noſtræ ſalutis anno:ex violēta ſui, filiorumq; ſuorum morte, conteſtari voluit quantum ſuæ magnanimitatis,quantumve veræ fidei feruoris illo ſuo in pectore habuiſſet clauſum. Nam apud Tyburtinam Latinæ regionis

vrbem exiſtens cum ſeptem filijs,accuſata apud præfectum vrbis ꝙ Chriſtiana eſſet, vxorq; Getuli patritij nuper pro Chriſto ſupplicijs dãnati. Quam illico ad ſe acerſitam,multis in primis adhortationibus & ſuaſionibus cõmonere non deſiſtit,diſſuadendo vtique ipſam ab intentione Chriſtiana reuocando. Illeq; cum nil proficere videretur,in furorem verſus,ita diris verbis eam exacerbare cœpit,vt perinde ac ſi eius oculos & vitam omnem eruere vellet. Verum illa vt ſuum ſydereum decus,ac certiſſimam veræ ſuæ virtutis fidem repræſentaret,vna cum ſeptem ſuis filijs ætate fulgentibus,multa ab tyranno ſuſtinere voluit tormẽtorum genera:vtpote flagellorum multorum cæſionem,per capillos ſuſpenſionem,& alia huiuſmodi funeſta ac terribilia contempſit,vt ſpecioſum ſuæ mẽtis ne flecteret rigorem. Nam propter eius fidei & conſtantiæ perſeuerantiam,excepit non dignas ſuæ generoſitati,ſuæq; integritati plagas. Cum enim animaduerteret quo tenderent ipſius tyranni impijſſimi conatus, quantoq; malo,ſuæ filiorumq; ſuorum ſaluti,ac religioni Chriſtianæ ſi eidem aſſentiret,in acerbiſſimam mortem,ꝗ in eius legem maluit ire. Nec hoc loco aliquid,hac viragine dici poſſet conſtantius:quæ ne ſua pelleretur ſententia,vna cum chariſſimis filijs per acerbiſſimos cruciatus vita carere ſuſtinuit. Nam cum filij amantiſſimi diuerſis excruciarentur ſupplicijs:talibus conſtantiſſima & religioſiſſima mater,ad filios vtebatur verbis. Scitis dulciſſimi mei filij,quomodo genitor veſter ipſaque,vos in diſciplina dei educauerimus,ſcitisq; ꝙ ab infantia deus vobis pater,deus inſtitutor ac redemptor veſter extiterit: Nunc igitur filij amantiſſimi pro eius amore, qui & pro nobis tanta pati non extimuit,veſtros generoſos excitate animos,& qui inter vos maiores eſtis,fortius agite & ingenti animo:potentiores,potentius ſuſtineant. quia ipſa pretioſiſſima mors,vindictam ſalutemq; deniq; nobis omnibus præſtabit. Videte inꝗ filij per omnia dulciſſimi: quia iſta omnis vis nos a deo ſeparare ſtudet. Cumq; hæc Simphorioſa diceret,alligato ad collum eius molari ſaxo,in flumẽ pręcipitata, martyrij coronam a domino promeruit. Eius autem ſanctiſſimum corpus Eugenius frater vir magnificus colligens,aromatibus conditum ſepeliuit. Altera vero die,imperatoris iuſſu per diuerſa tormẽta filij interfici iuſſi ſunt. Quorum etiam corpora a Chriſtianis collecta,in via Tyburtina nono miliario ab vrbe,condita ſunt. Natale vero ſanctiſſimæ Simphorioſæ filiorumque eius martyrum, quintodecimo calendas Augu. a fidelibus cum gaudio & multa veneratione celebratur.

¶De ſancta Praxede virgine. CAP. LXXIX.

PRaxedes & Pudentiana ſorores,Ro. virgines per omnia inſignes clariſſimęq;:anno ſalutis noſtrę quinquageſimo ſupra centeſimũ, Antonio Pio principe,Romanis imperãte,ac Pio pontifice ea in vrbe in cathedra Petri præſidente,plurima claritate, ex operibus pijs a ſe geſtis emicuere. Hæ nanq; ſorores in primis fuere genere nobiles,vita mirabiles,ſpecieq; ſatis pulchræ,ſed vita pulchriores. Pudentemq; virum Chriſtianiſſimum, optimum & doctiſſimum,patrẽ habuere:qui & a beato Paulo apoſtolo in fidem perductus,etiam ab ipſo de rebus diuinis mirifice edoctus fuit. Has itaq; idem Pudens pater cum ſolas haberet filias,& a pueritia,& ingenio,& probitate plurimum valere conſpiceret:ex more Romano ad liberales artes ediſcendas,magnopere conferre curauit:in quibus cum eminentiſſimi ingenij forent adoleſcentulæ,breui vltra patris opinionem,eiſdem in diſciplinis claræ euaſerunt. Cumq; non mediocrem mundanarum literarum diſciplinam adeptæ fuiſſent,diuino afflante ſpiritu tactæ,vt veræ patris filiæ imitatricesque dicerentur. Ab ipſo in primis genitore doctiſſimo, necnon & a beatiſſimo pontifice Ro. Pio eius nominis primo,de fide Chriſti edoctæ, mox cunctis gentilitatis idolis ab ſe abdicatis,ad lauacrum baptiſmatis cum gaudio euolarunt. Diuinis etiam literis ac documentis apprime diligenter inſtructæ:etiam virginale propoſitum ſuſcipientes,virginitatis veſtem ſuſcipere voluerunt,ac ab eodem Pio pontifice ad imitatio-

nem ſacratiſſimæ Domicillæ virginis ſeſe conſecrari fecerunt. Et cum iam totis affe=ctibus cuperent, ad vitam ingredi ſupernam, quam veram eſſe iam didicerãt, aliquem ſibi modum regulamq; conſtituere voluerunt. Et vt ad apicẽ apoſtolicæ perfectionis, dirigere iter ſuũ videretur: Ad duo legis præceptaſe cõtulerũt, in quibus pẽdet quic=quid eſt legis, quicquid prophetæ aut ſancti omnes apoſtoli fuerãt ſcrutati, videlicet dominum deum ſuum in primis diligere ex toto corde, menteq; ac viribus ſuis plusq̃ ſe ipſum, atq; ſuum proximum ſicut ſe ipſum. Nouerant quippe ex monumentis ſui patris Pudẽtis, a diuo Paulo magiſtro ſuo ſæpe & ſæpius ſe audiuiſſe, ſe minime glo riari in linguis angelorum & hominum, non ſe etiam gloriatum in cognitione myſte riorum dei, non in ſpiritu prophetiæ, non in aſperitatibus carnis, non etiã in eleæmo ſynarum largitione, non deniq; in alijs quibuſcunq; operibus, ſi eidem defuiſſet chari tas: quæ ſola facit hominem deo viuentẽ. Vnde die noctuq; orationibus, vigilijs, ieiu=nijs meditationibusq; inſiſtentes, nihil aliud ſentire videbantur, niſi pium Ieſum, & hunc crucifixum. Sacris etiam lectionibus inſiſtentes, quadam ineffabili quiete intue=bantur perfectiſſimam trinitatem. Nam ex apoſtolorum lectionibus & documentis, cuncta eis aperiebantur fidei ſacramenta: vnde nimium ſe felices arbitrabãtur, ꝙ om=nium regi domino commeruiſſent ſe matrimonio copulari. Sed neq; ex hoc pietatis opera tanq̃ Marthæ intermittere voluerũt. vnde iugiter cum tota familia miſericor=diarum operibus inſiſtentes: ſecundum prophetæ documentum, Egenos vagoſq; in domum ſuam introductos, eſurientibus panem ſuũ frangebant, cooperiebant nudos, occiſis pro fide domini Ieſu Chriſti ſepulturas præbebant: inſuper & colligationes & faſciculos impietatis diſſoluentes, atq; onera dirumpentes, domino & ſponſo ſuo Ieſu in pauperibus ſic miniſtrare ſe exiſtimabant. Et quanq̃ cum Martha circa fre=quens hoc miniſterium occuparentur: etiam horis conſtitutis, cum Maria optimam partem eligebãt, ſedentes ad pedes Ieſu, eius lauãtes pedes lachrymis compũctionis, deuotionis: contẽplationis, intẽtæ dulcedinis, ac charitatis & gaudij capillis extergẽ tes ſuperfluitatem e cordibus ſuis omnium rerum terrenarum. Ac ſic Praxedes hæc cũ ſorore Pudentiana in ipſa ſancta & inuiolabili conuerſatione vſq; in finem perdurã=tes, omnibus tam præſentibus q̃ futuris ſe perfecte virgines exhibuere. Et quoniam ſe dei ſacrificiũ fecerunt, vt & earũ ſanctificationis, vniuerſa ipſarũ familia (quę vtiq; magna erat) eſſet particeps, in titulo quẽ earum pater Pudẽs ſub nomine diui paſto=ris dedicauerat, De conſilio Pij ſedis apoſtolicæ epiſcopi, fontẽ baptiſmatis cõſtruxe re, Vt earũ familia in die ſancto paſchæ, in eõdẽ baptizari poſſet: quos ad nonaginta numero manumiſſos, beatus Pius aquis ſalutaribus abluit. Inde poſt agones multos, multaſq; eleæmoſynas, atq; alia innumera pietatis opera: poſtq; multorum ſepultu=ras martyrum, quos in beatum cimiterium cum alijs duobus & viginti, apud ſupra=dictum titulum ſepelierunt, qui per martyrij palmam, ad regna cœlorum tranſierãt. Deniq; & poſt omnes facultates ſuas in pauperũ viſceribus incluſas, & Chriſto fide=liter cõmendatas, Circa annum domini noſtri Ieſu Chriſti centeſimũ ſexageſimum quintũ, cum cœptũ ſuæ virginitatis propoſitũ vſq; ad finẽ optime cõſeruaſſent, Pu=dentiana venerabilis in primis, quartodecimo calendas Iunias: eius vero ſoror Praxe=des ſanctiſſima duodecimo calẽdas Auguſtas de terris ad cœlos migrarunt. & apud patrem ſuum Pudentem via Salaria in cimiterio Priſcillæ, poſitæ & conditæ ſunt.

¶De Fauſtina Auguſta. CAP. LXXX.

FAuſtina Auguſta, quæ poſtea, & inter deos relata fuit, gloriæ plu=rimum, viuens moriensq; viri ſui benignitate magis, q̃ ſuo aliquo opere conſecuta eſt. floruit circa annum ſalutis noſtræ cẽteſimum ſeptuageſimum. Fuit autem Antonij Pij Auguſti ex Fauſtina cõ=iuge filia. Marcoq; Antonio cõnubio iũcta. Eiuſq; patre mortuo, imperauit vna cum viro. & ex ſenatus conſulto Auguſta eſt ap=pellata: non parua equidem eo tempore mulieri gloria. Nam etſi

præcedentibus ab Auguſtis viris Auguſtarũ cognomen eſſet, nulli ante hanc ſenatus
cõſulto fuiſſe cõceſſum inuenitur. Fuit quippe tã exquiſiti decoris, vt aliquod diui-
num crederetur eius mortalitati admixtũ: quod ne cõſummaretur ſenio aut morte,
actum eſt vt iuuencula & ætate prouectior, aureis, argenteis, atqꝫ æreis nũmis effigi-
es eius ſculperetur. In quibus etſi oris habitus, oculorũ motus, color viuidꝰ, & hilari-
tas faciei deſinit: illud tamen liniamẽta teſtãtur perq̃maxime. Sane quantũ totius or
bis fama celebrata eſt, tantũ turpi impudicitię nota polluta. creditũ quippe eſt, hanc
nõ vno præter virũ cõtentã fuiſſe amaſio, quinĩmo in amplexus deueniſſe multorũ,
ex quibus quorũdam nomina detexit infamia. Sed qui anteiuit cęteros amaſios, Ter
tullus eſt nominatus, quẽ etiã aiunt, ab Antonio ſecũ in cœna repertũ. Et his ſuper-
additus Marcus Varus, non obſtante ꝙ eius eſſet ex Lucilla filia gener. Et quod ho
rũ omniũ turpius eſt, aiũt eã gladiatorẽ quendã adeo amaſſe, vt ob deſyderiũ eiꝰ in-
curreret ægritudinẽ fere letalẽ, & ſanitatis deſyderio, Antonio ſuã detexiſſe concu-
piſcentiã. eũqꝫ, medici cõſilio ad feruorẽ ſedandũ lãguẽtis, gladiatorẽ occidi feciſſe,
& eius adhuc tepẽti ſanguine, õne deliuiſſe corpus ęgrotæ: & ſic ab ĩpetuoſo amoris
æſtu, ac etiã morbo liberaſſe coniugẽ. Quod quidẽ remediũ fictũ credidere pruden-
tes. Cũ in proceſſu tẽporis, Cõmodus Antoniꝰ ea tẽpeſtate cõceptus, nõ deliniti ſan
guinis, ſed potiꝰ ex habito cũ gladiatore cõcubitu. Sceleſtibus itaqꝫ opibus ſuis, qui-
bꝰ potius gladiatoris, q̃ M. Antonij credebatur filius, teſtimoniũ veritati pręſtabat.
Quibuſdã Fauſtinę ignominiã perſonãtibus, M. Antonio ab amicis ꝑſuaſum eſt, vt
illã occideret, ſeu ſaltẽ abdicaret. verum Antonius cũ eſſet mitis ingenij homo, eſto
ægre ferret adulteria cõiugis, recuſauit in cõſiliũ ire: & ne in maius euaderet dedecꝰ,
perpeti maluit. nec aliud ſuadẽtibus amicis reſpõdit, q̃ oportere repudiatis dotes re-
ſtitui. volens ob id intelligi, quod ob Fauſtinã teneret imperiũ. Sed iſta ſinẽda ſunt.
Sæpiſſime etiã intuitu quidẽ minimo, minus etiã adducitur facto, labefactari hone-
ſtiores cõſueuere. & e nebulis, redeamus in lucẽ. Antonio autẽ apud orientales reges
magnifice rẽp. actũ eſt, vt Fauſtina vnica, in radicibus Tauri mõtis ægritudine, diem
clauderet extremũ. Quã Antonii precibus, ſenatus inter diuos extulit. Et de cętero,
diua Fauſtina appellata eſt: qđ apud Romanos nullæ alteri mulieri vnq̃ contigerat.
Et cũ eã iã caſtrorũ matrẽ appellaſſet Antonius, ei tẽplũ eo in loco in quo deceſſerat
cõſtrui fecit inſigne. Et eidẽ ſtatuas iuſſit apponi, ſui noĩs cõſpicuas. Inſtituitqꝫ puel
las ſacerdotes in tẽplo, quas Fauſtinianas vocari præcepit. Et ſic loco deæ per tẽpus
ibidẽ celebris habita eſt Fauſtina: vt ꝙ luxuria ſubtraxiſſe claritatis videbatur, dei-
tas reſarciret.

De ſancta Felicitate martyre, matre ſeptẽ filiorũ. Cap. LXXXI.

FElicitatis Romanæ fœminæ inſignis ſanctiſſimæqꝫ matronę virtus
hoc in loco nõ eſt obliterãda ſilentio, verũ ex quibus ſit orta paren
tibus, aut quo genere, ſeu cui iuncta fuerit coniugio incognitũ mihi
eſt. Hæc itaqꝫ quibuſdã nobilitatis notis cõſpicua, anno ſalutis no
ſtræ quarto & ſexageſimo, ſupra cẽteſimũ, flagrãte adhuc peſtifera
illa crudeliſſimi tyrãni Domitiani principis ꝑſecutione, tãq̃ Chri
ſtiana a præfecto vrbis Publio cũ ſeptẽ filiis ſuis liberalis formæ, optimæqꝫ ſpei pue-
ris velut alia Hebræa ſeptẽ Machabeorũ fratrũ mater cõprehẽſa, ex ſua fide & patiẽ
tia ꝑq̃maxima, poſteris oĩbus perpulchrũ atqꝫ integerrimũ veræ fidei teſtimoniũ ꝑ-
enne reliq̇t. Ob qđ etiã catholica eccleſia, vt ſuũ nomẽ, in ęternũ vſqꝫ ꝓ̄cipua coruſca
tione ꝑmaneret, ſtatuit: eiꝰ, filiorũqꝫ ſuorũ anniuerſaria a cũctis fidelibꝰ tãq̃ de muli
ere forti, religioſa veneratione celebrari. Filiorũ aũt ſuorũ martyrũ noĩa, iſta fuiſſe
tradũt. Primũ. ſ. Ianuariũ, Felicẽ, Philippũ, Syluanũ, Alexandrũ, Vitalẽ, & Mar-
tialẽ. Hos ꝓ̄fectus (matre pręſente) cũ interrogaſſet & audiſſet, tãdẽ variis iudicibus
laniãdos & excruciãdos trãſmiſit. Atqꝫ iuſſit ipſis iudicibus Felicitatẽ matrẽ indu-
ci, & filiorũ cruciatibꝰ ſẽp adſtare, quo magis, vidẽs tormẽta filiorũ, terreret. Iubent

ergo filij per deos iurare, eiſq; thura incendere: Illi vero e contrario aiebant, nullos eſſe deos, per quos iurare cogebantur. Cumq; plurimis verbis exprobrarent gentiliũ deos: inſanire in eos magis magiſq; iudices cœpere. vnde & per omnia tormẽtorum genera, quaſi eos circulo quodam peragentes, nihil deeſſe pœnis patiebantur, quas crudelitas inueniſſet. Erat quippe, non ſolum deformis, ſed etiam quidam miſerrimus ſtatus, videre filios ætate florentes, ita funeſtiſſimis tormentis per omnia corporis membra excruciatos, vt niſi ipſius ardẽtiſſimæ genitricis ſubueniſſet eloquẽtiſſima exhortatio, in ipſis ſuis cruciatibus vtiq; corruiſſent filij. Sed in ipſis inauditis, inſolitisve cruciatibus pene deficientibus, ſua oratione ſuaui, ad meliora & ſaniora conſilia reuocatos, in fide confirmauit. Ipſa quippe tormenta tam in ſe, q̃ in filijs, quantopere contemneret, mira patientia oſtendere voluit: q; non modo tormentis, ſed & morti fortiter ſe obiectabat, vt filios omnes incendiis comburi pateretur. Ita nempe conſtanter præter naturalem matrum affectionem, filiorum tormenta ſuſtinuit: vt lætitia ſuperante dolores, ridentis os, vſque ad ipſorum necem teſtimonium præbuerit. Fuit profecto acer & animoſus tam filiorum q̃ matris vitæ exitus. Stupentibus etiam ipſis impiis iudicibus, & dicentibus, q; nunq̃ fuerit fœmina, quę tanta ac talia in filiis perferre potuerit. Et idcirco etiam eccleſia catholica, quaſi mirabunda, in miſſarũ celebratione, de ipſa tanq̃ ex ſpeciali priuilegio in epiſtola ſic ait. Mulierem tam fortem quis inueniet? Et diuus Auguſtinus. Magnum ſpectaculum inquit, ante oculos fidei noſtræ poſitum eſt. Auditu audiuimus, cordeque vidimus, optantem matrem, ante ſe, vitã iſtam finire filios ſuos, longe contrariis votis cõſuetudini humanæ. Omnes enim homines ex hac vita migrando præcedere filios ſuos volunt, non ſubſequi: Felicitas autem optauit poſterior mori. Tantæ quippe fidei erat, q; diceret ſe eos non amittere, ſed præmittere. Nec intuebatur tanq̃ vitam finirent, ſed tanq̃ inchoarent. Deſinebant enim viuere, vbi quandoq; fuerant morituri: & incipiebãt viuere, ſine fine victuri. Parum eſt fuiſſe ſpectatricẽ, mirati ſumus potius hortatricẽ. Fœcũdior virtutibus, q̃ fœtib⁹: vidẽs certẽtes, in quib⁹ oibus & ipſa certabat, In omnibus vincentibus & ipſa vincebat, vna mulier, vna mater: cum propheta decantabat, atq; dicebat. Salus autem iuſtorum es domine, in tempore tribulationis. ſicut manifeſte extitit tribus illis viris, deambulantibus ſine vlla læſione inter ignes, laudantes deum. vbi homo ſęuiebat, flamma parcebat. Ipſis igitur (inquit Auguſtinus) a domino manifeſtata ſalus fuit: iſtis autẽ, ſcilicet ſeptẽ fratribus in occulto affuit dñs, Illos tres Iudæos liberauit viſibiliter, iſtos inuiſibiliter coronauit. Sunt tamen qui dicant illos nõ per ignem (vt diuus refert Auguſtinus) ſed per diuerſa tormentorum genera martyrii coronã promeruiſſe. Nã Ianuarium inquiũt, poſt virgarũ ceſſionem & teterrimum carcerẽ, plumbatis demum occiſum: Felicẽ & Philippum fuſtibus maceratos: Syluanum præcipitio interemptum: reliquos tres, capitali ſententia punitos fuiſſe. Ac per hoc ſanctiſſimi fratres & filii, durum genitricis imperium & hortamenta gratanter ſuſcipientes, atq; illius amonitionem per mortem comprobare volentes, lucẽq; iſtam moriendo contemnentes, omnium ſanctorũ conſortes effici meruere: atq; illorum germanitas, æterno collegio firmata eſt. Ecce quid præſtitit verus matern⁹ amor, qui vitã perpetuã filiis per paſſiones acquiſiuit. Atq; illi ſanctiſſimæ matri obediendo, a domino corã angelis coronari meruere. Horum itaq; ſanctorũ martyrum natalitia, ſexto idus Iulii celebrantur, quo die per martyrii palmam ad regna cœleſtia demigrarunt. Mater vero in carcerem per quatuor menſes cum multa calamitate reſeruata, tandem nono calendas Decẽbres pro Chriſto decollata eſt. quo quidem die, eius ſpecialis recordatio, cũ veneratione præcipua celebratur. ¶Alia nihilo minus Felicitas virgo fuit, quæ vna cũ Perpetua etiã virgine & aliis multis, in Mauritania ciuitate Tuburbitanorum, anno ſalutis noſtrę 212. ſub principe Seuero, ad beſtias deputata, nono idus Mar, Chriſti panẽ effici meruit.

¶De ſancta Cæcilia martyre. CAP. LXXXII.

Cæcilia Romana virgo & martyr, fœmina corporeo decore, magnanimitate, moribus, caſtitate, & ſanctitate ſplendida atq; pręcelſa, anno a natali chriſtiano, nono & vigeſimo ſupra ducenteſimũ, Seuero principe Romanis imperante, clariſſimũ pro Chriſto pertulit martyrium. Hæc quippe, tametſi eius genus, religioneq;, ac parentum nomina nobis ignota habeantur, præclariſſimi tamen Patritijq; generis, & potentiſſimorum conſulũ eam filiã fuiſſe reor, quod quidem ex facinoribus ſuis præclariſſimis a ſe geſtis cõprobaſſe viſa eſt: pro quibus certe, nõ immeritam ſibi acquiſiuit claritatẽ & laudẽ, ac vitam poſtremo conquiſiuit æternã. quæ cũ a pueritia quaſi omnibus didiciſſet eſſe amabilis, eiꝰ vniuerſa propinquitas (vt dicitur) diuina, plurimũ gaudere cœpit. Et pręter alia, bonarũ literarũ egregiã eruditionẽ (eius parẽtes forte in tenebris infidelitatis ambulantes) deo optimo inſpirante cõſecuta eſt: vt radicis ſcientiæ amaritudinẽ dulcedine fructuum tẽperaret. eãq; ſic erudire in omnibus amici curarunt, vt nil aliud diſceret audire vel loqui, niſi quod ad optimas virtutes capeſſendas pertineret. Demũ (forte parẽtibus orbata) a ſanctiſſimo põtifice Vrbano eius nominis primo, de diuinis ſcripturis imbuta & baptizata, ne ad diuerſa vitiorũ diuerticula raperetur: & vt in recto chriſtianitatis tramite proſequeretur, eidẽ mox etiã optima viuendi præcepta digeſſit. Verũ & ipſa tã q̃ iã ſapientiſſima adoleſcẽtula, ſciẽs adoleſcentiã multa corporis bella perſæpe ſuſtinere: vt ſui optimi propoſiti explicaret fulgorẽ, atq; ipſum ſuum virgineũ corpus in ſeruitutẽ redigeret, Ipſum quodã flagrantiſſimo amore & ardore, ieiunijs, vigilijs, orationibus creberrimis, cilicio, alijſq; cruciatibus caſtigare voluit. Atq; pietatẽ & hoſpitalitatẽ magnopere inter cæteras diligẽs virtutes, pauperũ ac orphanorũ, & viduarũ adeo curã ſuſcepit accuratiſſimã, ac ſi omnes proprio edidiſſet corpore, quos omnes, ex opibus ſuis per q̃maximis, pauit & nutriuit, ac curam egit ſolicitã. Et quãq; auro, margaritis, alijſq; plurimis monilibus iugiter romano more & ritu ornaretur, nihilo minꝰ omnes delitias, lepores, cæteraſq; ſeculi ineptias riſu dignas, abs ſe proijciens, diuinas ſcripturas ardẽti deſyderio, pro ſummis delitijs legebat, ita vt earũ lectio de eius manu vix recedebat. Et poſt ſacrũ euangeliũ, vt virtutis patiẽtiæ exẽpla ſectaretur: librũ Iob ſæpius legere volebat. Nec ſatiari profecto poterat, quadã dulcedine mirabili cõſiderans altitudinem conſilij diuini ſuper ſalute generis humani. vnde & ſæpius, eius hæc ipſa erat oratio. O bone deus, obſecro reuela oculos meos, vt conſiderem, mirabilia de lege tua. Porro Cæcilia virgo, vt boni teſtimonij ſuper omnia fundamẽta ſibi cõponeret, prudentiã, ſummopere iuſticiã, tẽperantiã ac fortitudinẽ, ſibi neceſſariã habere curauit: quibus quidẽ, tã q̃ de optimo virginũ ornatu, dominus ſibi multũ cõplaceret. Eiuſdem tamen ſanctiſſimũ ſuæ chriſtianitatis titulũ Cæcilia virgo parẽtibus ſilẽtio oppreſſit: nec id ſuorũ operũ arcanũ, cuiq̃ voluit eſſe expreſſũ, præter quibuſdã ancillulis ſuis. Quinimmo omnia ſuæ ſanctitatis opera, quadã ſagaci induſtria, intra domeſtici laris parietes, cubiculiq; ſui ſecretũ ſemper contexit. Nec pręter ancillas cõſcias, nemo etiã ex neceſſariis id arbitrari, nedũ ſcire potuit. Diebus etenim ac noctibus (diuo Ambroſio teſte) a diuinis colloquiis orationeq; minime ceſſabat: ita vt etiã angelũ ſuũ ſuiq; corporis & propoſiti cuſtodẽ, ſępius videre & alloqui cõmeruerit. Propoſuerat quidem Cæcilia virgo (in primis diuino afflata ſpiritu) quadã ſuæ mẽtis integritate, ſupato omni carnis aculeo, cõſtantiſſimo pectore õnino corpus ſuũ a cõtagione hoïs in mortẽ vſq; ſeruare. A parẽtibus itaq; aliquãdiu ante, Valeriano cuidã nobiliſſimo Patritio, acriq; iuueni romano deſpõſata fuit Cęcilia virgo. Ex more ſunt dilatæ nuptię. Eratq; ipſa Cęcilia quadã incõparabili pulchritudine, ob venuſtatẽ formæ plurimũ diligẽda, inerat & ingeniũ peregregiũ, ac ſermo blãdus & diſertꝰ, modeſtiſſimuſq;. Cũq; tardius nuptię Cæcilię irẽt in votum, ardẽtiſſimus iuuenis, a parentibus cõiugium inſtantiſſime expoſtulare cœpit. Cęcilia vero (vt pręmiſſũ eſt) ad carnẽ ſubtus

cilicio induebatur, deſuper autem veſtibus auro contextis tegebatur: nec vt optabat amorem ſui cordis in deum indicijs euidentibus poterat aperire. Quid multa? Venit dies in qua thalamus collocatus eſt, Et cantantibus organis: illa in corde ſuo ſoli domino hymnũ decãtabat: dicens. Fiat cor meũ, & corpus meũ domine immaculatum, vt non confundar. Et biduanis ac triduanis ieiunijs orans, commendabat domino quod timebat. Inuitabat angelos precibus, lachrymiſq; interpellabat apoſtolos, & ſancta agmina omnia Chriſto famulantia exorabat: vt ſuis eam deprecationibus adiuuarent, ſuamq; domino pudicitiam commendarent. Sed cum hæc agerentur, venit nox in qua ſuſcepit vna cum ſponſo ſuo ſecreta cubilis ſilentia. Et vt erat ingenio celebri vegeta, ſermoneq; diſerto, his ſermonibus ſuauiſſimis ſponſum alloquitur. O dulciſſime atq; amantiſſime iuuenis, eſt ſecretum, quod tibi confitear. ſi modo tu iuratus, aſſeras tota illud obſeruantia cuſtodire. Valerianus illico iurat, ſe illud nulla ratione, nulla neceſſitate detegere. Tunc illa ait. Angelum dei habeo amatorem, qui nimio zęlo cuſtodit corpus meum. Hic ſi vel leuiter ſenſerit, q; tu me polluto amore contingas, ſtatim contra te furorem ſuum exagitabit, & amittes florem tuæ gratiſſimæ iuuentutis. Si autem cognouerit, q; me ſyncero & immaculato amore diligas, & virginitatem meam integram illibatamq; cuſtodias: ita quoq; diliget te, ſicut & me, & oſtendet tibi gratiam ſuam. Eius igitur verbis ſuauiſſimis & ſapientiſſimis, ac dei nutu permotus Valerianus ſponſus, illico dixit. Recte, pie ac ſancte dicis. Sed ſi vis vt credam ſermonibus tuis, oſtende mihi ipſum angelum. Et ſi vere probauero, q; angelus dei ſit, confeſtim quod hortatis faciam. Si autem virũ alium diligis, te & illum interficiam. Tũc beata Cæcilia dixit. Si conſilijs meis, promittis te acquieſcere, & permittas te purificari fonte perenni, & credas vnum deum eſſe in cœlis, viuũ & verum: poteris eum videre. Dicit ei Valerianus. Et quis erit qui me purificet, vt ego angelum videam? Reſpondit ei Cæcilia. Eſt ſenior, qui nouit purificare homines, vt mereantur videre angelos. Dicit ei Valerianus. Et ego vbi hunc inueniam ſenem? Reſpondit Cæcilia. Ibis in tertium ab vrbe miliarium, via quæ Appia nuncupatur: illic nonnullos pauperes a tranſeuntibus auxilium expoſtulantes inuenies, de quibus mihi ſemper magna cura extitit, Eiſdem meam in primis ex nomine meo dabis ſalutationem: dicens. Cæcilia me ad vos miſit, vt ſanctum ſenem Vrbanum mihi oſtendatis: quia ad illum habeo ſecreta quæ perferam. Hunc tu dum videris, indicabis quæ inter nos ſunt cõmentata. Is dum te purificauerit, etiã veſtimentis candidiſſimis te induet. Cum quibus mox vt hoc cubiculum intraueris indutus, angelum ſanctum etiam tui amatorem effectum, inuenies: qui omnia quę ab eo popoſceris tibi donabit. Tunc Valerianus accedens, omnia quæ eidẽ Cæcilia prę dixerat inuenit. Qui Cæciliæ verba Vrbano latitanti in ſepulchris referens, gaudio magno exhilaratus: genibus in terra proſtratus, manibus expãſis, cum lachrymis, dixit. Domine Ieſu Chriſte paſtor bone, ſeminator caſti conſilij: ſuſcipe ſeminum fructus, quos in Cæcilia famula tua ſeminaſti. Domine Ieſu Chriſte paſtor bone: Cæcilia famula tua, quaſi apis mellifera tibi deſeruit. Nam ſponſum quẽ quaſi leonem ferocem accepit, ad te quaſi agnum manſuetiſſimũ deſtinauit. Iſte huc niſi crediddiſſet, minime veniſſet. Aperi igitur mi domine cordis eius ianuam tua gratia: vt te creatorem ſuum cognoſcens, diabolo & idolis eius renuntiet. Hæc & his ſimilia ſancto epiſcopo orante, E veſtigio ante ipſos ſenior indutus niueis veſtibus apparuit: qui in manibus tenebat librũ, aureis literis ſcriptum. Quẽ videns Valerianus, mox nimio tremore correptus, in terram quaſi exanimis cecidit. Quẽ ſenior eleuans, blãdis ſermonibus dixit. Fili tolle, & lege huius codicis textũ, & crede: vt purificatus, merearis videre ſanctum angelum, quẽ tibi ſponſa tua Cæcilia repromiſit. Scripturæ autẽ verba, hæc erant. vnus deus, vna fides, vnũ baptiſma, vnus deus, & pater omniũ, qui eſt ſuper omnia, & in omnibus nobis. Senior autẽ interrogans Valerianũ, expoſtulauit, an adhuc in fide hæſitaret. Cui ille, magna voce exclamans, inquit, nil eſt profe-

cto,ſub cœlo verius,quod credi queat. Tum pontifex Vrbanus, Valerianum de fidei regula edoctum,baptizatumq; ac candidis veſtimentis indutum, lætũ ad Cæciliam remiſit. Reuerſus igitur Valerianus, Cæciliam orantẽ intra cubiculũ inuenit,& iuxta eam angelũ domini ſtantem,pẽnis fulgentibus alas habentem, flãmeoq; aſpectu radiantem,ac duas coronas aureas geſtantem. Quiq; vnã Cæciliæ, alterã vero Valeriano dedit,inquiens. Iſtas coronas mundo corde & immaculato corpore cuſtodite, quia eas de paradiſo dei vobis attuli. Et hoc vobis erit ſignũ,quia ab aliis videri minime poterunt, niſi quibus caſtitas ita placuerit, ſicut & vobis probatum eſt placuiſſe. Et idcirco Valeriane,quoniam conſilio caſtitatis conſenſiſti,miſit me Chriſtus dei filius ad te: vt quam volueris petitionem inſinues. At Valerianus e veſtigio obnixe exorauit,vt eius frater Tiburtius æque ſaluus fieret: quoniam ad credendum ipſe forte duriuſculus foret. Tãdem Cæcilię virginis,& ipſe rationibus victus, ſacrũ baptiſma ſuſcepit,& paruo poſt tempore,vna cũ Valeriano germano,martyrii palmam adeptus eſt. Cœpit poſt hæc Almachius vrbis præfectus ,Cæciliam compellere,vt diis ex more thura offerret. At illa apparitoribus dixit. Audite me fratres: Mihi equidem glorioſiſſimum eſt,valdeq; optabile,omnia pro nomine,confeſſione ve Chriſti perferre tormenta: Sed de veſtra ſatis doleo iuuentute, quam ſine ſolicitudine gerentes, facitis quicquid vobis ab iniuſto iudice fuerit imperatum. Tunc illi flentes,rogabant eam,ne tam ſingularẽ amitteret pulchritudinem. Quibus ita reſpondit. Hoc non eſt iuuentutem perdere,ſed mutare: Dare lutum,& accipere aurum: dare habitaculum vile paruumq;,& domum perq̃maximam, eamq; lapidibus pretioſis conſtructam accipere. Perſeuerante hoc modo virgine,de regno dei,deque Chriſti pietate verba contexente: ſupra quadringentos promiſcui ſexus credidere, atq; ſacro baptiſmatis fonte perfuſi ſunt. Dehinc cum Almachius præfectus iterato Cæciliam interrogaſſet,cuius conditionie eſſet,aut religionis. Illius (q̃q̃ eo in loco conſiſteret,in quo etiã principes tremere conſueuerant,& hinc inde diſſonis clamoribus imperitæ multitudinis agitaretur, minaretur ve ei ex aduerſo torua facie) in nihilo conſtantia fracta eſt,quinimmo memor ſuæ ſalutis,Chriſtiq; fidei ardore ſuccenſa,conſtantiſſimo pectore & acri vultu,nulla e x parte territa: præfecto ſapienter & argute reſpondit,nulla ratione eidem aſſentire poſſe. Cui ille. E duobus vnum tibi elige: aut ſacrifica,aut te chriſtianam eſſe abnega. Subridens Cæcilia. O iudicem neceſſitate confuſum,inquit,qui iubet vt negem innocentem, vt ipſe me nocentem conſtituam. Si vis dãnare,cur hortaris negare? Si vis abſoluere: quare vis inquirere? Depone audaciam inquit Almachius,& deos adora. Cæcilia reſpondit. Neſcio vbi tu oculos amiſeris. Quos enim tu deos appellas,ego & omnes qui oculos ſanos habent,ſaxa videmus eſſe,& æramentum atq; plumbum. Ac ſic iudicem, eam mendaci demonſtratione deorum fœdare volentem, a ſe ignominioſe reiecit. nec ad id agendum quod iubebatur,vllis imperiis induci potuit. Tunc vehementer iratus, iuſſit eã domũ ſuam reduci,ibiq; eam flãmis balnearibus concremari. Cumq; in balnei calore incluſa fuiſſet,die integro ac tota nocte,quaſi in loco frigido roſeoq;,illibata perſtitit ſanitate: ita vt ne vna quidem membrorum eius pars, ſudoris ſaltem ſigno laboraſſet. Quod cum audiſſet Almachius,miſit qui eam ibidem decollaret. Quam vbi ſpiculator tertio percuſſiſſet,& caput amputare nequiuiſſet: ſeminece relicta, diſceſſit. Per triduum autem,quo ſuperuixit Cæcilia,non ceſſauit omnes mulieres, quas in fide catholica enutriuerat, animoſe confirmare: quibus & vniuerſa quæ habebat, diuiſit. Tunc ſanctus pontifex Vrbanus corpus eius abſtulit,interq; collegas pontifices collachrymantibus cunctis,deuotiſſime collocauit. domũq; ſuam (vt iuſſerat) in eccleſiam erexit & conſecrauit: vbi dei beneficia exuberant ad memoriam tam clariſſimæ virginis Cæciliæ. Paſſa eſt autem hæc præſtantiſſima virgo, decimo calendas Decembres,quo quidem die, eius anniuerſaria, digna celebratione a cunctis celebrantur.

De ſancta Martina virgine & martyre. CAP.LXXXIII.

MArtina virgo Romana & martyr,Imperante adhuc Romanis Se=
uero principe:eo anno,quo ſupradicta ſanctiſſima Cæcilia,& ip=
ſa martyrium Romæ pro Chriſto conſtanter pertulit. Hæc quip=
pe inter cæteras romanas mulieres,potentia,origine, moribus &
religione, ſuo æuo illuſtris fuit fœmina: De qua certe multa &
præclara facinora adſunt nobis hoc loco ſcribēda. Fuit ergo hæc
præclara virgo in primis potentiſſimi genitoris (licet eius nomē
& familia nobis ignota fuerit) ac Chriſtianiſſimi pijentiſſimiq; filia:quam ob rem
in hoc tantum,diuæ ſuperioris Cæciliæ virginis, nobiliorem ac digniorem effulſiſ=
ſe dicimus. Huius igitur pater patritius Roman9 ter Cōſul, Chriſtianiſſimus in pri=
mis, cum perfectam in deum charitatē,& in homines integerrimam cuſtodiret, etiā
vt in omnibus mandatis & iuſtificationibus domini ſine querela incedere demonſtra
ret.cum ad omnia ſeruorum dei obſequia promptiſſimus haberetur, hanc vnicam fi
liam tanq̄ futuram Chriſti ſpōſam de moribus,de fide,aliiſq; iuſtificationibus, atq;
bonis literis apprime erudiri fecit.hisq; in documētis peregregie erudita, mox & ip
ſa ad deū cōuerſa,q̄q̄ in multa hominū frequentia obuerſaretur,ac ſine carne exiſte
ret,ſeculū omne ſe neſcire oſtendit.ſeſeq; ipſam domino offerens, ingēti animo om
niū liberorum, & ſobolis paruipendere voluit ſucceſſionem. Inde vt erat bonarum
literarum haud mediocriter erudita, ad ſacras literas ediſcendas ſummopere ſe trāſ
tulit. Et vt omnes mundi ſolicitudines,atq; culparum omnium materias, euangeli=
ca falce ſuccidere a ſe poſſet,inter cætera Chriſti euāgelia,cum magno ardore per=
legebat,ac eorum documenta, in cellario ſui pectoris pro modulo ſuo recondebat.
Et cum diues admodum foret,ne alta ſapere,aut in incerto diuitiarum ſuarum, ſed
in deo viuo ſperare videretur:ſciens miſericordiam ſacrificijs a Chriſto eſſe propo=
ſitam,dicente domino in euangelio: Beati miſericordes,quoniam ipſi miſericordiā
conſequentur,Ad pietatis & humilitatis opera ſe conuertit: & vt eam apprehende=
ret quæ bona eſt vitā:per eleemoſynarum largitionem,futurum bonum ſibi theſau
rizare quoad vixit curauit. Et vt decet virgines ſacras quæ caſtitatem promittunt,
non tantum illam verbis, ſed per bonam iuſtitiam, & conuerſationem, in omnibus
ſuis operibus maximam pudicitiam præ ſe ferebat. Omnis eius ſermo ad deſtru=
ctionem idolatriæ erat: vnde ob hoc, & omnifarie ad expugnandos hoſtes, & ad
eorum iacula repellenda, iugiter conſtantiſſimo pectore omnes incendebat. Eoq;
tunc Seueri principis iuſſu, omnes ad culturam deorum cogebantur. Sed Marti=
na virgo ſpreto principis præcepto, Chriſtum in templo quodam adorabat. Ob
quam rem, a gentilibus tenta eſt, & ad Cæſarem, vt dijs immolaret, perducta eſt.
At illa hilari vultu imperatori ait. Ingredere tu Apollinis templum, & quan=
ticunque amatores ſunt, videantque quomodo ſynceriter intemeratus, & miſeri=
cors, ac ſanctus deus meus omnipotens immaculata & integerrima mea ſuſcipiat
ſacrificia. Mandauit ergo Cæſar, ſumma cum diligentia intueri, quæ a Martina
fierent. At illa orante, ſtatim terræ motus adeo magnus eſt factus, vt Ciuitas tota
concuteretur, & Apollinis ſimulachrum comminueretur, ac magna populi multi=
tudo fuerit oppreſſa. Dæmon tunc qui in Apollinis idolo habitaret, ſe in pulue=
re volutans, magna voce dixit. Heu me, Martina virgo, magni dei qui in cœ=
lis reſidet, ancilla, quæ eius iugiter præcepta cuſtodis, cur me meo habitaculo
ſpoliaſti, ac tam deformem oſtendiſti? Imperator vero cernens q; idolorum cul=
tus virginis oratione diſperderetur:eam alapis grauiter cędi iuſſit,ac eius palpebras
turpiter vncinis dirumpi. At illa orans,dixit. Domine pater & dominator, vitæ
meæ,ne derelinquas me, nec ſinas me cadere in hanc exprobrationem, Adiuua me
in cogitatu meo, & in flagellis eorum ne derelinquas me, ſed infunde cordi meo

doctrinam ſapientiæ,vt ignorationibus eorum non paream,& nõ præualeant mihi eorũ delicta. Oratione autẽ fuſa, Martina protinus ingenti lumine perfuſa,ad eã cõ feſtim vox de cœlo facta eſt:dicens. Confide filia, ego ſum quẽ adoras, Noli expaueſcere,quia nequaꝗ te deſerã. Qui vero eã excruciabant:audientes mirabilia,illico in faciẽ cadentes, precabãtur Martinam vt ſuis orationibus,ſibi ignoſci impetraret. Quibus illa: Si ab idolis ex totis præcordijs receſſeritis, & in vnum deum qui cuncta creauit,ac in eius vnicũ filium Ieſum Chriſtũ,eundemq́; pro ſalute omniũ crucifixum credideritis:qui vnicuiq́; iuxta opera ſua retribuet,& vos mercede vitæ æternæ perfruemini:ſin aliter ſentietis,procul dubio ęterna ſupplicia vos excipiẽt. Cũq́; in deũ patrẽ omnipotentem,filiũq́; eius vnicum dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, deinde etiã in ſpiritum ſanctũ,qui cuncta quæ deus per verbũ fecerat animauit,credidiſſent,atq́; vnum eſſe baptiſmum,quo homines regenerentur in deo, eodem modo credidiſſent,& plenam fidẽ ſuſcepiſſent, Chriſtianiq́; facti: paulo poſt per martyrij palmã ad cœli regna euolarunt. Sequenti vero die imperator pro tribunali ſedens,iterato Martinã idolis ſacrificare iuſſit. Quæ conſtanti animo renuẽs,turpiter & dire excarnificata,lac pro ſanguine (cũctis vidẽtibus) dedit. Ex cuius quidem ore, etiã tantus odor fragrauit,ac ſi ibidẽ vas omnium aromatum effuſum eſſet. poſtmodum immaniter fuſtibus cæſa, depoſitaq́; de ligno, rurſum ad carcerem reuocatur, alijs adhuc agonibus præparanda. Ibidem quoq́; ex more oratione fuſa,tantus repẽte e carcere odor effluxit,vt omnes in admirationem traherentur. Quę tabulam tenẽs,hæc in ea legebat. Qꝫ magnificata ſunt opera tua domine, omnia quippe in ſapientia feciſti. Poſt hęc educta Martina de carcere,mãdauit Cęſar aut Arthemidem deam eam adorare, aut feris obijci. Cognouit itaq́; tortuoſus dæmon ad ingreſſum virginis in phanum,ꝙ ſcilicet ad ſui perniciẽ ſancta intromiſſa fuiſſet: idcirco terribilibus clamoribus exclamauit:dicẽs. Vę miſero mihi,quo deus a ſpiritu tuo fugiã, ignis vndiq́; me perſequitur. Ingreſſaq́; templũ, Imperatori ait: Vis vt Arthemidi ſacrificẽ? Seuerus lætus,dixit. Dij immortales in ęternum viuant. quia mihi iam fauere videntur. Tum Martina appropians idolo: dixit. Tibi dico qui habitas in hoc idolo immunde ſpiritus,diſcedens dentibus ſtride,& egredere de hac ſeductione, & his qui tibi ſacrificant ſeductis. Quibus dictis, oratione facta,mox fulgurationes & tonitrua magna facta: e veſtigio ignis cadens de cœlo,cõbuſſit ſacerdotes,ac nõ modicam populi multitudinem abſumpſit,atq́; Arthemidis ſimulachrũ in fauillã prorſus redegit. Iratus Cæſar, Iuſtino præfecto dixit. Suſcipe hanc maleficam,& diuerſis eã pœnis cruciatibusq́; interfice. Cogẽte autẽ pręfecto Martinam dijs omnino ſacrificare,illaq́; abnuẽte,vncinis & vngulis excarnificata turpiter eſt. Iuſtino autẽ interroganti,an in ſententia adhuc perſiſteret:reſpondit. Ego Chriſtũ dominum meum habeo cõſolatorem,& idcirco nequaꝗ tuis ſacrifico dijs. Tunc in amphiteatrum,vt obijceretur feris ducitur. Ad quã diſcerpendam cũ ſęuiſſimum leonẽ iuſſiſſet emitti,eandẽ nõ modo (diuino protegente munere) læſit,quinimmo eius prouolutus pedibus, ipſamq́; adoraſſe viſus eſt. Inde in Cæſaris parentẽ impetũ faciens,protinus illũ diſcerpſit. Quo facto,a cunctis circũſtantibus vna voce conclamatum eſt. Salua imperator,quã deus feræq́; cõmiſerentur: abſolueq́;,per quã dij noſtri periere. Imperator Martinę dixit. Cõfitere magno deo Ioui,& noli tandẽ in obſtinata tua opinione,atq́; iſta tua inflexibili pertinacia amplius perdurare,ſed eidẽ humiliare vt viuas. Illa vero vbi orationẽ fudiſſet,mox etiã Iouis ſimulacrũ cecidit,propter quod gladio percuſſa,martyrij coronã adeo promeruit. Cũq́; gladio percuteretur, cunctis audientibus,vox de cœlo facta eſt. Quoniã generoſo animo & incõcuſſa fide pro nomine meo certaſti, Martina dilecta virgo,iam tandẽ cũ ſanctis meis in regnũ cœlorũ ingredere. Tũc Ritoriꝰ quidã ſanctus epiſcopus,cũ Romanis ſacerdotibꝰ veniẽs,ſanctiſſimũ virginis corpꝰ cũ cãticis in ſextã regionẽ trãſtulit. Ibiq́; eã cũ hymnis, prima Ianuarij die ſepeliuit. Quo quidem die,eius anniuerſaria a fidelibus celebratur.

¶De ſancta Blandina martyre. CAP.LXXXIIII.

BLandinam fœminam Gallicã natione, fidei virtute incõparabilem, ſub perſecutione Seueri principis, præſidente in cathedra Petri Eleutherio põtifice, apud Lugdunum Galliarũ vrbem, quam prę-cipiti lapſu Rodanus fluuiorum nobiliſſimus præterfluit, pro Chriſto martyriũ inauditum conſtantiſſime pertuliſſe ferunt. Quæ quidem fœmina cũ de ſe, ſuo æuo infidelibus ſpectaculum præbuiſſet, ſic & poſteris cunctis flagrantiſſimũ fidei atq; amoris integerrimũ teſtimoniũ reliquit perenne: ob quod, vt in ſeculum vſq; nomen eius fulgidum coru-ſcatione præcipua deueniat: eius mirabilẽ patientiam atq; conſtantiam inter claras mulieres cõſcribere ratus ſum. Hæc igitur Blandina tãetſi ex plebeia gente originẽ, & non nobilibus parentibus ortum duxerit, maxima tamen animi virtute, inter no-biliſſimas matronas cõputanda venit. Nam cũ apud eandem Lugdunenſem ciuita-tem vulgus, iudex, officiũq; omne, quodã in furore perſiſteret, vt ex confeſſione ſan-ctorum aliquod ſacrilegum eliceretur crimẽ: inter cæteros cõtigit Blandinam fœmi-nam plebeiã, per quam Chriſtus oſtendere voluit, ꝙ ea quę apud homines ſunt deſpe-cta, contẽptuiq; habentur, in magna gloria apud deũ ducuntur. & quia eius charitas, ea quæ per naturã ſolent eſſe fragilia, per gratiam facit eſſe cõſtantiſſima. Cũ enim omnes fideles ea in vrbe trepidarent, ne hæc Blandina in tormentis cederet propter debilitatẽ corporis & fragilitatem ſexus: ipſa tanta tolerantiæ virtute firmata fuit, vt prius cõciderent carnificũ manus, qui ſibi pro contentioſa iudicis animoſitate in-uicem ſuccedebant, q̃ ipſa pœnis fatigaretur. Nam dum a prima luce vſq; ad veſpe-ram eidem ſemper innouaſſent tormenta, tanta in ea diuina effulſit gratia, vt ipſi ad vltimũ ſe victos confiterentur. Magnopere equidem ſtupentes, quomodo in ea ſpiri-tus permanere poſſet, eo ꝙ in ea nihil ex corpore ſupplicijs ceſſiſſet. At illa poſtmo-dum aſſeruit, ꝙ quoties vocẽ cõfeſſionis veræ fidei emittebat, & ſe Chriſtianã confi-tebatur: toties nouę vires corpori ſuo adiũgebãtur. Ac ſi ablutis per cõfeſſionẽ dolo-ribus, inſtauraretur ad agones recentior. Atq; quo magis intelligebat: ꝙ vox pia, do-loris ſenſum extingueret, ſæpius & alacrius Chriſtiana ſum diceret, nihil mali pote-rat eidem inferri. Aliquibus poſtmodum interiectis diebus, cũ ſemiamina Blandina, & pene in quodam mortis confinio poſita, eiſdem fuiſſet pulſata cruciatibus, velut e ſomno quodam ſubito euigilans, in memoriam futuræ beatitudinis venit, & con-ſtanti voce ac ſi in populo concionaretur: ait. Multum erratis o viri, quod exiſtima-tis nos viſcera infantum comedere, cum etiã a carnibus brutorum propter deũ abſti-neamus. Et in confeſſione conſtanter perſeuerãs, iterum in carcerem recluditur. Poſt aliquot autem dies cum nundinæ celebrarẽtur, vbi aderat maxima populorum fre-quentia, Blandina e carcere cum Pontico filio ſuo, quindecim annorum puero edu-citur, Statuũturq; in medium, & per deos iurare iubentur. Qui cum nullos eſſe deos per quos eos iurare cogerẽtur, & cũ multis verbis eorũ deos exprobrarent: in eos ma-gis magiſq; populi multitudo inſanire cœpit. Vnde neq; pueri tenerã ætatẽ, nec ſe-xum fœminæ miſerantes, per omnia tormentorum genera eos excruciare cœperunt. Tunc Ponticus puer (tanq̃ alter Machabæus) maximum patientiæ robur, cohorta-tione materna ſuſcipiens, & in fidei confeſſione perſeuerãs, impollutũ deo reddidit ſeipſum. Beata vero Blandina omnium vltima velut illuſtris mater & vera virago, præmiſſos per martyriũ ad coronã filios, iam eos inſequi feſtinabat. Exultãs & ouãs tanq̃ ad ſponſi thalamũ inuitata. Ex quo dominus cõceſſerat vt in verberibus tripu-diaret, & craticulis exuſta gauderet, Atq; tã hilaris & læta acſi inter regias dapes ac-cubaret. poſt hæc etiam ad beſtias tradita, ſed & ab eis intacta receſſit. Inde quoque alio excogitato crudelitatis genere, ꝙ reti conſtricta, tauro ferociter inſtigato ob-iecta fuit. Aquo cum innumeris fuiſſet ictibus laceſſita, & toto amphitheatri am-

bitu volutata, nec tunc quoque penitus læſa: ſed vt ſemper læto vultu, & conſtanti mente permanſit. Ad vltimum gladio iugulata, maximam martyrij coronam adepta eſt. Stupentibus etiam ipſis impijs carnificibus, & dicentibus. Quomodo potuerit fœmina, tanta ac talia perferre? Sæpe etenim illud pſalmiſtæ dicebat. Secundum multitudinem dolorum meorũ, in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Eius autem anniuerſaria feſtiuitas, celebratur quarto Nonas Iunias.

¶De ſancta Agatha virgine. CAP. LXXXV.

AGatha ſanctiſſima virgo & martyr, apud Cathaniam vetuſtiſſimam nobilemq; Siculorum vrbem, anno ſalutis noſtræ quarto & quinquageſimo ſupra ducenteſimum, Decio Cæſare Ro. imperãte, atq; Lucio Romano pontifice in cathedra Petri præſidẽte, glorioſiſſimum martyrium ea in vrbe pro fide Chriſti pertulit. Hãc igitur etſi nobiliſſimam ſcimus, tamen ex quibus parentibus, vel quo ex genere, ſeu qua ex religione ortam fuiſſe non ſatis patet. Verum quoniam in militia Chriſtiana pro pudicitia fortiter egit, ac tãdem pro fide Chriſti & gloria conſtãtiſſime interijt, eam a vero genere originẽ duxiſſe dicemus: q; tam inſigni cõſtantia æternam ſibi coronam, ac perpetuam claritatem cõmeruerit. Nam eius parentibus ditiſſimis gentilibus (ſe ſola ſuperſtite) defunctis, Vt erat adoleſcẽtula, & genere, inuiſaq; formoſitate, ac celebri ingenio, & doctrina inter Cathanienſes fœminas plurimum inſignita. & ſui iuris iam effecta, a deo inſpirata, ſagaci mente humanam conditionem, & errores gentilium perluſtrare cœpit, ac intrinſecus æſtimare, quonam modo vitam ſuam per viam ſalutis poſſet traducere: vt in ſe diabolo interfecto, fontem puriſſimarum aquarum, tanq̃ ceruа emiſſa ad reſtringenda gentilitatis peſtifera venena, deſyderare cœpit. Vt ſcilicet de Ægypto, hoc eſt de iſto ſeculo nequam recedens, Pharaore in aquis ſuis ſubmerſo, etiam omnem priſtinum ſuorum errorum exercitum, per baptiſmum in ſe omnino necare conſtituens: ad fontem eccleſiæ catholicæ, videlicet patrem & filium & ſpiritum ſanctum tandem peruenit. Et vt erat mulier omni ſapiẽtia prædita, ne id leuiter feciſſe, ſed toto deſyderaſſe ardore, totoq; exoptaſſe incẽdio videretur: in primis baptiſmo percepto, omnes animo voluptates obterere curauit, ac omnia delectationum ſtudia reliquit: vt voluptatibus cunctis a ſe amputatis, omni ſua conuerſatione eo tenderet, vbi credebat Chriſtum eſſe in dextera dei patris. Ac per hoc, vt ita verum eſſe fateretur, ludos, iocos, cõuiuiaq;, ac vanitates omnes deſerens, in ſacco & cinere dormiens, orationi & ieiunio vacare cœpit, ac futuram vitam, peccatorum ſuorum confeſſione quæſiuit. Et quia fudit lachrymas, iccirco eccleſia in eius ſingulari præconio, dicit. Qui ſeminant in lachrymis, in gaudio metent. Quas ob res vt diabolus ſibi inſultare poſſet, ac dicere, Vbi eſt deus tuus? maximam in eam excitauit perſecutionem. Nam tum Quintianus ea in vrbe Decij Cæſaris conſularis reſidens, tum virginis pulchritudine ductus, tum diuitiarum copia permotus: eam ſibi in coniugem tradi quæſiuit. Quod vt facilius effici poſſet, triginta dierum ſpatio, nunc blanditijs, nunc tormentis per quandã fœminam nomine Aphrodiſiam, a propoſito eam reuocare curauit. Sed puellæ mens, quæ ſupra petram Chriſtum, fidei conſtantia fundata erat, nec pollicitationibus adduci, nec vllis terreri minis potuit, quo minus Chriſto ſponſo inconcuſſam ſeruaret fidem. Nam & ſaxa molliri, & ferrum conuerti facilius erat, q̃ vt ab intentione Chriſtiana, Agatha moueretur. Quæ gemmas, & veſtimenta auro intexta, prædia quoq;, & vana quæque ornamenta, perinde atque terram, quæ pedibus calcatur, nihili faciebat. Qua ex re ira percitus Quintianus, poſt varia vltro citroque verba fuiſſent facta, & virgo pudiciſſima in ſua perſiſteret ſententia: eam in tetrum & ſquallidum carcerem, cathenis prius obligatam, q̃ rapidiſſime pertrahi iuſſit: vt ibidem, & pedore &

calígine ab omnibus neglecta cõſumeretur. Sed illa læta gloriabũdaq́ꝫ carcerẽ introiſ=uit,& quaſi ad epulas inuitata, agonem ſuum domino precibus cõmẽdabat. Dehinc truculentus tyrannus,cum ei ſuaderet Chriſtum abnegare,& deos falſo creditos co=lere: illaq́ꝫ penitus,cum tam graue facinus admittere noluiſſet,ingenti eculeo ſuſpẽ=ſa,ibidem diu torqueri iuſſa. Tum illa, Sicut qui bonum audit nuntium,vel qui videt quem diu deſyderat, quive multos adeptus eſt theſauros: ita me,quæ tu mihi ſum=mo ſtudio inferre ſatagis,oblectant tormenta. Neq́ꝫ enim mihi cum martyrij palma cœlum adeundi copia datur,niſi corpus meum,a carnificibus diligenter feceris attre=ctari. Quoniam nec horreo infertur triticum,niſi theca eius fortiter conculcata,e pa leis fuerit excuſſum. Poſt hęc impius ille,omni belua truculentior,cum mammillam in virgine torqueri iuſſiſſet,etiam tortam deniq́ꝫ a carnificibus abcidi fecit. Qua di=uulſa,in cruciatu ad carnificem ait. Par erat crudeliſſime tyranne, vt in puella ampu=tare erubeſceres quod tu in matre ſuxiſti. Tamen perge vt cœpiſti. At ipſa habeo do minum meum Ieſum Chriſtum,qui ſolo quidem verbo,inſtaurare mihi poteſt vni=uerſa. Abciſa itaq́ꝫ mammilla, iterum Agatha carceri hac lege iniecta eſt,vt nihil pa nis,neq́ꝫ potus ei præberetur omnino,ſed inedia cõſumeretur. Sed cum virginis ſpes omnis, in domino foret conſtituta,opem etiam illi de cœlo contulit. Nam intem=peſta nocte ad eam ſanctus apoſtolus venit,qui non modo plagas omnes curauit,ſed & mammillam integram,ſuo pectori reſtituit. Tãtoq́ꝫ fulgore per totam noctem ea eſt perfuſa præſentia,vt præ pauore,carceris cuſtodes aufugerint,apertamq́ꝫ cuſtodiã reliquerint. Vnde cum virgini abeundi facultas facta eſſet,hortarenturq́ꝫ eam nonul=li vt quo vellet abiret: non modo e carcere non diſceſſit,ſed & conſtanter perſeuerãs: dicebat,nolle ſe pati,vt tam longo tempore deſyderatã amitteret coronam. Quam ob rem,cum poſt quatriduum iniquiſſimus conſularis eã morti deſtinaſſet: acutiſſi=mas teſtas,quibus accenſi carbones ſuberant,eam nudã deſuper volutari fecit. Sed di=uina permiſſione,cum terræ motus factus eſſet,duoq́ꝫ ex charioribus Quintiani fo=rent oppreſſi,rurſus in carcerem recepta eſt. Vbi & in hęc verba,orationem ad domi=num fudit. Mi creator domine deus,qui me ab infantia cuſtodiſti,ſecularem omnem a me auferẽs amorem,vt corpus meum ab omni pollutione ſeparares,quiq́ꝫ me viri=liter feciſti agere,& carnificum tormenta ſuperare, Te deprecor,vt meum nunc acci=pias ſpiritum. Tempus etenim eſt,vt relicta hac corruptibili vita,iubeas me ad tuam miſericordiam peruenire. Quibus expletis,cõfeſtim immaculatum deo reddidit ſpi=ritum. Cũq́ꝫ ſanctum corpus aromatibus delibutum ſepulchro mandaretur,Ecce an=gelus ſubito affuit,& ad Agathæ caput tabulam poſuit,in qua hęc exarata erant ver=ba. Mẽtem ſanctam,ſpõtaneam,deo honorem,& patriæ liberationem. Habuit nem=pe mentem ſanctam,obtulitq́ꝫ ſpontaneam, Deo honorem dedit,patriæq́ꝫ liberatio=nem fecit. Ibidem vero angelus tandiu ſubſtitit,quouſq́ꝫ ſepulchrum cum diligentia clauſum fuit. Abſcedensq́ꝫ,vlterius in tota Siculorum inſula non eſt viſus. Quantiq́ꝫ meriti ac ſanctimoniæ fuerit Agatha,hinc liquido oſtenditur: Quod mons quidam haud procul a Cathania vrbe,poſt exactum annum,a die qua paſſa fuerat,ruptus eſt, tantumq́ꝫ ignem euomuit,vt quaſi torrens quidam,de monte ſaxa terramq́ꝫ liquefa=ciens,ad vrbem magno impetu deſcẽderet. propter quod pagani ad ſepulchrum vir=ginis confugientes,eius tumuli velum arripuere,eoque contra ignem poſito,ſtatim ignis extinctus eſt. Qua ex re factum eſt,vt non ſolum Chriſtiani ſed Iudæi quoq́ꝫ, atq́ꝫ gentiles omnes beatiſſimam Agatham ſummo honore habuerint,& ad monu=mentum eius quotidie accedentes, vota ei facerent,tanq̃ mulieri ſanctæ: cuius inter=ceſſione ad dominum,ſe non parum iuuari profitebãtur. Quintianus autem poſt hoc ad inueſtigandas Agathæ facultates,& vt omnes de familia eius teneret accedens,dei iuſto iudicio in flumine interijt. Paſſa eſt itaq́ꝫ beata Agatha Nonis Februarij,quo quidem die eccleſia,eius egregia opera carmine comprehenſa, cantare frequentat: vt ad ea imitanda,Chriſtianorum virtutes alacriores reddat.

De ſancta Apollonia virgine. CAP.LXXXVI.

APollonia virgo ſanctiſſima,natione Alexandrina,& ipſa memoratu digniſſima, hac ſæua Decij perſecutione acerbiſſimum martyrium pro Chriſto perferens , non modicum etiam in terris ſibi acquiſiuit fulgorē. Hæc itaq; ſancta virgo,Euſebij cuiuſdam fortiſſimi exercitus imperatoris,ſtrenuæ ac inclytæ virtutis viri, ex Laomia vxore ſuſcepta, filia fuit. ambo quidem nobiliſſimi, ac multa generoſitate,plurimiſq; virtutibus prēclariſſimi:qui vt ex antiquis hiſtorijs habetur, fuere inter cæteros gentiles inclyta fama nominatiſſimi. Hi quippe cum hanc vnicam,in fœminis ſuſcepiſſent filiam,inſigni decoris conſpicuam (vt erant omni ſapientia cōſpicui) animaduertentes,q; ſæpe & ſæpius virtus rationalis animæ,ab exterioribus iugiter huc atq; illuc feratur,ne aliquando ipſa chariſſima gnata,ex mala conuerſatione corrumperetur,quinimmo ſi forte aliqui,in ea mali conſurgerent mores,ex bona probaq; cōuerſatione corrigerentur. Iccirco ſuper omnia nutrici & genere & moribus nobiliſſimæ educandam informandamq; contradiderunt.quæ vt etiam erat religione nobilior,puellulam ipſam in cuſtodia ſuſcipiens, non modo cum diligentia corporali alimento fouit,ſed & Chriſtiano ritu cum omni ſtudio informauit. Cumq; corpuſculum eduxiſſet in robur,ne nimia licentia vagari,aut aures faciles obſcœnis verbis præberet (cum ipſi parentes deprehendiſſent, ſæpe his agentibus & honeſtati,nonnunq̄ notas impreſſas turpes, quas etiam perpetuæ caſtitatis decus abſtergere vix potuit) cum Apolloniam ipſam corporali formoſitate valere deprehendiſſent,eam in turre ornatiſſima incluſere,quæ muris adeo circūcincta erat,vt vix auibus præberetur aditus. Sicq; eius muri tendebantur in altum, vt non ſolum quiſq̄ pedibus,ſed nec oculis quidem quę intus gerebātur,poſſet agnoſcere. In ea ſiquidem cum omni ſupellectili pretioſa Apolloniam adoleſcentulam cum duodecim puellis ornatiſſimis & nobiliſſimis,eiuſq; nutrice prædicta, ac ſene quodā graui,nomine Æmyliano, viro in primis doctiſſimo,atq; moribus perornato,parentes incluſerūt. Vbi (ſicut diuus ait apoſtolus,omnia mūda mundis) nihil aut loquebatur,ſiue operabatur,niſi quę ad virtutes,ad vrbanos mores,ad bonitatem doctrināve ſpectare videbātur. Adeo quippe innocentiam in eius mente conſeruare curarunt, vt cogitare quidem ſibi foret indecens,atq; credere nefas,aliquem in hoc mundo quouis modo poſſe peccare. Mirū auditu,ſed fœlix obtētu. ſic prædicta nutrix,huius puellæ cor trāſformauit in virtutes,ac (vt ita dixerimus) in creaturas deificas,vt eius caro pene eſſet neſcia carnis:licet per Ioannem dicatur,Quod quicquid eſt in mūdo :aut eſt concupiſcentia oculorum,aut concupiſcentia carnis,aut ſuperbia vitæ. Nam ſic ſimpliciter & humiliter magiſtrę ſuæ Apollonia innitebatur documentis & veſtigijs, vt quaſi eiſdem videretur vna anima ſola. Nam inter eas tantum iam exurrexerat amoris glutiniū,vt ipſa in primis ſancta nutrix nihil omnino ſcire vellet,niſi quod Apollonia,atq; ipſa antea conabatur iuſſa & documēta capeſſere & implere, q̄ forent emiſſa: & quibuſdam quodāmodo indicijs nitebatur prophetare de voluntate ipſius mandantis. Cumq; nutrix ſapientiſſima,Roſam de ſpinis iam floruiſſe cerneret: maxima ſumpta fiducia,pro ingenij ſui modulo,ipſi Apolloniæ virgini in primis falſam,& fictam,erroriſq; plenam gentilium religionem,bonitatis nomen ementitā,inſinuauit, aperuit ac damnauit. Indeq; Chriſti euangelium,quod æternorum atq; incorruptibilium bonorum continet doctrinam, & hominibus affert fœlicitatem, prædicare cœpit. Quod ſcilicet non cæcas,caducaſq; huius ſeculi diuitias, nec breuem hanc calamitoſamq; vitam,neq; iſta inſtabilia corporis commoda,ſed animarū quæ intellectualis ſubſtantiæ ſunt,a quibus etiam corporum bona,quaſi vmbrā conſequentia dependent: ſummam propriamq; vniuerſis affert beatitudinem,cuius caput, Chriſtiana religio fere eſt,pro qua plane,maxima cum deo cōtrahitur amicitia. Qui quidem vni-

uerſis ſuis amatoribus, tanq̃ bonorum omnium largitor, vitam & lucem elargitur, Quibus certe, nec melius nec beatius excogitari poſſet. Affirmabat præterea: ꝙ quicunꝗ beatiſſimam amicitiam, cum deo, per talem exquiſitam chriſtianā religionem contraheret, ꝙ omnia vtiꝗ quæ ad animam, quæ ad corpus, quæꝗ ad externa pertinerent, perq̃ optime, beatiſſimeꝗ, ab eodem conſequeretur, atque tandem frueretur. Hortabatur quoque eam, vt omni ſtudio ac cura, hoc bonum ſuſcipere non recuſaret. At Apollonia, vt vocem eius audiuit, illico dedit cor ſuum ad eius documenta, & ad legem vitæ & diſciplinæ. Et propterea deus excelſam fecit illam: quia carnalibus cōtemptis, ſponſi ſe iunxit amplexibus. Erant autem huic tres vterini fratres, a quibus certe maiorem in modū amabatur: a quibus & multis & pretioſiſſimis iocalibus donata ſæpe erat, quæ nihilo minus Apollonia pauperibus elargiebatur. Veruntamen Apollonia, etſi ad deum, & dominum Ieſum Chriſtum ex toto corde eſſet cōuerſa, iugiter tamen ſuſpirabat, ꝙ nondum ſacratiſſimum baptiſmi ſacramentum cōſecuta eſſet. Vnde vt ampliorem tutioremꝗ theſaurum ſibi in cœlo cōflaret: vbi neꝗ fur penetrat, neque rubigo rodit: neꝗ tinea exedit, neꝗ deniꝗ vllus territat metus. Vt deo ipſo propitio ad ipſum tutiore ſemita propitius accederet. Per ſanctum Leoninū eremitam extra vrbem Alexandrinā tandem in nomine Chriſti baptizari promeruit. Qua baptizata, ac in Chriſti nomine roborata, mox vniuerſa patris ſui quæ in turri erant ſimulacra confregit, ac pretiū pauperibus erogauit. Cūꝗ etiam regium conſtātiſſimo pectore recuſaſſet coniugiū, iratus pater, duriſſimis eam flagellis & alijs multis affecit cruciatibus. At illa quidem non ægre modo, ſed æquo immo alacri animo, diuina ſuffragāte gratia, pro Chriſto omnia pertulit. quibus æquanimiter toleratis, non eſt dedignata parentes exorare, vt ſibi liceret ea in turri priuatam vitam ducere. Aſt illi (etſi titulus chriſtianitatis grauis videretur) nihilo minus quia ei9 vita, eis admodum erat grata, aſpectuſꝗ ſuauis, patrio affectu precibus acquieuere. Ibidem nāꝗ in ſenectam vſꝗ ſuam (vt ſacram decebat virginem) cum omni ſanctitate vitæ vixit, atque in omni ſeu tempeſtate, ſeu tranquillitate rerum, ſemper & fidei, & iuſtitiæ clauum tenere voluit. Verum cum iam anus virgo eſſet effecta, crudelia Decij Cæſaris in Alexandriam & in omnem Aegyptum edicta miſſa fuere, vt Chriſtiani omnes perſequerentur. Quibus tanta aduerſus chriſtianos ferebatur immanitas, vt ſecūdum ꝙ prędictum fuerat a domino, ſi fieri poſſet, etiā electi ſcandalizarentur. Exquo multis prætermiſſis: in primis quandam nobilem mulierem Coyntham nomine corripientes, ad idola perduxerunt, adorandi ſimulacri gratia. Quæ cum recuſaſſet, immo execraretur, vincula in pedibus eius illico innexere, & adeo eam fœdo & horrēdo ſupplicio, per totius vrbis plateas traxere, donec tota diſcerperetur Dehinc hanc admirandam longæuæ ætatis virginem Apolloniam cōprehendentes, illi ſine vllo perſonę & generis delectu, cum maxima impietate primo omnes excuſſerunt dentes Cōgeſtis poſtmodum lignis, maximum rogum incenderunt, comminātes viuam eam ſe incenſuros, niſi cum eis pariter impia proferret verba. At illa vt rogum accenſum vidit, paululum quid orans, & in ſemetipſa deliberans: completa oratione, e manibus impiorum repente ſe eripuit, atꝗ in ignem quem minabantur ſponte proſiluit. ita vt etiam ipſi crudelitatis autores perterrerentur: ꝙ promptior ad mortem inuēta eſſet fœmina, q̃ perſecutor ad pœnam. Ac ſic in confeſſione & exultatione Apollonia virgo, quinto idus Februarij introiuit portas domini ſanctas. Quo quidem die, eius anniuerſaria a fidelibus cum humili deuotione celebrātur Apolloniā igitur virginē anteq̃ in ignē paratū proſiliret, hanc orationē, in terra genibus proſtrata, luminibus ad deū eleuatis, in hunc modū ipſi deo & domino noſtro Ieſu Chriſto porrexiſſe dignoſcitur. O ſpes & ſalus credētiū, domine de9 omnipotēs, pater domini mei Ieſu Chriſti: qui omniū creaturarū extitiſti cōditor. q me Apolloniā famulā tuā dignatus es ad tuā dulciſſimā gloriā vocare, meꝗ tibi holocauſtū offerre, obſecro digneris in hac hora animam meā, ſpiritūꝗ ſuſcipere, & ad tuā ineffabilem gloriā peruenire cōcede.

Petoq; domine deus, qui es gloria virginum tuarum, quiq; es rex regum, vt quicunq; paſſionis meæ memoriam egerit, in quacunq; tribulatione conſtitutus fuerit, meque deuote ac humiliter inuocauerit: per tuam gloriam tuæ miſerationis ſalutarem con ſequatur effectum. Qui es benedictus in ſecula. Reſponſoq; a circunſtantibus, Amen. Illico ad eandem de cœlo vox inſonuit: dicens, ꝙ ipſius petitio eſſet exaudita.

❡De ſancta Reparata virgine & martyre. CAP. LXXXVII.

REparata virgo ſpecioſiſſima, & ipſa hac periculoſiſſima Decij perſecutione, apud Cæſaream Paleſtinæ ciuitatẽ, glorioſum pro Chriſto pertulit martyrium. Hęc igitur ex nobiliſſimis parentibus, nobilioriq; genere ea in vrbe duxit originem, quorum tamen nomina ignota ſunt. Fuit quippe in primis adoleſcentula, decore corporeo, moribus, honeſtate, ac incredibili fide admodum ſplẽdida: Quam certe duodenem adoleſcentulam non immerito ob inſignem eius coram Decio Cæſare ad defendendam animi & corporis ſui ſynceritatem, conſtantiam & magnanimitatem, inter ſanctas claraſq; mulieres eccleſia honorabiliter cenſuit eſſe ponendam. Nam cum duodecim ætatis eſſet annorum, Decio Cæſari ea tunc in vrbe exiſtenti accuſata fuit: ꝙ interdiu, noctuque ieiunijs & orationibus Chriſtiano more vacans, omniq; momento & actu crucis ſignaculum in fronte ſua imprimens, Deos, deaſq; abnegare deſpicereq; diceretur, ac Chriſtum a Iudæis crucifixum adoraret, & eidem iugiter ſacrificium offerret: e veſtigio Decio pręſentata eſt. Cuius cum aliquandiu pulchritudinem, formoſitatemq;, & habitum nulla varietate diſtinctum, honeſtatemve eius & grauitates puellares admiratus, laudaſſet. Eam in primis blandis ſermonibus allocutus eſt: dicens. O infantula omni honore digna, q̄ beata ſunt vbera quæ te lactauerunt, felixq; mater quæ te genuit. Cognoui profecto, quia nobili genere orta, poteris tibi clariſſimum copulare coniugium, modo dijs immortalibus ſacrifices vt viuas. At illa corã principe ſtans, purpureo reſperſa colore, eleuatis paululum in principem oculis, & deinde in terrã deiectis, voce humili ſed animo excelſo dixit. Sufficit mihi o princeps duodecim vixiſſe annos, ſi ad illam merear peruenire vitam quæ neſcit habere finem. Siſte quæſo mi imperator, ne dixeris. Quia ego quidem ſemper ſacrificaui, ſacrificoq; hoſtiã laudis domino meo Ieſu Chriſto. Cui Decius. Quot te manent tormenta, niſi ſacrificaueris. Reſpondit illa. Non expaueſco mi domine pœnas, quas mihi te inflicturum promittis. Decreui etenim magis mori, q̄ vt deos tuos adorem. igitur fac vt lubet. Allatum eſt ergo in primis plumbum in olla liquefactum, vt perfunderetur Reparata. verum illa orãte, adeo frigefactum eſt, vt nulla penitus virgini ex eo illata ſit læſio. Tum Decius. Afferte inquit feruens acetum, vt illa decoquatur protinus lingua quæ Chriſtum nominauit. Cumq; in delicatum puellulæ os infunderetur: cõſtantiſſimo pectore dixit. Acetum tuum o Cæſar, tanq̄ fauum mellis ebibo, Ex hoc enim cõfortata ſum in domino meo Ieſu Chriſto. Tormenta quippe tua quæ mihi inferre iubes, nõ dolorem, ſed refrigerium præſtant. Cumq; Cæſar puellulam conſpiceret nullis tormentis, nullisve minis, aut diſſonis clamoribus imperitæ multitudinis aliqua mentis conſternatione fore concuſſam: dixit. O duritia huius puellæ: quã nec blandimenta, nec aſperitates reuocant ad ſalutem. Accendite rurſus lampadas, & pectori eius apponite, vt vel ſic Deos inuictiſſimos adorare cogatur. Quod poſteaq̄ factum fuit, nil illi prorſus moleſtiæ illatum eſt: ꝙ ignis illico ſuas perdiderit vires. Oleo deinde illita, mox in caminum ignis ardentis immiſſa: cum propheta decantabat. Deus in adiutorium meum intende, domine ad adiuuandum me feſtina. Confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam vt auferant eam. Iam laſſus Cæſar ſuſpirabat in gemitu quaſi, nec ei videbatur nouus excruciandi modus, Iam victa ſæuitia corpus illæſum

permanebat. Extemplo ira excitus, incendantur, inquit, faculæ, & vtrunque latus eius
exuratur. Sed illæ, orante Raparata virgine, illico extinctæ ſunt, ac protinus carnifi=
cum manus aruere. Rurſum ad eam Decius. Miſella quid agis? hortor accedens ſacri=
fica dijs, & te in filiam chariſſimam aſſumam, aurum & argentum & diuitias multas
tibi donabo, tantum ne tanta tua pulchritudo depereat. Reſpondit Reparata. O ſer=
pentina mortiferaq; ſuaſio: accede tu, & ſacrifica: nam ego ab infantia mea, me deo
meo ſacrificium mundum obtuli. Igitur Decius, paſtis cruore luminibus vt fera, quæ
guſtato ſemel ſanguine, ſemper ſitit: multiplicari tormenta mãdat, & ſęuis dentibus
frendẽs, ſimilem carnificibus minatur pœnam, niſi adoraret puellula infirmior. Itaq;
ad carnifices ait. Hæc virguncula nimirum in pœnis perdurat. Afferte craticulam fer
ream, & ſubter illam prunas ardentes ſternite, & ſuper illam nudam adoleſcentulam
ſterni præcepit. Quæ dum vreretur, ea quæ & iandudum eadem Laurentius martyr
dixerat verba, intulit: Tyranni crudelitatem etiam eludens, ait. Aſſatum eſt, verſa &
manduca. Inde manibus poſt terga ligatis, oculis quos tortor alligare non poterat,
ad cœlum eleuatis, & euolutis per ora lachrymis, dixit. Domine Ieſu Chriſte qui nõ
meis meritis, ſed tua pro ineffabili miſericordia, me indignã, in numero ancillarum
tuarum annumerare dignatus es: Tibi genua cordis mei flecto, & obſecro, ne de cæte
ro corpus meum in manus inimicorum tuorum lacerandum tradas. Equidem mi do
mine mori cupio, infirmumq; hoc corpus exuere: vt te dominum & ſaluatorem meũ
Ieſum Chriſtum videam, quoniam te videre deſydero. Eademque hora terræ motus
magnus factus, quo plurima populi multitudo extincta eſt, & carnificum manus pro=
tinus aruerunt. Cumq; ex hoc multus populus periclitaretur, vna interim vox popu=
li eſt facta. Cæde, vre, lacera, & interfice. Quo clamore permotus Cæſar, iã quaſi laſ=
ſus poſt multos agones & tormenta, quæ omnia æquo animo pertulerat, & ſupera=
uerat: data ſentẽtia, iuſſit eam capite truncari. Ac ſic dominus noſter Ieſus Chriſtus
cum elegiſſet Reparatam ſanctam virgunculam, ex omni carne, in ſua lenitate ac fide,
ſanctam fecit illam, & eam glorificauit in conſpectu regum, & oſtendit illi vniuerſam
gloriam ſuam. Vnde & propter tantorũ tormentorum mirificam liberationẽ, poſt=
modum ſanctæ Liberatæ nomẽ accepit, ꝙ multis ſignis & miraculis claruerit. Cuius
etiam fama & nomen ad occidentalem Eccleſiam cũ multo eius fulgore perueniẽs,
a parturientibus potiſſimum, alijſque varijs neceſſitatibus agitatis, tanq̃ liberatrix
plurimum inuocatur. Ea itaq; martyrio taliter coronata, chriſtiani ſanctum eius cor=
pus rapientes, ipſum aromatibus conditũ venerabiliter ſepelierũt, octauo idus Octo=
bres. Cuius virtutis & ſanctitatis fama, & reuerentia longe lateq; diffuſa, tantum ſan
ctitatis & miraculorum gratiam eidem tribuit, vt per vniuerſam ferme Europã plu=
rimis in locis, multæ illi conſtruerentur eccleſiæ, & ſacra celebrarentur. In cuius hono
rem potiſſimum apud Florentiam, primariam Hetruriæ prouinciæ vrbem, ſuperbiſ=
ſimum atq; mirabile toto orbe terrarum templum, cum campanaria celeberrima la
pidibus quadratis & ſectis ædificatum eſt, in medio vrbis ipſius foro.

¶De ſancta Victoria virgine & martyre. CAP. LXXXVIII

VIctoriam virginem romanã, ſub hac periculoſa perſecutione triũ=
phum martyrij promeruiſſe conſtat. Verum vtrum fuerit vere ro
mana ambigitur: attamen dum fidei & conſtantię eius glorioſi=
tatem intueor, malim eam credere romanam q̃ forẽſem ſeu alie=
nigenam fuiſſe. cuius etſi certa careamus origine, certiſſimo tamẽ
eius flagrantiſſimi amoris in pudicitiam & caſtitatem conſeruã=
dam exemplo, eccleſiæ teſtimonio non caremus. Hæc itaq; virgo
pudiciſſima, cum inuita fuiſſet deſponſata cuidam pagano, & ægre nimiũ ferret ta=
le coniugium, tum propter hominis incredulitatẽ, tum etiam quia nollet ſuum vir=

ginitatis propoſitum infringere, cum nubere omnino nollet, nec diis gentilium ſacrificare. & id nec blanditiis, aut aliis iniuriis multis minime perficere vellet. quinimmo contemneret, cum diu ob catholicæ veritatis & ſuæ virginitatis defenſionem, bis excruciata fuiſſet a quodam carnifice immaniſſimo, rogatu ſui ſponſi gladio in corde percuſſa, decimo calendas Ianuarias ſuæ vitæ curſum per martyrii coronam conſumauit. Quo quidem die, eius anniuerſaria a catholicis fidelibus, etiã deuotiſſimis cęrimoniis celebrantur. Et ob eius frequentes virtutes & miracula, non ſolum eidem tẽpla & ſacella, atq; altaria multa, & ludi, ſed & oppida multis in locis frequentiſſima ſuo ſub nomine, in Italia ſunt conſtructa. Quibus quidem priuilegiis & virtutibus, Victoria hæc victorioſiſſima, inter claras mulieres venit merito computanda.

De ſancta Eugenia virgine & martyre. CAP. LXXXIX

EVgenia nobiliſſima virgo romana, religioſiſſimaq; fœmina, ſub Valeriano & Gallieno Romanis principibus, Sixto põtifice eius nominis primo in cathedra Petri præſidente, anno ſalutis noſtræ ſexageſimo ſupra duceteſimum Romæ martyrio coronata eſt. Hæc quippe Philippi præclariſſimi patritii Romani, ex Claudia vxore æque præclariſſima fuit filia. Cuius ſi magnificentiſſimum nobiliſſimumq; genus, ſi illibatam virginitatem, ſi doctrinam cõſumatiſſimam, ſi religionem, & celeberrimum ingenium, ſi deniq; corporis formoſitatem inſpexerimus: eam magnum claritatis fulgorem ſibi vendicaſſe vtiq; confitebimur. quæ cum eminentiſſimi in primis foret ingenii adoleſcentula, a parentibus ſcholis literarum tradita, mox dulcedine ſcientię tracta, vna cũ duobus eunuchis ſuis Proto ſcilicet & Hyacintho optimis viris, adeo vigilanter liberalibus ſtudiis inſudauit, & breui profecit: vt præ cæteris in omni doctrina excellens haberetur. Ipſam autem ſcientiarum omnium perfectam eruditionem, Eugenia cum ſuis eunuchis Proto ſcilicet & Hyacintho Alexandriæ, vbi eius genitor Philippus præfecturã ex ſenatus mãdato ſplendide adminiſtrabat, didicit. Atq; ita græcis & latinis literis diligentiſſime apprimeq; eruditi euaſerant, vt eiſdem parata ſermonum copia videretur, ad quancũq; partem ſua vertiſſent ingenia: & vndecunq; interrogati fuiſſent, ſine aliqua dilatione paratam haberent competentemq; reſponſionem. Erant præterea ipſi eunuchi graues prudentiſſimi in omnibus, veriq; philoſophi. Hi vero eſto adhuc infideles forent, & quotidie philoſophorum ſyllogiſmos ſcropuloſo tranſigerent ſtudio, & Ariſtotelica argumenta, Platoniſq; ideas, ac Socratis monita, atq; breuiter deniq; quicquid poetæ cantant, quicquid orator, & quicquid philoſophi cogitant, ac ſi vniuerſa librorum volumina curioſis animis diſcurrerent: etiam poſtremo ad ſanos diui Pauli apoſtoli codices diuino munere tranſierunt, & in ipſis ſanis veridiciſq; documentis, eorum curioſitatis curarunt curſum ſuum figere. Diuino poſtmodum afflati ſpiritu, animaduertentes, vtpote qui ingenii acumine nemini cedebant, ſuis erroribus in immẽſo tenebrarum nubilo eos inuolui, cum multa ex ipſis lectionibus percepiſſent ad veritatem documenta, ſæpiuſq; audiſſent decantare. Omnes dii gentium dæmonia, dominus autem cœlos fecit: Mente ſua dixerunt, reuera nihil eſſe erroribus gentilium vanius, nihilq; fallacius: chriſtiana autem fide, nil verius, nil ve ſanctius. Statuentes itaq; animabus ſuis (quibus nil in hoc mundo habebãt charius) ſalutem parare, ad ſacrum baptiſmum tandem fideliter peruenere. Eugenia vero tum, cum inter pueritiam adoleſcẽtiamq; incederet medio, & iam grandiuſcula, multa corporea formoſitate ſplendeſceret, & gemmis, purpureiſq; veſtibus auro textis quotidie ornaretur: Protus & Hyacinthus eunuchi ſui, eidẽ dixerunt. Quanto ſtudio domina noſtra ornaris in corpore, vt filium conſulis ſcilicet Aquilianum Aquiliani, hominem mortalem accipias maritum? Si tanto ſtudio in animo ornareris: regem vtiq; immortalem

dei filium adipiſci poſſes ſponſum: Qui etiam te æternam faceret, & nunq̃ tibi neq; ornamentis tuis, neq; gaudijs finem faceret. at terminum vitę corporalis permitteret euenire. Reſpondit eis Eugenia, & ait. Quæ poteſt eſſe melior charitas, q̃ habere virum, ſuſcipere filios, per quos poſteritas dulciſſima poſſit propagari, & tam generis dignitas, q̃ memoria nominis non deleri? Cui eunuchi reſpondere. Melior domina noſtra eſt virginitas, quæ quando de matris tuæ vtero exiſti, tecum nata, tecum lactata, tecum ſemper fuit: a carnis corruptione aliena, quæ eſt deo amabilis, eiuſque angelis chara. Quam profecto, cum quælibet perdiderit virgo, huius reatum per pœnitentiam euadere poteſt, ipſam vero integritatem adipiſci nequaq̃ valet. Omnis nanq; ſanctitas, dum per aliquam voluptatem, aut neceſſitatē amiſſa fuerit, vel quæq; perdita virtus, ad ſtatum ſuum, vel integritatem, ſeu ad ſuam gloriam, per pœnitentiæ lachrymas recuperari & reuocari poteſt: Sola virginitas ſi ſemel perierit, ad priſtinæ integritatis ſtabilitatem pertingere minime valet. Cumq; eunuchi prædicti: hæc, laudando virginitatem, & alia proferendo differerent plurima, quibus æternam mereretur actibus vitam: Eugenia prudentiſſima virgo dixit. Vtinam ad me etiam iſta dei ſententia perueniſſet, vt nunq̃ ſuſcipiam hominis mortalis ſponſionem. Nunc vero quia deus aperuit os veſtrum ad lucrandum etiam animam meã, quicquid vultis me facere, accelerate q̃to ocyus. Quid multa? cōtemptis huiuſmodi pōpis, fœmineo habitu, & nomine mutato, clam cũ ſuis eunuchis optimis chriſtianiſſimiſq; iam veris, e domo patris in curru aufugit, & ad monaſteriũ cui Helenus vir dei preerat perrexit. Ad hunc igitur cum Eugenia perueniſſet, ſeq; virum diceret: Abbas ait. Recte vtiq; vir diceris, quia cum ſis fœmina, viriliter agis: ſibi etenim eius cōditio, a domino prius reuelata fuit. Ab eodem igitur cum ſuis eunuchis Proto & Hyacintho, religioſo habitu ſuſcepto, ſe Eugenium appellari fecit. Parentes autem poſtmodum Eugeniæ currum vacuum cernentes, mœrentes, & q̃ maxime eius genitrix chariſſima. cum minime inueniretur, ſordido habitu ſuſcepto, flentibus oculis, & mœſta facie, & nullis compta de more velamētis, ſed quaſi ſui neſcia, permulta tempora, huc atq; illuc percunctando obuios amicos, ſubditoſq; omnes nunquid vidiſſent Eugeniam dilectam filiã ſuã, aut ſcirent per quamnam viã ijſſet, aut nũquid viueret: & ſi viueret, quorſum fugã feciſſet, & quibus ſocijs, & ſi eſſet aliqua ſpes: Heu filia mea dulciſſima dicebat pia & mœſta mater, quãtum cupio tuorũ incōmodorũ fieri ſociã & participē. Hæc & his ſimilia, quæ cōſueuere infelices matres pro filijs, diu Claudia Eugeniæ mater fecit. Demũ Eugeniæ parētes cũ interrogaſſent vates, quid de ipſa actũ eſſet. Reſpōderunt, q; a diis ſuper aſtra trãſlata fuiſſet. Illi mox ad leniendũ dolorē, quo nimium torquebantur, in ſolatiũ doloris eorũ, eius imaginē ſibi ſculpere fecere: cui ſtatim tantã exhibuere reuerētiã, vt ab accolis adoraretur. Porro Eugenia in monaſterio conſtituta, quãta de ſe præſtiterit ſanctitatis exēpla, ſcribere nũc omnia difficillimum eſſet. In ſingulis enim virtutibus ita eminebat, quaſi cæteras non haberet. Inter monachos, & ipſos etiam ſuos eunuchos iam coæquales, prima in opere etiã viliſſimo, extrema in ordine. Mortuo autē præpoſito, ipſa ſubrogatur. Et ſe eo in officio (ſecundũ Philoſophum) virũ oſtendit. Quippe quæ omnibus abſtinētijs, vigilijs & orationibus inſudabat, lachrymas deo, nō hominib9 offerebat. Scripturas diuinas libenter legebat, libētiuſq; audiebat, reſpōdebat verecũde. Et quanq̃ doctiſſima philoſopha haberetur, nihilo minus diſputãtes cõtra ſe, magis ſe vinci q̃ vincere ingenuo pudore & ſimpliciter cõfitebatur quæ cuiuſq; victoria: atq; in hunc modũ eruditionis gloriã declinãdo, eruditiſſima habebatur. Erat tunc Alexãdriæ quædã matrona nobilis & admodũ diues, Melãtia nomine: quã ſancta Eugenia oleo perungens in noīe Chriſti, a quartana liberauerat. Cuius ob beneficiũ, multa ei trãſmiſit munera, ſed Eugenia omnino quidpiã recipere recuſauit. Prædicta autem matrona pro certo exiſtimãs Eugenium vero fore virũ, eũ ſæpius inuiſere curauit. Delectataq; eius pulchritudine & aſpectus elegãtia, moxq; illius amore iã confecta, putare cœpit quomo-

do ei poſſet perſuadere, vt in eius veniret concubitum. Cumq́ꝫ vehementer a paſſione obſideretur, quoddam experimentũ de eo facere ſtatuit, vt.ſ. ægritudinem ſimularet: ex hoc occaſionem captans Eugenium ad ſe viſendi gratia accerſendi. Qui dũ acceſſiſſet: Eidem ſuum deſyderium prodidit, atq́ꝫ de permixtione verba fecit: vehementiore autem flãma incitata, ſuum deſyderium ardoremq́ꝫ oſtẽdit. verum cum verbis ei perſuadere minime poſſet, deſperata etiam manus in eum miſit, volens ipſam Eugeniam in ſuos amplexus compellere, Cum fugiſſet irata Eugenia: Matrona in formidine conſtituta, ne cuiq̃ hoc diceret, iniuriamq́ꝫ volẽs præuenire quatenus aduerſus Eugenium mentiretur: excogitauit hoc modo vlſcici inniuriam, q̃ fuerat ita verecunde cõtempta: procedere vero in accuſationem ſapientiſſimum fore, ſimul & muliebre. Acceſſit igitur ad Philippum præfectum, conqueſtaque dixit. Iuuẽnis quidam, magnifice prætor, perfidus chriſtianus, ad me medẽdi cauſa ingreſſus, in me impudenter irruens, violare curauit: & niſi vnius ancillulæ meæ ſuffragio fuiſſem adiuta, vtiq́ꝫ me vitiaſſet. Audiens autem hoc præfectus, ira percitus, illico miſſo apparitore. Eugenium cum reliquis omnibus CHRISTI ſeruis ferro vinctum adduci præcepit: Diemque ſtatuit, quo omnes morſibus beſtiarum tradi deberent. Accerſitis itaq́ꝫ coram ſe prædictis, ad Eugenium dixit. Dic nobis hominum ſceleſtiſſime, hoc ne CHRISTVS veſter docuit: vt corruptionibus operam daretis, matronaſq́ꝫ impudenti veſania violaretis? Cui Eugenia demiſſa in terram facie, oculiſq́ꝫ ne agnoſceretur, voce ſubmiſſa humiliq́ꝫ reſpondit. Dominus noſter IESVS CHRISTVS caſtitatem docuit, integramq́ꝫ ſeruantibus, vitam æternam promiſit. Hanc autem Melantiam impudicam, falſiſſimam accuſatricem, monſtrare poſſumus, vt conuicta pœnam talionis ſuſtineat. Et ne digniſſime præſes impudica fœmina in ſeruos CHRISTI crimen imponat, nec tanq̃ falſa glorietur, Vtq́ꝫ veritas mendacium ſuperet, ſapientiaq́ꝫ malitiam vincat, veritatem tuæ magnitudini, nunc miſericorditer oſtendam: nõ vtique ad iactantiam, ſed pro gloria dei mei. Hæcq́ꝫ dicens, tunicam ſuam vſq́ꝫ ad cingulum aperuit, & ſe fœminam protinus oſtẽdit. Atq́ꝫ eidem præfecto ait. Tu mihi pater, Claudia mater, fratreſque hi duo qui tecum ſedent, Auitus & Sergius: ego Eugenia filia tua, hi quoq́ꝫ duo Protus & Hyacinthus. cui cum omnem operum ſuorum retuliſſet ſeriem, atq́ꝫ illius conſilium ſuum aperuiſſet omne, vix eam cognoſcere potuerunt. verum parẽtes ſummo perfuſi gaudio, diu deſyderatam ſuſceperunt Eugeniam, & veſtibus aureis indutam, in ſublime extulerunt. Ignis autem de cœlo confeſtim cadens (cunctis videntibus) Melantiam falſam accuſatricem cũ ſuis omnibus abſumpſit. Atq́ꝫ ita Eugenia ſancta, haud multo poſt: parentes ac fratres omnes, cũ vniuerſa familia ad CHRISTI fidem feliciſſime conuertit. Philippus autem præfectura relicta, paulo poſt Epiſcopatus honorẽ (cum eſſet egregius vir) promeruit. quem cũ diu cum ingenti gloria ac ſanctitate tenuiſſet, tandem a Peremnio vrbis præfecto in oratione conſtitutus, gladio necatus, martyr CHRISTI efficitur. Claudia autem cũ filiis & Eugenia cæteriſq́ꝫ omnibus cõſcenſa naui, poſtmodũ Romã rediere, vbi multos ad CHRISTI fidẽ aggregauere. Ea propter imperator Eugeniam cum ſaxo alligatam, in Tyberim præcipitari iuſſit, ſed fune ſoluto mox Eugenia ſuper vndas incolumis inceſſit. Cũq́ꝫ principi nuntiatum fuiſſet eam incolumem euaſiſſe, protinus in fornacem ardentem ipſam immitti mandauit, ſed diuina virtute frigefacta, etiã illæſa (ſicut tres pueri) euaſit. Deinde in tetro tenebroſoq́ꝫ carcere incluſa, ibidemq́ꝫ in vincula cõiecta, multo tempore ſqualore & pedore carceris atq́ꝫ fame eã excruciari præcepit, verũ illa in carcere ſic conſtituta, nõ deſiſtebat tanq̃ ſapientiſſima animos quoruncũq́ꝫ credentiũ ad martyrij tolerantiã roborare. Cũq́ꝫ per decẽ dies ſine vllo humano cibo perſeueraſſet ac præſeruata fuiſſet, demũ dominꝰ noſter Ieſus Chriſtꝰ eidẽ cãdidiſſimũ panẽ attulit, dicẽs. Accipe dilecta mi cibũ de manu mea. Ego quippe ſaluator tuus ſum, quẽ puro corde

amaſti,ſcito, quia eo quo ad terras deſcendi die, eo ſcias te a me fore excepturam. Itaq; Eugenia hæc ſanctiſſima virgo, poſt plurima virtutũ inſignia, poſt ſacros virginum choros,pro Chriſto Ieſu diu agonizata, nouiſſime octauo calendas Ianuarias,iuſſu prædictorum principum gladio iugulata,martyrij coronam promeruit. Ac ſic huiuſmodi,huius ſanctæ virginis,vitę curſus fuit. Qua quidem in vita,quaſi quodam in ſpeculo,variam atq; multiplicem bene viuendi formam atq; doctrinam illius fœminæ licet admirari. Eius autem eunuchi Protus & Hyacinthus, & ipſi cum nullo modo ſacrificare voluiſſent,poſt duriſſima flagellorum tormẽta,nec acquieſcere vellẽt: tertio idus Septembres decollari iuſſi ſunt. Quorum corpora elata in cimiterium Baſillę,via Salaria condita ſunt.

¶De ſancta Ruffina & Secunda martyribus. CAP.XC.

RVffina & Secunda ſorores virgines, imperantibus prædictis Valeriano & Gallieno principibus,anno ſalutis noſtræ nono & ſexageſimo ſupra duceteſimum, Felice pontifice romano in cathedra Petri præſidente,martyrij coronam adeptæ ſunt. Hę quippe ſorores, Aſterij nobiliſſimi inter Romanos viri,ex Aurelia vxore ſuſceptæ,filiæ fuere: quarum virtus & caſtimonia, ac non vulgaria facinora,talia fuere , vt hoc in loco, a nobis mereantur in præcipuam efferri gloriam. Nam cum ex priſco illo feliciſſimo Romanorum more, quo non modo filij, ſed & filiæ omnes, in ipſis etiam quaſi matrum viſceribus, bonarum literarum eruditionem imbibere conſueuerant, euaſiſſent in omni doctrina eruditiſſimæ:etiam dei viui munere,ad veram chriſtianorum philoſophiam, in ipſa earum adoleſcentia, cognitionem peruenire meruere, quæ inter cætera, iuſticiam,& pudicitiam ſummopere perſuadet. Qua cognita,e veſtigio idolis omnibus ſpretis, vnius ac veri dei cognitionem ſimul & religionem ſumere ſtatuere. Sacro igitur baptiſmatis fonte renatæ, cum eſſent eruditiſſimæ, etiam mentem ſuam ad perfectiorem viam indagandam erexere: ea propter etiam ad ſacros euangeliorum codices ediſcendos ſe tranſtulere. vbi inter cætera eorum documenta cum deprehendiſſent, æternas imminere pœnas, his qui pudicitiam in vita ſua iuſtitiam contempſiſſent, Illico non ſolum pudicitiam ipſam, ſed & virginitatem illibatam, perpetuo in ſe ſeruare ſtatuerunt: q; vbi ſponſis(qui nuper a chriſtiana religione receſſerant)renuntiatum fuiſſet: confeſtim eas nouo criminis genere, pro virginitate apud Donatum vrbis præfectum accuſarunt chriſtianas eas eſſe. A præfecto autem cõprehenſæ,continuo in vinculis & in carceribus macerandæ contraditæ ſunt. Deinde eius tribunalibus præſentatæ:præfectus ex more eas interrogauit, & dixit Ruffinę. Cum nobilibus ſis orta natalibus, quid eſt quod ad tantam ignobilitatem deueneris, vt malis eſſe captiua,& in vinculis irretita,q̃ libera cum marito gaudere? At illa:captiuitas inquit iſta temporalis, æternam captiuitatem excludit: ac vincula temporalia, perpetua vinculorum ligamina diſſoluunt. Ad quam præfectus. Iſtas vanas fabulas ridiculaque verba retice, & tantummodo dijs mortalibus ſacrifica, vt poſſis cum tuo ſponſo congaudere,atque eodem perfrui,& vſq; in ſenectutem cum gaudio delitias attingere? Ruffina reſpondit. Duo mihi abs te perſuaderi inutilia animaduerto, & vnum dubium quod promittis. Nam mandas me idolis ſacrificare debere,vt in perpetuum cum ipſis excrucier. & poſt hæc, maritum accipere,vt gloriam illibatæ meæ virginitatis amittam. Duo iſta tam aſpera,tamque contraria promittis: q; vſque in ſenectutem cum gaudio delitias attingam, Cum de te ipſo incertus ſis, q; ad diem craſtinum futurum attingas. Et præfectus. Iſta ceſſent verba,quo=

niam parata ſunt verbera. Vnde mihi videtur, vt conſilio meliore corrigas cor tuũ, & ab iſtis vanitatibus fugias, vt tempus quod tibi ſupereſſe poteſt non amittas. Ruffina reſpondit. Aliquantulum mi digniſſime præſes, tuum correxiſti ſermonem, cum dicas tempus quod tibi ſupereſt: oſtendit etenim hominis vitam non eſſe certam, quia in incerto vtique poſita eſt. Sed ego illam complector vitam, quæ in æternitate conſiſtit, nihilq; ſuis amatoribus incertum compromittit. Tunc Archeſilaus comes adijciens, cum furore ait. Iſtam ſacrilegij ream eſſe dicimus, nec in matrimonij ſortem eſt admittenda. Ruffina reſpondit. Vtique magnifice comes recte dixiſti, me in matrimonij ſortẽ haud admitti debere: quaſi ipſa hominis mortalis coniugium expoſtulem, cum conſtanter meam CHRISTO dei filio virginitatem deuouerim. Vnde Archeſilae comes audi. Quære cui tuæ minæ timorem incutiant: me autem nunq̃ a virginitatis merito, nec a cultura dei mei poteris reuocare. Tunc Secundam eius germanam in conſpectu ſuo adduci præcepit, vt Ruffina in conſpectu ipſius acrius flagris cæderetur: vt vel ſic terrore perculſa, facilius concederet. Sed vt vidit ſororem immaniſſime cædi: Quid agis inquit conſtantiſſimo pectore ſceleratiſſime iudex? an ignoras q; ſororem glorificas, & me vtique honoras? Applica ignes, gladios, flagella, ſaxa, fuſtes, atque virgas & huiuſmodi, nam quot tu pœnas intuleris, tot ego glorias atque triumphos noſtri martyrii connumerabo. Omnis quippe noſtra gloria, ſunt pœnæ, quas pro CHRISTI nomine atque amore ſuſcipimus. Tunc in ſqualido tetroque loco incluſæ: fumus ſtercorum, iuſſu iudicis iniectus eſt, vt ſic pedore & fœtore excruciarentur, ſed diuina virtute fumus ille, eis quaſi thymiama fragrantiſſimum viſus eſt: obſcuritaſque quaſi media dies lucidiſſima videbatur. Denique nudæ in Tyberim ſaxo ad collum alligato proiectæ, dum per mediam fere horam demerſæ fuiſſent, mox ſiccis veſtibus indutæ, cunctis apparuere, gloriam domino decantantes. Quod vbi iudici nuntiatum eſt. Archeſilaus comes eas in inſulam miliario ab vrbe decimo duci iuſſit: ibique, etſi ſexu infirmæ, virtute tamen fortiſſimæ, cum manus ex fœtore carceris ſordidas poſt tergum vincula cohibuiſſent, oculis, quos tortores alligare non poterant, verſus cœlum eleuatis, cum lachrymis in hunc modum ad dominum orarũt. O omnipotens benedicti & dilectiſſimi filii tui domini noſtri IESV CHRISTI pater, per quem cognitionem tui ſuſcepimus, Deus angelorum atq; virtutum omnium, necnon & vniuerſarum creaturarum quæ coram te & in cœlo & in mari atque in infimis abyſſis viuunt. Benedicimus te, qui nos ancillas tuas perducere in hanc vſque diem ſine vlla pollutionis macula dignatus es: vt participes fieremus martyrum & calicis CHRISTI tui, in reſurrectionem vitæ æternæ, per incorruptionem ſpiritus ſancti: in quibus ſuſcipiamur in conſpectu tuo hodie, tanq̃ ſacrificium acceptabile, ſicut præparaſti & præſignaſti, ita & feciſti. verus es tu & ſine mendacio deus: propterea & in omnibus te laudamus, benedicimus & glorificamus te per æternum pontificem tuum IESVM CHRISTVM filium tuum: per quem & cum quo, tibi in ſpiritu ſancto gloria eſt nunc per infinita ſecula. Et cum amen inſonuiſſet, oratione completa, ſanctiſſimæ virgines in terram poplitibus flexis: carnifex, vnius ad primum ſtatim ictum amputauit gladio caput, alterius autem, etſi totis viribus dexteram concitaſſet in vulnus lictor, quarto tamen percuſſa, nec læſa: paulum poſt migrauit cum palma martyrii ad cœlum. Plantina autem pudiciſſima matrona Romana, quæ hoc pietatis officium ſuſceperat, cruenta linteaminibus cadauera obuoluit, & aromatibus delibuta, fabricato ad id ſepulchro, ſexto idus Iulias impoſuit. Quo quidem die, eius ſacra anniuerſaria a fidelibus cum gaudio celebrantur.

De ſancta Sophia virgine & martyre. CAP. XCI.

SOphia Mediolanenſis matrona pudiciſſima atque ſanctiſſima, Hadriano principe Romanis imperante,& Thelophoro pontifice, in cathedra Petri pręſidente,poſt multos agones pro Chriſto conſtanti animo perpeſſos, Romę pridie calendas Octobres, ad cœlos cum palma martyrii aſcendit. Hæc quippe optima mulierum,etſi ſanguinis ac parentum chriſtianorum fulgore,locum inter claras mulieres ſibi quęſiuiſſe forſitan videatur, longe tamen magis ob fidei feruorem, & pietatis profuſiſſimæ exhibitionem, atq; præcellentem ſanctimoniam,occupaſſe cenſendum eſt. Nam mortuo marito, nobiliſſimo Mediolanenſe ciue ditiſſimo,tanq̃ chriſtianiſſima fœmina,vt viduitatis coronam, illæſo pudicitiæ nomine conſeruaret,cum ſciret ſe a CHRISTO grandi pretio fore redemptam,ſcilicet ſanguine ſuo.in primis ipſi CHRISTO ſuas innumerabiles dotales diuitias dimittere ſtatuit, qui mori non poteſt,vt ipſum hęredem haberet, quem & dominum. Et ne meminiſſe videretur priſtinæ voluptatis, confeſtim omnes ardentes diaboli ſagittas, ieiuniorum & vigiliarum frigore reſtrinxit. Deinde amorem monilium aliorumq; ornamentorum, ad ſcientiam diuinarum ſcripturarũ tranſferre curauit,atq; in eiſdem,tanq̃ in terram promiſſionis lacte & melle manantem,introiiſſe videre viſa eſt. Et vt ſibi faceret amicos de mammona iniquitatis,qui eam tandem in æterna tabernacula reciperent,Super egenum & pauperem ſummopere intendere cœpit. Vnde & vniuerſas ſuas diuitias,in vtroq; fidei teſtamento obtulit. Dum enim recordaretur viduæ Sareptanæ, quæ & ſuæ & filij ſui ſalute Heliæ prętuliſſet famem, & in ipſa nocte moritura cum filio, ſuperſtitem relinquebat prophetam hoſpitem:maluit nihilo minus vitam perdere,q̃ eleemoſynam, & q̃ in pugillo farinulæ ſeminarium ſibi mellis dulce præparare: Et ipſa eam ob rem, ſua omnipotenti dare conſtituit,& maxime domeſticis fidei. Nudum quippe veſtiendo,eſurientemq; cibando, ac ægrotantem viſitando, ſemper CHRISTVM cogitabat. Inde cum noui & veteris teſtamenti ſuppellectilis ſuo in corde iugiter ferueret: Ieiunia pro ludo habebat, & orationem vna cum ſuis filiabus virginibus, pro ſummis delitijs reputabat. Huic autem erant filiæ ex marito ſuſceptæ, ſpecioſiſſimæ quidem virgines,videlicet Elpis,Piſtis & Agape,patris hæredes. Quibus conuocatis ad eas tandem dixit. Chariſſima pignora, quæſo vos vt ab iſtius ſeculi dulcedine declinetis, totamque animi intentionem & corporis, æternæ lætitiæ tradatis: nec vos delectent falſa perituraque mundi blandimenta, nec diuitiarum abundantes cenſus,æternæ promiſſioni præponatis: Sed delectet vos mundi contemptus,& opes paternæ quæ vobis relictæ ſunt, ſponte a vobis ſacrificiũ CHRISTO offerantur. Vnde eas tyrannica fortitudo nequeat exculpere. At ſanctæ virgines dum animaduerterent, ſanctiſſimæ genitricis in CHRISTVM ardorem, pallorem ex ieiunijs, eleemoſynas in pauperes, obſequium in CHRISTI fideles, humilitatem veſtium & cordis, atque in cunctis moderatum ſermonem: reſponderunt ſe id libenti animo perfecturas. Poſt hæc,intra pauci temporis ſpatium, cum Sophia omnem cenſum in pauperes erogaſſet, omnemque familiam vtriuſque ſexus numero circiter decem milium, manumiſiſſet. Rurſus ad filias Dauidicum documentum intulit, dicens. Audi filia & vide,& inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui: & concupiſcet rex decorem tuum,quoniam ipſe eſt dominus tuus. Grande præmium, inquit, filiæ meæ, populi obliti vt concupiſcat rex decorem veſtrũ. Idcirco eas exemplo Abrahæ hortare cœpit ad exeundum de patria ſua,& eundum vbi martyrũ florerent victoriæ. Proficiſcentibus illis itaq; Romã, angelicum quotidie habebant comitatum: ita vt nil aduerſi illis in iti-

nere contingere poſſet. Apparuere autem eis decem ægroti in agro per monumenta degentes: quorum quinq; cæci, quinqueq; leproſi eleemoſynã a prætereuntibus expoſtulabant. Quos vt vidit Sophia, pro eis orationem ad dominum fudit: & vt oſtenderetur iam deo accepta eſſe eius conuerſatio, ſtatim ſanitatis beneficium aſſecuti ſunt. pro qua re & ipſi illarum comitatui protinus iuncti ſunt. Cũq; iam vrbis mœnia aſpicerẽt, flexis genibus Sophia ſancta cum tribus pignoribus, orauit ad dominũ vt earum iter dirigeretur. Aſtitit illico angelus eis, crucem in manu geſtans: qui dixit. Sequimini, Dominus Ieſus Chriſtus direxit pedes veſtros in viam proſperitatis & pacis. Præbenſq; eis ducatum inter innumerabiles turbas, ad beati Petri Baſilicã feliciter perduxit. Quibus & dixit. Eritis hac in ciuitate cæcis lumen, incredulis firma credulitas, & hæſitantibus inuictum firmamẽtum. Igitur Sophia in domo Theſſaminiæ pudiciſſimæ matronæ romanæ perſiſtens, die noctuq; in dei laudibus inſiſtebat, adeo vt ea in domo circiter quatuor milia hominum vtriuſq; ſexus Chriſto domino per fidem intra paucos dies lucrata fuerit. Quod vbi ab imperatore ſcitũ eſt, Capta Sophia cum filiabus, reliqui protinus incendio abſumi iuſſi. Lætabatur autem mater, de tam beato germine filiarum: quarũ decor incomparabilis videbatur. Quæ cum palatium Cæſaris intromiſſæ fuiſſent: Cæſar cernens earum eximiã pulchritudinem nimium contriſtatus eſt propter eminentem gloriam vultus earum. Interrogauit autem Sophiam in primis quod eſſet nomẽ eius, & qua ex patria illuc veniſſent. Qui cum ex ordine prudentiſſime & grauiter reſpondiſſet, adieciſſetq; ſe eſſe chriſtianam & generoſis parentibus chriſtianis progenitã: iuſſit eam apud Palladium illuſtrem virum ſub cuſtodia teneri, vt poſtmodum diligentior fieret percunctatio. Hortabatur autem pudiciſſima mater filias his verbis, vt fidem ſeruarent. Scitis dulciſſimę mihi filiæ, quomodo vos in diſciplina domini noſtri Ieſu Chriſti educauerim: ſcitiſq; ꝙ a paruulis deus vobis pater, deus nutritor, deusq; inſtitutor extiterit. Et quod pudicitiæ & virginitatis ac caſtitatis bonum, mecum pariter dilexiſtis: vt ne oculus quidem veſter (vt vobis conſcia ſum) laſciuiore maculatus fuerit aſpectus. Quid igitur nunc agendum ſit, animaduertite. Vereor etenim ne iſta noſtra captiuitas, a deo nos ſtudeat aut a pudicitia ſeparare. Proſtituentur forſitan publicis lupanaribus membra noſtra, quæ aer pene ipſe habuit incognita. Ne quæſo filiæ meæ: quia nec tam parua nobis de deo fides eſt, vt mortem pertimeſcamus, nec tam deſpecta pudicitia, vt viuere etiam cum turpitudine cupiamus. Monebat præterea, vt armarent ſe lorica fidei, præpararent pedes in euangelio pacis, confiterenturque conſtanti animo, patrem omnipotẽtem, eiuſve filium dominum IESVM CHRISTVM, & ſpiritum ſanctum. Quibus verbis ita earum fides creuit, vt alacres inuicem ſe ad moriendum pro CHRISTO hortarentur. Septem vero diebus exactis, Hadrianus Auguſtus pro tribunali ſedens, ſanctas virgines ad ſe adduci mandauit: eaſque his dulcibus allocutus eſt verbis. Video o ſacræ virgines decorem veſtrum, mores veſtros per omnia generoſos, animaduerto quoque vos nobiliſſimis progenitas eſſe natalibus, quibus ex rebus oculis imperii noſtri admodum gratæ fuiſtis. Idcirco tanq̃ pater ſuper vos pietatis & clementiæ, ac manſuetudinis viſcera impendentes, monemus atque hortamur vos, vt noſtro imperio ac nobis tanquã patri acquieſcatis, vt ſolum deos immortales adoretis: quod ſi feceritis, vos celſitudinis noſtræ filias chariſſimas appellabimus, ac matrimonia conſulum aſſequemini celeberrima. Quod ſi ſecus a vobis effectum fuerit: multis variiſque tormentis excruciabimini, & decor veſtræ pulchritudinis deperibit. Videte nunc quid facto opus ſit: malle gloriam aut tormenta: vitam aut mortem. Cui ancillæ dei: Erras domine imperator, in his tuis perſuaſionibus vanis. Nam ſi noſces quantũ nobis gloriæ culmẽ, a fabricatore cœli & terræ CHRISTO domino noſtro præparatur, nõ vtiq; iſta falſa de ore tuo ꝓferres. Chriſti igitur ancillas nos eſſe fatemur, qui cunctorũ eſt creator, cœli. ſ. & terræ, mariſq;, & omniũ quę in eis ſunt, qui etiã tibi licet

indigno hanc regiam conceſſit poteſtatem. Erras itaq; imperator erras profecto, vt non agnoſcas, a quo tantum tibi imperium conceſſum ſit. Nos autem qui iam deo propitio cognouimus veritatem: ipſa quidem nos admonet, ne reſpicere ſaltem ad vanitatẽ, ſed nec ad inſanias falſas. Eas ob res ira percitus Auguſtus, ipſas tres virgines diuerſis pœnarum generibus interfici iuſſit. At ſuperſtes Sophia, quę honores reſpuerat, diuitias omnes deſpexerat: etiam ipſam ſuam vitam martyrii amore contemnere viſa eſt. Sæpius enim diligenter reuoluens, & breuitatem huius æternitatis contemplatione deſpiciebat. atq; ipſum quoq; mundi contemptum, maiori cũ virtute deſpiciebat & contẽnebat: & ſe tantum ad illum diem præparabat, in quo mundi contemptum, maiori cũ virtute deſpiciebat & contemnebat: & ſe tantum ad illum diem præparabat, in quo mundi gloria finienda eſt. Illum inquã diem quem beatus Petrus deſcribens, ait. Aduenit autem dies domini ſicut fur, in qua cœli magno impetu tranſibunt, elementa vero a calore reſoluentur. Itaq; ſancta Sophia fœminarum ſapientiſſima, defunctis hoc modo per martyrium filiabus ſuis virginibus, haud multo poſt cum multitudine virginũ viduarũq; (quas Chriſto acquiſierat) orans, vt cum ſanctis filiabus ſuis virginibus conſortium mereretur. Facta eſt ad eam vox de cœlo, dicens. Veni benedictarum mater, percipe cum ipſis filiabus tuis regnum tibi paratũ a domino. Quibus expletis, in fide & miſericordia dei ſummi ſperans, ad eum ſuus euolauit ſpiritus & anima, pridie calendis Octobres: quo quidem die, eius annua dies cũ iubilo multiſq; ceremoniis celebratur. Cuius cũ virtutes & miracula vbiq; in dies diuulgarentur: exigentibus ſic virtutibus ſuis, illi vndiq; conſtructa ſunt templa multa atq; ſacella & altaria. Et, vt de reliquis taceam, poſt occiduas eccleſias: quæ eã celebri veneratione diu excolunt, in orientem tranſlata, a diuo culta fuit illo ſapientiſſimoq; Iuſtiniano Auguſto eius nominis primo in Byzantio, diuinis ceremoniis, multisque quoad vixi feſtiuitatibus. Cuius ſanctimonia atq; ſapientia, cum memorabili deuotione principis cor inenarrabili gaudio affeciſſet, & ad magni dei gloriam ipſiusque ſanctiſſimæ matronæ mentem inflammaſſet: ad declarandam ſuam erga ſe ſingularem pietatem, vt preces præterea pro ſe ſuas ad cœlum efflagitaret: in honorem ipſius templum ingens & præ cæteris orbis mirabile ingenti impenſa ea in vrbe Conſtantinopolitana, in medio vrbis loco conſtruxit: quod ſanctæ Sophiæ templum appellauit. In quo quidem templo chriſtianiſſimus idem Auguſtus innumerabiles pene ſanctorũ feliciſſimas reliquias, per varias orbis plagas diſperſas, perq; barbaras & infeſtas noſtræ fidei nationes iactatas, cum magno labore collectas, repoſuit, & domicilium ibidem reperiri fecit.

¶De Zenobia regina Palmirenorum. CAP. XCII.

ZEnobia Palmirenorum Aſſyriæ vrbis inclyta regina, omniũ virtutum inſignis fœmina: anno ſalutis noſtræ ſexto & ſeptuageſimo ſupra ducenteſimũ Eutitiano pontifice Romano in ſede Petri præſidẽte, ab Aureliano principe ſuperata & capta, Romã cathenis aureis vincta, in triũphũ ducta eſt. Hęc quippe tã eximię virtutis fuit mulier, vt cæteris gẽtilibus fœminis inclyta fama ſit præponenda. nec ante alia fuit inſignior. nam Ptolemæis Ægyptiorum regibus claram volũt originem habuiſſe, parentibus tamẽ memorię nõ conceſſis. Dicunt autẽ hanc a pueritia ſua, ſpretis animo muliebribus officiis: cũ iã corpuſculũ duxiſſet in robur: ſyluas & nemora plurimũ incoluiſſe, & accinctam pharetra, ceruis capreiſq; curſu, atq; ſagittis fuiſſe infeſtã. Inde cũ in acriores deueniſſet vires: vrſos amplecti auſam, pardos, leoneſque inſequi: obuios vero expectare, capere & occidere, ac in prædam trahere, & impauidam, nunc hos, nunc illos per ſaltus, & prærupta montium diſcurrere, luſtra perſcrutari ferarũ, & ſub aperto cœlo ſomnos, etiam per noctẽ capere, imbres, æſtus

& frigora, mira tolerantia ſuperare. Amores hominum & contubernia ſpernere, aſſuetam virginitatē ſummopere colere. Quibus, fugata muliebri mollicie, adeo eam in virile robur duratam aiunt, coætaneos iuuenes luctis, palæſtriciſque ludis, omnibus viribus ſuperaret. Tandem inſtante ætate nubili, amicorum conſilio, iuueni æquis ſtudijs exercitato, & longe Palmirenorum nobiliori principi nuptam volunt. Erat ſpecioſa corpore, eſto paululū colore fuſca: ſic enim vrente ſole regionis illius omnes ſunt incolæ. Præterea nigris oculis niueiſq; dentibus decora. Quæ cū cerneret Odenatū a Sapore Perſarū rege captū, Valeriano Auguſto turpi ſeruitio damnato, & Gallieno filio effœminato torpeſcente, neq; ad orientale occupandū imperiū intēto, nō immemor duritiei priſtinæ, armis formoſitatem tegere, & ſub viro militare ſtatuit. & cum eo ſumpto regio nomine & ornatu, atq; cum Herode priuigno, collectis copijs, in Saporem late iam Meſopotamiam incolentem & occupantem, animoſe progreſſa eſt, & nullis parcens laboribus, nunc ducis, nunc militis officia peragens, non ſolū accerrimum virum, & bellorū multorum expertum, virtute armorum ſuperauit, ſed creditum eius opere, Meſopotamiā in iuriſdictionē veniſſe: & Saporē caſtris eius cum cōcubinis & ingenti præda captis, vſq; ad Ctheſiphontem pulſum atq; inſecutum. Næc multo poſt Quietum Macrini filium, qui patrio ſub nomine orientis imperium intrauerat, vt opprimere curauit vigilanti ſtudio. Et cum iā omnem orientem ad Romanos ſpectantē, vna cum viro pacatū obtineret. Ecce a Meonio ſuo cōſobrino, Odenatus vna cum Herode filio occiſus eſt. & (vt quidam aſſerunt) ob inuidiā. Exiſtimantibus alijs: Zenobiam in mortem præſtitiſſe cōſenſum, eo q ſæpius, eius dānaſſet mollicięm, & vt filijs Hierēnyano & Thymolao, quos ex Odenato ſuſceperat, regnum cederet. Et imperante Meonio aliquādiu quieuit. Verum Meonio a militibus ſuis breui trucidato, quaſi poſſeſſione vacua derelicta, generoſi animi mulier, in prædæ modum, deſyderatum intrauit imperium continuo, & filijs eius adhuc paruulis, Imperiali ſagulo perfuſa, & regijs ornata comparuit, filiorumq; nomine longe magis q̃ ſexui conueniret gubernauit imperium nec ſegniter. Nam in eam, nec Gallienus, nec poſt illū Claudius imperator aliquid attentare auſi ſunt. Similiter, nec orientales Ægyptij, neq; Arabes, aut Saraceni, vel etiā Armenij populi quinimmo eius timentes potentiam: ſuos poſſe ſeruare terminos, fuere contenti. Fuit enim illi tanta bellorum induſtria, & adeo acris militiæ diſciplina, vt æque illam magni penderent ſui exercitus & timerent. Apud quos nunq̃ concionata eſt, niſi galeata, & in expeditionibus, vehiculo carpētario perq̃rariſſime vtebatur. Equo ſæpius incedebat, Et nonnunq̃ tribus vel quatuor milibus paſſuum cum militibus pedes ſegna procedebat. Nec faſtidiuit cum ducibus ſuis quandoque bibere, cum alias eſſet admodum ſobria. Sic cum Perſis & Armeniis principibus, vt illos vrbanitate & facetia ſuperaret. Fuit tamen adeo pudicitiæ ſeuera ſeruatrix, vt nedum ab alijs abſtineret omnino, ſed etiam Odenato viro ſuo dum viueret, ſe nunq̃ exhibere, præter ad filios procreandos voluiſſe legimus: ac in hoc ſemper habita diligentia, vt poſt concubitum vnum, tādiu abſtineret ab altero, donec aduerteret, vtrum ex illo concepiſſet, quod ſi cōtigerat, nunq̃ præter q̃ poſt partus purgationes, a viro tangi patiebatur vlterius. Si autem non concepiſſe perceperat, ſe vltro poſcenti conſentiebat. O laudabile mulieris iudicium. Satis quidem apparet arbitratam, nil ob aliud, a natura mortalibus immiſſam libidinem, quam vt prolis innouatione continua conſeruetur poſteritas, & reliquum tanq̃ ſuperuacaneum vitioſum perq̃rariſſimas quidem huiuſmodi moris comperies mulieres. Hæc tamen ne a mente differrent miniſteria, ad opportuna domeſtica, præter eunuchos, ætate atq; moribus graues, neminem vnq̃, vel perraro admitti voluit. Vixit præterea, ritu regio, & magnifico ſumptu, vſa ea qua reges vtuntur pompa. Perſicoq; more voluit adorari, & ad inſtar Romanorum imperatorum conuiuia celebrare. In eis, vaſis vſa aureis gemmatiſq;: quibus olim vſam Cleopatram acceperat. Et quāq̃ ſeruatrix theſaurorum

perq̄maxima eſſet,nemo vbi opportunum viſum fuit,ea magnificentior aut profu-
ſior viſus eſt. Etſi plurimum venationibus armiſq; vacaſſet, Non obſtitere hęc,quin
literas Ægyptias noſceret: & ſub Longino philoſopho præceptore, græcas etiam di
ſceret: quarũ ſuffragio,hiſtorias omnes latinas, græcas & barbaras, ſummo cum ſtu-
dio vidit: & memoriæ cõmendauit. Nec hoc tãtum: quinimmo creditũ eſt,illas etiã
ſub epitomatis breuitate traxiſſe, Et prçter ſuum idioma,nouit Ægyptium.eoq; cũ
Siriacum ſciret vſa eſt: Iuſſitq; filios latine loqui. Quid multa? Tanti profecto fuit
hæc,vt Gallieno & Aicreolo,atq; Claudio Auguſto ſublatis, & Aureliano integre
virtutis homine,in principatu ſuffecto,Romam,ad ignominiã nominis expiãdam,
& ad ingentẽ gloriam conſequendam,in ſe traxerit. Nam Marcomanico bello pera
cto,& Romæ rebus cõpoſitis,Aurelianus cũ omni cura contra Zenobiã expediti-
onem aſſumpſit. Et multis egregie aduerſus barbaras nationes, eundo confectis bel
lis cum legionibus,tãdem haud longe Emeſſam ciuitatẽ deuenit. Quam penes,Ze-
nobia in nullo perterrita,vna cum Zaba quodam,quẽ belli ſuſceperat ſocium, cum
exercitu ſuo conceſſerat. Ibi inter Aurelianum & Zenobiam iſtam , de ſumma re-
rum acriter,& diu pugnatum eſt. & ad vltimum cum Romana virtus videretur ſupe
rior, Nenobia cum ſuis in fugam verſa,Palmiram ſeſe recepit. In qua e veſtgio, a vi
ctore obſeſſa eſt. Quã cũ aliquãdiu,nullas voces cõditionis deditionis audire volẽs,
mira ſolertia defendiſſet,in magnam penuriã rerum opportunarũ deducta eſt. Hinc
nequeũtibus Palmerinis Aurelianorum obſiſterere viribus,interceptis etiam ab eo-
dem Perſis, Armeniſq; & Saracenis auxilio Zenobię venientibus,armorũ vi ciuitas
a Romanis capta eſt. Ex qua cũ Zenobia vecta dromedaris cum filijs in Perſas aufu-
geret,ab Aurelianis militibus ſequẽtibꝰ capta cum filijs,Aureliano viua præſentata
eſt. Exquo non aliter,quam ſi perq̄maximum ſuperaſſet ducem, & acerrimũ reipu.
hoſtem Aurelianus gloriatus eſt, Eamq; triũpho reſeruauit,& vna cum filijs Romã
deduxit. Inde ab Aureliano celebratus triumphus,ſpectaculo Zenobię admirandus.
In quo inter alia egregia & memoratu digniſſima, currum duxit,quem ſibi ex au-
ro gẽmiſq; pretioſiſſimum Zenobia fabricari fecerat,ſperans ſe Romam venturam,
non quidem captiuam,ſed rerum dominam ac triumphaturam: & Romanum poſ-
ſeſſuram imperium,quem & ipſa cum filijs præceſſit. Verum ipſa cathenis aureis col
lo,manibus,pedibuſq; iniectis,corona & veſtimentis regijs,ac magaritis & lapidibus
pretioſis onuſta adeo,vt cum roboris inexhauſti eſſet pondere feſſa,perſępe ſubſiſte
ret. Sane triumpho conſumato,theſauro & ſupellectili,aiunt illam priuato in habi-
tu, inter Romanas matronas cum filijs ſenuiſſe: Conceſſa ſibi a ſenatu poſſeſſione
apud Tyburtum: quæ Zenobia diu poſtmodum ab ea denominata eſt, haud longe
a diui Hadriani palatio,quod eo in loco eſt: cui conchę ab incolis dabãtur. Huius au
tem reginæ ciuitas Palmira appellata,in Aſſyria ſecũdum Plinium in quinto natu-
ralis hiſtorię fuit. Diſtabat etenim a Damaſco,vt ille refert, viginti ſeptem paſſuũ
milibus: Verum nunc (vt aiunt) prorſus complanata eſt.

¶De ſancta Columba virgine & martyre. CAP.XCIII.

COlumba perpulchra Senonenſis virgo Aureliano Romanis im-
perante, Caioque pontifice in cathedra Petri præſidente, cum
ignem atq; alia multa tormentorum genera ſuperaſſet, tandẽ gla
dio occiſa,ipſam Senonenſem ortus ſui Metropolim,ſui marty
rii confeſſione illuſtriorem fecit. Huius quippe virginis genus &
parentes,etſi aut ſcribentium deſidia,ſeu annoſitatis vitium in-
digne nobis abſtulerint, nihilo minus quia eius ſanctitas & fi-
dei ardor tanti extitere pręconii,vt in præcipuam gloriam mereantur efferri. Idcir-
co hoc in loço,eam qua poterimus arte,pro viribus ſub compendio poſteritati tanq̄

meritam deducemus. Columbæ igitur huic ſanctę virgini, ſecundum Platonis maximi philoſophi ſententiam, non temere quidem neq; tantum naturæ ſuaſu, ſed diuina quadam prouidentia impoſitum fuit nomen: quod multis argumentis probari licet. Nam cũ floridæ pulchritudinis, intus & extra Columba hæc euaſiſſet pulcherrima: merito illi a domino Cãticorum illud verbum dici poterat. Tota es pulchra Colũba mea, totaq; formoſa, & macula in te nõ eſt vlla. Quum primum enim ſacrum dei baptiſmum Columba recepiſſet, mox quidem dei verbum in ſe concepit, & vt vere ſapientiæ & ſcientiæ illius theſaurum apprehenderet, volatu celeri ad ipſum iugiter cupiebat peruenire: dicens. Quis dabit pennas ſicut Columbæ, vt tandiu volitem, donec illo pertingam, vbi quietius requieſcam? Erat enim humanarum diuinarumq; ſcripturarum non mediocriter erudita. Cumq; legeret ſpiritum ſanctum in ſpecie Columbæ ſæpius apparuiſſe, etiam ipſa non modo nomine tantum, ſed & virtute Columbam fieri optabat: vt de terrenis & corporeis locis euolaret ad aſtra, pennis ſancti ſpiritus ſubleuata. Coniuncta itaq; Columba deo, in vno eodemq; ſpiritu, cũ morte Chriſti in ſe recepiſſet, vt mortis ipſius ſimilitudinis efficeretur particeps, ſua mẽbra ſuper terram omnino in mortẽ vſq; mortificare voluit. Et vt eius anima ante omnia, perfecte in primis deo iungeretur & ſociaretur, omnes hyemis perturbationes & vitiorum omnium procellas a ſe depulit, vt ſcilicet omni doctrinę vento non circunferretur. Et ideo cum perfectiſſime noſſet: quid ſit deus & qualis, & quãtus, quis & filius & qualis filius, & quis ſpiritus ſanctus: quoniã tres vnum ſunt. ne temere (vt multi putabant) ſuperſtitionem a parentibus traditam, eam cõtempſiſſe videretur, & vero ac certo iudicio euangelicam veritatem ſe complexam fuiſſe: Deos gentilium maiorum ſuorum improbans, aperte dicebat, ipſos dei veri hoſtes eſſe, ac omnino pernitioſos dæmones impioſq; fore, & ab omni bonitate prorſus remotos. A quibus certe nemo vnq̃ præter dominum Ieſum Chriſtum genus humanũ miſericorditer per ſuũ euangelium, tanq̃ a duriſſima & antiquiſſima ſeruitute omnes liberans, ad veram libertatem, conuocare dignatus fuerat. Cumq; Columba virgo, hæc & his ſimilia in contemptũ deorum, & exaltationem fidei chriſtianę ardentiſſime prædicaret, Aureliano principi hæc perquirenti oblata eſt. cui Aurelianus dixit. Quem deum colis Columba? Nullum alium digniſſime princeps inquit, niſi ſolum dominum Ieſum Chriſtum, qui hominem ad imaginem ſuam ex nihilo creauit, deditq; nobis ſuũ ſanctum ſpiritum, ac nos confirmauit in ſuam ſanctam catholicam eccleſiam, vt in optima huiuſmodi religione actus noſtri perſeuerent. Aurelianus dixit. Nota ne tibi ſunt decreta Romanorum principum, qui veritatem perſuadẽt, vt relicta ſuperflua ſuperſtitione, chriſtiani me verum principem recognoſcant, patrioſq; deos pie adorentur? Pereant inquit Columba tales dij, cum ſint crudeles & immanes hominum hoſtes, qui iugiter amentia & ſtultitia mortaliũ lætantur, & qui eos adorãt, turpiſſima morte dãnentur. Conſentire mihi ait Auguſtus, veris dijs ſacrificãs: q; ſi feceris, filio meo coniunx efficieris. Reſpõdit Columba. Cum diabolus pater tuus, dominum meum Ieſum Chriſtum tentaret, dixit ei. Si procidens adoraueris me, hæc omnia tibi dabo: & dominus ad eum. Vade poſt me ſathanas, non tentabis dominum deum tuum. Et ipſa ſimiliter dico tibi. Non tentabis ancillã Chriſti. Tum Auguſtus furore ſuccenſus inquit. Sacrifica dijs, ne turpiter illuſa incendaris. Reſpondit Columba. Poteſt mihi dominus meus tolerantiam vtique præbere, vt omnia libenter perferam quæ tu minaris tormenta. Cõmotus furore Auguſtus, recludi eam in carcerem pręcepit, mandauitq; Barugę iuueni admodum deformi, vt abuteretur ea. Quo cũ perueniſſet, & virgini iniuriam inferre vellet: illa ad eum ait. Ne mihi obſecro moleſtus ſis: ne forte iratus tibi ob hoc deus meus, mortem tibi inferat. Cõpunctus his verbis iuuenis, ad eam pertingere recuſauit. Moxq; quædam vrſa e cauerna vbi tenebatur incluſa fugiens, in carcerem ſeu lacum vbi Columba virgo ſeruabatur introgreſſa, in faciem virginis intendere cœpit, expectãs quid ſibi iubere dignaretur. At virgo. Sine

inquit in Chriſti nomine illum illæſum,vt cum eo verba ſalutis conferam.Res mirabunda & miraculo digna:Fera illum omnino dimiſit,atq; in ipſo lacus ingreſſu adeo immobilis ſubſtitit,vt nemo nedum ingredi,ſed nec Bargæ quidem inde diſcedendi daretur facultas.Tum Columba: Ecce fera Chriſti domini mei nomine audito, per promptam obedientiam & honorem ſe deo exhibere oſtēdit.Tu vero infelix homo, magno te ſceleri obnoxium reddis . Chriſti igitur fidem amplectere; ſin minus,fera protinus deuorabit te.E veſtigio ille clamauit,dicens.Qui Chriſtum dei filium verum deum non fuerit confeſſus, hinc minime diſcedat. Non enim eſt alius deus verus,niſi quem Columba colit & prædicat.Audiens hæc imperator, præcepit vt Columba cum vrſa igni imponeretur.Sed ab Africo nube ſuperueniente,ignis protinus extinctus eſt:& fera in ſyluas aufugit.Quo facto,Auguſtus denuo præcepit ſibi beatam virginem præſentari,cui & dixit.Quænam ars eſt tua?vel quę maleficia?vt etiā feræ ſyluarum tecum iungātur. Reſpōdit illa.maleficia nulla vnq̄ noui ſed Chriſtum deum meum colo,illumq; ex corde adoro,& ideo miſertus eſt mei.Aurelianus dixit. Tibi inhibebo vt ipſum Chriſtum haud nominare præſumas.Tum illa.Lupe rapax, omniq; fera immanior,haud vnq̄ poteris,tuo iſto ſermone rabido, me ab huiuſmodi ſententia permutare.Aurelianus ergo ira percitus,iuſſit Columbam extra vrbem miliario primo duci,& eius caput amputari.Eoq; deducta,ſi maiorū literis fides vlla præſtanda eſt,Videns acrem lictorem expediſſe gladium,flentibus cunctis circunſtantibus,conſtanti pectore ad Aurelianū dixit . Aſpice vultum meum malorum cōſcius omnium,vt cum te meo coram ſponſo accuſauero,meam gloriam,in tuam perpetuā ignominiam recognoſcas. Cumq; decollanda foret, oratione fuſa,e veſtigio vox de cœlo audita eſt,dicens.Veni ſpecioſa mea, veni Columba mea: quæ vtiq; ſimplicitatem Columbæ in omni vita tua repræſentaſti nomine pariter & opere,ideo aperti ſunt tibi cœli, gaudetq; paradiſus, colluctationibus omnibus per te deuictis. Stat quippe dei filius,qui tibi coronam meritam imponat,& angeli qui te ſuſcipiant,vt perducant in ciuitatem magnam cœleſtem Hieruſalem. Intrepido igitur vultu virgo Columba iugulum præbens, capitis obtruncatione martyrij palmam adepta eſt pridie calendas Ianuarias, in nomine Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſecula amen. Quo quidem die,eius anniuerſaria cum gaudio & hymnis ſolenniter celebratur.

¶De ſancta Agnete,virgine & martyre. CAP.XCIIII.

AGnes illuſtris & ſanctiſſima virguncula romana, Diocletiano & Maximiano Romanis imperantibus,Marcelloq; pontifice in cathedra Petri præſidēte,anno videlicet ſalutis noſtrę quarto ſupra trecenteſimum, breui vitæ ſpatio,clariſſimarum virtutum tempora permulta compleuit. Hęc quippe clariſſima virgūcula,quibus ex parentibus,aut quo ex genere apud Romanos originē duxerit,apud illuſtres hiſtoriarū ſcriptores,& maxime a diuo Ambroſio & ipſo romano,qui eius hiſtoriam eleganti ſtilo conſcripſit reticentur. Ipſam enim maximo oris decore,& totius corporis venuſtate emicuiſſe ſcribit:adeo quidē, vt ſæpe intuentium falleretur credulitas.Cuius (vt ita dicam) ſi infantiæ etiam ſapiētiam atq; ardorem animaduertere voluerimus,eā profecto prius conſecratam q̄ genitam affirmare non verebimur.Quod de ipſa ſancta virguncula etiam ſcripturam cōmemoraſſe haud dubitandū eſt,quando dixit.Hi ſunt qui venerunt de calore domus Rechab.atq; dominus noſter in euāgelio.Ignē inquit veni mittere in terram,& quid volo niſi vt ardeat.Eam igitur diuina ſapientia ab ipſo matris vtero amplexatā omnino fuiſſe non dubitamus.& Abiſach Sunamitis quę ſapientia calebat,quæq; nunq̄ ſeneſcit,in Agnetis huius vtiq; requieuit ſinu.Eam ob rem (vt diuus refert Ambroſius) Infantia eius computabatur in annis:ſed erat ſenectus mentis immenſa:corpore

quidem iuuencula,ſed animo cana,pulchra facie,ſed pulchrior fide. Tāta enim ab ipſa pueritia fuit eius fides,vt crederet indubitato ꝙ deus ea quæ promiſerat,potēs foret vt adimpleret: & iccirco ſpem ſuam in futurum tranſtulit. Ipſa enim fides vniuerſa inuiſibilia eidem,iamiam ante oculos poſuit,& vniuerſa huius mundi deſerens,cū fiducia deo ſe proximare conſtituit. Itaq; Agnes cum ad tertium decimum ſuæ ætatis perueniſſet annum,& moribus optime inſtructa foret:quippe quę (vt pręmiſſum eſt) illuſtres haberet parētes,literis etiam operam nauaret:die quadam dum a ſcholis reuerti contigiſſet,ob ſummam qua cæteris præſtabat formæ elegantiam,ſic in eius amorem Præfecti filius exarſiſſe dicitur,vt eam ſibi in vxorem dari obnixe expoſtularet: Et quo id facilius aſſequi poſſet,omnia pretioſiſſima ornamenta in primis,diuitias,domos,familiaſq;,& quicquid viſu pulcherrimum foret,virgini ſe daturum cōpromiſit. Quæ tamen omnia Agnes beatiſſima veluti ſtercora recuſauit: aſſerens ſe eum habere ſponſum,cui nemo merito foret præferendus: ꝙ eius generoſitas celſior, poſſibilitas fortior,aſpectus pulchrior,amor ſuauior,& omni gratia elegantior haberetur. Hæc vbi iuuenis accepit,præ triſtitia lecto proſternitur,dein per alta ſuſpiria amor medicis aperitur. Tum Symphronius vrbis Præfectus pater iuuenis:ad virginis petitionem iterum reuoluitur. Abnegat Agnes prioris ſponſi fœdera violare. Audito,autem ꝙ chriſtianitatis imbuta eſſet ſacramentis: miſit qui eam ſuis ſiſterent tribunalibus. Et primo quidē eam blandis ſermonibus prouocat,deinde terroribus pulſat. Sed virgo Chriſti,nec blandimentis ſeducitur,nec terroribus concutitur, ſed eodem vultu,terrentem ſimiliter & blandientem,conſtanti deridebat animo. Vidēs autem Symphronius Præfectus,puellæ cōſtantiam,optionem ei obtulit:vt quam mallet acciperet,aut cum virginibus deæ Veſtæ ſacrificare,aut cum meretricibus in lupanari vitam duceret infamem. Ad hæc Agnes beatiſſima. Cum inquit domini mei Ieſu Chriſti virtutem & potentiam nouerim,ſecura tuas contemno minas,indubitato credens,ꝙ neq; tuis idolis ſacrificem,neq; (cum mecum ſit cuſtos angelus domini) malis ſordibus polluar. His dictis percitus ira inſanus iudex:eam nudā ad lupanar pertrahi iuſſit. At vbi beata virgo veſtibus exuta eſt,ſtatim crine ſoluto,tantam capillis dēſitatem eius diuina gratia conceſſit,vt melius illorum fimbrijs,q̄ veſtibus tecta videretur. Introgreſſa quidem Agnes turpitudinis locum,Angelum domini præparatum inuenit: qui eam mox tanto lumine perfudit,vt præ magnitudine ſplendoris,a nemine conſpici poſſet. Cumq; ibidem in oratione ſe proſtraſſet. Ecce ante oculos ſtola candidiſſima oblata eſt:qua illico arrepta induit ſe Agnes. Verum cum Præfecti filius,exercendæ libidinis ſuæ gratia lupanar ingreſſus eſſet. Diabolo eum præfocante,ſtatim extinctus eſt. Quē poſtea q̄ virgo precibus vitæ reſtituiſſet,vehemenſq; ex hoc a templorum pontificibus ſeditio exorta fuiſſet. Aſpaſio vicario,protinus traditur punienda. Qui vbi compromiſſum ignem præparari iuſſiſſet, Agnetem beatiſſimam in medium iactari præcepit. Tum Agnes in medio ignis,expanſis manibus ad dominum orauit:dicens. Benedico te pater omnipotens:quia per filium tuum vnigenitum Ieſum Chriſtum,euaſi minas impiorum hominum,& ſpurcitias diaboli impolluto calle tranſiui. Benedico te pater prædicande, qui etiam inter flammas,intrepidam me ad te venire permittis. Ecce quod credidi iam video,quod ſperaui iam teneo,quod concupiui, manibus iam complector. Te igitur labijs confiteor,te corde, te totis viſceribus concupiſco. Ecce ad te venio viuum & verum deum: qui cum domino noſtro Ieſu Chriſto filio tuo,& ſpiritu ſancto viuis & regnas in cuncta ſeculorum ſecula.amen. Vix Agnes virgo hæc effata eſt: cum ignis ita extinctus eſt, vt ne incendij quidem tepor remanſerit. Tunc Aſpaſius vicarius, populi ſeditionem veritus,mox in guttur ſanctæ virginis gladium infigi præcepit. Atq; hoc exitu,roſeo ſui pretioſi ſanguinis rubore perfuſa,Chriſtus eam ſibi ſponſam & martyrem conſecrauit. Propter hoc Agnes anno tertiodecimo ætatis ſuæ duodecimo calendas Februarias,mortem perdidit,& vitam inuenit,quia ſolum vitę dilexit autorem. Hora itaq;

qua cœlos ſancta Agnes penetrauit,tantus terræ motus,cum eſſet nimia cœli ſereni=tas,tantiq; nimbi & coruſcationes, ac tanta fulgura & tonitrua extitere, vt maxima pars inſani populi expiraret. Sepultaq; fuit a parentibus intra vrbem cum maximo omnium fletu,tantoq; gemitu quãto nunq̃ antea quiſq̃ a Romanis,propter pietatem factitatum fuerit. Dum autem eius parẽtes aſſiduis pernoctationibus, ad ſepulchrum ipſius vigilarent:poſt octauum ſui martyrij diem,in medio noctis ſilentio,viderunt exercitum virginum,quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum quodam ingen=ti lumine pertranſibant. Quas inter viderunt beatiſſimam Agnetem ſimili veſte ful gentem,& ad eius dexteram Agnum niue candidiorem. Quod cum vidiſſent paren=tes,in magnum mentis ſtuporem protinus incurrerunt. Quibus beatiſſima Agnes hi lari vultu blandaq; voce,ait. Nolite de me dormiente,in ſimilitudinem gentium cõ=triſtari nec flere,immo congaudete mecum:quia mortua minime,vt me exiſtimatis, ſum: Sed ſi me vnq̃ amatis,ſi veſtris fui inſtituta monitis, ne meæ tantæ gloriæ inui=dere videamini: Habeo enim hic multas,vt videre poteſtis, matres,ſorores,affines, ſodales:quas antea neſciebam,cum quibus certe vnam virginitatis palmam accepi. Miſeremini fortaſſis mei,quia mundum per tot tantaq; tormenta reliqui. Et ego po=tius veſtram ſortẽ doleo,quos adhuc ſeculi carcer includit,quos quotidie in acie præ=liantes,nunc ira,nunc auaritia,nunc libido,nunc variorum incentiua vitiorum pertra hunt ad ruinam. Ego autem,cuius exitum angelorum turba comitata eſt,cui & Chri ſtus obuiam occurrit,ijs exẽpta malis.lætamini ergo mihi.Grauamini præterea vos potius,ꝙ diutius in iſto tabernaculo mortis ſubſiſtitis: quia q̃diu hic immorari con tigerit,peregrinabimini a domino. Igitur mecũ lætamini & iterum congaudete,quia me tenebræ non comprehendent vllæ:immo quia de tenebris ad lucem migrans, in=ter fidei incipientis ardorem,conſumati martyrij accepi coronam. His dictis Agnes pertranſijt. Quæ quidem viſio,ab omnibus qui viderant vbiq; diuulgata fuit. Huius itaq; ſanctiſſimæ virginis quanta fuerint merita,vel hoc maxime comprobatur indi=cio:ꝙ eius ope Conſtantia Conſtãtini Auguſti filia,a lepra curata fuerit:ac quicũq; credentes ad eius tumulũ aduenere,ſalui facti ſint,quacũq; infirmitate detenti eſſent. Hanc igitur tam ſanctæ virgunculæ vitam legant & imitentur virgines,viduæ,mo=nachi,ſacerdotes,cæterique fideles omnes. Quæ ſicut in Chriſto in cœlis optime vi=uit: ſic & in hominum memoria victura per monimenta eſt. Breuis eius vitæ ſpa=tium,æterna memoria compenſabit.

¶De ſancta Emerentiana,virgine & martyre. CAP.XCV.

EMerentianam autem virginem martyremq; Romanam,prædictę beatiſſimæ Agnetis collactaneam,poſt triduum a paſſione ipſius virginis Agnetis,ab impijs lapidatam fuiſſe,martyrijq; coronam promeruiſſe traditum eſt. Cuius vero generis,aut quorum paren tum duxerit originem,incertum habemus. Eam tamen ex gene=roſo claroq; Romanorum ſanguine procreatã,digne crediderim, dum eius inſignem pietatem intuear in nobiliſſimã Agnem,atq; fidei ardorẽ in deũ. Hęc etenim præter nobilitatis & virginitatis inſignia,cũ necdum chriſtiana ſed cathecumina tãtũ haberetur,ex eius actibus vnicũ tantũ,ſed laudatiſſi=mum referam,ad ipſius omnem vitam cognoſcendam, eiq; claritatem meritam im=pendendam,ſat erit. Pompa ſane funebri Agnetis parentes,Romano more ipſius ſa=cratiſſimum corpus ſepeliebant:maxima ſuorum parentum,affiniumq;,ac cæterorũ amicorum multitudine ſubſequẽte:qum ſe plurimi gentiliũ, ob chriſtianorum odiũ inimicitiamq;,in eos non aliter q̃ in infenſiſſimos reipu. Romanæ inimicos irrũpen=tes,in medium dediſſent,& inſolenti audacia,in ipſos parentes,alioſque ſanctos,exe=quias honeſtantes:conuitia & improperia multa,atq; lapides iacerent:eos ob hoc ab

officio funeris perturbare procurantes. Quod qum inter lugentes Emerentiana virgo conſiſteret, illico vrgente pietate commota, triſtis nimium, oblita ſexus, honeſtatiſq; ac lugubrium veſtimentorum quibus obtecta erat, pati non potuit: quinimmo repente, mediam inter turbam, & diſſonos imperitę multitudinis clamores, impetuoſa prorupit, & eam præſtanti animo, atq; fidei ardore, necnon & audaci vultu, facieq; torua minitari cœpit, q; fideles chriſticolas ab officio pietatis tam infenſe perturbare anniterentur. Ea propter, inſanus ipſe populus, mox contra eam tanq̃ in deteſtabile genus tumultuoſo impetu inſurgens, diſſonis clamoribus, cõclamare cœpit, dicẽs: Quare hoc peſſimum genus nõ vrbe omnino propellitur, aut fluctibus præcipitatur: aut certe lapidibus obruatur? Atq; furorem ſuum in ipſam conuertentes omnem, lapidibus eam inſequi cœperunt. At ipſa apud ſepulchrum beatiſſimæ Agnetis in terram poplitibus fixis, & oculis in cœlum erectis, inter ipſos populi clamoroſos tumultus atq; innumeras lapidantium percuſſiones & vulnera, inuictam vſq; ad mortem tenuit patientiam. Dicebat autem ſe minora ſuſtinere q̃ meruiſſet tormẽta. Vnde haud dubium eſt Emerentianam virginem hanc ſuo in ſanguine fuiſſe baptizatam: quoniã pro iuſticiæ defenſione dum confiteretur dominum, mortem conſtantiſſime pertuliſſe viſa eſt. Eadem quippe hora qua Emerentiana virgo pro Chriſto occubuit, maximæ coruſcationes, tonitrua ac fulgura fuere: ob quod & maximã multitudinem periiſſe tradunt. Vnde ob hoc factum fuiſſe dicitur, vt deinceps nullus gentilium ſepulchris ſanctorum aliquas penitus iniurias inferre præſumpſerit. Parẽtes vero Agnetis, nocte cum ſacerdotibus veniẽtes: huius ſanctæ virginis Emerentianæ reuerenter corpus rapientes, cum hymnis illud in confinio agelli ſanctæ Agnetis deportarunt, atq; ibidem aromatibus delibutum ſepelierunt, decimo calendas Februarias: Quo quidem die, eius anniuerſaria ſolennitas, celebris apud chriſtianos habetur.

¶De ſancta Eulalia virgine & martyre. CAP. XCVI

EVlaliam virginem ſimiliter natione Hiſpanam, Maximiani principis ac Marcelli papæ æuo, hoc eſt tertio & treceteſimo a natali chriſtiano anno: apud Barcinonam, vel, vt alijs placet, Emeritam Hiſpaniarum vrbem, tertio ſupra decimum vitæ ſuæ anno, glorioſiſſimum pro domino pertuliſſe ferũt martyrium. Hæc autem, quibus parentibus, aut quo ex genere, ſiue nobili, ſiue ignobili ortum deduxerit, ignotum habetur. Fuiſſe tamen feruentiſſimę fidei conſtat, q; non ſolum diuitias, ſed & ſeipſam domino ab ipſa pueritia obtuliſſe viſa eſt. Quippe quæ contra diaboli tergiuerſationem, nequaq̃ pellem pro pelle, ſed & carnem, & oſſa, atque ipſam ſuam animam cum alijs nonnullis virginibus Chriſto conſecrauit. Cuius quidem vita, mors & exitus, & eloquium poteſt ad maiora perducere: plane ſe ipſam immaculatam hoſtiam viuam deo placentem obtulit. Se ipſam inq̃, non ſua tantum: Equidem virguncula hæc a ſpiritu ſancto edocta, nouerat, Chriſtum dominum noſtrum plurima, pro ſalute eius, pertuliſſe tormenta: vnde etiam cũ optime noſſet, regnum cœlorum, non poſſe ſine varijs tentationibus adipiſci, vt ſcriptum eſt: Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum dei. Et ipſa conſtituit, diuerſa tentationum & tormentorum genera, atq; ipſam crudeliſſimam mortem lubenti animo perpeti: per quæ ſibi cœleſtis ianua tandem aperiretur. A diuo ergo preſbytero Donato edocta Eulalia, & ad martyrium pro Chriſti amore animata: tertium ſupra decimum iam annũ agens, a Datiano præſide detinetur, ad execrãdaq; deorum immo potius dæmoniorum ſacrificia compellitur. Cumq; puellula cõſtãti animo ſoli deo vero, ſacra facere ſe diceret, & Chriſtum ſuum eſſe ſponſum aſſereret: nodoſis primo fuſtibus ex arbore cum ſtirpibus decerptis, expoliata, duriſſime cæditur. Deinde ipſius mammillarum papillulæ, feruenti oleo perfunduntur. Poſt-

modum in calcis viuæ aceruum immergitur. Atq; cum hæc omnia conſtantiſſime ſu
peraſſet: Olla plumbo liquefacto Datiani iuſſu iterum repletur. Ipſaq; ſuper ferreo
lecto nuda extenditur: vt ſi dijs ſupplex immolare abnueret, ipſo confeſtim perfun=
deretur plumbo. Quæ dum Thyrſi martyris paſſionem commemoraret, ad Chri=
ſtumq; orationem fudiſſet, infundentium manus protinus exuſſit plumbum, virgini
vero tepidũ extitit. Quam ob rem Datianus, eam virgis ab integro acerbiſſime cæ=
di, minutiſq; teſtularum fragmentis, illius plagas confricari præcepit. Tunc ſancta vir
go Eulalia inter tot varios ictus, diuerſaque ſupplicia & procelloſos impetus, in cru=
ciatuum prælio conſtituta, præſtantiſſimo pectore tanq̃ cœleſtis armiger, in tot tan
tiſq; cruciatibus potens gloriabatur. Atq; cum Paulo apoſtolo dicebat. Libentiſſime
equidem in iſtis gloriabor tormẽtis, vt inhabitet in me virtus domini mei Ieſu Chri
ſti: Propter quod o dire crudeliſſimeq; tyranne, nunc mihi libet gloriari, in iſtis tuis
tantis cruciatibus & carnificationibus, incendijs, anguſtijs atque perſecutionibus ob
amorem domini mei Ieſu Chriſti. Cumq; hæc & ſimilia dixiſſet Eulalia virgo, atq;
in huiuſmodi ſupplicijs immobilis redderetur, ac Chriſtum pro hominis ſalute aper
tiſſimis rationibus paſſum comprobaret, deoſq; gentium non modo confunderet ſed
etiam aſpernaretur: præſes denuo eius genua candelis accenſis exuri mandauit, Inde
ſinapi aceto liquefactum eius naribus infundi necnon & calcem oliuo permixtum, ſu
per ipſius vulnera aſpergi: ſicq; eam in caminum igne ſuccenſum, immitti mãdauit.
In quo diu pſallens, in flamarum medio illæſa permanſit: Educta deinde de igne,
ad ipſius maximam confuſionem, nuda, decaluataq;, per totam ciuitatem ab atrociſ=
ſimo Datiano, virgo adoleſcentula iuſſa eſt circunduci. Tunc Eulalia aperiens os ſuũ,
conſtanti pectore dixit. Ille caret munere, qui carere vult certamine, & qui tela formi
dat aduerſi certaminis, nunq̃ merebitur ſortiri nomen victoris. Iccirco auſcultate ty=
runculam vos qui aſtatis. Quia iacentis animi eſt formidoloſa timere, ſcitote quo=
que, quia amatoribus præliorum, ornamenta: ſunt vulnera ſua. Cumq; hæc & conſi=
milia Eulalia diuino afflata ſpiritu colloqueretur ad populum documentorum mo=
nimenta: e veſtigio extra vrbem perducta & decollata, ſanctum deo reddidit ſpiri=
tum. Cuius plane conſtantia multi ad martyrium vltro acceſſerunt: Quos inter, Iu=
lia virgo ipſius Eulaliæ ſodalis amantiſſima, comeſque indiuidua, eadem die paſ=
ſa eſt. Dum vero decollata fuiſſet Eulalia: mox ex eius ore columbæ ſpecies exijt,
& ad cœlos cunctis videntibus protinus euolauit. Corpus cuius in ipſa eadem ci=
uitate, Donatus ſanctus preſbyter omni cum reuerentia atq; honore ſepeliuit, quar=
to idus Decembres. Quo quidem die, eius natalis dies, celebris apud Hiſpanos ha=
betur: & vrbis tutrix habita eſt.

¶De ſancta Leocadia Hiſpalenſi virgine & martyre. CAP.XCVII.

LEocadia virgo ſimiliter Hiſpalenſis ex nobiliſſima vetuſtaq; To=
letana vrbe oriunda, & ipſa eodem æuo ſicut Eulalia, ſua ardentiſ=
ſima fide atq; inſigni virtute de ſe temporaneis atque poſteris læ=
tum ſpectaculum præbuit: & ipſa perpulchrum fidei, & conſtantię
teſtimonium reliquit perenne: ob quod, vt in perpetuum vſq;, eius
ſanctitatis fulgidũ nomen præcipua coruſcatione deueniat, aliqua,
licet pauca, hic memoriæ gratia referre dignum duximus. Nam
cum prædicaret atq; confiteretur ſe chriſtianiſſimam fore, a ſacrilego præſide Datia=
no ſimiliter ea in vrbe comprehenſa, mox in teterrimum carcerem conjecta & truſa
eſt. Vbi cum dira eiuſdem carceris cuſtodia, diu macerata fuiſſet: Et ipſa tandem, cũ
audiſſet duros ac grauiſſimos, immaneſque beatæ Eulaliæ virginis, ac reliquorũ mar
tyrum cruciatus & tormenta, genibus in terra poſitis, in oratione perſiſtens, ſic im=
pollutum Chriſto reddidit ſpiritum, quinto videlicet idus Decembres: quo quidem

die, eius anniuerſaria a fidelibus ſolenniter cęlebrantur, vtpote quia integram deo eiuſque filio domino noſtro Ieſu Chriſto ſeruauit fidem, cuius & nos fide, & charitatis perſeuerantia optamus participes eſſe.

De ſancta Iuſtina Patauina, virgine & martyre. CAP. XCVIII.

IVſtina virgo non ſolum nomine, ſed (vt Plato ſcripſit) ab rei effectu ſic appellata: natione Italica, ex Patauina inſigni vetuſtiſſimaque Antenoris vrbe, haud procul a radicibus Alpium conſtituta originem ducens: Diocletiano & Maximiano principibus Romanis imperantibus, Marcelloq; pontifice in cathedra Petri præſidente, circa annum ſalutis noſtræ octauum ſupra trecenſimum: apud eandem ortus ſui vrbem, martyrium pro Chriſto perferens, illuſtriorem ſui generis reddidit vrbem. Hæc eſto ignorentur nomina a quibus progreſſa fuerit parentum, nec ex qua fuerit eiuſdem vrbis familia, in dies noſtros venerit: ſatis ad eius nobilitatis laudem eſt, nouiſſe eam chriſtianorum tum potentiſſimorum parentum fuiſſe filiam. Quę inter generoſas ſui ſeculi fœminas, & præclara indole, ſpectataque eruditione, atq; ſanctiſſima fama effulſit præclariſſima: in cuius plane mente, & ſacræ religionis inſtantiam, ac ſobrium ſapientiæ culmen Chriſtus ſibi dignũ collocauit domicilium, vere vtiq; dignum: in quo Chriſtus delegerit templum. Erat etenim tot, tantiſque meritis ornata orationibus, ieiunijs, ac puritate referta, vt omni lapide pretioſo lucidior appareret. Iuſticiæq; adeo cultrix inſignis, vt merito eidem Iuſtinæ nomen diuinitus inditum fuiſſe conſtare videretur. Inerat ei quidem ſingularum rerum & perſonarum quædam æquiſſima diſtributio. Sciebat quid deo in primis, quid ſanctis, & coæqualibus reddere deberet, quid proximo competeret, quidve denique omnibus congrueret. Nouerat nanq; iuſtum eſſe: deum colere, & diligere ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute: Sanctos deinde & coæquales honorare, ſuperbum non eſſe, ſed magis humilem & mitem, proximos tanq̃ ſe diligere, inimicos odio nõ perſequi, immo propter deum amare. Subiectã ſe eſſe maioribus, ac etiam ętate pręcedentibus. Et, vt omnem iuſticiam impleſſe videretur atq; proteſtaretur, ea omnia tanq̃ obſequia deifica pro virili ſua adimpleuit. Didicerat nẽpe a Paulo dictum de Chriſto fuiſſe. Ipſe eſt nobis a deo iuſticia, & iuſtificatio, & ſanctificatio, & redẽptio atq; pax, & dilectio. Imperabat igitur tunc vniuerſo orbi ſæuiſſimus omnium Maximianus Cæſar & Auguſtus. Qui quum apud Patauium moras traheret, iuſſit ſibi in campo Martio (qui nunc vt reor vallis campus appellatur) tribunal præparari, vt illic dei ſanctos apud Iouis maximi templum interficeret, ſi ſacrificare abnuerẽt. Hinc beatiſſima tũc Iuſtina, qum de ſuo Vitelliano prædio ad viſitãdos dei famulos properaret, a militibus repente comprehenſa, ſacrilego tyranno præſentatur. Quam ita aggreſſus eſt imperator. Nomen tuum, tuamq; conditionem mihi o bona puella oro vt indices. Cui illa hilari vultu, chriſtiana inquit ſum, Iuſtinaq; vocor. Ad quam Maximianus: An neſcis chriſtianos omnes impie agere, pie nõ colere deos immortales? immo tam manifeſtas eorum virtutes proterue contemnere, legeſq; patrias tranſgredi, quas oportet vnumquenq; ſub Romano imperio conſtitutum, ita ad vnguem obſeruare, vt res nouas temeraria præſumptione ſcrutari non videatur? Præſertim cum a legibus capitalis pœna aduerſus eos decernatur, qui ſecundum leges & conſuetudines patriæ, immortales deos non venerantur? Ad quem Iuſtina. Miror prudentiam tuam, quum clarum quid & vtile facinus pręrdictorũ iſtorum tuorum deorum factum fuiſſe nunq̃ proditum ſit, & ſæpenumero (vt ex hiſtorijs colligere potes) ipſis ægrotantibus ſalutem & vitam tanq̃ dij crediti promiſiſſe, proditum eſt: qui poſtmodum ex euentu & morte languentium, non dij ſed dæmones peſſimi proditi ſunt. Vnde &

ab omnipotente deo,iam cum templis & ſuis ſimulachris omnino deijci cœpti ſunt. Obſecro per deum meum,dic mihi,vbinam eſt iam oraculum Delphicum:quod magna dudum veneratione,a maioribus tuis Græciſque hominibus colebatur? Vbi illa Iouis effigies magna: quam decus vniuerſæ Græciæ fuiſſe dicunt? quæ diuinitus fulmine icta, conflagrata fuit? Sicque Capitolino Ioue,quando iam quadringentis annis,vna cum Veſtæ tẽplo perhibetur exuſtum.Et quomodo eos adorare me iubes,vt me adiuuent,qui ſibi ipſis prodeſſe haud potuerunt, nec ſe,a periculis defendere valuerunt? Vos autem his deceptionibus irretiti,creatore relicto,creaturas falſo colitis. Tu autem ſi veri creatoris inuiſibiles virtutes conſiderares,quibus omnia replet,omnibuſq; adeſt,omnia gubernat & continet, impijſſimas & turpiſſimas vtique fabulas proijceres,& ad ipſum verum & viuum deum te conuerteres: ꝙ ſi de eo pio animo, ac recta ſententia ſentires,vt non in ſimulachris, aut alia inani materia, ipſum honorandum adorandumve eſſe minime putares,atque rectam Chriſti fidem & virtutem amplexari velles:haud dubito quin te ad ſuam ſimilitudinem,quantum homini poſſibile eſt,protinus adduceret. Ad hæc Maximianus. Quid verborũ prolixitate mea inquit refellis dicta? Accede,& Ioui magno deo ſacrifica,vt tuæ queas conſulere iuuentuti. Reſpondit illa. Dixi iam tibi chriſtianam me eſſe, meq; illi ſacrificium offero,qui dixit: Ego ſum via,veritas & vita,qui credit in me,non morietur in ęternum. huius vera promiſſio,apud me inconcuſſa tenetur: & nullus vnq̃ ipſam præfixam ſententiam, ab eius amore poterit reuocare. Sed ſiqua tibi ſunt exquiſita tormenta, in Chriſti ancilla exercere feſtina. Quid moraris? Cupio etenim ad eum tranſmigrare, qui me ab ipſis cunabulis ſibi conſecrare dignatus eſt. Ait Maximianus: Niſi ſacrificium Ioui magno obtuleris,gladio te punitam reddam. Tum Iuſtina: O mentis inops obſecro audi, & ad te aliquantulum reuertere: quia dij quos me adorare ſuades, non dij ſed dæmones impij & deceptores ſunt. priſci enim ſapientes ſeculi,qui ſe omnia ſcire iactitabant,qum deum cognouiſſent,non vt deum glorificauerunt, aut gratias egerunt,ſicut noſter Apoſtolus ait:ſed obtenebratum eſt imprudens cor eorum: dicentes ſe eſſe ſapientes,ſtulti inuenti:creaturas,non creatorem colentes,atque alios id ipſum facere docentes,vniuerſum genus humanũ contaminauerunt. Ago ego itaq; ipſi deo meo gratias,qui me ſuam hoſtiam accipere, & in ancillarum ſuarum numero me aſcribere dignatur:omnia tormentorum genera,parata ſum perferre. Quomodo enim certamen hoc formidem,quando ipſe dominus meus Ieſus Chriſtus pro humano genere ſuum effudit ſanguinem? Nam deuotionis maximæ eſt,maxima ſuſtinere:atq; ingentis virtutis eſt,ingentia ſuperare. Si deo meo & Ieſu Chriſto qui pro me pati non eſt dedignatus placuerit, me pro eius amore mori, etſi ex ipſius pendet arbitrio vt moriar,age vt lubet. poteſtatis enim eſt emendare:conditionis autẽ ſubiacere. Regis eſt onus imponere,& militis ſuſtinere. His auditis, iuſſit imperator beatam virginem gladio extingui. Cum autem ſpiculator,Iuſtinæ lateri gladium infixiſſet:per vnam ferme horam eleuatis in cœlũ oculis, vniuerſis aſtantibus in hunc modum ad dominum orauit. Suſcipe domine Ieſu Chriſte animam meam, quia te ſolũ dilexi,& te concupiui,& iccirco tui iuris eſſe deſidero & gliſco: & cum nullum præter te amatorem quæſiuerim,ita fac vt ad te ſolum perueniam. Poſt hæc cum ſe crucis vexillo cõſignaſſet,beatiſſimum deo emiſit ſpiritum. Quam chriſtiani ardore fidei de medio auferentes,eius venerabile corpuſculum aromatibus conditum,non longe ab eodem loco ſepelierunt. Cuius plane virtutum monumenta tot & tanta extitere,vt ipſam ſuam Patauinam vrbem,virtute,gloria,& amplitudine illuſtratam & auctam reliquerint. Equidem huic ipſa ſua ciuitas liquido conſtat plus debere,quæ eam & ſanctitate,& vitæ moribus perornauit,q̃ Antenori Troiano,qui eam condidiſſe hiſtoriæ tradunt. Ipſa edepol,ſibi ſine iniuria illud Cæſareanum vendicare poteſt, videlicet veni,vidi & vici. Ad vos o ciues mei vtique veni,vt patrona præſim: vidi,vt

vrbem miraculis & virtutibus perornem:vici,vt vos odientes affligentesq; colligã. Ego inquam ſum Iuſtina Patauinorũ mater,vrbisq; totius tutrix.Ergo meas,quæſo erigite ſtatuas, & tales quidẽ,quibus omnes cedere dicantur. Exiſtimantes poſtmodũ Patauini nõ modicum ſibi poſteriſq; ſuis afferre gloriæ, ꝙ penes ſe alta,paſſaq; Iuſtina ſit,quã ex euidentiſſimis prodigijs & ſignis ſanctiſſimam arbitrabantur. Ne ingratitudinis vitio notarentur,aut eius memoria dilueretur, Iouis templũ ingẽs & præ cæteris vrbis illius mirabile:eidem dedicauere nominiq; cõſecrauere ſuo. Ipſius autẽ ſanctiſſimæ reliquiæ,ea in baſilica ſeu templo,digno nunc ſeruantur honore. Illãq; nõ modo religioſiſſimi, ſancti Benedicti monachi nigri, loci illius incolæ: ſed & vniuerſa Patauina ciuitas, tanq̃ peculiarem patronam & dominatricem, amplectuntur,venerantur,& colunt, veluti de vrbe ipſa, deq; ciuibus omnibus bene meritam: cuius ſacratiſſimum nomen, per tot religioſiſſima monaſteria, in vniuerſa prope Italia, ac etiam extra celebratur.

¶De alia ſancta Iuſtina, Antiochena virgine & martyre. CAP. XCIX.

IVſtina Antiochena eius nominis ſecunda, virgo & martyr.& ipſa eadẽ periculoſiſſima perſecutione Diocletiana,ſua in vrbe ab Eutelio nocente iudice, innocenter vna cum Cypriano põtifice & doctore pro Chriſto occiſa,aulã cœleſtis regni perpetuo intrauit victura triumpho. Hæc etenim Eudoſij optimi ciuis, atq; laudandæ vitæ viri,licet gẽtilis filia fuit:quę in omni vita ſua ſemper patefecit virili quodã robore, generoſum in ſe eſſe animũ, quæ & ſua in adoleſcentia, viam chriſtianæ religionis vna cũ genitore ſuo atq; familia a diacono quodã nomine Prælio audiẽtes,ab Optato ſancto epiſcopo in Chriſti nomine baptizati ſunt. Iuſtina autem,vti præ cæteris adoleſcentulis formoſitate oris & corporis venuſtate habebatur inſignis,ſic baptizata,Chriſtoq; cõſecrata:inclytæ pudicitiæ & ſanctimoniæ ſpecimẽ reputabatur a chriſtianis.nec aliud præter Chriſtum,& eccleſiã ſtudio curabat præcipuo,q̃ vt deo optimo eiuſq; filio domino noſtro Ieſu Chriſto,quem tota veneratione colebat,obſequi poſſet,& eius promereri gratiam. Sane, quum ob hoc Iuſtina plurimum frequentaret eccleſiam, & eius ſpetioſitas a cunctis admiraretur. Agladius quidam ſcholaſticus ipſius pulchritudine captus,in eius amore exardeſcere cœpit,atq; eam impenſe,nunc oculis,geſtubus,facetijs,nunc promiſſionibus, atq; muneribus, nunc precibus & blanditijs ſolicitabat: ſi forte poſſet obtinere,quod ardenter optabat: ſed omnia fruſtra,caſtiſſima virgo ſoli Chriſto dicata, & iam conſecrata,amantis cuncta ſinebat effluere in auras. Qui dum cœptis inſiſteret,aduerteretq;, aperto calle ſibi virginis conſtantia,viam præripi:ad dæmones vertit ingenium: vnde amore ſuadente, dolum cogitare cœpit inauditum. Et ratus Cyprianum magum ſuis incantationibus, votis ſuis plurimum poſſe conferre: Illum adiuit, illique ampliſſima dona compromiſit, ſi cum dæmonibus operaretur, vt Iuſtinam in ſuam poſſet deducere ſententiam. Cyprianus autem dæmonibus inuocatis, cœpit agere, vt virginem Chriſti ſibi adducerent. Qui pluries ad virginem venientes, nihil ſuæ deceptiones valuere,immo Chriſti ſigno turpiter repulſi, infecto negotio receſſere. Cyprianus autem magus cum illorum virtutem aduerſus virginem haud quaq̃ valuiſſe cerneret: ad dæmonem dixit. Dic mihi quemadmodum a virgine chriſtiana ſuperati eſtis? Quod vbi virtutem Chriſti perſpicue intellexiſſet, contemptis rebus magicis, earumque libris exuſtis, illico ac Antimum vrbis epiſcopum ſupplex humiliſque conceſſit,eiuſq; pedibus cum lachrymis proſtratus, expoſtulauit ſe chriſtianum fieri. At ſanctus pontifex gratias agens deo: illum primo monuit, ipſum oportere ab idolis & ab omnibus voluptatibus prioribus,totis præcordijs recedere:quibus radicitus amputatis, bona poſſent & religioſa in ſuo pectore ſeminari: Hoc eſt,oportet te fili ante omnia vnũ deũ credere,ipſumq; timere,

illũ quoq; credere, ꝙ cuncta fabricauerit: inde, eſſe vnum ſcripturæ corpus quod lex & prophetæ vocatur. deinde credere Ieſum Chriſtum dei filium eſſe, per quem deus cuncta fecerit, & ſine quo nihil eſt factum. Ac demum eſſe ſpiritum ſanctum, qui cuncta quæ deus fecit, per ſermonem animauit, & confirmat vnum eſſe baptiſmum quo homines regenerantur in deo. Cũq; Antimus epiſcopus Cyprianum virum doctiſſimum ſacro fonte cũ gaudio purificatum deo reddidiſſet: mox a ſpiritu ſancto edoctus, cognouit Chriſtum dei filium, ab initio fuiſſe, in primis veram ſapientiam, ſpiritum, lucem, viam, virtutem, brachium, fortitudinem, veritatem, panem, vinum, vitam, oſtium, paſtorem, & alia multa quæ propter homines ſunt, vt omnes in illo viuant. His igitur doctrinis inſtitutus Cyprianus, non modo doctrina, ſed & moribus pluſq̃ credi poſſit adeo excreuit, vt breui etiã miraculorum gloria præclarus euaderet. Non multo autem tempore poſt factus epiſcopus, & ipſe ſanctã Iuſtinam virginum matrẽ inſtituens, ſacro velamine cõſecrauit. Armatus itaq; fide, gratiãq; Chriſti conſecutus Cyprianus, plurima ad ædificationẽ eccleſiæ cõpoſuit librorum volumina. Iuſtina autem domini ſeruitio taliter mancipata, charitas Chriſti mox eã fecit humilẽ corde pietatis, diuitẽ vero operibus benedictionis. Talis nãq; e veſtigio de ſanctis fidei ſuæ diuitijs fama proceſſit, vt etiam ad longinqua poſitos penetraret. Segregauit enim ſe in omnibus, & vtero cognationis, & terræ ſuæ: non regione quidem, ſed ſpiritu bonæ voluntatis: & de terrenis ſuis opibus maximis, fidelem ſibi cõſtituit in cœleſtibus earum participem. Vnde plurimi impenſius admirabantur gratiam quæ ei data erat a domino: verũ vt magis magiſq; in ea magnificaretur Chriſtus, haud multo poſt eam dominus in laboribus hominum vna cum ſancto epiſcopo Cypriano exponere voluit, vt ſcilicet eos ſalutifero paternę pietatis verbere atq; martyrio viſitaret & caſtigaret: vt in paucis vexatos, in multis poſtea melius diſponeret. Accuſati apud Eutiliũ orientis comitẽ, tanq̃ chriſtiani reiq; maieſtatis crimine læſæ comprehenduntur, eiuſq; tribunalibus vincti præſentantur. Quibus comes: in primis Cypriano dixit. Tu es Cyprianus chriſtianorũ doctor, qui per maleficia tua multos in errorem perditionis pertrahere diceris? Beatus Cyprianus reſpondit: Aliquando in perditionem dęmonum deuolutus, multos luxurioſos efficere curaui, ſed ſaluauit me deus, per virginem iſtam ſuam Iuſtinam, quam magicis artibus dementare conatus fuerã, ipſa autem ſuis orationibus ſuiſve cõmonitionibus ad Chriſtum me conuertit. Quibus auditis furore repletus comes, illico beatum Cyprianum in aculeo appendi & exungulari præcepit: beatam vero virginem Iuſtinam, tanq̃ vniuerſæ vrbis peſtẽ funeſtiſſimam, poſt alapas & crudelem ac immaniſſimam neruorũ cæſionem, reuinctam, puluereq; conſperſam, pugnis & calcibus punctam, atro carceri cuſtodiendam ſeruandãq; deſignat. Interea quæ eius ſenſerant captiuitatem & tormenta virgines, ad deum expoſitæ, manibus complicatis, gemitibus & lachrymis ſalutem matri ſuæ Iuſtinæ, ac epiſcopo ſancto orare non deſiſtebant. Poſt aliquot vero dies in præſentia iudicis adducti, in ſartaginem ferream eos iuſſit imponi, ac torqueri, deinde pice & cera, ac adipe liquefactis perfundi mandauit. Vbi cum alacri vultu, ſine vlla prorſus læſione deo omnipotenti laudes decantarent. Athanaſius idolorum ſacerdos, inuidia commotus, iudici dixit. Video magnifice iudex hanc noſtram vrbem funditus ruituram ac interituram, ſi hos ſuperuiuere permiſeris. Igitur ſi placet tuæ claritati, ego nomine deorum ſublimium protinus deſtruam virtutem iſtorum ſacrilegorum chriſtianorum. Cumque temerario auſu ſartagini appropinquaſſet, confeſtim e ſartagine ignis erumpens, cunctis cernentibus illum conſumpſit. Tũ comes videns miraculum: dixit de ſacerdote idolorum. Abeat ſibi: Se miſerum & nimium temere, in ſuo ſe vulnere occidit. Acceptis autem idem comes tot tantiſque miraculis, quæ deus in ſeruis ſuis operari dignatus fuerat. Scripſit Diocletiano imperatori: quid ſuper eiſdem iuberet. Qui mandauit eos Nicomediam tranſmitti, atque ibidem gladio in eos animaduerti. Erat tamen Nicomediæ Theoni-

cus nobilis vir chriſtianus, is cum videret tam crudelibus atq; immanibus ſupplicijs Cyprianum & Iuſtinam affectos, ad decollandum adduci: conſtanter & libere accurrens magno fidei ardore oſculatus eſt Cyprianum. Quod cernens cognatus regis, ira ſuccenſus, egit vt cum Cypriano & Iuſtina pariter decollaretur. Eorum vero corpora feris proiecta, per ſex dies inſepulta manſere. Quidam chriſtiani nautæ nocte rapuerunt ſanctorum corpora, & Romam vſq; perduxerunt. Ruffina autem venerabilis matrona, illa excipiens, aromatibus delibuta, reuerenter ſuo in prædio ſepeliuit. Atq; ita ad ædificationem noſtram beatiſſimorum martyrum Cypriani & Iuſtinæ diuinos agones, pro viribus hoc in loco breuiter explicauimus,

De ſancta Iuliana virgine & martyre. CAP. C.

IVliana virgo nobiliſſima natione Aſiana, ex Nicomedia Bythiniæ prouinciæ inſigni vrbe oriunda: inter cætera dæmonis æque victix, Diocletiano principe Romanis & orienti imperante, circa annum ſalutis noſtrę decimum ſupra trecenteſimum. In illo miſerabili fœdoque perſecutionis ſpectaculo, ea in vrbe maxime ipſius principis iuſſu excitato: & ipſa cum innumerabilibus, ad conſequendam non perituram laudem, ſed futuræ beatitudis gloriã tam perſeueranti animo, tanq̃ forti pectore in mortem vſq; venire maluit, q̃ venerandiſſimum ſuæ virginitatis propoſitum violari permitteret. Hæc autem quibus procreata ſit parentibus, aut a quo ſacerdote CHRISTI fuerit inſignita charactere, me legiſſe non memini: nobiliſſimorum tamen ac præpotentiſſimorum conditionẽ habuiſſe compertum eſt. Quæ quum eminentiſſimi etiam a primo æuo eſſet ingenij, ac bonarum literarum apprime erudita euaſiſſet adoleſcentula, diuino afflata ſpiritu: cognouit ſuos gentiles deteſtabili quodam errore detineri, & in immane præcipitium quotidie detrudi. Vnde ſalutem ſuam quæſitura, furtim baptizare ſe fecit. Quod vbi eius genitor intellexiſſet, ipſam virgunculam forma eximiam, chriſtianitatis ſacramentis fore initiatam, vehementer indoluit. Verum vt eam ab ipſa ſanctiſſima opinione reuocare poſſet, mox eam Eruſio iuueni nobiliſſimo ac ſplendido in matrimonium copulauit: ſperans nuptiarum lenocinijs, ſanctam eius voluntatem immutare. At virgo, quo plura ad eius voluntatem labefactandam a parentibus fiebant, eo quotidie feruentiore animo ad religionem chriſtianã ferebatur. Iugiter etenim expoſtulabat, ſoliciteq; ac vigilanter exorabat, vt domini voluntatem, in cunctis vitæ ſuæ motibus, atq; cogitatibus perficere poſſet. Iam nempe didicerat dominum deum: hominum obſequijs minime indigere, ſed ipſi potius ſui auxilij. Vnde ſemper apud ſe illam domini ſententiam ſummopere excogitabat. *Si vis ad vitam venire ſerua mandata.* Didicerat præterea ſcriptum eſſe: mandata eius deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum nimis, & dulciora ſuper mel & fauum. quoniam in cuſtodiendis illis: retributio multa. Et idcirco, cum admodum prudentiſſima virgo eſſet, non tantum deſyderaſſe videbatur quod iuſſum erat, q̃ illum qui iuſſerat: nec quantitatem imperii, ſed imperantis ſemper cogitaſſe viſa eſt dignitatem. Vnde ſingulis diebus orationi vacabat, deiq; templum frequẽtando ſacras ſcripturas incredibili ardore auſcultabat. Aduentantibus igitur diebus quibus nuptiæ conficerentur, negauit Iuliana nulla ratione velle ſponſo coniungi, niſi ipſe prius patrem & filium, & ſpiritum ſanctum confiteretur. Quod audiens pater nimium contriſtatus eſt, verum primum verbis blandis, de hinc terroribus, puellæ animum ab ipſo propoſito reuocare omnino non deſtitit: quæ quum in ſua ſententia perſiſteret, ſuo ſponſo iam præfecto caſtiganda tradita eſt. Qui vbi eam ſuaui ſermone ad conſenſum nequiuiſſet pertrahere ſuum: iratus, officij autoritate a quatuor viris denudatam duriſſime cædi fecit. Cumque nec ſic Iulianam vt deos adoraret inducere

potuiſſet,per ſex horas capillis appendi iuſſa eſt. Atq; æramento conflato, ſuper caput eius diffundi videlicet vt doloris neceſſitate,faceret inuita quod præcipiebatur. Verum cum in nullo prorſus euaſiſſet læſa,in carcerem teterrimum recepta eſt. Vbi cum domino orationem cum lachrymis fudiſſet, illico dęmon eidem in forma angelica apparuit,hortans ſibi cauere,atq; tormenta quæ ſibi parata erant præcauere. Ingemuit virgo vehementer, oculiſque ad cœlum erectis, dixit. Ne deſeras, neque deſpicias me domine deus meus, rex cœli & terræ in tempore iuuentutis meæ,neque me ancillam tuam perire permittas: ſed confirma me in virtute tua. Demonſtraque mihi quiſnam ſit qui talia mihi ſuadere non veretur. E cœlo confeſtim vox inſonuit, dicens. Confide Iuliana, quia ego tecum ſum vt glorificem te: hunc autem qui te alloquitur apprehende. Quem quum apprehendiſſet, atque de eius nomine virtuteque percunctata,vt autem illum cognouit, ſtatim immaniſſimis verberibus & cruciatibus diu afflixit, atque ad vltimum laqueo appenſum, in ſterquilinium proiecit. Poſtmodum Iuliana rutilanti vultu in prætorium conceſſit,& ſe præfecto ſponſo ſuo mirabilem oſtendit.Quam cum intuitus fuiſſet, dixit. Dic mihi ſponſa mea Iuliana, quonam pacto, a te tot ſunt ſuperata tormenta? Audi me inquit infide & dire tyranne: Sathanam patrem tuum, dominus meus IESVS CHRISTVS euicit, neque id quidem, ait, meis virtutibus , ſed angeli domini mei IESV CHRISTI præſidio liberata etiam in tuam confuſionem.Incredibili autem furore ſuccenſus pręfectus, iuſſit beatã Iulianam crudeliter & ignominioſe in rotã ferream imponi cui acutiſſimi claui infixi erant:ſed dei virtute & munere,mox & cataſta & omnis machina comminuta eſt,atque vincula omnia prorſus dirupta. Tum Iuliana virgo aſtantibus ait.Audite me omnes qui meo huic ſpectaculo adeſtis.Nihil cuiq̃ accidere vel contingere poteſt,quod aut dono ſummi dei, aut permiſſione ſua non fiat. Nos autem CHRISTI IESV fideles,qui regnorum cœleſtium,prædam cenſumq; muneris ſempiterni contendimus occupare,eſſe non poſſumus ſine aliqua congreſſione victores. Nunq̃ enim delicata ac ignara certaminis virtus,præmium de ſubactis aduerſis recipit.qui victoriam chariorem viliſſima iudicat ſui corporis vita,nec mortis concutitur metu, cui de morte vita naſcitur: prætioſum eſt illi ſanguinem fundere.His dictis in hunc modum orauit ad dominum,dicens. Deus pater omnipotẽs & immortalis,vita omnium in te credentium, qui cœlum extendiſti, terramq; fundaſti,atq; hominem quem tuis feciſti manibus,minime deſeruiſti. Quique nihil fieri permittis, quod non de interiore intelligibiliq; aula tuæ ſummæ maieſtatis egrediatur. Cuius quidem tua voluntas primaria cauſa eſt, videlicet vitæ & mortis,tum etiam præmiorum, pœnarumq; eodem modo, & collati cuiuſcumque beneficii, & relatæ gratiæ: Eandemq; tuam eſſe voluntatem ſolam,a qua quæcũque ſunt,ortum habuere,quum ipſa tua maieſtas ſit ęterna,quę nullum vnq̃ habuit ortum.Eam quidem & naturam & poteſtatem infudiſti, vt omnia ratione atque ordine ſuos faciant progreſſus, & naſcendo, & moriendo per varias diuerſaſque cauſas & effectus, nunc tardius nunc citius. Nihilque contingere permittas,quod aut tuo dono,aut tua permiſſione nõ fiat. Nũc igitur mi domine deus qui mihi ancillæ tuæ, in omnibus auxilium donare dignatus es, eſto mecum in hac hora,& libera me a malitia & tyrannĩde huius peſſimi tui nominis inimici. Vix hæc expleuerat beatiſſima virgo, quum omnes carnifices clamore ſublato,dixerunt. Potens eſt deus Iulianæ,nec alius nemo eſt deus præter ipſum. Pœnitet etenim nos plurimum, ꝙ hunc vſque diſtulerimus dominum IESVM CHRISTVM verum deum agnoſcere. Igitur age, facque de nobis quoduis,infer ſupplicia,ignes, ferrumque para: quia optimam partem domini IESV CHRISTI decernimus aſſequi. Renuntiatum eſt illico Diocletiano imperatori:qui iuſſit eos omnes gladio puniri, beatam vero Iulianam ignibus concremari. Sed Iuliana in medio ignis animo infracto atque ingenti illæſa perſiſtens,glorificabat dominum ſaluatorem omnium. Tunc impoſita eſt ſuper ollam, in qua li=

quefactum erat plumbum: quæ & ipſa dei virtute tanq̃ balneum temperatum effe-cta eſt, ſed ex reſilientibus guttis, ex aſtantibus gentilibus, quinque & ſeptuaginta periere. Ea propter data a præfecto ſententia, Iuliana decollata eſt. Ac ſic ex huius ſeculi tædioſa, permoleſtaque peregrinatione, & ex hiſce erroribus turbulentis in tranquillum illum & exoptatum beatitudinis portum beneficio acerbiſſimi martyrij, decimoquarto calendas Martias elata eſt. Illam igitur cum diabolo primum conflixiſſe, & de ipſo triumphaſſe, atque inde flammas ignium, & ollam feruentem ſuperatam, optatam beatitudinem promeruiſſe conſtat, quæ nulli fortunæ, nulli ve corruptioni ſubiecta eſt. Vnde eius martyrium Chriſtiani ſingulis annis, cum laude & gratiarum actione ad deum, atque ſingulari deuotione proſequuntur: ꝙ his fluctuoſis ſeculi malis Iuliana virgo liberata, cœleſtibus illis ſempiterniſque bonis cum triumpho potita ſit. Eius autem ſanctum corpus haud multo poſt aromatibus conditum, per Sophroniam nobilem matronam, apud Puteolanam Campaniæ vrbem delatum eſt. Aliam autem eiuſdem nominis virginem apud Comum Ciſalpinæ Galliæ fuiſſe conſtat, quam huius martyrij genus pertuliſſe plurimi aſſe-uerant: quibus ego non libenter aſſentio.

¶De ſancta Chriſtina virgine & martyre. CAP. CI.

CHriſtina virgo & martyr, natione Hetruſca, ex oppido Vulſino, quod nũc Bulſena oppidũ nuncupabatur. quod quidem oppidũ ædificatum fuit in ruinis vrbis Vulſinenſiũ, quæ olim erat ex primarijs Hetruriæ vrbibus oriunda. Imperãtibus Diocletiano & Maximiano principibus, & Marcello põtifice in cathedra Petri pręſidẽte, glorioſum pro Chriſto, apud idem oppidum pertulit martyrium. Hæc quippe Vrbanum virum nobiliſſimum habuit parentẽ: quæ cum eſſet eximiæ pulchritudinis ac ingenio, & moribus plurimum inſignita, ſua in adoleſcẽtia, magno fuit patri ſolatio, magnoq; gaudio ac voluptati, maxime cũ animaduerteret ipſam ingenij eſſe maximi. & plurima morũ elegantia, atq; probitate filia: quibus quidẽ virtutibus ipſe Vrbanus pater miro perfundebatur gaudio. Hęc itaq; omnibus virtutibus decorata, diuino afflata numine, ad Chriſtum cõuerſa & baptizata, chriſtianam religionem & re ac nomine, miro ardore cõplexa eſt. Eius pater cũ in turri excelſa dijs aureis argẽteiſq; ſæpius ſacrificaret, etiã filiã id facere edocuit: quo poſtmodũ errore cognito, ſpretis idolis, ſuũ ſacrificium Chriſti offerre cõſtituit. Quod ancillæ videntes, eidẽ dixerunt: Quid eſt domina noſtra, ꝙ iã multis diebus exactis, ex quibus abs te dijs non eſt ſacrificatum? Veremur etenim, ne ob id irati, irã ſuper nos e cœlo tranſmittant. Accuſarunt igitur eam apud patrẽ ſuum, ꝙ confractis paternis idolis, pretium pauperibus diſtribuiſſet. Quam ob rẽ pater nimium iratus, acriter eam cædi fecit, ac in tetro carcere recludi. At Chriſtina poſt cæſionẽ ad patrem ait. Aurum mi pater ignis probat: ſic & flagella bonos viros. Opus eſt enim ad notitiam ſui, experimento venire. Quid quis poſſit, niſi tentatus non didicit. Rurſus e carcere vbi ſeruabatur a patre accerſita, videns eius animum in propoſito chriſtianitatis fixum: furore ſuccenſus, nullum excogitari potuit genus cruciatus, quod illam ad mortem vſq; non afflixerit: deinde in rota porrecta ac vincta, quo tortionis genere aliud nullum inueniebatur horribilius, ita membratim exagitari fecit, vt ſolutis eius neruis, artubuſq; laxatis, eius carnes defluerent. At virgo conſtantiſſima, tulit de carnibus ſuis, & in faciem patris proiecit, dicens. Deſyderaſti innocentium carnes manducare, iam tuam ipſius carnem manduca. Tum pater iuſſit aliam rotam afferri: in qua Chriſtina ligaretur, & igne ſub rota ſuppoſito rotando oleum deſuper infunderetur. Sed CHRISTI ancilla dum hęc immania circa eam agerentur, animo infracto dixit. Sicut dies tui pater pronis lapſibus accele-

rant incaſſum, ſic mundus ſordibus ſenectutis te rotabit in lapſum, ſed me ſuffragio mortis victricem tandem ſuſcipiet cœlum. Apud me & cunctos Chriſti fideles poſt perditum mundum, poſtq; huius corporis mortem, ſanata erunt omnia, ipſa quidem lætabor in incolumitate membrorum, vbi vita nullo morbo vexabitur. Cumq; iam eius dirumpentur membra: Chriſtina his verbis orationem fudit. O domine Ieſu Chriſte, qui vna cum patre æterno, in cœlo ſemper habitas, & nusq̃ dees: obſecro ne relinquas me in agone conſtitutã, ſed extende manum tuam, & hunc qui mihi ancillæ tuæ paratus eſt extingue ignem, ne tyrannus pater meus ſuper me gaudeat. Vix hæc erat verba effata, flamma erupit, & mille viros interfecit. Tunc pater: enarra mihi inquit Chriſtina obſecro, quis te tot, tantaq; maleficia docuit? Reſpondit illa. Dixi iam tibi, meum patrem eſſe Chriſtum, qui me veritatem obſeruare docuit, & ab errantium via ad æternam gratiam me reduxit. Repletus ira & inſano furore Vrbanus, iterato eam in carcerem recluſit: vbi angelorum miniſterio non modo paſta, ſed & ab omni plaga curata eſt. Circa vero mediæ noctis ſilentium, Vrbanus pater miſit, qui Chriſtinam virginem ligato ei ſaxo in Vulſinũ ibidem prope demergerent lacum, ſed angelico præſidio liberata, in litus e veſtigio incolumis delata eſt. Tunc orauit ad dominum, dicens. Domine Ieſu Chriſte, qui non derelinquis confidentes de tua miſericordia, obſecro nunc, tua mirabilia in me ancillam tuam oſtendere non recuſes, ſed me per baptiſmum renaſci iube, vt ab omni carnis inquinamento & ſathanæ ſpiritu emunder. E cœlo protinus nubes lucida deſcendit, & baptizauit eam. Moxque vox ſubſecuta eſt, dicens. Ego Ieſus Chriſtus quem confeſſa es nunc adſum: quoniam inuocaſti me, nec te prorſus derelinquam, donec compleatur curſus vitæ tuæ. Eademque nocte eius pater Vrbanus dei iudicio naturæ conceſſit. Poſt cuius obitum Dyon quidam maximus chriſtianorum perſecutor, in magiſtratu ſucceſſit. Qui cũ Chriſtinam ad immolandũ idolis cogeret: ipſaq; ſe facturam omnino recuſaret, illico in clibanum pice, ceraq; ac oleo ſuccenſum immitti iuſſa eſt. At illa læto vultu cœlũ aſpiciens: dixit. Hymnum tibi dico, tuũq; nomen ſanctum glorifico domine Ieſu Chriſte: qui me dignatus es renaſci per lauacrum generationis & renouationis tui ſanctiſſimi nominis. Vidi etenim ſanctum angelum tuum, cuius ope ignis iſte ſuperatus eſt, vt per tua mirabilia tuum ſanctum nomen vbiq; glorificetur, Ac per hoc ignis illi minime infeſtus fuit. Poſtmodum iuſſa eſt Apollini thura dare, ſed orante illa, ſimulachrum quod adorare iubebatur, in fauillam ſubito redactũ eſt: & tyrannus ſtatim interijt. quo quidem miraculo, tria milia hominum Chriſti iugo colla ſubmiſere. At vbi Iulianus quidam eidem ſucceſſor factus fuiſſet, & ipſe Chriſtinam virginẽ idolis immolare præcepiſſet, illaq; ſimiliter infracto animo abnuiſſet, iterato in ardentem caminũ proijci iuſſa eſt: ſed dei virtute in nullo læſa, e camino veluti de lauacro ſudans, exijt magnifica. Videns autem Iulianus virginis virilem conſtantiam: per Marſum duas aſpides, & duas viperas, ac dracones duos eidẽ iuſſit dimitti. Qui mox Marſo interfecto, pedibus eius ſeſe proſtratos dederunt. Quibus illa, loca deſerta mox petere præcepit. Tum Chriſtina aſtantibus voce ſubmiſſa dixit. Non eſt chariſſimi mei arbor ſolida neq; robuſta, niſi quæ aſſidui turbinis incurſione ſtipitibus concuſſis, huc atque illuc inclinata tentetur: in qua ſæpe ventorum turbinum flamen incurrat. Ipſis etenim vexationibus conſtringitur, premitur, fixiſque radicibus certius roboratur. Ita & ipſa nunc mordacibus huius tyranni flagellis frequentium tormentorum munior extenſa, & corrigor roborata, ac conſtringor cæſa: igitur carebo ſqualoribus, dum longis caſibus venio ventilata. Poſt hæc Chriſtina oratione fuſa, Marſum ſuſcitauit a mortuis. Propter quod Iulianus obduratus: ſubiugatam, inquit, Chriſtina omnem terram tuis maleficijs reddidiſti? Reſpondit illa. O obdurato nimium corde, & ab omni prorſus veritate aliene, quomodo necdum deum, & dominum noſtrum IESVM CHRISTVM qui pro me tam mirifice pugnauit agnoſcis. At ille implacabili ira commotus, poſt

mammillarum abciſionem, etiam linguam eidem abcidi mandauit. Quibus geſtis ſubito facta eſt ad eam vox de cœlo, dicens. Quia bene & perſeueranter curſum conſummaſti Chriſtina famula dei, multumq; ſuſtinuiſti, idcirco regna cœlorum tibi vtique ſunt reſerata. Igitur ſagittis plurimis confecta, martyrij ſui curſum conſumauit, nonoq; calendas Auguſtas iuſticiæ coronam & requiem inter angelorum choros accepit, vbi omni perturbatione curaq; vacua, lætatur & exultat, diuina viſione perfruens. Eius autem ſanctum corpus Venetias poſt annos quadringentos quinquaginta tranſlatum, in Torcellana haud magna vrbe ſeruatur. Ad eam enim vrbem a Cōſtantio Heraclij imperatoris filio autumatur fuiſſe delatum: ꝙ cum Romam accederet, eo in loco declinans, vicum extruxit, quem ex ſuo nomine Conſtantiacum voluit appellari. e Roma vero rediens, ex Vulſino ſublatum, illi eccleſiæ Torcellanæ dono dedit, vbi & nunc vſque ſeruatur.

¶De ſancta Fauſta virgine & martyre. CAP. CII.

FAuſtam item Italicam virginem, cum Eulaſio militiæ magiſtro, eodem tempore ſub Maximiano principe glorioſum martyrium pertuliſſe comperio: ſed ex qua ciuitate fuerit, vetuſtas abſtulit. Nam idem Eulaſius cum eſſet primus Palatij tyrannus ſeu magiſter, ab Maximiano primū dehoneſtatus, deinde in eculeo diu ſuſpenſus & tortus fuit. Fauſtam vero virgūculam ætatis trium & decem annorum: per medium, quaſi lignum ſecari præcepit. Hæc itaq; tanto memoratu dignior fuit, quanto parentibus orbata puellula effulſit ſplendidior. Quæ vbi tredecim annorum puella parentibus orba fuit, in chriſtiana fide apud quendam grauem virum Cozicum nomine, per agnatos enutrita & informata peregregie extitit. Quæ diuini prope ſpiritus cum eſſet puellula, vt perſpicue dignouiſſet chriſtianorum vita, cunctis in ſpeculo eſſe poſitam: mox pro ſua virili ſtuduit, ſapientiæ. grauitati & manſuetudini operam dare, nec ſuam linguam in operibus hominum loquendo inquinari conſtituit: ſed potius ſine vlla intermiſſione in lege domini meditari die ac nocte. Et propterea ſi aliquis ſuæ ſalutis inimicus, eidem quouis modo ſubſannaſſet, deriſiſſet, aut detraxiſſet: non ſolū non metuere videbatur, ſed potius lætabatur. Memorem ſe illius propheticæ ſententiæ confitebatur eſſe, per quam dominus ſui nominis cauſa tribulatos hortatur, dicens. Audite me qui ſcitis iuſtum : populus meus in quorum corde lex mea poſita eſt. Nolite timere opprobria hominū, & eorum blaſphemias ne metuatis. quia ſicut veſtimentum, ita & ipſi per tempus deficient: & vt lanam comedet eos tinea. iuſtitia autem mea in ęternum manet, & ſalus mea in generationes generationū. Hanc igitur Maximianus Auguſtus audiens eſſe chriſtianam : continuo Eulaſium militię magiſtrum miſit, qui eam diligenti indagatione exquireret, inuentamq; idolis ſacrificare compelleret: Quam inuentam, blandis primo ſermonibus vt diis immolaret adhortari cœpit. Cui virgo. O Eulaſi, talibus inquit dijs ego minime ſacrifico: quoniā ſurdi, muti & cęci, ac opera manuum hominum ſunt. Ego quippe deum meum habeo, quem adorem ſaluatorem meum Ieſum Chriſtum, qui in cœlis ad dexteram patris ſedet, cui ſacrificiū laudis ſacrificem. Nec eſt, cur eū relinquam, ne meæ illibatæ virginitatis mercedem perdam, Eulaſius ad eam ait. Audi me Fauſta, & credens mihi diſces am e vtriq; veritatem. Ne me, inquit, putes Fauſta de inſipientibus ſeculi eſſe virginibus, vt me tuis blandis ſermonibus circūuenias aut illaquees, quia Chriſti ancillam me profiteor: quę etſi ętate paruula tibi videor, cor tamen deo meo firmiter cohęret. Eulaſius ira repletus, præcepit vt ea coram omnia carpentariorum ferramēta afferrētur, vt vel ex his perterrita, eius ſententiæ obtemperaret. At illa in domino confidens, minas non modo contemnere, ſed & tormenta appetere videre viſa eſt,

Dicebatq́;: Mihi equidem tutiſſimum eſt Eulaſi, atq́; pro magno duco, poſſe domi= ni mei Ieſu Chriſti imitari atq́; ſequi veſtigia, qui dixit. Ego ſum via, veritas, & vi= ta. Nequaq̃ me errare pertimeſcã, ſi veritatem ſequi voluero. Et ideo illum humili prece deprecor, vt mihi concedat ambulare, prout ipſe ambulauit. Ipſe quippe do= minus meus Ieſus Chriſtus (vt diuus eius apoſtolus Petrus ſcribit) pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum ſequendi veſtigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Qui cum malediceretur, nõ maledicebat: cum patere= tur, non comminabatur. Tradebat autem iudicanti ſe iniuſte, qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus. Ad illius exemplum igitur mittimur omnes, quem fatemur imitandum. His ex ſententia di= ctis: Eulaſius confeſtim eam ſuſpendi fecit, atq́; vngulis immaniter exungulari. Quę dum torqueretur, orauit dicens. Deus pater domini mei Ieſu Chriſti, qui tribus pu= eris in camino ignis affuiſti, & Teclam virginem tuam de igne & amphiteatro libe= raſti, atque Danielem puerum tuum de lacu leonum, Quiq́; & beatum Petrum apo ſtolum tuum, qui in vinculis tenebatur in carcere, abſoluiſti: atq́; Moyſem famulum tuum per mare, quaſi per ſiccum eduxiſti, Qui & reſpicis ſuper terram & facis eam tremere, mihi ancillæ tuæ peccatrici obſecro propitius adeſto, quibus expletis, pro= tinus fulgur e cœlo cecidit, quo prodigio multi conterriti ac admirati ſunt. Et q̃ ma xime Eulaſius expauit, dicens. Ne forte hæc malefica perdat nos omnes, ſicut ha= ctenus miniſtros noſtros: idcirco ligneum loculum deferri præcepit, vt in eo tanq̃ li gnum coniecta, ſerra immaniter ſecaretur. Verum carnifices in ſecando ipſam, adeo deſudarunt, vt pro ſudore, ſanguinem viuum effunderent. Laſſiq́; nimium receden= tes, Eulaſio ipſi nuntiarunt, alios ſufficeret, quoniam viribus fracti, vltra amplius nõ valerent. Ob hoc conturbatus nimium Eulaſius: Scio, inquit, o Fauſta meis viri= bus te contriſtari haud poſſe, quoniam malefica es. Cui illa. Celerius enim te ad fi= dem meam conuerti faciam, quam tu me ad tuos nephandos errores perducas. Deus chriſtianorum o Eulaſi immortalis omnino eſt: immortalesque efficit eos qui ob eius amorem in agone contendunt & vincunt. Nam ipſe ſuo nos euangelio docet creatorem ſolis & lunæ decenti fide colere: nec elementa corporum, nec alia viſibi= lia, ſed eum qui per hæc inuiſibiliter cognoſcitur, creantem intellectum ſolum ad= mirari, ſolumque adorare nos docuit: qui per omnia penetrans, cum ſit incompara= bilis, ſolo intellectu percipitur. Panditur autem nobis per ea quæ fecit, quæ pro= duxit, gubernat, conſeruat, omnibus inuiſibiliter aſſiſtens: non cœleſtibus ſolum, verum etiam terreſtribus magnificentiam operum ſuorum: per hæc oſtendere vo= lens, his etiam qui deos falſos adorant. His auditis, Eulaſius credens, Fauſtæ ſen= tentiam illico ſecutus eſt. Tum imperator præfectum miſit, qui Eulaſium puniret. Comprehẽſa deinde Fauſta, in amphitheatrũ eã perduci iuſſit, vt feris eam dilanian dam exhiberet. Quæ omnes currentes veluti canes manſuetiſſimi, ad pedes virginis accubarunt. Poſt hæc clauos plurimos in eius corpore configi præcepit, deinde in ſartagine eã vna cum Eulaſio confrigere præcepit. Vbi in tormentis conſtituta, cum propheta pſallẽs, dicebat. Tanq̃ prodigiũ facti ſumus multis, & tu domine adiutor fortis. Maledicunt nobis domine, & tu benedices. Qui inſurgunt in nos, confundan= tur: ſerui autem tui domine deus noſter lætabuntur in te. his expletis, ſtatim ſartago refriguit. Tum etiam iſte præfectus fidem CHRISTI complexus: e veſtigio vox de cœlo venit, dicens. Venite iam benedicti, percipite regnum, quia cœleſtis pa= ter vos in exultatione expectat, redditurus laborum veſtrorum præmia. Hæc audi= entes, lætis vultibus, vniuerſis circa eos fidelibus plorantibus, ſoli ipſi ridentes, ac ſi non emorerentur, ſed migrarent, & mutare amicos, non relinquere, ſpiritus domino reddidere ſuos. Tunc Maximianus Auguſtus audiens quæ de Eulaſio & altero præfecto contigiſſent, ſuos deos blaſphemauit, cognoſcenſque, eos nihil iam valere, deinceps a Chriſtianorum perſecutione deſiſtere propoſuit. Populi au=

tem circunſtantes omnes pariter exclamauerunt. Magnus eſt deus Chriſtianorum, qui magna in omnibus operatur. Atque ita vnuſquiſque cum gaudio ad ſua remeauit, glorificantes & benedicentes patrem & filium & ſpiritum ſanctum. Cui eſt honor & gloria in ſecula. amen. Paſſi autem ſunt Fauſta & Eulaſius, duodecimo calendas Octobres: quo quidem die, eius videlicet Fauſtæ ſanctæ virginis annua ſolennitas celebratur. Eius autem ſanctiſſimæ reliquiæ, Lucæ reconditæ, cum honore habẽtur in tẽplo diui Fridiani. Innumerabilia de vita iſtius ſanctæ virginis Fauſtæ, fortitudine videlicet prudẽtia, pietateq́ dici potuiſſent, quę breuitati ſtudẽtes omiſimus.

De ſancta Margarita, virgine & martyre. CAP. CIII.

MArgaritam autem beatiſſimam virginem, apud Antiochiam glorioſum pro Chriſto martyrium pertuliſſe proditum eſt: verum quibus temporibus, aut quo die, vel quo apud Romanos imperante principe, apud diuerſos ſcriptores ambigitur. Quæ quidem varietates argumento non carent. Sed omiſſis ſcriptorum diſcordãtijs, quod plurimi opinantur, mens eſt: eam ſcilicet imperantibus Diocletiano & Maximiano potius paſſam fuiſſe. Eam quippe Theodoſij cuiuſdam gentilium, maximi patriarchæ filiam fuiſſe tradunt. Quæ non ſolum mirabili corporis formoſitate, & egregia eruditione, ac copioſa vitę ſanctimonia, ſed & potentia aduerſus dæmones claruiſſe ac valuiſſe proditum eſt. Eidem nẽpe conuenienter ad naturam rei, Margaritæ nomen inditum fuit. quia id nomen, ipſa ſua natura & vita fuit. Nam & nomẽ ipſum Margarita, pretioſum lapidem ſignificare poteſt, qui multas in ſe continet virtuoſas proprietates. Affuit quippe a puero, in huius virginis animo, diuina quædam vis atq́ gratia, qua ſupra corpuſculi ſui ſenſus permulta ex ſeſe, & intelligeret & videret: quæ alij forte maiores, nec cogitare quidem potuiſſent. Cumq́ ſupra ætatem & callere & ſapere cepiſſet, deum omnipotentem religioſiſſime adorare & venerari cœpit: rebuſq́ diuinis, prout cognoſcere poterat, nihil ducere ſanctius: pauperes inter cętera incredibili pietate propter deum confouere, & proſequi non deſiſtebat. Cumq́ quintum ſupra decimum ætatis attigiſſet annum, audiẽs incredibilia martyrum certamina, q́ videlicet multus iuſtorum effunderetur ſanguis, ſpiritu ſancto repleta, totam ſe domino comẽdauit, ac dedicauit in primis. Inde ex ſeſe regulam bene beateq́ viuendi ſibi conſtituens, tota in deum conuerſa, miſericordiam, modeſtiam & humilitatem, cum omnimoda caſtitate amplecti voluit. Atque in omni actu & verbo ſuo mentem quietam atq́ placidam ſibi ſeruari cõſtituit: ſemper ſuis cogitationibus dei præſentia occurrebat. Erat vtiq́ in cũctis eidem humilis animus, ac mitis, ſolummodo aduerſus vitia erectus. Pro modulo quippe ingenij ſui, animam ſuam tanq̃ dei templum virtutibus præparare conabatur. Affirmabat enim ſanctorum corda dei templa eſſe, ſicut Apoſtolus ait. Templum dei ſanctum eſt: quod eſtis vos. Cumq́ noſſet dominum per prophetam dixiſſe. Super quem alium requieſcam, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem manus meas. Nihil ipſa humilitate habebat præſtantius nihilq́ amabilius: ſperans ob eandem ſolam virtutem, & hominibus & deo effici poſſe gratiſſimam. Sequebatur tunc armenta nutricis ſuæ virgo Margarita laſciuiẽs, haud procul ab Antiochia: quã qum Olibrius pręfectus ex Aſia veniens, vidiſſet inſignem formoſitate, laſciuiẽtem: miſit e veſtigio tanq̃ potens homo, qui eam ad ſe deducerent, vt vel in coniugem, vel in concubinam ſibi aſſumeret. At illa ſubito Chriſtum inuocare cœpit, dicens. Ne perdas cum impijs deus animam meã, & cum viris ſanguinum vitam meam. Vt non polluatur fides mea, nec inquinetur corpus meum. Mitte mihi obſecro deus meus Angelum gubernatorem, qui meos adaperiat ſenſus, vt cum fiducia atq́ ſapientia reſpõdere poſſim iniquo præfecto. Raptaq́ puella, confeſtim præfecto adducta eſt. Dixe-

runt autem,digniſſime præſes:puella hæc Chriſtum inuocat, quem Iudæi cruci affi‑xerunt. At præſes iuſſit illam ſuis tribunalibus ſiſti. Vbi interrogata de nomine, de genere,deque cultura deorum:Reſpondit. Nomen mihi magnifice præſes Margari‑ta eſt,Ingenua equidem & ex ſpectabili genere: Ieſum Chriſtum vero omnipoten‑tem deum inuoco & adoro:qui meam virginitatem in hunc vſq; diem illibatam in‑uiolatamq; conſeruauit. Iratus præſes,mox eam in carcerem recludi præcepit. Quam poſtea,cum nec vllis pollicitationibus:blanditijſq;,aut minis,nec adduci,nec ſeduci, aut illudi poſſe vt deos adoraret,videret,in aere ſuſpenſam diu cædi fecit. Illaq; cœ‑lum ſuſpiciens,dicebat. In te domine ſperaui,non confundar in æternum,neque irri‑deant me inimici mei. Reſpice obſecro me ancillam tuam,& miſerere mei:libera me de manibus impiorum, ne forte percuſſa,formidet cor meum: ſed mitte rorem tuæ gratiæ,vt ſanentur plagæ meæ,& dolor meus conquieſcat. Hæc ipſa orante tandiu queſtionarij eam ceciderunt , donec terra ſanguine eius rubricata perfunderetur. Tunc illa inquit: Melius eſt mihi ſupernæ diſciplinæ iudicio humiliari,q̃ cum in‑fidelitate, & eius ſectatoribus damnari , dicente Apoſtolo noſtro. Qum iudicamur a domino, corripimur: ne cum hoc mundo damnemur. Fortitudinis enim chriſtia‑norum eſt,quaſi per ignes & flammas vaſorum more purgari. Tunc præfectus,quid eſt inquit Margarita q; obaudias nos, & tui non miſerearis? Conſenti mihi & deos adora, ne male cum cæteris pereas. Cui virgo. O inique impudenſque canis. Si ego carni meæ fragili cõmiſerer,animã meam in interitum deducerem,ſicut tu tuã: ſed malo ipſam tormentis execrabilibus exponi,vt poſtmodum anima coronetur in cœ‑lis. Ille quidem incolumis eſt,quem deus quolibet verbere corrigit,qui ſe noſtri ama torem caſtigando oſtendit. Ipſe autem nobis dixit. Quos diligo,vtique arguo & ca‑ſtigo. Iratus ob hoc Olibrius iuſſit eam in carcerem teterrimum trudi. Vbi cum ora‑tionem fudiſſet:confeſtim e carceris angulo,draco horribilis exiuit qui eam deglu‑tiuit. Verum crux Chriſti quam ſibi impreſſerat Margarita, adeo in draconis ipſius ore excreuit,vt ipſum illico in duas proſcinderet partes. Quam ob rem beata virgo ex eius vtero exiuit illæſa. Atq; in ipſo horæ momento, in ſiniſtram partem conſpi‑ciens,vidit ſathanam hominis nigri formam habentem,& ſtãtem. Quem virgo cum apprehendiſſet,in terram illiſit,dicens:Iam tandem inimice,feraq; peſſima,ac gehẽ‑næ autor conquieſce. Poſtero vero die præſes ad eam dixit. Deos meos adora.cui il‑la. Te potius decet magnifice præfecte,deum meum adorare,quoniam perfectiſſimus beatiſſimuſq; eſt,ſibi quidem ac cæteris omnibus ſufficiens. Omnium enim rerum ip‑ſe principium, ipſe medium, ipſeque eſt optimus finis. Operibus autem notiſſimus atq; manifeſtiſſimus. Subſtantia deinde penitus inuiſibilis:cui ſimile, nec videre,nec excogitare quicq̃ poſſumus. Quare, nec materia vlla, ad imaginem eius ſuſcipi, nec ars imitari eum fingendo poteſt. Opera quippe ipſius dei noſtri, oculis noſtris cerni‑mus, videlicet, cœlum, terram, ſolem, lunam,lucem, fluuios,mare, animalia, plan‑taſq;:quæ ipſe ſolus fecit,non manibus quidem,neq; labore,nec alicuius auxilio: ſed qum voluit omnia bene fieri,illico benefacta ſunt. Hic domine præſes tibi omnibuſ‑que hominibus,ſequendus eſt,& vtiq; colendus, colitur autem tantũmodo virtutum operatione. Nos autem ob hoc ſæpius aduerſam fortunam,multo magis q̃ cæteræ na tiones ſuſtinuimus,nec etiam in ſummis periculis hanc legem,huncq; colendi veri dei ritum deferere volumus. Tui autem dæmones, quos deorum loco me venerari & co‑lere iubes. Illos vtiq; apertiſſime malos,hoſteſq; demonſtrare poſſumus. Quia omne quod bonum eſt,non prodeſſe non poteſt,& e contra,quod malum eſt. Saturnus au‑tem & Iupiter, Minerua, Iuno & cæteri ſimiles dij tui, cæde & ſanguine hominum ſummopere gaudent: & quomodo boni iſti dij igitur erunt? immo ſceleſti atque per‑nicioſi ſpiritus, quos me adorare compellis. Animaduerte obſecro digniſſime præ‑ſes: quid de vero deo noſtro quem nos colere dicimus,etiam tuus antiquiſſimus Or‑pheus vates cecinerit: ipſum videlicet cuncta creaſſe aſſerens his verbis.

Ingreſſus hoc iter: ſolum illum ſuſcipe mundi,
Qui nullumq; malum mortalibus inuehit vnq̄
Ingentem autorem, ſolum interituq; carentem:
Quem præter non eſt alius: tu cuncta videto
Quem nos præſenti, qui ſit ſermone docemus.
Hic ipſum in terris melius quo cernere poſſis:
Vnus perfectus deus eſt qui cuncta creauit.
Hic etenim video ipſius veſtigia: fortis
Cuncta fouens: atq; ipſe ferens ſuper omnia ſeſe.
Hicq; manum video: verum ipſum cernere quis ſit,
Qui capitur mente tantum, qui mente videtur,
Nequaq̄ valeo: nam nubibus inſidet altis.
Ipſe eſt principium, medium quoq;: & exitus idem.
Priſcorum nos hæc docuerunt omnia voces.

Sed non his ſolum verum etiam omnibus philoſophis, qui hoc nomine digni viſi fuere, ita ſicut & nos, pia de deo ſententia videtur habenda. Sola itaq; lex noſtra diligentiſſime ſanxit, quæ ad pietatem veram nos adducit, & veræ virtutis curam nos habere compellit. His autem rationibus non modo non compunctus, ſed maiorem in modum induratus præfectus, illam immolare cōpellit: quę cum abnueret, appendi iubetur, & flagris toto corpore laniari, videlicet vt doloris acerbitate faceret inuita quod præcipiebatur. At illa cum maneret immobilis, viſceribus iam pelle nudatis, iubetur aceto & ſale perfundi. Cumque etiam hoc tormenti genus Margarita virgo conſtanter & fortiter toleraſſet, vas aqua plenum prunis ſubſtratum, iubetur poni in medio, in eoq; virgo manibus pedibuſq; vinctis imponi iuſſa eſt. Sed ab ipſa oratione effuſa, illico terræ motus factus eſt magnus, & mox columba e cœlo veniens, coronam auream Margaritæ capiti impoſuit: & mox e cœlo vox ſubſecuta eſt, dicens. Veni dilecta mea, veni in requiem tuam, venique in regnum cœlorum, tibi a domino propter fidei conſtantiam præparatum. Beata es quæ virginitatem amaſti, iuſticiam, patientiam conſeruaſti: quoniam ob hoc corona regni cœleſtis tibi donata & decreta eſt. In ipſa autem hora ad quinq; hominum milia, exceptis mulieribus & paruulis, in domino credidiſſe proditum eſt. Propter quod Olibrius eam decollari pręcepit. Ad quam mox, maximus concurſus tam gentilium q̄ chriſtianorum factus. Nam infirmi, cæci, claudi, ſurdi, debileſq; quotquot ſanctum corpus contingere poterant, ſani ſaluiq; fiebant ab eorum langoribus & infirmitatibus. Hæc quippe Margarita virgo non ſolū ſanctitatis ob hoc martyrium, decus adepta eſt, quinimmo præ cæteris virginibus ſanctis parturientiū aduocata præcipua tanq̄ mater eſt habita, eiq; templa & altaria, atq; ſacella, & ſacra officia inſtituto eccleſiæ publico ſunt conſtituta. Statuitq; ſacra ſynodus eccleſiaſtica, vt ageretur dies martyrij eius in temporibus ſuis, ab anno in annum tertiodecimo calendas Auguſtas, cū lætitia & exultatione a cunctis Chriſti fidelibus.

De ſancta Euphemia, virgine & martyre. CAP. CIIII.

EVphemia virgo temporibus Diocletiani principis apud Chalcedonenſem vrbem, tanq̄ præſentem vitam paruipendens, acerbiſſimum pro Chriſto pertulit martyrium, & futuræ gloriæ ingenti ſua virtute, cum magno ſui fulgore conquiſiuit beatitudinem. Vtrum autem hæc fuerit Aſiana vel Romana non ſatis conſtat, Creditur tamen potius Romana, eo ꝙ ſenatorem habuerit patrem, ex Thodola vxore ſuſcepta. Ipſos quippe chriſtianos crediderim, dum intuear, inſignem pietatem eorum, in exequijs funeralibus ipſius Euphemiæ poſt martyrium. Nam ea defuncta, ipſi parentes furtim nocte corpus ſuſtulere,

& mille paſſus ab vrbe Chalcedonia aromatibus delibutū,ſepulchro condidere. Hęc etenim præter nobilitatis & virginitatis inſignia,ſuo æuo cōſtantiæ inuictæ meritis, cæteris fuit præponēda martyribus. Cuius fortitudo tanta fuit cunctis in admiratione,vt eam adamantinam potius q̃ fœminā carnalem diceres. Ipſa igitur cum chriſtianiſſima haberetur,& Chriſti nomen infracto animo vbiqꝫ confiteretur,deferente iniquiſſimo Apolliano,cū alijs nouem & quadraginta procōſuli Priſco tradita eſt. Cui Priſcus. Hortor ac moneo,te ipſam honorare,ac tui generis dignitatem cōſeruare,vt & tu hic deo Marti,ſicut & in cæteris tēplis ſupplicationes quę ad expiāda prodigia fiunt,immolare velis. Quæ quidē verba,etſi virgo Euphemia non ſine aliqua mentis cōſternatione audierit,atqꝫ eo in loco conſiſteret,vbi etiam fortiſſimi viri timere cōſueuerant,& hinc inde diſſonis clamoribus imperitæ multitudinis ageretur, minareturque ei ex aduerſo torua facie: in nihilo tamen eius muliebris conſtantia fracta eſt, quinimmo memor ſui ſaluatoris Ieſu Chriſti,qui pro omnibus nobis turpiſſimā crucis mortē pertulerat,conſtātiſſimo pectore & acri vultu,nulla ex parte territa,iniquā proconſulis ſuaſionē contemnens,ſignaculo ſanctæ crucis ſe muniuit,& ipſi proconſuli,fœdare ipſam conantem,ignominioſe exprobrauit: Nec ad id agēdum,ꝙ iubebatur vllis imperijs aut minis potuit induci aut flecti. Quæ tam animoſe procōſuli data repulſa,& inſani hominis iam iniqua ſuaſione fruſtrata,iāiam generoſi ac chriſtianiſſimi mulieris animi perſeuerātia,a cūctis laudari cœpta eſt. Iratus ob hoc vehementer procōſul,vt eam ſuperare poſſet,nimia crudelitate ſæuiens,in ea,omnia ſuppliciorum genera expendi iuſſit. Et primo carceres,poſt verbera innumerabilia, rotarum argumenta,ignes,& lapidum pondera,beſtias,& virgarum plagas,ſecures,ac igneas ſartagines: quæ omnia virgo nobiliſſima cum tanta vultus hilaritate,ac animi alacritate pertulit,vt nec triſtis quidē pro his videri potuerit. Tunc in proconſulem verſa,dixit. Hoc ideo proconſul contra me cæteroſqꝫ chriſtianos efficis,quia vbi vera ſit vita,te ignorare oſtendis. Falleris vtiqꝫ procōſul, fallit te quidem iſte cōmunis veſter error,decipiunt te dæmones iſti: Iſtiqꝫ dij,tanq̃ infenſiſſimi hoſtes vos omnes circūueniunt. Atqꝫ (vt ita dicam) vitæ origine deſerta,viuēdi quoqꝫ perditis rationē. Sed illam nos dicimus veram vitam,vitamqꝫ immaculatā,quæ deum omnipotētem cunctorum creatorē vere cognoſcit,eiuſqꝫ potētiam veretur Indeqꝫ amare pietatem, mundū in opifice admirari,& interpellatores cōtemnere omnino. Præterea omnem hominem propter deum amare quaſi fratrem: nullum lædere,cūctis ſeruire,ſicut ipſe deus vtiqꝫ facit. Qui præter miniſteriū quod interius cōtinetur,nobis quotidie ſeruire nō deſiſtit,videlicet producendo in mundo ſolem,emittēdo lucem,pluuias infundendo,tēpora variando,fruges vel gignēdo vel maturando. Nobis ædepol in totius creaturæ facie,vel vbertate deſeruit: quoniā cuncta pro nobis creauit. Ex his quidem beneficijs hominē inſtruit,nudum tegere,alere eſuriētem,ſitientem potare,infirmos viſitare,triſtibus cōdolere,mortuos ſepelire,nihil apud ſe habere quaſi ſuū: ſed omnia ſua cū omnibus exiſtimare cōmunia: tūc magis ſibi viuere, cum viuere æſtimatur alijs: ſibiqꝫ recōdere,cum alijs creditur erogare. Et hæc proconſul circa exteriores homines leniamenta tantū contingere dicimus. At vitā interioris hominis: in diuinarum rerum cognitione cōſtare dicimus. non qua cœlum terræ parte circumuoluatur, ſed in bonis optimiſqꝫ cogitationibus. Cogitationes autē bonæ ſunt,cū mens noſtra ſui recordatur autoris,cum eius opera,ipſum in eius operibus viſura miratur, Dicēte Apoſtolo noſtro. Inuiſibilia enim eius,a creatura mūdi,per ea quę facta ſunt: intellecta cōſpiciūtur,& ſempiterna quoqꝫ eius virtus,& diuinitas. i. cū immēſus orbis viſibilis creaturę,ad vniuerſitatē inuiſibilis creatoris extēditur. Nos autē ſeparati a mūdiali ſapiētia,quę vniuerſa fortuitis aſcribit,diuinis meditationibus ſublimati. & ab illis qui aut materiā ſemper fuiſſe dixerūt,deūqꝫ tantū artificē rerū voluerūt,ſeparati per ipſius adiutoriū: aut qui hæc ipſa elementa pro dijs coluerunt. aut a vobis qui familias deorum per ſexus,per ætates,per partes,velut per plebem aliquam ſenſibus

ſubiectam introduxiſtis: diſcreti per ſpiritum ſanctum, & in altiora ſubducti, vera vi-ta viuentes: hoc eſt veram ſapientiam ſapientes, iſta tua ſtultitia caremus. Recorda-mur etenim, ꝙ mundus a nihilo ex deo factus eſt, & ꝙ cuncta animalia per deum ver-bo opifice, vocata venerunt: quæ, a natura (vt vos exiſtimatis) neq; fuerunt, quoniam ipſi ſoli fas eſt, vocare quæ non ſunt, tanq̃ ea quæ ſunt. Et ne aliqua pars eius vacaret in nobis, ipſum hominem ad imaginē ſuam, de limo terræ facere dignatus fuit. Quæ cogitatio, vt tibi o proconſul dixi, eſt animæ vita, quæ eſt prima viuendi ratio, vt cui ſe debeat anima non ignoret: ne alium præter hunc, decepta veneretur & adoret. Eſt quippe, o proconſul inquit Euphemia virgo, anguſta non credentibus hæc diuina co-gitatio, ſed vitæ vtiq; plena eſt: incendit equidem hominem ad omne probitatis ſtu-dium, & illi ſui autoris cōmendat maieſtatem. Cumq; virgo ſancta mirabiliter apud proconſulem Priſcum & centuriones impios de diuina religione ſapientiſſime diſſer teq; diſſeruiſſet (erat enim hęc virgo eruditione liberalium literarum, & omnibus quę ad animi virtutem pertinent exercitijs apprime erudita) multi circunſtātium contra eā garrire cœperunt, atq; dicere vt monitis proconſulis adquieſceret, tot & tantis gra uiſſimis viris & mulieribus exorantibus animaduertere dignaretur. At illa velut ſi ſa xo immobili vnda adlideretur, eorum dicta reſpuebat, & animum in cœlum tende-bat. Tunc procōſul indignatus, eam per capillos ſuſpendi iuſſit: vbi cū diu immobi-lis permāſiſſet, poſt negato omni corporali cibo, in carcerē recludi præcepit, vt ſepti mo deinde die, inter quatuor grādes lapides, tanq̃ oliua cōſtringeretur, verum etiam ab huiuſmodi funeſtiſſimo ſupplicio diuinitus per angelū liberata eſt. Cumq; in ſin-gulis ſacratæ virginis delicatiſſimis membris ſpecialia geſtiret inferre ſupplicia, illa magis ac magis cōſtās & fortis inueniebatur in tolerādo, q̃ ipſe proconſul ingenioſus & callidus in exquirendo. Vincebatur etenim in omnibus, propter quod cū præ angu ſtia mori videretur, Spatarius quidā, vt domino ſuo morē gerere videretur, ac ipſius iniuriā vēdicaret, gladiū in virginis latus infigēs, ſanctā virginē tandē Chriſti marty-rem effecit. Atq; hoc modo beata virgo, in dei laude & timore perſeuerās, ſextodeci-mo calēdas Octobres, incōtaminatū deo patri reddidit ſpiritū. Sicq; Euphemia vir-go etiam poſt eius dormitionē, & ſanctitate & miraculis multis effulſit præclara: pro quo & templis & aris atq; caſtellis & oppidis, in eius nomine conſtructis, plurimum vbiq; venit celebranda. Diuus autē Ambroſius irrefragabilis eccleſiæ doctor, omnem huius ſanctæ virginis vitam & agones, ſua in præfatione his verbis perſtrinxit, dicēs. Virgo alma triumphatrix Euphemia, virginitatis retinēs vitā, paſſionis meruit deco rari corona. Cuius precibus inimicus hoſtis euincitur, & Priſcus aduerſarius ſupera-tur. A fornacis igne virgo ſæpius eripitur, & duri lapides in puluerem cōuertūtur. Fe ræ manſueſcunt, & colla ſubmittunt. Atq; omnia pœnarū ſupplicia, eius oratione ſu-perantur. Nouiſſime gladij mucrone confoſſa, carnea relinquens clauſtra, cœleſti cho ro iungitur læta. Hæc ſacra virgo tibi domine eccleſiam tuam cōmēdet, hæc inquam pro nobis peccatoribus interpellet. Hæc etiam vota noſtra, vt virgo vernula illibata tibi præſentet per Chriſtum dominum noſtrum. Hæc mirabilis ille Ambroſius ſan ctiſſimus in præfatione iſtius ſanctæ conſcripſit. Huius ſanctum corpus: nunc in Ru-bina Hiſtriæ ciuitate, in eccleſia ſuo nomini dicata reuerenter, & cum magna vene-ratione integerrimum ſeruatur, & magna populorum ac peregrinantium frequentia quotidie inuiſitur: Eo etenim miraculoſe ex Chalcedonia deueniſſe tradunt.

¶De ſancta Lucia, virgine & martyre. CAP. CV.

LVcia nobiliſſima Sicula virgo, eo anno & die, quo Maximianus iam non Auguſtus ſed tyrannus factus, a Conſtantino interfectus: hoc eſt anno a natali chriſtiano, ſeptimo ſupra trecenteſimum, ip-ſa teſtante apud Syracuſam vrbem ſuam, per diuerſa tormēta mar tyrij coronam adepta eſt: quam quidem, de patria ſua benemeren-tem, ſua laude hoc in loco haud defraudandam puto. Hæc itaque

Lucia,quæ in primis lux excreſcẽs dici poteſt,ex Syracuſana nobili Siculorum vrbe, virgo fuit,matremq́ Euticiam habuit:nec amplius ſuæ originis,poſteritati relictum eſt. Eam tamẽ ex chriſtianis,honeſtis,clariſſimis,ditiſſimiſq́ parẽtibus progenitam fuiſſe conſtat. Quæ adeo generoſæ fuit mentis,vt ætate florens & forma,non contenta ſolum ſeculares literas optime noſſe,quin ampliori feruore,& ingenij ſuaſa viuacitate,conſcenſa ſtudio vigili,felici auſu,ſe diuinis ſcripturis ediſcendis immiſcuit, in quibus laborem quãplurimum geſſit,& in earum eruditione clara nõ mediocriter effulſit. Quæ cum per omnia prudẽtiſſima virgo,vita & moribus euaſiſſet ornata,etiã erga indigentes, pientiſſima charitate ferebatur. Sane iam deſponſata,dum ad diuæ Agathæ virginis & martyris ſepulchrum cũ frequenti multitudine in Cathaniã vrbem pergeret,ſomno arrepta,vidit ipſam beatã Agatham in medio angelorum,gẽmis ornatam,& Euticiæ matri ſalutem pollicentem:quæ ſanguinis fluxum patiens, nulla poterat medicorũ arte curari. Quibus quidem viſis,expergefacta ſurrexit, tremens matri ſuæ ait. Mater mea,ecce ſalua facta es, per ipſum ergo te deprecor,qui te ſaluam fecit,ne tu mihi aliquando ſponſum hominẽ,nec tu velis de corporis mei poſteritate fructũ mortalitatis inquirere. Sed omnia quæ tu mihi datura es,eunti ad integritatis meæ corruptorem mortalem hominẽ,da mihi eunti ad integritatis meæ factorem dominum Ieſum Chriſtum. Cui mater Euticia. Omnia inquit quæ fuerunt patris tui defuncti, potius ampliaui q̃ minui. Mea autem quanta ſunt tu noſti. Tege prius oculos meos,& quodcũq́ tibi placuerit de ipſis omnibus facultatibus poſtea facito. Lucia dixit. Audi mater conſilium meum. Non ſatis deo charus eſt,qui illi hoc dat,quo ipſe perfui non poteſt:ſed ſi vis tibi gratum eſſe deum, hoc illi da, quo tu poteris vti. Nam quod moriens das,ideo das:quia tecum ferre non vales. Viuens ergo,& ſalutem tui corporis tenens,da Chriſto quod poſſides. legerat enim: Qui vult perfectus eſſe,vẽdat omnia quæ habet,& det pauperibus,& ſequatur me. Et iterum: non poteſtis deo ſeruire,& mãmonæ. Igitur exceptis vitæ ſuæ neceſſarijs, nihil amplius Lucia cũ matre Euticia ſibi reſeruauit. Vnde hic feruor,niſi ex amore dei? vnde legis Chriſti indefeſſa meditatio,niſi ex deſiderio eius qui legem dedit? Omnia itaq́ bona pene in Chriſti pauperes a Lucia virgine diſtracta,apud Paſchaſium cõſularem a ſponſo accuſatur Lucia: q́ ſcilicet chriſtianiſſima eſſet,& præter Auguſtorũ legem viueret. Quam ad ſe accerſitam Paſchaſius interrogauit:dicens,quænam hæc ſuperſtitio eſſet? Reſpondit Lucia. Ego quidem digniſſime Conſul,chriſtiana ſum, & a chriſtianis doctoribus,triplici regula viuere didici,videlicet pie,ſancte,iuſteque: vtpote amare deum omnipotentem feruẽtiſſimo cultu,virtutiq́ inhærere,atq́ amare proximum feruentiſſima charitate. Quod autem chriſtiani noſtri digniſſime Paſchaſi ſumme deũ diligant,multis argumẽtis animaduertere vtiq́ potes. Nam apud eos caſtitas perpetua eſt,iuriſiurãdi nulla apud eos mentio:mendacia,odia,aliaq́ vitia procul a nobis ſunt. Et vt virtuti inhærere videantur,pecuniam & opes (vt me feciſſe didiciſti) negligunt:gloriam ſpernunt,voluptates odiunt,cõſtantes,ſeueri,magniq́ animi etiam in tormẽtis pro deo exiſtunt,cæteraq́ huiuſmodi innumerabilia. Quãta autem ſit chriſtianorum charitas, ex beneuolentia, ſocietate,& æquitate perpulchre conijcere potes. Huiuſmodi homines,Chriſti religio efficit: quæ quidẽ virtutis opere,cunctis propoſuit:a qua libertas quidem oritur & confirmatur. Cauſa vero,& quæ libertatis noſtræ ſunt,& naturæ corporis ſunt,& quæ accidunt extrinſecus deus eſt,a quo vniuerſa quæ ſunt producuntur. Tũc Paſchaſius inquit. Iſta vana & ſuperſtitioſa ſunt. Tantummodo deos immortales adora,& illis ſacrifica. Cui illa. Sacrificium verum,& immaculatum apud deum & patrem,hoc eſt: viſitare pupillos,& viduas,in tribulatione eorum,& immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo. Tu autẽ facito quicquid vis,ego vero quę mihi ad ſalutem profutura ſint,ea perficiam. Nam ſi etiam verbera & cædes minaberis,exclamare non dubitabo:enſem acue,ignem afferas,corpuſculum meum totum concide,totumq́ cremato: ſtellæ potius in terram

deſcendent,& terra in cœlum aſcendet,quam falſum a me quicq̃ audias.Cumq; multa vltro citroq; dicta fuiſſent:iuſſit Paſchaſius lenones venire,qui virginem in libidinem prouocarent.At vbi cœperunt ſanctam virginẽ ad lupanar pertrahere velle,tanto eam ſpiritus ſanctus pondere fixit,vt penitus haud moueri poſſet, etiam magicis adhibitis artibus,& multis boum paribus.Tũ Paſchaſius.Quæ ratio hæc eſt inquit, q; puella delicata,a mille viris tracta,penitus nõ ſit mota? Cui illa.Etiam ſi alia decem milia abs te adhibita fuerint,audient per me dicentem ſpiritum ſanctum.Cadẽt a latere tuo mille, & decem milia a dextris tuis.Hoc audito, magis magiſq; inſanus iudex excruciari ſe cœpit,& terribili voce latratuq; perſequebatur,inſtabat,vrgebat, cogebat,minabaturq; eam cædere,& inuictam reclamantemq; ad iudicium pertrahebat.Cui virgo.Quid cruciaris miſerrime Paſchaſi?Quid palloribus trepidas? quid per diuerſa diſcerperis?Templum dei ſi me iam experimento comprobaſti: Crede. Si autẽ diffidis,diſcede.Verus enim profecto ille propheticus ſermo inuenitur: qui ait.Omnes dij gentium dæmonia.Atq; etiam illud apoſtolicum,quo dicitur. Quia quæ gentes ſacrificant dæmonibus,non deo ſacrificant.Et pro certo ſcias domine iudex,quia ſi quid boni in dijs tuis eſſet,benefactores & ſalutares hominibus eſſent:nec humano ſanguine gauderent,ſed reſpõſis,& omnibus modis a cæde humanum genus repellerent.Præcepit itaq; Paſchaſius copioſum ignem circa eam accendi, & vt celerius deperiret,picem,reſinamq; & tædas oleo illitas,lignis adiungi.At illa immobilis perſiſtens:rogaui,inquit,dominum meum Ieſum Chriſtum,vt ignis iſte non dominetur mei,vt credentibus timorem auferam paſſionis,non credentibuus vero, inſultationis vocem.Tunc amici iudicis videntes eum angore affici,iuſſerunt immergi gladium in gutture eius.Cõfeſtimq; percuſſa,q̃diu voluit orauit,atq; quãdiu voluit turbam eſt allocuta,dicens.Annuntio vobis pacem dei eccleſiæ datam,hodie Maximiano interfecto Et ſicut Cathanenſium ciuitas ſororis meæ Agathæ interuentionẽ habet,ita & vos ſi domini volũtatem ex toto corde feceritis,ſciatis & me huic noſtrę communi Syracuſanæ ciuitati,a domino datam.Dum hæc igitur agerentur:Paſchaſius accepta capitali ſentẽtia,q; Siciliam expoliaſſet,punitus eſt. Dei vero ſacra virgo Lucia,e loco in quo eſt percuſſa,non eſt mota:ſed neq; animã efflauit,quo aduſq; eidem per ſacerdotes omnia ſacra myſteria collata ſunt.Quo quidem in loco,& baſilica mox extructa eſt,& omnibus ſepulchrum eius contingentibus, ſanitatum beneficia largita.Sunt qui dicant,licet incerto autore,Luciam hanc virginem tam egregiæ formæ fuiſſe fœminam,quæ quum videret pleroſq; propter ipſius corporis pulchritudinem,& quendam maxime adoleſcentem,eius oculorum fulgorem nimium ardere: iuxta illud Euangelij documentũ,quo dicitur:Si oculus tuus ſcãdalizat te:erue eum & proijce abs te, protinus ſude ambos ſibi oculos eruiſſe,& illos per ancillulã ſuper inciſorium eidem tranſmiſiſſe,volens ex illatis ſibimet aliquibus vulneribus, & erutione oculorum potius decorem corporis deturpare,ac deformitate ſuæ caſtitatis fidem facere,q̃ alienæ damnationis & ruinæ, etiam ſuæ pulchritudinis incitamentum præſtare.Hinc eſt,q; beata Lucia a pictoribus cõſueuit depingi,cum oculis & ſude in inciſorio manibus delatis.Itaque hoc modo beata virgo Lucia mortalitatis nexibus abſoluta,in cœleſtibus aſſumpta eſt,Idibus Decembres:vbi eos nunc videt,qui ob legem ſeruatã,eo dei teſtimonio intelligunt ſe munitos,vt ob ea quæ geſſerunt in vita, neq; iudicium ſe oporteat,neq; iudicij euentum formidare.Illoſq; nunc contemplatur qui ſcilicet requiem ſuam intelligunt.Eoq; lenitur ſolatio,angelorumq; prȩſidijs ſtipata,ſuis in habitaculis mira cum tranquillitate gaudet & requieſcit.Huius nihilo minus ſanctiſſimum corpus incorruptum integerrimumque Venetijs in eccleſia ſuo nomini dicata cuſtoditur,adeo:vt eius mãmillæ videri & cognoſci diſtincte valeãt.

¶Lucia alia,matrona memorabilis Romana fuit:quæ quinq; & ſeptuaginta annos agens,a filio Euprepio apud Diocletianum Auguſtum accuſata, q; chriſtiana eſſet: quȩ cum nollet dijs ſacrificare,iuſſu ipſius Diocletiani vna cũ Geminiano (quem ipſa

ad Chriſtum cōuerterat) pœnis grauiſſimis afflicta, diuq; torta, tandem poſt laudabi lem martyrij victoriā, ſextodecimo calēdas Octobres gladio in eā animaduerſum eſt. Quorum corpora, quædam matrona Maxima nomine, rapuit & decenter (vt decet martyres) ſepeliuit. Apud quę, quum multa quotidie fierent miracula, plurimi eos in ſuos ſumpſere tutores: eiſq; templa & altaria conſtructa, ſuis nominibus cōſecrauere.

¶De ſancta Dorothea, virgine & martyre. CAP. CVI.

DOrothea glorioſa virgo, āno a natali chriſtiano, decimo ſupra tre centeſimum, apud Cæſaream Capadociæ vrbem, ſub Maximino tyranno, Meltiade pontifice Romano in beati Petri ſede præſidente, glorioſum per martyrium promeruit triumphum. Hæc quippe ex generoſo romanorum ſanguine procreata, Dorum ſenatorem habuit patrem, matrem vero Theam, chriſtianiſſimi parētes ambo locupletiſſimiq;: ex quibus duobus quidem nominibus, Dorotheæ eidem nomen inditum eſt. Hi quidem nobiliſſimi, ſæuiſſimas tyrannorum declinātes perſecutiones, relictis omnibus prædijs, alijſq; innumeris caſtellis, & domibus ſuperbiſſimis, in Capadociæ regnum cum plurimis pecunijs perrexere. Porro ibidem exiſtentes: hanc miræ pulchritudinis edidere filiam, quæ inter cætera, in tā inuiſæ pulchritudinis forma effulſit clara, vt nō ſolū illius regni, cæteras formoſitate virgines adoleſcentulas anteire crederetur, ſed cœleſtis arbitraretur imago, potius q̃ mortalis: verum & eruditione præcipua, ac moribus optimis euaſit præclara. Tunc illis in regionibus orientalibus Maximinus gerebat tyrannidem, Maxentiuſq; Maximiani filius & ipſe Romæ eandem ceperat. Hi quippe ſicut in tyrannide ſocij, ita in ſceleribus videbantur alter alterum imitari, vt neſcires cui potiſſimum dare flagitiorum palmam deberes: vnde & vehemētiores aduerſum chriſtianos & grauiores cæteris perſecutiones excitauere. Erat enim Maximinus inter cætera totius æquitatis publicus hoſtis, ac pudicitiæ, honeſtatis & iuſtitiæ deſtructor, & præ cæteris chriſtianorum perſecutor & hoſtis infenſiſſimus. Aduerſus quos, tantū crudelitatis exercuit, vt omnes prædeceſſores ſuos in ſcelere vincere feſtinaret. Verūtamen ſæpius vincebatur non ſolum a viris, ſed etiam a fœminis: quæ verbo dei, & calore fidei ſuccenſæ, vt fœminæ quidem comprehendebantur, ſed vt viri fortes in certamine coronabantur: his autem in turbinibus, Dorothea hæc virgo etſi vultu & alijs corporis mēbris admodum pulchra haberetur, religione tamen & animi ac vitæ honeſtate pulchrior eſſe ſtudebat: & quod maius eſt, id quod pulchrū & decorū hominibus videbatur, quodam ſuæ ſanæ mentis iudicio, potius deo conſecrare, q̃ vſui humano dedicare, id eſt in virginitate perpetua propter deum perſiſtere conſtituit. At Maximinus qui diuina & humana, ſua libidine & crudelitate fœdabat: cognito huius ſanctæ virginis ſolius formæ, non autem propoſitæ virginitatis bono, ad eam polluendam & temerandam animum adiecit. Comperto vero ꝙ chriſtiana eſſet: quæ ſecundum ſua edicta, pœnę magis quā libidini ſubijcienda videretur, in ambiguo poſitus ęſtuare cœpit, & in quam ſe partem verteret ignorare. Sed vbi dubios animos libido, quæ ei latius dominabatur, obtinuit, Et expectantem virginem pro martyrio ad ſupplicium rapi, per occultos nuntios de ſtupro interpellauit. Illaq; nephas ſibi eſſe reſpondit: templum corporis ſui, quod ſemel deo optimo conſecrauerat, idolorum & libidinis contagione fœdare: proinde ſe quidem potius ad mortem paratam eſſe, q̃ peccare in conſpectu dei ſui. A crudeli vero tyranno, inquiens, non decere blandum aliquid aut molle proferri, nec eſſe dignum reſolui erga ſe truces animos, quos quotidie vndatim chriſtianorū profuſus cruor duraret. Ad quæ reſponſa cum ille libidine acceſus acrius incaleſceret, & niſi verbis acquieſceret, vi agere decerneret. Omnibus virgo prudentiſſima ac pudiciſſima (quemadmodum antea parentes Romæ fecerāt),

facultatibus ſuis,domoq; & familia derelicta,noctu clam cum paucis fidiſſimis famulis,& cum amiciſſima ſibi comite Caſtate diſceſſit: atq; illuſum tyrannum,vanum, amentemq; dereliquit. Alias etiam virgines plurimas ſimul & matronas exemplo illius adortus,ſed exemplo nihilo minus illius paratiores ad mortem quã ad ſeruitutẽ nactus,crudelibus ſuppliciis affici iuſſit. Alij ab huiuſmodi hiſtoria diſſentire vidẽtur,& eius facinora aliter referunt:quæ paululũ protenſius nunc a nobis in medium deducentur. Certiſſimũ etenim aſſerunt,poſtq̃ a Maximini tyrãni prædicti iniuria ea aufugiſſet,diabolum caſtitatis inimicũ non ſuſtinentem virginis perſeuerantiam bellum denuo contra eã excitaſſe,& Fabricium præfectũ in ipſius amorẽ ſtimulaſſe, vt ipſam carnali cõcupiſcentia appeteret:qui abſq; cõpoti determinatione pro dote, ipſam legitimo thoro deſtinauit ducendã. Quæ vbi virgini ſanctæ nota facta & oblata fuiſſent,omnia tanq̃ lutea deſpiciens,infracto animo ſe Chriſto deſponſatã fatebatur. Quod Fabricius audiens furore ſuccenſus,illico eã in doliũ feruentis olei plenũ demergi præcepit. Sed illa vncta non aduſta,de vaſe cũ gloria illæſa exiuit. Quo quidem miraculo plurimi paganorũ in Chriſtum credidere. At Fabricius id magicis artibus potius q̃ diuina virtute factitatũ fuiſſe credens,in teterrimũ carcerem,vt ibi pedore & fame diu excruciaretur includi iuſſit:in quo permultos mẽſes angelica viſitatione inuiſibiliq; cibo refecta fuit. Quã ſibi præſentatã quum præfectus formoſiorem cõſpexiſſet: Niſi,inquit,deos in pręſenti adores,eculei cruciatu excruciaberis. Reſpondit Dorothea. Ego Fabrici abs te non debeo accuſari neq; dãnari,ſi gentiliũ deos deſpicio,& noſtrã chriſtianã religionẽ amplector quum veſtrã præclarã philoſophiam nusq̃ vllum produxiſſe fructũ compertũ ſit. Nam ſi tua dignatio voluerit, amore atq; odio depoſitis,exquiſita ratione veritatẽ inſpicere:mirabilem illã philoſophiam ſimulachris quæ manibus hominũ facta in viri ſimilitudinẽ fuerant, dei appellationẽ turpiter attribuiſſe cõperiet. Nec nos falſo accuſari aut reprehendi debemus,q; falſam patriarcharũ & prophetarũ Iudæorum ſcripturã elegerimus. Quũ ipſi ab initio humanæ vitę veram pietatẽ,& inuenerint & intemeratam conſeruauerint. Cui nihil vnq̃ aut addiderunt aut detraxerunt. Chriſtianaq; veritas & religio a ſcriptura prophetarũ & patriarcharum profecta,ita ei cõgruit ſi recte intelligitur, vt nulla repugnantia excogitari poſſit. Talia igitur noſtra ſunt, quæ vna ſententia, vna voce,a primis qui ante Moyſem fuerunt patribus, vſq; ad Chriſtum ſaluatorẽ & redemptorem omniũ rutilarunt,& a nouiſſimis diſcipulis,dico ipſius domini noſtri Ieſu Chriſti,qui vera pietate. i. ipſius ſaluatoris noſtri doctrina, virtute ac gratia ipſius cõnexi,in lucem edita,prædicantur ac confirmantur,vniuerſumq; orbẽ magis in dies florentem eorũ fide conſpicimus. Nec Auguſtorũ tuorum edicta,nec hoſtium inſidiæ,nec inimicorum gladij vnq̃ præualere poterunt. His dictis,in terrã poplitibus deuolutis Dorothea virgo,luminibusq; in cœlũ erectis,orauit ad dominum vt ſuam oſtendere dignaretur potentiam,q; ipſe ſolus nec alius præter ipſum ſit. Erexerat nãq; Fabricius præſes ingentem columnã, in cuius cacumine ſuum collocauerat idolum ſeu ſimulachrum. Et ecce protinus multitudo angelorum veniẽs ſuo impetu,& idolum ac columnam cõminuit adeo,vt nedum eius puluis veſtigium videretur,e veſtigioq; dæmonum vox per aera audita eſt,dicens. Cur Dorothea virgo tã infenſe nos perſequeris & excrucias? Tunc populus miraculi ſtupore attonitus,plurimi ipſi ad Chriſtum conuerſi ſunt ac martyrij palmã acceperunt. Ipſa autem virgo Dorothea (proh pudor) publice denudari iuſſa eſt, & inuerecũde atq; inhoneſte huc atq; illuc ab impijs trahi,inde eculeo ingenti eius corpus denudatũ extẽdi & flagris laniari eſt iuſſa,vt doloris neceſſitate faceret quod præcipiebatur. At cũ illa incredibili animi fortitudine permaneret immobilis, viſceribus iam puellæ nudatis, aceto & ſale perfundi præcepta ſunt. Cumq; & hoc tormenti genus conſtanter & fortiter toleraſſet. Iam victa ſæuitia corpus quod laniaret horrebat. extemplo ira excitus tyrannus Fabricius, tormenta multiplicari iubet,& ſæuis frendens dentibus faculas

ardẽtes ad virgineas mammillas apponi præcepit. Ac ſic ſemimortuam in carcerem recludi mandauit. At illa ſaluatori mente genibus aduoluta, rogabat vt ſuum ſuſci peret deſyderium, ac ſuum per omnia reciperet propoſitum. Maneque facto coram iudice denuo præſentata, nil læſionis in ea apparuit veſtigiũ: pro qua iudex ipſe mirũ in modũ admirari non deſtitit. Dixit quoq; ei, Quouſq; malefica nos protrahes. Aut ſacrifica vt viuas, aut capitali plecteris ſententia. Inſiſtentibusq; acrius dæmonum miniſtris quo aliquid ab ea elicere poſſent confeſſionis illicitę. etiam alia noua pœnarum genera pertulit, quæ quidem longe ſubſtantiam conditionis humanæ excedebant. At illa virgo immo virago deo plena, intantum eius crudelitates deriſit, & ferinam in quæſtione ſæuitiam, vt aliquo modo flecti non potuerit: immo ſemper vultu alacri dicebat, quicquid vis, parata ſum pro CHRISTO ſponſo & domino meo, æquo perferre animo. Ipſe enim IESVS CHRISTVS, pro nobis ſpinis coronatus fuit, & noſtra delicta portauit, & pro nobis doluit, vt de ſentibus, & tribulationibus ſpinarum, roſæ & poma virginitatis, & lilia caſtitatis naſcerentur, quę ego vtiq; colligere ſpero. Hoc audiens tyrannus, magis magiſq; ſe ipſum diſcerpẽs, protinus mandauit ei tot vulnera inferri, quatenus omnis eius extingueretur & deturparetur decor. At illa rebus ipſis, & patientiæ virtute clamabat. Quia nõ ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futurã gloriam quæ reuelabitur in nobis. In illa itaq; tyrannus Fabritius tanta crudelitate vſus eſt, vt ſęuitie eius ſpecies ſingulas nemo poſſet referre. Prompta igitur & læta beata Dorothea, animam ſuam pro fidei amore & libertate vſq; ad capitis ſui abſciſionem expoſuit. In cuius quidem confeſſione quum quidam ſcholaſticus Theophilus nomine fuiſſet conuerſus, a carnificibus ſtatim cõprehenditur, & ad ſupplicium perducitur. Cũq; ab eiſdem grauiſſime diu tortus fuiſſet, nec a fide nullatenus diuelli poſſet: nouiſſime & ipſe eo die gladio cæſus eſt. Quum autem beata Dorothea ad locum quo decollanda erat perueniſſet, dominũ deum pro omnibus, qui eius paſſionis memoriam egerint exoraſſe compertum eſt, potiſſimũq; pro mulieribus parturientibus, vt ſi eius nomen in partus periculo inuocarent, illico celerem de puerperio ſentirent profectum. Orationeq; cõpleta, e veſtigio vox de cœlo facta eſt, dicẽs. Veni dilecta mea, colũba & ſpecioſa mea, veni coronaberis. Ecce quia exaudita eſt oratio tua. Dorothea vero ad ſpiculatoris ictum dum caput inclinaret, ecce puer ſplendidus, purpureis indutus veſtimentis, cõfeſtim apparuit, vrbanis quidem & compoſitis moribus, cũ caniſtro in quo tres roſæ, triaq; mala perpulchra conſiſtebant, illudq; Dorotheæ virgini obtulit. Cui Dorothea: obſecro te domine mi per Ieſum Chriſtum ſaluatorẽ meum, vt hæc Theophilo ſcholaſtico, meo nomine deferas. Illico ipſa eidem Theophilo attulit, dicens. Soror mea Dorothea virgo, de paradiſo hęc tibi tranſmittit munera. Quibus dictis e veſtigio puer diſparuit. Quas ob res Theophilus cum aliquandiu cogitabundus ſiluiſſet: tandem non ſine confuſione ſui ſpiritus ac gemitu, in hæc verba prorupit. Quã miſerabilis eſt noſtra deceptio, humanorumq; conditio, atq; ignorantia. Quã ſtulta eſt hominum vita, nihil deterius, nihil inconſtantius, omnis noſtra ſpes vana eſt. Quid mihi proponendũ eſt quidve futurum exiſtimare poſſum, quũ omnia in tenebris ſint conſtituta. Heu me miſerum atq; infelicem, quibus in tenebris nunc vſq; me conſtitutum video. His paucis queſtus, illico auxilio dei ſuffultus, in ſe rediens, totũ cepit tacitus ſecum cogitare, ac ſe paulatim ignorantiæ reprehendere, quod eſſet imprudens, quod neſciret periculũ ſalutis ſuæ, vnde zelo diuino & ſpiritus feruore plenus, cũ tam crudelia ancillæ Chriſti ſupplicia vidiſſet inferri, indignitatẽ rei vltra nõ ferens poſtulat ſe audiri: pro eadem virgine, licet iã defuncta, atq; alijs Chriſti fidelibus, quibus nihil impietatis cõmiſſum probari poterat, locuturus. Erat enim eruditiſſimus, ac inter ſuos nobiliſſimus. Verũ quum eius verba obſtinatio iudicis nõ reciperet, inquiſiuit ſi iã chriſtianus effectus fuiſſet: Vtq; chriſtianũ ſe eſſe clariſſima & libera voce teſtatus eſt, Tãquam chriſtianus, inquit, eorũ pœnis aſſociaberis. Et ſic poſt dira

tormenta, & ipſe pro CHRISTO decollatus eſt, octauo idus Februarias: quo quidem die, eorum annua ſolennitas cum gaudio celebratur.

¶De glorioſa noſtra virgine ſancta Catharina. CAP. CVII.

Catharina virgo cœleſtis, fœmina Alexandrina, ſub Maxentio tyranno Maximiani filio, circa annum domini, decimum ſupra trecenteſimū, Melchiade pontifice Romano in cathedra Petri præſidente: apud eandē ſui ortus ciuitatem, per innumera tormentorum genera, glorioſum martyrii triumphum accepit. Hæc igitur Catharina virgo, fuit in primis eximię virtutis fœmina: ingenio quidem acri, & graui, & facili, & excelſo, diſcendiqꝫ ſemper appetentiſſimo, adeo vt nedum mulierū, ſed & doctorum virorum ſui ſeculi fere diceretur princeps, & abſqꝫ dubitatione prodigium grādeqꝫ miraculū in tota natura. Cui pene videbatur infuſum quicquid naturaliter eſt capax humanū genus. Cuius quidē cor ad CHRISTI domini noſtri fidem, ſupra quam credi poteſt inclinatū ac captiuatum vſqꝫ ad mortem vtiqꝫ mirabiliter fuit. quæ plane credulitas, etſi Iudæis ſcandalum, gētibus ſtultitia, eidem magnus honos & gloria fuit. Præterea fuit ante alias genere inſignis. Nā Coſtum regē, qui clarā a Ptolemęis Ægyptiorū habuerat originem, habuit patrem. Ipſum enim haud dubitato titulum illū regium ab ipſis Ptolemęis regibus reor ſibi per ſucceſſionē obueniſſe. Nā, vt aliquibus placet, vt ab eiuſdē dominio aliquod ſumamus exordium: Quum Auguſtus Octauianus M. Antonium æmulum ſuum, Cleopatræ maritum extinxiſſet: Ipſa cōiunx (vt ſupra pręmiſimus) maritum nimiū dolens, ſe ipſam cum ipſo ſepeliuit: malens cum viro ſuo cōmori, q̃ Auguſti triumphatoris incurrere manus. Auguſtus vero de ipſo Antonio celebrata victoria, Romā repedare volens, infinitos Ptolemæorum regum theſauros ſecū adduxit, & tantos quidē fuiſſe cōſtat, vt nec ante nec poſt, Romam adductos noſcatur. Verum tametſi regias opes abſtulerit, & regnum ſine vllo rege ſtetiſſe videre viſum fuerit: nihilo minus titulus antiquorum Ptolemæorum regius, in hac eademqꝫ Lagidarum regia familia, vſqꝫ ad huius Coſti regis tempora remanſiſſe pro certo reor. Atqꝫ in hunc modum, Coſtum ipſum diuæ Catharinæ parentem, Regem appellatum indubitato crediderim, prout etiam in pluribus æui noſtri regibus exploratum habemus, Qui reges talis regni nuncupātur, & regnum illud in poſſeſſione alterius eſt. Vt in regno Hieroſolymorū exemplum habemus. Ad Catharinam autem virginē redeundum eſt. Fuit itaqꝫ hæc virgo præter cæteras Alexandrinæ vrbis mulieres, origene, potētia, moribus, atqꝫ eruditione ſuo æuo illuſtris fœmina: Quod Baptiſta Mantuanus in ſecunda Parthenice (eius illuſtris generis enarratione haud negligenter recitata) hunc in modum (vt ex plurimis pauca dicam) teſtatur.

Teneris me Coſtus ab annis
Tradidit eloquij ſtudijs, & miſit ad vrbes
Cecropias: vidi Thebas Dirceaqꝫ rura
Attica regna, ſolum Pelopis. & cæt.

Cuius ſi parentum velimus auos proauoſqꝫ, in finē vſqꝫ exquirere, non ſubſiſtemus, anteq̃ per innumeros aſcendentes reges: in Ptolemęū Philadelphum optimū regem venerimus. Ex qua tam antiqua proſapia tot emanauere bona. Hæc itaqꝫ Coſto rege patre, ea adhuc infantula, immatura morte ſublato, quū vnica eſſet filia, iure factum eſt, vt eidē morīēti ſuperſtes diuitiarū innumerabilium efficeretur hęres. Cūqꝫ ſupra ętatē & calleret & ſaperet, deū omnipotentē religioſiſſime adorare & venerari cœpit. Ex quo charitate, pietate nihil ſanctius ducebat: Chriſtianos incredibili amore proſequēs. Eruditorū virorū ac grauiū, ſanctorūqꝫ pręcipue ſtudioſa, a quibꝰ aliquid ſemper pręclarū, aut audire aut addiſcere cupiebat: Et quoniā in deo ſolo atqꝫ eodē Ieſu Chriſto omniū redēptore ōnia ineſſe gloriabatur, quę ſibi effingēda diſcendaqꝫ

proponeret: adeo ipſum ſemper per omnem pietatis cultum ſibi præponebat, tanq̃ aſſidue nouum aliquid ab ipſo exquireret. Illum itaq; (non vt Cleopatra totius orbis fabula) in omni vitæ inſtituto ſequebatur. eidem adhęrebat ſecundum prophetæ exemplum, qui ait. Mihi: adhærere deo, bonum eſt. illumque, tanq̃ vera chriſticola per omnia imitabatur. Deſpiciebatq; ſummopere gentilium ſectas, & Chriſtianam religionem atque ſcripturas mirifice amplectebatur, & iugiter inſudabat. Erat pręterea ſupraq̃ credi poteſt prudentiſſima, & omnibus liberalibus artibus imbuta, omniumque pene linguarum ſermonem illuſtrata. Maxentius tunc tyrannus Maximiani filius, qui a principio pro aucupanda ſibi plebis gratia, fidei chriſtianæ veneratorem ſe eſſe ſimularat, vir vtique ſceleratiſſimus & magicæ artis appetentiſſimus, ex Roma in Alexandriam cum omni familia & vxore, viſendi collegæ ſui Maximini tyranni conceſſerat. Vbi quum applicuiſſet, & magno cum honore exceptus fuiſſet. Ex more conſtituit ſolenne dijs celebrare ſacrificium, ad quod etiam cogebat omnes chriſtianos, qui intra vrbē reperti ſunt. Eratq; tunc Catharina virgo ętatis decem & octo annorum: Quod vbi eidem renũtiatum fuiſſet, Maxentium videlicet in templo vna cum innumerabili multitudine dijs immolaturum adeſſe, zelo dei ſuccenſa, Crucis ſignaculo ſe pręmuniens, cum honeſta ſuorum comitiua, eo progredi voluit, atq; ibidem multos ex his qui chriſtianam profitebantur doctrinā collachrymantes offendit. Sicq; his verbis imperatorem allocuta eſt. Cur tam copioſam multitudinem o Cæſar, inquit, in tāta ſtultitia & vano idolorum errore perdis? Reſipiſce iam tandem a ſtultitia, & dominum cognoſce, qui mundum hũc, & ea quę in illo ſunt, verbo duntaxat creauit ſuo. Ipſe eſt qui humanum genus ſuo ſanguine a morte redemit æterna: huic honor perpetuus, huic gloria debetur in ſecula ſeculorum. Neq; enim tibi prudenti ac magno viro huiuſmodi immolationes faciendæ ſunt, nec placandi ſunt ſpiritus ſanguine, ſed animi virtute repellendos cõſulo. Mundum enim animum, non huiuſmodi ſacrificia, deus verus expoſtulat. Si enim digniſſime princeps, hæc animantia dijs offeras: abs te poſtulo, cuius rei gratia hæc facias? Si honoris id facere dixeris: Quisnam honor, hic eſſe poteſt? qui ab iniuria originē trahit: an potius dedecoris & vituperationis. Non poſſum certe, non negare abs te iniuſte agi, quum animalia nihil iniuriantia interficias. Sed neque hac via dijs gratiæ referendæ ſunt. Qui enim beneficij gratiam retribuit, non maleficio id peragit. Non enim magis retribuere videris, q̃ ſi rem a vicinis raptam, eiſdem in gratiam & honorem retribuere velles. ſed neque gratiam impetrandi cuiuſdam boni, Nam qui alterum lędendo honorare deum putat, hic iniuſtum ſe futurum oſtendit. Quare tibi nec ſpe futuri beneficij animalia ſunt immolanda, præſertim quum non ſit poſſibile ita hæc agere vt deum lateat. Nam ipſa, quum philoſophorum poetarũq; ſcientiam didicerim, nouiſſemq; hæc omnia vana eſſe, dominum IESVM CHRISTVM ſecuta ſum. Scriptum enim didiceram eſſe. Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentium reprobabo. Tu autem errore peſſimo deceptus, ad æternam pœnam deduceris, confidens in idolis vanis, quæ non habere intellectum noſcuntur. Diuina enim natura impaſſibilis omnino eſt. Tui autem dii: quomodo dii eſſe poſſunt, qui veſtitu, lineis, figuris, herbarum coronis, & verbis quibuſdam ineptis ac barbaris, atque etiam vinculis ab hominibus vinciuntur. His ſtupefactus imperator, & quid virgini reſponderet, penitus ignoraret. Miſit qui ſapientes ex diuerſis orbis regionibus congregarent, pollicens varia multipliciaque dona ſe præbiturum, qui eam diſputando ſuperaret. Ipſaq; interim cum cuſtodia in palatio eſt cuſtodita. Venerunt itaq; quinquaginta viri, qui ſe in omni doctrinæ genere cæteris præſtare faterentur. Iuſſitq; Cæſar Catharinā virginē ante ſuũ tribunal aſſiſtere, vt cũ illis diſſereret. Quæ vbi ab angelo prius ſalutata & pręmonita fuiſſet, etiā imperterrita cõtra eos perſtitit. Verũ cum oratores deũ fieri hominē, aut pati: impoſſibile dicerent, virgo hoc etiam a Platone prædictũ fuiſſe probauit. Ipſe quidē Plato deũ

circum rotundum & decurtatum eſſe dixit. Atque vates Sibylla ait. Felix ille deus ligno qui pendet ab alto. Inde chriſtianorum ſectam turpiter improbare cœperunt. Hoc enim inquiunt vos chriſtiani gentilium comprobatis religionem, nec Iudæorum vos moribus viuere videmus: quid igitur hoc monſtri eſt, aut quenam hæc eſt noua viuendi ratio? Præterea quomodo impij non eſtis, ac deorum omnium inimici, qui patrios mores, patria iura, patrias ceremonias: quibus gentes omnes, ac ciuitates continentur, contempſiſtis atque abieciſtis: quique ſaluatores & benefactores deos ſpreuiſtis. Et quos deos videlicet, qui ab initio ſeculorum ad vniuerſos homines, tam Græcos q̃ barbaros, per regiones, ciuitates, agros, hoſtiis, diebus feſtis, ludis, ac ceremonijs, ab omnibus regibus, tyrannis, populis, philoſophis, legumlatoribus honorantur atque coluntur. At vos quædam ſcelerata ac impia excolitis, & adoratis CHRISTVM quendam ſuis demeritis cruci affixum. Qua igitur venia o Cæſar hi digni aut potius quem cruciatum, quodque ſupplicium non merentur, qui patriam neglexerunt, & aliena figmenta, ſpurcis fœdiſq; Iudæorum fabulis nixa elegerunt: Aut modo non extrema prauitate iſti chriſticolæ ſunt? qui tam facile propria relinquunt, ac fatuam & omnis rationis inopem fidem, vniuerſis gentibus inimicam ac impiam eligunt. Nec ipſum Iudæorum deum ſecundum eorum ceremonias, nec noſtram religionem colentes: inauditum ac inuium iter ſibi ipſis turpiter confecerunt. Itaque digniſſime Cæſar non recte eos facere dicimus qui hæc obaudiunt. Quibus Catharina virgo inquit. Non iniuria ergo mihi, omnibusque nobis chriſticolis præceptum eſt, promptos eſſe ad reſpondendum, cuique rationem a nobis de fide & ſpe noſtra quærenti. Certum eſt igitur ſaluatorem noſtrum prædixiſſe doctrinam ſuam, in teſtimonium omnium gentium per vniuerſum terrarum orbem prædicatum iri, & eccleſiam ſuam quæ poſtea virtute ſua conſtituta eſt: inuictam atque inexpugnabilem fore, nec vnq̃ futurum vt a morte ſuperaretur, ſed firmam fore ſemper atq; immobilem, tanq̃ in lapide fundatam. cuius diuinationis effectus omnem impudentiſſimam linguam vana contradicentem, profecto arcere poteſt. Sed ad hæc omnia: non ſunt contemnenda ad catholicam veritatem comprobandam Hebræorum ſcripturæ teſtimonia, quibus eorum prophetæ, indoctorum hominum piſcationem vniuerſæ vitæ hominum affuturam prædicantes: appellationem CHRISTI nomine ipſo expreſſerunt, & aduentum eius in carnẽ, modum etiam ipſum, quo doctrina eius ad omnes gentes perueniret prædixerunt: nec tacuerunt futuram ſuorum Iudæorum infidelitatem, quicquid aduerſus ipſum facturi eſſent. per ſaluatorem noſtrum, Catharina virgo inquit, factum eſt, vt iam iam ex omni hominum genere, pene innumerabiles, ſpretis idolis veſtris, vnius ac veri dei cognitionem, religionemq; ſuſceperint. quod ita futurum dei oracula, & per Hieremiam maxime prophetam, vbi dicitur. Domine deus meus, ad te gentes venient ab extremis terræ, ac dicent: q̃ falſa noſtri patres idola poſſederunt. & non erat in ipſis vtilitas? ſi faciet homo ſibi ipſi deos, nec erunt iſti dei. Hæc igitur domini mei, inquit virgo, vniuerſa fidei noſtræ veritatem aſtruunt, nec humana virtute, ſed a deo prædicta, & prophetarum oraculis ſcripta oſtendunt. & ad hæc a multis varijſq; veſtrarum gentium principibus liberos quandoque futuros homines vaticinantur. Nos autem chriſtiani ideo amplius deridemus veſtros deos, & miſeremur humanum genus, quod dæmonas, lupos, canes, & leones, & ſimilia veneratur, atque quandoq; adhortamini vos ipſos adorare ignem & aquã, & partes mundi. nos iſta nõ colimus ſed eum qui per ea inuiſibiliter cognoſcitur creantẽ intellectum, ſolum admirari, ſolũque adorare didicimus: qui per omnia penetrans, quum ſit incorporalis, ſolo intellectu percipitur, immo vero ineffabilis, & incomprehenſibilis eſt: panditur autẽ per ea quę facit, quę produxit, gubernat, conſeruat, omnibus inuiſibiliter aſſiſtens, nõ cœleſtibus ſolum, verũ etiam terreſtribus magnificentiam operũ ſuorum per hæc oſtẽdẽs, quę vos deos putatis, Cum igitur virgo oratores apertiſſimis orationibus cõfu-

taſſet: Illi obſtupefacti, & quid reſponderent penitus ignorarent. Tunc vnus eorum qui cæterorum magiſter dicebatur, Cæſari ait. Nouerit manſuetudo tua, ꝙ quum nullus contra nos vnq̃ perſiſtere potuerit, fatemur & conteſtemur, Chriſtum ex nũc quem Catharina prædicat, verum eſſe deum. Dij autem quos nunc vſq; decepti adorauimus, non deos, ſed lapides, dæmonaſq; peſſimos eſſe proteſtamur. Accenſus ob hoc ira Maxentius, eos omnes, Chriſti ſignaculo munitos, exuri præcepit. Sed cum illorum corpora illeſa inuenta fuiſſent: ita vt nec capillus quidem exuſtus videretur, multi chriſtianam fidẽ ardenti deſyderio complexi ſunt. Conuerſus deinde ad Catharinam Cæſar, modo confitere deo ſoli inquit, & ſtatuæ plurimæ vbiq; ad tuam imaginem fient, vt ab omnibus tanq̃ regina magna ſaluteris. Tua enim facies perjucunda, imperio certe digna eſt, quæ ſolis inſtar refulget. Reſpondit virgo. Quos o Cæſar me adorare iubes deos non dij ſed dæmones peſſimi ſunt, hoſteſq; infenſiſſimos exiſtimo. Qui mala non facienda eſſe ſuis cultoribus non admonent, immo inceſtus & adulteria, bellaq; ac homicidia perpetrare iugiter ſuadent. Hæc autem noſter verus deus qui in cœlis regnat, quiq; ſolus profecto eſt deus verus: ipſa omnia non facienda admonuiſſe compertum eſt. Iiſq; per ſuos prophetas, ac alios ſuos amicos, vniuerſos præmonuit homines, idola non eſſe colenda: immo tanq̃ perniciosos ſpiritus, fore omnino repellenda contemnendaq;: atq; ipſorum templa, & cerimonias quibus honorantur, ſic eſſe delenda, vt nulla eorũ extaret memoria. Qui adeo malitioſe genus humanum inuaſere, tanq̃ victoriam de omnibus conſecuti eſſent. Vt ſi tua dignatio dignabitur colligere quæ ab hiſtoricis tuis ſcripta de ipſis referuntur: vniuerſum ſuis ſceleſtibus deceptionibus orbem deceptum fuiſſe inuenies. In primis quidem ipſam tuam magnam Romam, Græciam, Africam, Scythiam, atque alias plurimas nationes: in quibus aperte videre poteris, quantas iniquitates hominibus perſuaſerunt. In ipſis inquam videre poteris, adulteria, fornicationes earum nationum, quæ vſq; ad hunc diem etiam multis in locis peraguntur, quæ quaſi primitias turpiſſimas quaſdam diis debitas huiuſmodi in templis offerũt, & me offerri (vt videre videor) iubes. Nam ſi homines quidem modeſti & mites, nec cædibus & ſtupris lætantur, quanto magis dii ab rebus peſſimis eſſe debent alieni? At dominus & ſaluator meus IESVS CHRISTVS, ſuo euangelio hanc falſam erroribus innumerabilibus plenam ſuperſtitionem, immo deceptionem veſtram damnãs, religionem optimam ſanctamque, omni veritate veriſſimam e cœlo, nobis & vniuerſo generi humano attulit: ex qua quidem, vera amicitia inter ipſum deum & homines conſtituitur. Idcirco Cæſar, inquit puella, hæc dixi tibi quia deo meo IESV CHRISTO eius filio deſponſata ſum, fac quicquid lubet. Vnum ſcito, quia futurũ eſt vt multi potius ex tua familia in CHRISTVM meũ credãt, q̃ me in tuam deducas ſententiam. Tunc Cæſaris iuſſu virgo ſancta regali purpura exuta eſt, & bubalis neruis per duas fere horas ſæuiſſime cædi iuſſa eſt. Poſtea cum in teterrimum carcerẽ truſa, & per duodecim dies cœleſti cibo paſta fuiſſet, & dominica atque angelica viſitatione, & allocutione confortata. rurſus Cæſari poſt reditũ ſuum a Maximino collega ſiſtitur, & vt vel diis ſacrificet, vel pœnã luat iubetur. Catharina autem infracto animo dixit. Miſerrime, an ignoras quia CHRISTVM ſponſum meum derelinquere minime poſſum? qui mortem pro ſalute totius mundi pertulit: neque alium quenquam colere, q̃ verum deum, & qui ſolus colendus ſit nouerim? Nos qui tot tantiſque erroribus, ab vno voluptatis collo tanq̃ Hydra, in diuerſa capita profuſis ſpretis CHRISTO credimus: quomodo veram pietatem deſerere poterimus? Nos enim ſoli a ſpiritu ſancto edocti, pia, ſanctaque conſyderatione, etiam per doctrinam, CHRISTI elementa & quæ ab elementis compoſita ſunt, ſolem videlicet & lunam, & cæteras ſtellas, ac cœlum ipſum, non ſolum deos non eſſe, verum etiam animæ expertia iudicauimus. Deinde quum animalibus rationalibus atq; irrationalibus, & ſubſtantiis animatis, atque inanimatis, plenum hunc mundum

videremus,non abſq; ſapientia dei hæc omnia facta putantes, a magnitudine creatu=rarum,puritate mentis,creatorem omnium immortalem,ipſumq;,deum atque inuiuiſibilem cognouimus, etiam dominum noſtrum IESVM CHRISTVM eius filium verbum æternum carnem factum, veneramur, colimus,eique ſacrificium quotidie offerimus. Negante igitur illa conſtanti animo idolis ſacrificare, rotæ horribili imponitur: vt pœnis vrgentibus a CHRISTI cultura eam reuocaret, aut ipſam atrociſſima morte extingueret. Componi nanque fecerat, vt duæ rotæ vno voluerentur ordine, aliæ vero duæ contrario impetu agerentur: vt primæ deorſum lacerando contraherent, aliæ vero ſurſum deuorando impingerent. Verum fauentibus ſuperis,& ipſa a rotis incolumis erepta eſt,& multi gentiles interfecti ſunt. Dum hæc aguntur, Araba Maxentii Cæſaris conſors, quum ſe chriſticolam aſſereret, & Porphyrius militum magiſter cum ducentis Chriſtianus effectus eſſet, prius mammillis reginæ turpiter euulſis, capitali ſententia puniti ſunt. Poſt hæc Catharina extra ciuitatem ducta eſt,vt ibi capite truncaretur. Vbi quum ad locum ſupplicij perueniſſet, luminibus ad cœlum erectis, in hunc modum ad dominum ſuum effudiſſe orationem dicitur. O ſpes vera ſalusque in te credentium deus, O decus & virginum gloria, domine IESV CHRISTE paſtor bone te nunc humiliter deprecor, vt quicunque meæ paſſionis memoriam egerit, ſeu in exitu mortis,vel quacunq; tribulatione vel neceſſitate meum auxilium implorauerit, tuæ propitiationis conſequatur effectum, illicoq; vox de cœlo facta eſt ad eam dicens. Veni dilecta mea,ſponſam ea,ſpecioſaq; ſuper omnes mulieres,veni in regnũ ſponſi tui,iã tibi porta aperta eſt. Nã & his qui tuã paſſionem celebrauerint,optata præſidia eis de cœlo vtiq; promitto. Cũq; pro circunſtantium ſalute deũ deprecata fuiſſet (Illos etenim collachrymantes inſpexerat) a ſpiculatore decollata eſt,lacq; cunctis cernentibus,cruoris vice effundi viſum eſt. Sanctum autem eius corpus protinus ab angelis dei in montẽ Synai delatum eſt,monumentoq; nouo conditum, ex quo ſingulis annis,lac & oleum emanare dicitur, quibus varijs ægritudinibus remedia præſtantur, ad domini noſtri IESV CHRISTI laudem: cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorũ amen. Atq; ita beata Catharina CHRISTI ſponſa in cœlum euecta,nũc perſpicue cernit q̃ certo ſperarat in vita, ſibi gloriæ apud humani generis redemptorẽ repoſitam eſſe mercedem: ſuũq; ſenatum eſſe cum ipſis angelis eam ad ſepulchri deferentibus habitaculum. Nunc præſenti corãq; aſpicere ei licet illã qua beatorũ animæ perfruuntur inſatiabilem lætitiam. Nã cum eis iucundatur & exultat,qui ſuperata & domita carne,nullis ſunt deliniti eius illecebris,atq; & ipſa cũ eis, quibus pro aſſiduitate,& innocentia præmium illud eſt datum. Nunc eidem Maria mater dei cum ſacris virginibus, floribus & liliis inſignitis, tanq̃ nurui ſuæ prædilectæ, filij ſui vnigeniti ſpecioſiſſimæ ſponſæ occurrit. choris etiam circundata angelicis ,veluti poſt rubrum mare Pharaone cum exercitu ſuo ſubmerſo,tympanum tenens ipſi nurui ſuæ Catharinæ ſuauiſſimis vocibus præcinit,reſpõſuræ: Cantemus domino glorioſe : quia magnificatus eſt plurimum: Equum & aſcenſorem proiecit in mare.

Mirabiliori etenim nunc ingenuitate fulget,q̃ antea ex regia Ptolemæorum familia,nihil ei certe felicius obtingere potuiſſet, q̃ inire conſortium cum his qui in excelſo vitam conſtituere. Hæc quippe de glorioſa noſtraq; ſingulari aduocata Catharina virgine,ſtrictim a me nunc cõmemoraſſe ſat eſt. Cuius quidem tãta fuere ſigna & incredibilia miracula,vt in omnem prope mundum etiam apud barbaros eius nomen magnificetur. Eo itaq; in loco ex Alexandria corpus eius ab angelis delatũ, ſub ipſis angelorum excubiis per trecentos annos conquieuit: donec a quodam venerabili ſanctoq; abbate diuino iuſſu tranſlatum eſt,& in radice montium Synai atque Oreb,in monaſterio a Iuſtiniano maximo imperatore extructo collocatum. In eccleſia igitur ipſius monaſterii,in dextro chori cornu,loco videlicet eminẽtiore, mauſoleũ ex albo marmore candidiſſimoq;,mirifice artificioſeq; extructũ eſt,quod tumba

appellatur: in quo ipſius ſanctiſſimum caput, cum ambabus manibus & alijs quibuſdam illius ſanctiſſimis reliquijs conſeruantur. Quæ quidem eo peregrinantibus ab abbate cæteriſq; monachis deoſculanda demonſtrantur. Aliæ vero reliquiarũ ipſius partes, per mundum diſperſæ referuntur diuerſis principibus & prælatis ex priuilegio ſpeciali conceſſæ. Locus autem vbi nunc monaſterium & eccleſia conſiſtit is eſt, vbi Moyſi greges paſcenti, deus ardenti in rubo apparuit: præcipiens illi vt calciamenta ſolueret. extatq; adhuc ibidem ſacellum in huius rei memoriam extructum: in ſiniſtro chori conſtitutum. Ipſa autem eccleſia duodecim perpulchris ſuſtentatur columnis. Eidem etiam, eccleſia diuæ Catharinæ, quæ quadraginta martyrum nuncupatur, Saracenorum muſchea ſatis ampla adiacet: quam Saraceni ipſi ob ſanctiſſimæ virginis pietatem in dies frequentare referuntur. Miſſo autem eius montis Synai celeberrimo cœnobio, quod ſanctiſſimi religioſi diui Baſilij profeſſores, chalogeri nuncupati, incolunt. Nullum regnum, nulla ciuitas, nullum oppidum, nullum ruſculum, nullaq; priuata domus in mundo exiſtit, vbi Catharinæ templa, ſacella, aræ, imagoq; non reſplendeat, quod tantopere de alia quacũq; ſancta virgine factitatum eſſe non videmus. Nam quum cæteris (præter dei genitricem) præponatur, fatigauit vbiq; hæc pictores, ſculptores, multiplices, egregioſq; & minores, qui eam penicillo formarunt : & multis in locis, & maxime celebrioribus, ingenium omne atq; artis vires exopſuere. Fatigauit inſuper & oratores, atq; poetas pene innumerabiles, qui in eius præconio plurima tum oratione ſoluta, tum oratione vernacula, atq; verſu. & (vt reliquos ſinam) diuini prope ingenij virum, vtiq; Maronianum, Baptiſtam Mantuanum Carmelitam, ſacrarum literarum profeſſorem, & vatem noſtri æui ſupremum atq; conſummatiſſimum: qui eius vitam omnem, pulcherrimo carmine conſcripſit, & tam præſentibus q̃ poſteris legendam cõtulit. Hæc etiam, ipſe pluria q̃ mei moris eſt, in laudẽ huius ſanctæ monimentis hic literarijs mandare volui, qui eius meritis plurima ſæpe numero expertus ſum beneficia, ea quidem apud deũ immortalem me conſecutum manifeſta fide deprehendi: & de grauiſſimis periculis & infirmitatibus eius ope me fuiſſe liberatum, atq; interceſſione.

¶ De ſancta Barbara virgine & martyre. CAP. CVIII.

BArbara virgo Aſiana, imperante Maximino tyranno in orientali plaga: Maxentio vero Romæ itidem faciente, & Meltiade ſimiliter Papa, Romæ in cathedra Petri præſidente: apud Nicomediam inſignem vetuſtamq; ortus ſui vrbem, cum gloria martyrij ad ſyderea regna migrauit. Hæc quippe poſito ſplendidiſſimum genus interceſſerit, auſteritate tamen mortis, intrepide pro Chriſto a proprio genitore inflictæ, & læto vultu ſumptæ, longe luculentior effulſit. Huius itaque pater nomine Dioſcorus fuit nobiliſſimus atq; diuitiis innumeris præpotens & gentilis: quæ quum corpuſculum eduxiſſet in robur, inſignis decoris euaſit conſpicua. Cui tam celebre ingenium quidem fuit, vt potius ſacro ſuperumq; munere datum ei fuiſſe diceres, q̃ humanis ſtudiis quouis modo ſibi vendicare potuiſſet. Erat ei pronus etiam ab ipſa pueritia in ſanctitate animus, & ad omnem eruditionem adpiſcendam ardentiſſimus. Vnde etſi a parentibus tanq̃ vnica filia inter diuitiarum delitias enutriretur, nõ tamen otio, & molliciei fœmineæ, eam deditam legimus: immo iugiter ſupra ætatem diuina perſcrutari. Cum enim templũ aliquando puella cum parentibus introgreſſa fuiſſet, videns ſimulachra, parentibus ait: Quid ſibi volunt ſimilitudines iſtæ? Reſponderunt parentes: inſanis, quid loqueris? Vides quia hominũ ſimilitudines nõ ſunt ſed dij, qui adorari iubentur per illud, qđ neſcitur, quodq; minime cernitur. Quibꝰ puella. Fuerũt ne inq̃t aliquãdo homines, quos nũc colimus? vtiq; dixerũt. At illa, vt erat maximi ſpiritꝰ adoleſcẽtula, na-

turali inſtinctu pauliſper commota, & iam quaſi a ſopore quodam, & (vt ita dicam) a profundo ſomno expergefacta, oculis animi aliquantulum apertis, deum deique virtutem ſalutarem eſſe mundo putauit, & ad eum quærendum animum primum in cœlum erexit, & cœleſtium pulchritudinem corporum contemplans admirata: non plures deos ſed vnum deum, qui cuncta iſta feciſſet, regeretq; omnino arbitrata eſt. Cũq; ardenti deſyderio in veri dei cognitionem traheretur, philoſophos gentiles ſummopere & accurate euoluere & perlegere cœpit. verum quum inter ipſos maximam de vero deo altercationem & contentionem animaduerteret, atq; etiam ex ipſis philoſophis didiciſſet, quandam inanem ſuperſtitionem apud antiquos initium ſumpſiſſe, quæ quaſi malorum omnium fons, multitudinem deorum cõſtituerat, quibus hoſtias immolare, ſolennia facere, ſimulachra conſtituere, & condere templa perſuaſerat, quũ tamen prius hominum ſepulchra fuiſſent, ſed magnificẽtius condita, templorum appellatione vocata fuerant. Ex hoc: priſcorum religionem, potius quaſdam poetarum fabulas, quam religionem exiſtimauit. Et quum nihil veritatis in ſe habere animaduerteret: magna cordis voce omnia illa maiorum ſuorum idola contempſit. Verum quum etiam ad poetarum theologiam inueſtigandam ſe tranſtuliſſet, Ex Heſiodo & Orpheo optimis poetis didicit, vniuerſa quæ in mundo ſunt ab vno deo emanaſſe, & illius virtute contineri non dubitare: & maxime ex ſententia Orphei, qui in quibuſdam carminibus, omnia diuina virtute in hunc modum gubernari dicebat.

Vos qui virtutem colitis, vos ad mea tantum
Dicta aures adhibete, animoſq; intendite veſtros.
Contra qui ſanctas leges contemnitis: hinc vos
Effugite, & procul hinc miſeri, procul ite profani.
Tu vero qui diuinas ſpecularis, & alta
Mente capis muſæ voces amplectere, & illas
Aſpiciens ſacris oculis ſub pectore ſerua.
Et poſt multa, ſic ſubſequitur.
Nemo illum niſi Chaldæo de ſanguine quidam
Progenitus vidit, quem cœlorum aurea ſedes
Sublimiſq; tenet: cuius ſe dextera tendit
Oceani ad fines, quem de radicibus imis
Concuſſiq; tremunt montes, nec pondere q̃uis
Immenſo ſint ferre queunt: qui culmina cœli
Alta colens terris, nunq̃ tamen ille ſit abſens.
Ipſum principium, medium quoq;, & exitus idem.
Priſcorum nos hæc docuerunt omnia voces:
Quæ binis tabulis deus olim tradidit illis.

¶ Barbara itaq; virgo, quum tam piam ſententiam de deo vero vnoq; habendam, ab Orpheo poeta theologoq; accepiſſet: confeſtim & quemadmodum Aurelium patrẽ Auguſtinum feciſſe conſtat, poſt multos circuitus maiorum ſuorum errorum, circuire cœpit nõ modo ciuitatem per vicos & plateas, ſed per totam Aſiam, Ægyptumq;, quærendo verum animæ virum, pro quo: ne moreretur, dignum iudicaret mori, vt eius ſemper inhæreret amori. Tunc ex Alexandria in Nicomediam perlatum eſt, ſapientiſſimum virorum Alexandriæ eſſe Originem nomine: cuius tanta exiſtimabatur ſapientia & facundia, vt cunctos in omni virtutis genere ſuperaret, euidentiſſimiſq; rationibus & ſignis deum verum proponeret, & idolorum confunderet falſitatem. Quod Barbara quum audiſſet, non mediocriter gauiſa eſt. Animaduertere quippe confeſtim cœpit, quonam modo illum & audire & alloqui poſſet. Subuerebatur nanq; maiorem in modum genitoris Dioſcori potentiam, & propterea myſterium cõſilij & deſyderij ſui, eidem indicare pertimeſcebat. Vnde & diligenti examine omnibus ponderatis, q; ad perficiendum quæ animo obuerſabantur ſuo, ſibi impoſſibile

videbatur, id per epiſtolas & fidum ſibi nuntium, in hæc verba efficere curauit. Viro Alexandrino, nobilitatis animi lõge lateq̧ famatiſſimo Origeni. Barbara Nicomediæ tua ancilla, decus & honorem deſiderij mei. Accepi te fore veræ diuinitatis optimum oſtenſorem. A prima etenim ſcintilla ingenij mei ex toto corde concupiui, vt ad veri dei notitiam peruenirem: ſciens nullam prorſus deitatem ineſſe lignis & lapidibus, quæ humana arte compoſita ſunt, quæ ſenſibilitatem haud recipiunt, ſed & nec loqui, nec audire poſſunt: vnde & in memet ſemper exiſtimaui, non veros ſed falſos omnino eſſe deos: nec homines deos effici poſſe, quia homo quum incipiat, etiam deſinere eſt neceſſariũ. Deus autẽ (vt nuperrime noui) ante tẽpora fuit. Non ergo vnq̃ deos credere potui, quos homines mortales agnouerã. Et quanq̃ nunc vſq̧ multis in motibus fuerim cõſtituta, ſemper tamẽ deum nobis ignotum fuiſſe exiſtimaui, Qui videlicet ſolus cũcta creauit, atq̧ eum ſemper amaui, illiq̧ totã me deuoui, a quo ſum id quod ſum, niſi mea me fefellit ſententia. Cuius quidẽ me ſpiritu animatã ſentio. Donecq̧ ad eum pertingã, nullatenus vnq̃ deſiſtã. Quapropter tuæ optimæ famæ rumore perculſa, venerabilis pater: mẽtẽ meã his literis tuæ dignitati aperire cẽſui. Illum deum ſolũmodo me exquirere, cuius cognitionẽ perfectã apud te eſſe cognoui. Vnde ſi ita eſt, prout fertur, has ſupplices offero preces, quatenus digneris excutere noctem ignorantiæ meæ, chaoſq̧ confuſionis ab ancilla tua, illamq̧ inducere ad veræ iuſticiæ ſolem, atq̧ diſcretionis lumen. Opto quippe verum deum agnoſcere, illum ſcilicet qui fecit viſibilia & inuiſibilia. Et vtrum vnus vere ſit, vt ipſa iam nunc dudum mecum argumentata ſum. Vale. Origenes autem ſuſceptis lectiſque Barbaræ epiſtolis, inenarrabili gaudio repletus eſt, intellectaq̧ clarius oratoris aduentus cauſa: vt erat pater optimus, & in omnes comis & perbenignus, illum hilariori vultu excepit. Quanta vero animi lætitia & iucũditate virginem Barbaram, tanq̃ optimam ſpiritualemque prædam confectus, habuerit, lectoris iudicium expoſtulo. Origenes igitur vbi ex inſperato dei munere, quodam inenarrabili exultaſſet tripudio, & in exultatione deo & domino Ieſu Chriſto plurimas gratias egiſſet, q; ipſum maxime propitium animaduerteret in conuerſione talis alumnæ, quodq̧ ex infœcunda radice, talem ac tantum percepiſſet fructum, quæ ex innumeris eius virtutibus & exemplo, ædificare eccleſiam eſſet idonea: mox Valentinum quendam preſbyterum ex ipſius diſcipulis, ſanctum & eruditiſſimum hominem, cum diuinæ ſcripturæ codicibus Nicomediam cum oratore beatæ Barbaræ ad eandem Barbaram mittens, in hęc verba reſcripſit. Origenes veri dei indignus ſacerdos, & vt poſſibile eſt, eius nominis oſtenſor, Barbaræ barbaricæ gentis, in adoptionem filiorum dei & domini IESV CHRISTI, ſalutem. Sicut ſcripſeras, ſcire te velle verum deum, & quis ſit: Scire debes, q; vnus eſt verus deus in ſubſtantia, & in perſonis trinus, ſcilicet pater, & filius, & ſpiritus ſanctus. Quicunque igitur hæc omnia perfecte credit, habet quo ad eum pertingere poſſit. Cum his autem literis eruditiſſimum preſbyterum hunc ad te mitto, qui maxima mecum eſt iunctus fidei charitate, & tanta vt ea maius eſſe non poſſet. Itaque quicquid is de inſtructione veræ fidei nomine meo tibi dixerit: id ita exiſtimato, ac ſi a deo & a me ipſo coram audiſſes. Vale. At vbi Barbara virgo diui Origenis nuntium vna cum oratore ſuo incolumem in turris ſui hoſpitij locum cum gaudio excepiſſet: poſt mutuas ſalutationes, Valentinus a Barbara virgine de deo interrogatus, eidem in hæc verba reſpondit. Credimus nos omnes in deum patrem omnipotentem cunctorum viſibilium, & inuiſibilium conditorem: credimuſque, & in dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, per quem creata ſunt omnia, verum vtique deum vnigenitum, & verum dei filium, non factum ſed genitum, & vnius cum patre ſubſtantiæ. Credimus quoque & in ſpiritum ſanctum, verum deum ex patre procedentem: æqualem per omnia patri & filio, videlicet poteſtate, voluntate, æternitate, & ſubſtantia. Et in hac quidẽ trinitate, nullus eſt prorſus gradus, nihilq̧ inferiꝰ, ſuperiusve: ſed tota diuinitas ſui perfectiõe æqualis eſt

(exceptis vocabulis quæ proprietatem perſonarum indicant) vt quicquid de vna perſona dicatur: de tribus omnino poſſit intelligi. Nec pater, filij aut ſpiritusſancti perſonã aliquãdo excludit: nec rurſus filius aut ſpiritus aliquãdo patris nomẽ perſonãq; recipit. Sed pater, ſemper pater eſt, filius ſemper filius: & ſpiritus ſanctus, ſemper ſpiritus ſanctus. Itaq; filia aduerte: quia ſubſtantia quidem vnum ſunt, ſed perſonis ac nominibus tantummodo diſtinguitur. Ipſum autem dei filium, dicimus in fine ſeculorum perfectum naturæ noſtræ hominem ſuſcepiſſe ex Maria virgine: verbumq; carnem factum eſſe, non permutando deitatem. Ipſum autẽ dicimus impaſſibilem ſecũdum ſuã deitatem vt patrem, ſimiliterq; incomprehẽſibilem & inuiſibilem vt patrẽ. Eidemq; quum chriſtianiſſimum omnem aperuiſſet Valentinus Origenis preſbyter atq; annuntiaſſet. Quodq; non cæcas caducaſq; huius ſeculi diuitias, nec breuem hanc calamitoſamq; vitam, nec inſtabilia corporis commoda, ſed animę quæ intellectualis eſt ſubſtãtiæ appeteret bonum. Docuiſſetve veram chriſtianæ religionis veritatem, quæ quidem dei ſummi mandatis peragitur, declaraſſet quoq; gentilium religionem erroribus plenam, falſam fictamq; fore. Declaraſſetve vnam eſſe ſanctorũ vitam, ſed præmia pro labore diuerſa, & e contrario, pro modo peccatorum eſſe ſupplicia. vnũ inſuper chriſtianis eſſe baptiſmũ ſine quo nemo poſſet ſaluari. Atq; poſt eum, ſi peccauerit, per pœnitentiam poſſe ſaluari. Deniq; cum nouum & vetus teſtamẽtum ipſi oſtendiſſet, & declaraſſet: Eidem ipſe ſacerdos Valẽtinus ardenti animo expoſtulanti, ſacrum baptiſma ea in turre cõtulit. Monuitq; ſummopere eam, vt animum ſuũ, ſua pro virili in lectione ſacræ ſcripturæ iugiter occuparet, ne in bona terra pectoris ſui inimicus homo zizania ſuperſeminare poſſet: ſed intra ſemetipſam loqueretur. In nocte quęſiui quẽ diligit anima mea. Diceretq;: o bone deus, vbi paſcis, vbi in meridie cubas: quia poſt te adhæſit anima mea: iccirco rogo vt me ſuſcipiat dextera tua. His itaq; & alijs innumeris documẽtis Barbara virgo, a Valentino ſacerdote inſtructa, relicto iam ex corde ſeculo, renuntiauit etiam diabolo, & pompis atq; operibus eius, ſeruare volens fœdus q; domino pepigit. Cumq; Valentinus ſacerdos poſt non modicum tempus vale faciens Barbaræ virgini ab ea diſceſſiſſet, affuit tẽpus quo viro matura, nuptui tradenda eſſet. Cumq; multi ex optimatibus, eam ſibi dari in cõiugem expoſtulaſſent: Pater ab ea perquiſiuit, an cuiq̃ illorũ nubere vellet. Cui puella quaſi ſubiraſcens. Ne mihi inquit obſecro de hac re vnq̃ moleſtus ſis. Nam ſi abs te coacta fuero vt virum accipiam, potius mihimet mortem conſciſcam. Accidit autem, vt die quadam turrim quam ſibi pater exædificarat iterato inſcenderet: & ibidẽ paternis & auitis ſimulachris cõſpectis, in eiſdem faciebus expuit, dicens. Similes illis fiãt qui fecerunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Nec ita multo poſt, quum de trinitate apud patrem verba feciſſet: poſt verbera quibus plurimum afflicta fuit detruſit eã in carcerem: ibidem tandiu ſeruandam, q̃diu per Martianum præfectũ, ad tormenta raperetur. Sedens itaq; pro tribunali Martianus, iuſſit Barbaram ad ſe adduci. Intuẽſq; in eam. Cur inquit puella decora, generi te mortis dedis? Offer dijs ſacrificium, & illæſa abibis. Quod ſi efficere neglexeris, ſcito te varijs acerbiſſimiſq; tormentis interficiẽdã. Cui illa. Audi me Martiane dux: dij quos tu me adorare ſuades, dij nõ ſunt, ſed peſſimi dæmones. Qui cœlo relicto, in terram deſcenderunt, vt homicidia, fornicationes aliaq; innumera perpetrarentur mala. Non enim modeſtiã, aut iuſticiã exẽplo docuerũt: ſed alij obſcœnis voluptatibus, alij pugnis, alij venationibus gaudent. Dominus autem meus Ieſus Chriſtus, quem toto corde diligo & colo, vt verus deus non bella aut pugnas, vt tua Minerua quam falſo deam appellas: ſed pacem & quietem omnimodã in terra hominibus perſuaſit. Neq; eidem variæ canum venationes, vt tuæ Dianæ venatrici placent. aut fiſtulæ & tympana & alij ſonitus vani, ac mulieris turba, vt ſunt Matri deorum gratiſſima, omni virtute neglecta. Itaq; ſcias me paratam fore, laudis ſacrificium offerre ſaluatori meo, qui fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt. Hi autem quos pro dijs colis, & muti, & ſurdi, & cœci ſunt, licet

os,oculos,aureſq; videantur habere. Cumq; nares ad odorandum, manus ad palpandum,pedes ad ambulandum eis ſint, Olfacere prorſus,aut tangere quidpiam,vel aliquo iter arripere minime queunt,quippe qui nullũ habent ſpiritum. His dictis Martianus furore repletus,poſt acerbiſſimas corpori delicato inflictas plagas,iterum carceri cuſtodienda traditur:vt poſtmodum eam morti deſtinaret. Cui in intẽpeſta nocte ſaluator apparuit,& blandis eã verbis conſolans,protinus curauit. Quę poſtq̃ tyranno e cuſtodia oblata eſſet. Ecce inquit quo te pacto dij mei diligere demonſtrant, qui tuas curauere plagas. Reſpondit virgo, cum ſimiles ſint dij tui ſurdis & mutis,& cœcis,qui ſe nec erigere poſſunt,neque mouere,Quomodo me potuerunt curare,qui ſibi ipſis prodeſſe non poſſunt? Ipſe vero deus Ieſus Chriſtus ſanauit me,quem tu a dæmone obcœcatus videre nõ potes. Sed ab ipſo ſuis fidelibus impenditur, vt a medico remedium.diſciplina artis medicinæ eſt,aliquotiens etiam ignibus & ferro morbos curare. Et quid mirum, ſi dominus noſter tanq̃ medicus animarum noſtrarum, nos turbinibus excutiat,morbis examinet,tormentiſque excruciet & purget? Fortitudinis autem chriſtianorum eſt, quaſi per ignes & flammas vaſorum more purgari. Quod ſcriptura maiorum noſtrorum doctorum teſtatur. Aurum,& argẽtum,& ferrum,& plumbum,& ſtannum, ac omne vas quod per ignem tranſierit emundabitur. Nos itaq; dominus noſter,per vos tyrannos peſſimos vrere vult vt curet,tentatque vt liberet,atq; vexare nos per dæmonem permittit vt ſaluet ac coronet. Tentat igitur nos hoc modo dominus, vt ſciant alij ſi eum ex toto corde diligamus, ac etiam ex tota anima noſtra. Ipſe permittit dolorem:vt det refrigeria Obduratus vehementius tyrannus,& corpus virginis Barbaræ crudelem in modum lacerari,& ad eius latera ignem apponi,atque mammillas eius præcidi iuſſit. Poſtremo vbi Barbara orationem ad deum effudiſſet, diuerſaque tormenta æquanimiter pertuliſſet: Martianus iuſſit caput eius abſcidi. Tunc cũ furore Dioſcorus pater eam accipiens,in quendam montem eam perduxit. Cumq; decollanda eſſet virgo Barbara, orauit ad dominum vt citius ſui certaminis coronam conſumare dignaretur. Facta eſt protinus ad eam de cœlo vox,dicens. Veni dilecta mea,& in patris mei regno iam tandem conquieſce. quibus dictis, Dioſcorus proprius genitor illi ſanctum caput abſtu'it. Sed ne inultum tam execrabile patris facinus videretur : factum eſt, vt eo cum Martiano & cæteris ſatellitibus ſuis de monte deſcendentibus,tanta caligine mox obuolutus fuerit,vt tanq̃ Phaetontem ictum & vſtum Phœbeo curru, ſine vlla cunctatione & ipſe cum Martiano & pluribus alijs a deo exuſtus fuerit:vt nec vllum quidem ex ipſorum cineribus remanſerit veſtigium. Paſſa eſt itaque beata virgo Barbara pridie Nonas Decembres, quo quidem die,eius annua ſolennitas celebratur . Collectis vero poſtmodum a ſupradicto eius patre ſpirituali Valentino religioſo viro reliquijs, eas intra ciuitatem deferens, conditas aromatibus cum reuerentia ſepeliuit: vbi & ſanitates recipiunt omnes qui langore aliquo laborant, ad laudem & gloriam dei omnipotentis:cui eſt honor & gloria in ſeculorum ſecula. amen. Quod autem Barbara hæc virgo paſſa ſit ſub Maximino tyranno , apud nonnullos & etiam apud me ambigitur:quum Origenes doctor, ad quem ipſa literas dederat, floruerit tempore Alexandri principis qui imperabat Romanis, circa annum ſalutis noſtræ trigeſimum ſupra ducenteſimum. Potius dixerim ego paſſam fuiſſe ſub Maximino principe & Auguſto, non autem iſto tyranno Maximino. Ex illa Phaetontica Dioſcori fulminatione vbi ictus & vſtus curru Phœbeo Dioſcorus exceſſit:inoleuit conſuetudo,vt quum fulgura cernimus,illico: ſãcta Barbara ora & intercede pro me,acclamare didicimus. Plura enim miracula in ſimilibus eam feciſſe,nõ ſum neſcius,ſed ea nunc ſcripto mãdare longum eſſet. Suum vero ſanctiſſimum corpus poſtmodum Venetijs tranſlatum, nunc in monaſterio crucigerorum , in ſacello nomini ſuo dicato , ſarcophago marmoreo conditum reuerenter ſeruatur.

¶ De ſancta Anaſtaſia martyre. CAP.CIX.

ANaſtaſia nobiliſſima Romanorum matrona, diuinæ maieſtatis
optima cultrix, ac intemeratæ pudicitiæ, & immenſæ pietatis &
religionis: fœminis cunctis ſanctiſſimum exemplum ſub Diocle-
tiano Auguſto Romæ pro Chriſto glorioſum ſuſtinuit marty-
rium. Quas ob res, geminam ſibi acquiſiuit laudem, tum quia
tanq̃ agricola & cultrix, toto tempore vitæ ſuæ bonos fructus pie
tatis ſeminauerat: demũ & ſacri ſanguinis effuſione ſuorum me-
ritorum, omniumq; virtutum rigauerat plantaria. Prętexati itaq; illuſtris Ro. genti-
lis, ex Fauſta coniuge chriſtiana extitit filia, quam parentes ipſi adultam, Publio Pa-
tritio Ro. equite nobiliſſimo matrimonio coniunxere. quo quidem marito, propter
ſuas virtutes & pietatem quoad vixit plurimum agitata fuit. Erat nanque ipſa Ana-
ſtaſia ex paterna hæreditate admodum locuplex, adeo vt ampliſſimus ſuus cenſus,
perq̃ optime in omnibus ſuo generi reſponderet. Eratq; in diuinis ſcripturis, a diuo
Griſogono (poſtea Chriſti martyre) egregie inſtructa atq; edocta, in quibus iugiter
intenta, veluti quandam famem ſatiare deſiderans, per euangelia & diui Pauli epiſto
las haud negligenter diſcurrebat. Ex continua autem lectione & meditatione ſcriptu-
rarũ diuinarũ, cum percepiſſet non eſſe chriſtianis ſperãdum in incerto diuitiarũ ſua-
rum, ſed in deo viuo, qui omnibus præſtat abundanter omnia: quodq; ad factum bo-
ni operis diuites eſſe, ſe in bonis factis communicatores eſſe. Conſtituit theſauriza-
re ſibi bonum theſaurum in futurum, vt apprehenderet eam, quæ eſt bona vita. Scie
bat quippe ſe ideo diuitias accepiſſe multas, non vt in his ſolis ſe beatitudinem habe
re conſideret, non vt male vteretur eis, neq; vt deſpiceret pauperes, aut certe illas in-
ſtrumentum libidinis ſibi computaret, aut illas ſe amiſſuram exiſtimaret vnq̃. Iccir-
co cum legiſſet apoſtolum Paulum dicentem. Qui fidenter ſeminat, fidenter & me-
tet. Et iterum Hilarem datorem diligit deus. Atq; etiam quum legiſſet prophetam
dicentem. Et pauperem & diuitem ego feci: & pro omnibus æqualis cura mihi eſt:
Spiritu diuino ſuccenſa intra ſemetipſam dixit. Cum curam de omnibus gerat deus,
& quis metuere debet, ne eius minuatur patrimonium, vnde deo iubẽte prorogatur?
Time Anaſtaſia inquit time magis, ne ſi tepida & ſterilis, & infidelis in bonis operi-
bus fueris, tandem ęgena & inops prorſus inueniaris. Non timeas inquam ne diffici-
le regna ingrediaris cœlorum, modo ſis humilis, modo ſis larga, quia ex hoc beatior
vocaberis. Sed nec etiam in hoc ſeculo ob hoc, nec in futuro aliquam ſenties egeſtatẽ.
Igitur da pauperi, vt deum fœnereris deum tibi computa debitorem, ſentias præpo
ſitam eſſe miſerenti miſericordiam omnibus ſacrificijs: domino dicente. Beati miſe-
ricordes, quoniam ipſi miſericordiã conſequentur, videlicet & tu gloriam conſeque-
ris & requiem. Eam ob rem ſtatuit, non ſe diuitem ſentire, neque nobilitatis alicuius
dominam, ſed humili veſte contecta, quotidie cum ſola ancillula viſitare infirmos &
in carcere pro Chriſto relegatos inuiſere: & illos atq; alios eſurientes alere cibo, ve-
ſtire nudos, peregrinos tecto ſuſcipere, atq; alijs pietatis operibus indulgere, & æter
ni præmij ſpe, Chriſto in pauperibus fœnerari, qui dixit. Quodcunq; feciſtis vni ex
his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Et quanq̃ in his exemplo Marthæ iugiter
inuigilaret, nihilo minus aliquem etiam ſibi conſtituit horarum numerum, in quibus
diuino & ſpirituali profectui incumbere volebat. Quod vbi nuntiatum marito fuiſ-
ſet, eam videlicet cum vna tantum conſociata ancillula, vili habitu, chriſtianorum
more, carceres circuire, eiſq; neceſſaria ſubminiſtrare: Eam illico arctiſſimo & tetro
carcere incluſit, ita vt etiam alimenta ſubtraherentur: vt per hoc ſic perempta, eius la
tiſſimas poſſeſſiunculas occuparet: verita autem ne ob hoc moreretur, lamentabiles
patri & magiſtro ſuo Griſogono in hæc verba direxit epiſtolas. Sancto Chriſti con
feſſori Griſogono Anaſtaſia. Licet pater meus cultor fuerit idolorum, mater tamẽ
Fauſta chriſtianiſſime ſemper vixit & caſte, ac me inter ipſa cunabula chriſtianam
fieri fecit: poſt cuius e viuis exceſſum, ſacrilegi iugum mariti ſuſcepi, cuius deo miſe-

rante thorum, mentita infirmitate declinans, die noctuq; domini noſtri Ieſu Chriſti amplector veſtigia. Cumq; iſte patrimonium meum ex quo illuſtratur, cum indignis & turpibus idolatris exhauriat: me quoq; velut magam ac ſacrilegã cuſtodiæ tam grauiſſimæ mancipauerit, vt vitam corporalem amittere ſuſpicer. Nihil enim ſupereſt, niſi amiſſo ſpiritu ſuccumbam morti. In qua morte, licet glorier de confeſſione domini noſtri Ieſu Chriſti: tamen in eo mens mea valde conteritur. quia opes meę quas ego ex aſſe deo voueram: alienis a deo, & turpibus inſeruiunt. Et iccirco deprecor te homo dei, vt inſtanter dominum depreceris, vt aut ad fidem ſuam, venturum ſi præuidet Publium, faciat venire: aut ſi præuidet eum in hac incredulitatis peruerſitate manſurũ, iubeat locum dare cultoribus ſuis. Melius eſt enim ei exhalare ſpiritum, q̃ dei filiũ denegare, & eũ confitentes impedire. Etenim teſtis mihi eſt Chriſtus: quoniam ſi liberata fuero, ſanctorum veſtigijs adhærebo: & curas omnium ſolicitius exercebo vt ceperam. Vale vir dei, & memento mei. Cumq; hãc epiſtolam legiſſet Griſogonus: oratione facta cum multis confeſſoribus, ita reſcripſit. Fluctuanti tibi inter procellas & turbines mundi: cito ſuper vndas deambulans Chriſtus adueniet, & diaboli aduerſum te flantem ſpiritum, vno iuſſionis ſuæ ſermone compeſcet. Patienter & quaſi in medio maris poſita, crede Chriſtum ad te eſſe venturum, & ad temetipſam conuerſa, cum propheta exclama, dicens. Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in deo, quoniã adhuc confitebor illi ſalutare vultus mei, & deus meus. Geminum diuini muneris probatur indicium: quum tibi & terrena reddentur & donabuntur cœleſtia. Deus enim beneficium ſuum ad has extremitates protrahit, vt non ſit nobis vile quod præſtat. vide ne turberis in hoc, q; pie viuenti tibi inferantur aduerſa. Non enim deciperis, ſed probaris. Non eſt defenſio tua, quam putas per hominem poſſe cõſtare. Audi ſcripturam dicẽtem. Maledictus homo qui ſpem ſuam ponit in homine. Et benedictus homo, qui ſpem ſuam ponit in domino. Caue inquit fortiter, vigilãter & ſtrenue vniuerſa peccata: & a deo ſolo quære ſolatium cuius iuſſa conſeruas. Cito enim tempus placitum ad te cõuertetur, & quaſi noctis tenebras, floridum diei lumen aſpicies: atq; poſt glaciei frigus hyemis tranſeuntis, aurea tibi tempora & ſerena ſuccedẽt: vt omnibus qui pro Chriſti amore affliguntur, præbeas temporalem lætitiam, per quam ſine dubio conſequeris æternam. Vale in domino, & ora pro me. Hanc epiſtolam legens Anaſtaſia, fortiores fidei vires accepit, ac tantum de patientiæ virtute in domino gloriabatur, quantum prius de oppreſſione infideliſſimi viri ſe cauſabatur affligi. Igitur beata Anaſtaſia quum ita in cuſtodia ſtringeretur, vt ei vix panis quadra daretur: æſtimans ſe in ipſa tribulatione deficere, denuo in hęc verba ſancto viro ſcripſit. Cõfeſſori Chriſti Griſogono, Anaſtaſia. Finis venit corporis, Memento mei, vt egredientem animam meam, ipſe ſuſcipiat pro cuius amore iſta ſuſtineo: quæ ex horæ huius momento recognoueris. Vale. Ad hæc ſanctus Griſogonus talia remiſit ſcripta Griſogonus Anaſtaſiæ. Semper eſt vt lumen tenebræ antecedant, ſic etiam poſt infirmitatem ſalus reuertitur, & vita poſt mortem promittitur. Vno fine concluduntur & aduerſa huius mundi, & proſpera: ne vel triſtibus deſperatio, vel lætis elatio dominetur. Vnũ mare eſt, in quo naiculæ corporis noſtri velificãt, & ſub vno corporis gubernatore, animæ noſtrę nautico fungũtur officio. Quorundam igitur naues fortiſſimis carinarum nexibus ſolidatæ, tenebroſi æquoris concitatos fluctus illæſæ pertranſeunt: quorundam vero fragili iunctura lignorum etiam in tranquillo vicinum morti conficiunt curſum. Prope etenim illis eſt vt pereant, qui non cogitant qualiter ad portum ſalutis pertingant. Tu autem o Chriſti irreprehenſibilis famula, crucis tropheum tota mẽte conſtringe, in quo tuis dum deſiderijs parueris, cum martyrij palma ad Chriſtũ pertinges. Interea Publius vir eius moritur, & ipſa ſancta e carceribus liberatur. Quam ob rem non minimas gratias egit domino & ſaluatori noſtro Ieſu Chriſto. corripuerat enim in hac calamitate eã dominus, tanq̃ magiſter diſcipulum, quem nouerat ardentiſſimi ſpiritus & ingenij. Sicq; & in=

carcerationis moram, Anaſtaſia magnitudine fœnoris duplicauit. Nam & propter ſe a ſancto propoſito minime retraxit, neq; enim eam aliquis a timore Chriſti reuocare, aut ab eius dilectione diuellere potuit: propter quem omnem ſeculi gloriam, põpamq; ac etiam ipſam vitam temporalem cõtempſit, cui nihil dignum comparauit. Magis magiſq; in ea quotidie amor Chriſti creſcebat, creſcebatq; fides. Et ne audiret vocem & iudicium ſanguinis clauſit aurem, & omnem ſubſtantiam ſuam perq̃ maximam diſperſit tandem, & dedit pauperibus: vt iuſticia eius maneret in ſecula & in ſeculum ſeculi. Exhortabatur autem omnes ad profectũ animæ, exhortabaturq; q̃ maxime ſingulos, quos & eleemoſynis & documentis confouebat, dicens. Præterire figuram huius mundi, & illam verã eſſe vitam, quæ præſentis vitæ emeretur incõmodis. Singulis prope diebus luſtrabat carceres, in quibus chriſtiani pro fide Chriſti detinebantur. Nec eas ob res alicuius momenti ſe exiſtimabat. Et quanq̃ ex patritijs familijs innumeriſq; diuitijs plurimum foret inſignita, nihil tamen de habitu magnatorũ habere volebat. Ea propter etiam ab ancillulis ſuis miro amore, in eius veneratione deditæ erant. Stupebant profecto omnes de incredibili ipſius humilitate quadam, q; gloriam & honorem priſtinæ nobilitatis atq; fulgoris, pro Chriſto & calcare & contemnere potuiſſet. Multis nanq; ſignis dominus glorificare volens ancillam ſuã: eam etiam ad coronam martyrij prouexit, quibus quidem perculſi plurimi gẽtiles, ſimul cum chriſtianis deitatem Chriſti confitebãtur. Deniq; poſt triẽnium a viduitate ſua, cum ancillis ſuis gaudens Anaſtaſia in quiete maxima vixiſſet: a quibuſdam tentata iuſſu Diocletiani principis, a quodam præfecto iubetur idolis ſacrificare, vt poſtmodum eam ducere poſſet in vxorem. Cumq; in thalamum eam perduxiſſet, ipſamque ſuo more amplexari vellet, illa fideliter reluctante, ſtatim diuino iudicio cæcus effectus eſt. Adiens autem deos ſuos, ſciſcitatus eſt ſi euadere poſſet. Reſponderunt: quoniam ſanctam dei viui ancillam Anaſtaſiam turpiter dehoneſtaſti, ideo nobiſcũ perpetuo decretus es in inferno excruciãdus. Cumq; ita obcæcatus domum reduceretur, inter eundũ in manibus puerorũ ſuorum vitam finiuit. Tribus igitur ancillis ſororibus diuę Anaſtaſię martyrio coronatis, & ipſa iubetur in cuſtodia recludi. Audiẽs vero præfectus qui eã carceri mancipauerat, q; innumeris ditata eſſet prædijs & fundis, ipſam ſecreto allocutus eſt. Si vis inquit chriſtiano ritu viuere, fac quod tu9 Chriſtus (quem deum verum exiſtimas) præcipit dicens. Qui non renunciauerit omnibus quę poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Omnia igitur quæ poſſides mihi da, & quo volueris libera abi: tunc quidem vera cẽſeberis chriſtiana. cui illa. Dominus meus inquit vtiq; præcepit, omnia eſſe vænundanda, ipſiuſq; cenſum pauperibus, non autem diuitibus erogandum. Denuoq; diro carceri fame excruciãda traditur Anaſtaſia: verum a ſancta Theodora nuperrime martyrio coronata, diuino iuſſu & præſidio per duos menſes mirifice extitit refecta. Tandem cum ducentis virginibus ad inſulas Palmarias deportata: quum innumera miracula & virtutes dominus per ancillam ſuam operaretur, miſit præfectus qui Anaſtaſiam cum multis reuocaret. Quibus adductis: mox Anaſtaſiam ipſam ad palos alligari præcepit, atq; ignibus comburi. Cuius exẽplum ſecuti ſunt non modo virgines quæ ſecum exulauerãt, ſed & alij innumerabiles vtriuſq; ſexus homines, & cruciatus diuerſos & pœnas alacri vultu & infracto animo ſuſceperunt, ne fidei ſuæ conſcientiam maculare viderentur. quoniamquidem perfecta in eis charitas, foras excludebat timorem. Quorum ſi velim nunc tolerantiæ enumerare virtutes, & conſtantiæ robur exponere, nec mihi ſermonis tãta copia adeſſet, nec etiam alijs puto, niſi his ſolis qui oculis ſuis intueri potuerunt. Sed iam de illuſtriſſimis Anaſtaſiæ (vt ipſe crediderim) virginis virtutibus atq; illuſtriſſimo ipſius martyrio, quo a deo, perpetuo in cœleſtibus coronari promeruit, dicta ſufficiant. Tãta quippe huius ſanctæ matronæ Anaſtaſiæ fuerunt ſigna & miracula, vt de ſanctis martyribus veteribus deputaretur vna. Cuius anniuerſaria ſolennitas, celebratur in die natalis ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, octauo calendas Ianuarias.

¶De ſancta Afra martyre. CAP.CX.

AFra ſanctæ Hilariæ martyris filia, imperāte Romanis Diocletiano, Rhetiæ in ciuitate Auguſtana, pro Chriſto martyrium conſtantiſſime perferens, cœleſtia regna penetrauit. Hæc quippe genere Cypria fuit, & Veneris Deæ cultui dedita, cum eſſet inuiſæ pulchritudinis inſignita, lupanaria ex documento genitricis celebrabat. Venus enim ſupradicta falſo gentilium dea, fœmina ſiquidem impudiciſſima, vt ab impudica fronte paululum ruboris abſterſiſſe videretur, & laſciuiendi ſibi ampliorē cōceſſiſſe licentiā: nefanda turpitudine excogitata, prima meretricia publica adinuenit, & fornices inſtituit, & matronas inire compulit: quę ſatis execranda Cypriorū conſuetudo, in noſtro (vt ita dixerim) æuo protracta eſt. Cōſueuerat enim ſuas mittere virgines ad litora, vt forenſium vterentur cōcubitu, & ſic ſuæ futurę caſtitatis libamēta Veneri Deæ perſoluiſſe viderentur: & ſuas in nuptias quæſiuiſſe dotes. Quā quidem abominandā ſtultitiā Afra hæc apud Auguſtanam Rhetię ciuitatē ſeruabat. Cuius deteſtabilis impudicitia, & turpe meretricium effecit, vt ſi patria eius, tamē origo non ignoretur. Quę etſi ampliſſimis titulis decorari non poſſit, quoniā tamen martyrium ardētiſſimo & infracto pectore tam cito pro Chriſto pertulit, ſua laudis portione taciturnitate fraudari non debet. quę etſi minus pudica eodē modo fuit: bona tamē pace aliarū clararū mulierum, non modo inter claras vtcūq; mulieres, ſed inter ſanctas merito deſcribendam eſſe cenſui. Dedita itaq; Afra cū ancillis ſuis nefando cultui meretricio ea in vrbe prædicta: Eius proſtibuli locum Narciſſus ſanctus epiſcopus, cū Felice diacono perſecutionem Diocletianam deuitans aliquando ignorāter introgreſſus eſt: A qua & pro turpi amatore primum ſuſceptus fuit. Poſtmodū vbi eum cognouit chriſtianorū epiſcopum, confeſtim eius pedibus cū lachrymis & eiulatu prouoluta eſt. Cuius tanta profecto fuit doctrina, vt eam domino lucrari potuerit. Mane autē facto, quum nefandi & perfidi ſatellites chriſtianorum, epiſcopum cū ſuis exquirerēt: Afra eos e veſtigio ſub liniſtramento abſcōdit: deluſiſq; hoc modo ſatellitibus, Afra epiſcopū ad Hylariam perduxit parētem, quę documentis ab eodem ſimili modo ſuſceptis, & ipſa mox ad pedes eius cum fletu cecidit, & ſe chriſtianam effici obnixe expoſtulauit. Baptizata igitur Hylaria cum omni domo ſua & alia multitudine nō minima, ſtatim dæmon vlulare & exclamare cōtra epiſcopum tanq̄ vim ſuſtinēs cœpit, ac dicere: o cruces, o tormēta quę patior, exire de habitationibus meis Narciſſe epiſcope me cogis. Si me vis abire, da mihi locū, vel animā aliquam in poteſtatē in quam introire poſſim, ne hinc eiectus præcipiter in abyſſos. Cui ille: Si deus meus ait cōcedit vt maneas, mane: verūtamen ne id quod a me expoſtulaſti fruſtratus videaris, tibi diaconē perq̄ maximū talē, qui in faucibus mōtium non procul a nobis habitat cōcedo occupādum, in quo introgreſſus dæmon ſtatim interfecit. Tunc Narciſſus ſanctus epiſcopus Hylarię domū in eccleſiam conſecrauit, atq; Dionyſium Afræ auunculum Auguſtanę vrbis epiſcopū ordinauit. Afra vero quum nefanda vt cōſueuerat exercere recuſaret, Caio iudici, tanq̄ chriſtiana accuſatur. Cui quum diceret, deū chriſtianorū meretrices abhorrere, Chriſtumq; iuſtiſſimū in talibus habitare minime velle? Reſpōdit Afra. Ego quidē inquit ſicut maiores mei quodā peſſimo dæmonū errore decepta, & adulteria & fornicationes atq; alia huiuſcemodi nefanda nunc vſq; tanq̄ primitias dijs quaſdā debitas, turpiſſimas ſane operationes in tēplis obtuli. Nec aduertebā, q̄ ſi nec homines quidem modeſti ac mites talibus nefandis ſtupris lætarentur, quāto magis dij a ſimilibus eſſe deberent alieni. Nunc vero a domino Ieſu Chriſto vero vtiq; deo per ſeruos ſuos nuperrime illuſtrata, quum didicerim mea priſtina dedecora fuiſſe mortifera & nefanda, atq; eoſdē tales deos pernitioſiſſimos fore ſpiritus, necnō & omnino eſſe cōtemnendos, me ad verā ipſius Ieſu Chriſti religionē contuli, q̄ didicerim ipſum pro omnibus viuificādis crucis patibulū pertuliſſe, etiā me ipſam totam contradidi. Et ſicut

ipſe pro nobis pati voluit,& ipſa pro eius nominis cõfeſſione quæcunq; volueris tormentorum genera,pati non verebor. Quibus auditis,iudex ira ſuccenſus,cõfeſtim in inſulã Lici fluminis Afram duci,& ibidem cõcremari præcepit.ob miracula ibidẽ facta: ingẽs paganorũ multitudo conuerſa eſt. Atq; hoc modo hæc Afra ſuum ſeruauit fœmineum decus, ſublatumq; recuperauit,& ſui cordis innocẽtia reddita fuit. Ideoq; hæc ipſa monumentis mandaſſe volui,vt cunctę mulieres proſpectent quibus inclytæ pudicitiæ cura inſidet animo: quoniam non ſatis ſit ad cordis ſynceritatem teſtãdam exterioribus lachrymis & querelis ſe violentiam paſſas dicere: niſi quum poſſint,vindictam & corde & opere in ſe ipſas inflictam oſtenderint. Paſſa eſt autem beata Afra hæc,nonis Auguſti,Quo quidem die,& eius anniuerſaria celebrantur. Hilaria autem eius mater,dum ad ſepulchrum ipſius filiæ iugiter excubaret,& ipſa ibidem pro fide Chriſti octaua die ab ipſius paſſione,a perſecutoribus cum Digna & Euprepia atq; Eumenia ignibus traditæ,martyrij coronam adeptæ ſunt. Atq; ibidem eodem die etiam Nimia & Iuliana cum Quiriaco & Largo & Creſentiano cum alijs viginti paſſi ſunt. Quorum quidem annua ſolennitas,pridie idus Auguſti celebratur.

¶ De ſancta Grata virgine. CAP.CXI.

GRata matrona, & pudiciſſima virgo, genere & dignitate inſignis, ſed admirãdis virtutibus & ſãctitate inſignior,eo anno quo diuus Conſtãtinus magnus totius imperij monarchiã eſt aſſecutus,poſt deuictũ huius ſeculi curſum, meritis glorioſa,& optima ſenectute apud Bergomũ Ciſalpinæ Galliæ ciuitatem ſuã,vitæ finem ſortita eſt. Hæc itaq; ex Bergomo vrbe originẽ ducens,Lupum ditiſſimum ipſius vrbis ducẽ habuit parentẽ, cui quum filia hæres eſſet, eidem opulentiſſimũ extitit patrimoniũ. Quæ cũ ab ipſa ſua adoleſcentia inter cæteras ſuæ regionis fœminas euaſiſſet ſpecioſiſſima,aſſerunt cuidã magno Germanorum principi fuiſſe deſponſatam,ſed nuptiæ nunq̃ celebratæ. Huic igitur in primis Gratæ nomẽ conueniẽter ad naturã rei inditum fuiſſe perq̃ optime reor,ꝙ non modo cunctis gentibus,ſed & ipſi deo optimo,per omnia Grata fuiſſe probatur. Verũ a quo chriſtianitatis doctrinã & inſignia acceperit,ex hiſtorijs minime ſcitur. Eã tamẽ apprime nõ mediocriter,etiã in ſcripturis diuinis atq; rerũ diuinarũ appetentiſſimã fuiſſe ſcimus,& quum nihil hæſitaret in fide Chriſti,in oratione perſeuerabat inſiſtebatq;,donec & ipſa munus ſpiritus ſancti accepiſſet,quod poſcebat. Pro quo,adeo in ea incãduit diuinus amor,vt in ea nihil eſſet,mũdanus qđ violaret affectus,ſed quidã cõtinuus ardor: vnde & ſæpe cũ propheta cãtabat: Pars mea dominus.atq; illud: Notas mihi feciſti domine deus meus vias vitæ, adimpleſtiq; me lætitia cũ vultu,delectationes tuæ,vtiq; mecũ erũt vſq; in finẽ. Ea propter,bona quæ liberis (ſi ex marito ſuſcepiſſet) paraſſet,in redẽptionẽ animę ſuę,atq; in miſerorũ alimẽta cõferebat iugiter: & nõ ſolũ diuitias,ſed & ſemetipſã quotidie domino offerebat: atq; alios & exẽplo & lingua (quãtũ in ſe erat) adhortabatur. Sępius etenim quũ audiret,innumerabiles chriſtianos pro Chriſto diuerſis tormẽtis eſſe ſublatos, mirũ in modũ lætabatur, ac immortales gratias agebat deo,ꝙ a nequiſſimis tyrãnis abſoluti,ad bonũ & optimũ patrem,regẽq; omniũ dominũ remitterentur. Cũq; rumores perſimiles quotidie percrebreſcerẽt,nouiſſime ex Galliarũ partibꝰ Alexãder ex Thebeorũ legione miles ſtrenuus,Bergomũ cũ nõnullis applicuit. Vir certe chriſtianiſſimus,atq; multa generoſitate plurimũ inſignitus: qui ad Gratã virginẽ,tanq̃ chriſtianiſſimã & vrbis primariã declinans,eidẽ magnitudinẽ tribulationũ,& gentiliũ furorẽ quem ſanctis per vniuerſas Gallias inferebãt tyrãni cũ lachrymis retulit. Dicens inimicũ diabolũ omnibus viribus in chriſtianos cõgreſſum feciſſe,atq; ſuos miniſtros in eoſdem armaſſe & informaſſe,quatenus omne ſceleris miniſterium ac crudelitatis poſſent explere. Is autem Alexãder vir ſtrenuus erat,& in deũ atq; in homines integram & perfectã charitatem cuſtodiebat, in omnibus quoque mandatis & iuſtificationibus domini ſine

querela iugiter incedebat. Erat & ad obſequia ſeruorum dei promptiſſimus. Eratq; non mediocriter eruditus, ac etiam latina lingua diſertus. Ibidem itaq; Alexāder ipſe zelo dei ſuccenſus, quum dei verbum errantibus, ac Chriſtum ignorantibus Bergomenſibus aliquandiu diſſeminans, nōnullos Chriſto ea in vrbe lucratus fuiſſet. Ipſi pagani Bergomenſes indignabundi, q eum impie agere affirmarent, ſcilicet tranſgredi ſuos facere patrias leges, quas vnumquēq; ita adeo obſeruare oportebat, vt nemo præſumeret nouas res temerario auſu innouare, præſertim quū a ſuis legibus cautum foret, vt capitalis pœna plecteretur qui ſecundum leges patrias, deos non adoraret. Ipſum iccirco quia Chriſtum imprætermiſſe prędicabat, & deos gentium cōdemnabat & improbabat, tandem capitali pœna condemnarunt. Quod vbi ſanctæ virgini nuntiatum fuiſſet, ſanctum videlicet dei hominem truncatum eſſe: extemplo muliebri abiecto timore, mollicieque fœminea, ac ſexus debilitate prorſus abiectis & ſepoſitis, ſuis comitata mancipijs, ac nonnullis Chriſti fidelibus, vt ſancto homini funebre præſtaret officium, ardenti animo nocte media, in aream certaminis ſancti viri deſcendit & intrauit, viſoq; cadauere, & ſeparato capite cruētato, ſui ipſius oblita, illud ſanctiſſimū & venerabile corpus iā cruore reſperſum, exoſculari, & amplecti non deſtitit, & fœtidos cruore artus lachrymis ſuis lauit, ſæpe vocibus eum exanimē reuocabat in amplexus. Nec eam ab hoc pietatis officio remouere potuit turba furibūda, aut impię eorum manus, nec q terribilius videbatur principium Romanorum publicum edictum, quo cauebatur pœna capitalis ſupplicij, nequis cuiuſq̄ occiſorum chriſtianorum funebre præſtaretur officium: quin ardenti animo ſublatum corpus, ex ſuburbanis in ſuperiore deferretur ciuitate, atq; ibidem aromatibus delibutum, omni cum reuerentia ſepulturæ traderetur. Atque ita eam verus Chriſti amor, integraq; fides, & vera chriſtianorum ſanctitas, ſuaſiſſe potuere. Eoq; ſepulturæ condito, deinceps ipſi Gratæ virgini totus pene mundus alienus omnino factus eſt, vnde patrem æternum deſyderans, tanq̄ a domino vocata in imagine leuitarum, ſuper omnia gladijs ſpiritualibus, corporales omnes affectus in ſe omnino occidit. Perſæpe nanque cum apoſtolo dicebat. Nihil intulimus in hunc mundum, nihilq; auferre poterimus. Nihil & ipſa intuli in hunc mundum veniendo, ſicque & abeundo nihil auferam. Ea de cauſa vt ſe mundo mortuam oſtenderet, prima ea in vrbe clauſtralem vitam exercere cœpit, & plurimas virgines ſibi in dei ſeruitio congregans, glorioſis virtutibus & miraculis valde clara effulſit. Cuius admirandæ virtutes atque miracula diu vſq; in ſenium longe lateq; percrebuere. Tandem in ſenectute bona, eo ſuo monaſterio adhuc extante, collecta eſt in pace, prima die calendarum Maias. Cuius ſanctitatis præconium, merito credulitatis ſuæ populus Bergomenſis debitæ venerationis cultu, eo die ſcilicet calendas Maij, ſingulis annis celebriter recolit.

¶ De ſancta Helena Conſtantini matre. CAP. CXII.

HElena ſancta, magni Conſtantini mater, Iulio pontifice Romano in cathedra Petri præſidente, anno a natali chriſtiano ſeptimo & trigeſimo ſupra trecenteſimum, Romæ vndecimo calēdas Iunias, innumeris meritis glorioſa, migrauit ad dominum. Hęc in primis quidem omnium chriſtianorum, nedum fuit pręclariſſima regina, ſed & parens affectuoſiſſima, æqueq; chriſtiani ſplendoris eximius fulgor, atque bonarum virtutum certiſſimum documentum. Quæ ſecundum quorundam documenta, & maxime diui Ambroſij, qui eam ſtabulariā nominat, plebei hominis filia extitit. Alij vero Cæli Anglorum regis a principio captiuam volunt: quod quidem & ipſe arbitror, quum ſic a pluribus opinetur. Quę vt erat incomparabilis formæ & ſpecioſitatis puellula, nupſit virgo illuſtri viro Conſtantio totius occidentis Cæſari, Et ex eo (vt cæteros ſileam) concepit & peperit iubar illud eximium Chriſtianæ fidei Conſtantinum cognomento magnum, poſtea inclytum Auguſtum, cuius tantus fuit fidei fulgor & ardor, vt non ſe tantū æterna fama ſplen-

didum faceret: quinimmo & parentes, & gentiles infideles, & patriam, atq; chriſtianos omnes, perenni nobilitarit & extulerit gloria atq; triumpho. Verum non tantum hæc ſancta virago Helena, felicis regni & imperij decore, ac ſereniſſima prole tãti filij, quin vrgente maximo diuini cultus ardore, inuento ſalutis noſtræ crucis tropheo, orbi toto lõge cognita deuenerit. Eam enim, poſteaq̃ perenni fonte, a diuo papa Syluestro mũdata fuit, atq; de omni verbi dei incarnatione & crucis myſterio per q̃ optime inſtructa extitit, dixiſſe ſæpius ferunt. Quomodo me redemptam arbitrabor, ſi ipſa redemptio crucis nõ cernitur. Verum quoniam peregrina eſt huius ſanctę viraginis hiſtoria, anteq̃ vlterius progrediatur, paulo altius eſt aſſumenda. variæ etenim, vt ſupra præmiſſum eſt, inter celebres viros de huiuſmodi regina feruntur opiniones, ex cuius genere maxime fuerit orta, ſed cuiuſcũq; fuerit, ad hiſtoriam nihil refert. Ipſius autem ob venuſtatem, aſſerũt plurimum placuiſſe Conſtantio Cæſari, & ab eo in primis fuiſſe oppreſſam. Erat quippe ex more illius gẽtis, qui vtplurimũ ſunt pulchro & elato corpore ac membris robuſtiſſimis, necnõ & colore cãdido, & quoddam præter naturã mirabile in ea, ita vt nõ ſolum exercitum Cæſarianum ſed & alios innumerabiles ex omni mundo homines ad illam videndam, vſq; in ipſis ſuis occiduis partibus proficiſcerentur. Quum inter cætera, & ei eſſet corpus nimia proceritate elatum, & adeo, vt qui eam nouere, crederent occiduas quaſcunq; mulieres etiam in decore faciei anteire. Eratq; ſermone leni & blando atq; lingua diſerta, ingenio quoq; vniuerſis præſtabat, magnæ prudẽtiæ & ſagacitatis decore fulgebat, ſicq; tã bonitate & eximia prudentia, q̃ pulchritudine incomparabili, in ampliſſimam famã etiam apud remotiſſimas nationes euaſit. Verum poſt non multũ temporis, Conſtantius princeps modeſtiſſimus, ad occultandum crimen tam ſplendidę mulieris cum ea legitimas celebrauit nuptias, Suſtulitq; confeſtim ex ipſa pulcherrimas proles, quas inter Cõſtantinus magnus vnus fuit, matri q̃ ſimillimus. Quem Cõſtantinus pater, quum accepiſſet magni ingenij, & morũ elegãtia, ac magnę probitatis puerũ, ad ſuæ felicitatis cumulum exiſtimauit adſcribẽdũ: & deinceps maiore in pretio Helenã vxorẽ habuit. Erat nãq; ipſa ingenio miti & placido, adeo vt obſequentiſſimi numinis benignitatẽ repræſentare videretur. quippe tãto animi ardore, ad omnẽ ferebatur virtutem, vt ab ipſa ſua mẽte, omnẽ omnino animi depelleret morbũ. Eam etiã ob rem, ad tantã eã perueniſſe philoſophiã ferunt, vt iam contemptis priſcorũ idolis & erroribus, vnum deum verũ ſolum crederet, Ipſumq; regẽ ac dominũ cœli & terræ, ſolis, ſtellarum, totius quoq; mũdi creatorẽ opinaretur. Et idcirco totis viribus, ſic viuere conabatur, vt vel omnia huius mundi blãdimenta paruipendere diceretur. Recte itaq; iam, tanq̃ rationis non expers, de prouidẽtia dei ſentiebat, deq; immortalitate animi, ac de bona viuẽdi norma: quæ quidẽ a fide iamiam depẽdere videbãtur, eaq; omnia, veræ vitæ felicitatẽ præ ſe ferre dicebat. Nõ tenebat ſolũ, ſed etiam prædicabat diuinã eſſe iuſticiam. Quibus plane ex virtutibus Helena virgo adhuc gẽtilis & pagana, chriſtianitatis fidei fundamẽta ieciſſe viſa eſt. Et quanq̃ mũdus eidẽ feliciſſime arrideret, nihilo minus ſæpius illud philoſophorũ verbũ in mediũ proferebat, dicẽs. Quid enim boni in ſe habet hæc mortalis vita, vel quibus potius malis non abũdat? Et iccirco ipſam naturæ & fortunæ cõmodis cum tremore moderate ſemper vſam fuiſſe ferunt, illaq; omnia nõ ſuis meritis, ſed a deo viuo ſibi donata exiſtimabat. Sæpe etenim illud Helenæ Troianæ ſeu Græcę mulieris apud Homerũ dictũ, ſuo obuerſabatur in ore. Aſt alias alij quiſquis valet omnia ſolus, Datq; bonũq; malũq; deus. Omnia inquiẽs, mortalibus & bona, & mala a deo prouenire, & id ad eorum vtilitatẽ ſemper. Incredibili tamẽ mœrore Helena iugiter ex elephãtię morbo filij eius Cõſtãtini afficiebatur immo perfundebatur, & eã ob rem quotidianis curis diurnis videlicet pariter & nocturnis angoribus excruciabatur. Ipſa quippe Britãnica regio, propter corporũ albedinẽ tales morbos facile ſuſcipere dicitur, atq; in poſteros pertrãſit, vt in ipſius Cõſtãtini filia Cõſtãtia poſtea exploratũ fuit. Mortuo autẽ Cõſtãtio Helenæ marito, ipſa quũ

audiſſet regnum, & monarchiā totius orbis eius filio Conſtantino ceſſiſſe atq; de om
nibus tyrannis triumphaſſe, non potuit non vehementiſſime lætari atq; gaudere, ſed
quodam etiam inenarrabili exultauit tripudio. Neq; enim ob id tam exultauit gau-
dio Helena, q̄ ꝙ deus omnipotēs iam tandem ſuos mites benignoſq; oculos cōuertiſ-
ſet ad laniatos deſertoſq; per vniuerſum iam orbem populos, Eoſq; voluiſſe ex effe-
ratis truculentiſq; rapaciſſimorū luporum gladijs eruere, & per filium ſuum Conſtā
tinum māſuetiſſimū & iuſtiſſimum hominē ſaluos facere. Et cum ipſa ſui filij noſſet
integritatem: exiſtimabat etiā nullum imperio Romano poſſe præfici, ipſo aut pru-
dentiorem, aut æquiorē, aut meliorem, aut doctiorem ſeu clementiorem, & demū in
omni abſoluto virtutū genere præſtantiorem. Actum nempe dicebat de vniuerſo im
perio Romano erat, niſi repente diuino munere, in tātis turbulentiſſimarū tēpeſtatū
fluctibus & procellis tantorum tyrannorū, iſte filius meus gubernator illuxiſſet, cuius
feliciſſimo ductu, haud dubitato ſpero, quin optatus quietis portus, & perpetua quæ-
dam ſalus, nedū Romano populo, ſed & vniuerſo orbi diuinitus pariatur. Porro dum
in promotione tantæ dignitatis Helena mater plurimum iucūdaretur: Ecce illico al
lata eſt fama in Britāniam, ipſum ad ritum chriſtianorū per baptiſmum demigraſſe.
Quod quidē nuncium Reginā permoleſte pertuliſſe ferunt: ꝙ & ipſa iam Iudęorum
proſelita facta, legi & religioni ipſorum plurimum inclinaretur & faueret. Maluiſſe
potius aſſerēs ipſum filium Auguſtum, ex gentilitate ad Iudæorum q̄ chriſtianorum
pertranſiſſe. Qui rumor quum innotuiſſet Iudæis: cōtriſtati nimium, plurimi ad re-
ginam conceſſere, conqueſturi de chriſtianis. Aſſeuerantes chriſtianos inique nimium
agere. Quoniam quum alienigenę eſſent, ſic ſcripturis Iudęorum nihil omnino ad ſe
pertinentibus impudenter abuterentur, vt ſe in ipſorum Iudæorum nobilitatem ve-
lint intrudere, & Iudæos omnes a patrijs ritibus extrudere conentur. Nam ſi Chriſtū
ſuum diuinis oraculis venturū ante ſecula permulta ſcriptum eſt, atq; noſtri prophe-
tę aduentum ipſius prædixerunt: qui & ſaluatorem & regem maiorū noſtrorum, non
gentium ipſum futurum prædicarunt. Si qua tandem ipſa noſtra ſcriptura, meliora
quædam diuinioraq; pernuntiat, ea quoq; nobis Iudæis, inquiunt, non gentibus ſcri-
pta fuiſſe. Itaq; illuſtris Regina, chriſtiani nō recte faciūt, qui hæc obaudiūt. Et quod
turpius eſt, inquiunt, ea quæ nobis Iudæis propter errores noſtros incommoda ven-
tura ſcribebantur, ea iam nobis accidiſſe aſſerunt: repromiſſiones vero bonorum in ſe
ipſos petulanter transferunt: quodque mente capti hominis eſt, etiam prædictam fe-
licitatem noſtram ipſi ſibi attribuunt, & datas ab ipſa noſtra lege ceremonias impro
bant. His itaq; & cæteris huiuſmodi quum aduerſus chriſtianos apud Reginam con-
querendo vſi fuiſſent Iudæi: Helena confeſtim legatos Romam ad Conſtantinum
filium Auguſtum miſit, Qui ex ipſius nomine referrent, ſe mirabundam plurimum
fore, quod tam facile leges & patrias ceremonias reliquiſſet, & fatuam ac omnis ra-
tionis inopem chriſtianorum fidem, vniuerſis gentibus inimicam ac impiam, potius
delegerit q̄ iudaicam. Quæ quidem fides, nec Iudæorum deum optimum immorta-
lem, neq; eorum ceremonias, nec gentium ritus imitari videtur. Qui quidem chriſtia
ni inauditum ac inuium iter ſibiipſis turpiter confeciſſe omnibus videntur. Quæ qui-
dem verba Helena quum nec Iudæorum, nec chriſtianorum ſcripturas, aut religionē
recte adhuc intelligeret, Conſtantino filio de chriſtiana fide ſuſcepta referri fecit.
Auguſtus autem Cōſtantinus, viſis, auditis, & intellectis Helenæ matris oratoribus,
q̄ citius fieri potuit: in Britanniam, ad eam Romam accerſendam, honorabilem re-
miſit legationem: qui ipſi ſuę genitrici non modo felicitatem, ſed & perfectam ipſius
ſanitatem, manifeſtiſſimaq; de cœlo dei auxilia, & innumerabilia diuinitus miracu-
la referrent, illam quoq; ad ſe reducerēt pariter gauiſura. Cumq; Helenæ allatus eſſet
nuntius de filij ſanitate, mox tanta animi voluptate perhibetur affecta, vt ex oris hila
ritate, etiā circunſtātibus inijceret felicitatem. Ad primum autem de ipſius filij ſani-
tate (baptiſmo ſuffragāte) nuntium, tantam de illius optima vita futuraq; probitate

ſpem in deum Helena conceperat,vt ſibi magnum ad felicitatem cumulum additum putaret, Nec ſua profecto fefellit opinio. Plurimos autem Iudęos,& eoſdem quidem eruditiſſimos Helenā ſecū Romam adduxiſſe tradunt. Et quoniā diximus Helenam hanc inſignem reginam ex Britānia originē duxiſſe. De ipſius regni ſitu non alienum erit hic pauca cōmemorare. Britānia igitur,quæ & Anglia nunc appellatur,a Britone Troiano Rege id nomen accepit,quum primū Albian,a quibuſdam Albis montibus propinquis appellaretur: ipſa eſt inſula perq̄ maxima Oceani,quā quum Iulius Cæſar ſibi tādem ſubiugaſſet,dixiſſe ferūt imperium Romanum extra orbē terrarum ſe propagaſſe. Porrigitur autē in longū,ſecūdum Solinum,octingētis miliaribus,in latitudinē vero trecētis. In ea inter cætera, Londra eſt celeberrimū oppidū,quod Londinum ab antiquioribus appellatur,totius ferme Occidētis celeberrimū emporium, in quo omnifariam exercetur mercatura. Profecta itaq; Helena ex Britānia Romam. E veſtigio illa ex inopinata filij amātiſſimi lætitia,pene vſq; ad defectū mortis peruenit. Verum ipſe eius filius illā plurimum recreauit,licet & ipſe a lachrymis cōtinere minime potuerit. Dicta autem eorum mihi nūc haud ſignificare videtur. Narrauit nihilo minus Cōſtantinus ipſe ſuæ genitrici chariſſimæ beneficia permulta,ſibi a domino Ieſu Chriſto multipliciter & inopinabiliter collata. Vtpote q; ſibi affuiſſet tēpus perq̄ optimū,quo ſol qui prius fuerat in nubilo, ſibi maiorem in modū præfulgidus eſſet. In primis quippe de maximis periculis liberatum per tropheū ſanctæ crucis,quod ſibi aureū in aere apparuerat,& non modo liberatum ſed & victorioſe magnū de tyrāno reportaſſe triumphū. Præterea ſibi in viſione nocturna apoſtoli Chriſti Petrum cū Paulo apparuiſſe, qui eidem optimū recuperandæ ſanitatis conſilium tradidere. Poſtremo poſt adeptam ſanitatis gratiam, ſe vna cum omni populo Romano,viſibiliter ſaluatoris imaginem miraculoſe parietibus effigiatā,vidiſſe in Baſilica ſancti Ioannis baptiſtæ,a ſe nuperrime extructa. Alia atq; alia q̄ plurima ipſi genitrici ſuæ, Auguſtus ſibi contigiſſe prodigia & miracula retulit. Quibus auditis grauiſſima mater vehementer obſtupuit,& quodam mirabili gaudio ſtetit attonita, ac vox confeſtim inhæſit faucibus,interq; metum & lætitiā cogitationibus varijs nutare cœpit. Aderant tum q̄ plurimi eruditiſſimi Hebræi,aderat & ſanctiſſimus pōtifex Syluester cū innumerabili multitudine populorum, quum hæc ab Auguſto ſerio genitrici Helenæ recitarentur. Moxq; de fide diu multūq; diſceptatum eſt. Sylueſter autem pontifex Hebrços calumniatores eſſe oſtendere volens,q; chriſtianos rationis expertes,ſed fide ſola perſuaſos,nihil omnino probare poſſe aſſeuerabāt: cauillationibus omnibꝰ abiectis,certas & apertiſſimas de chriſtiana fide mox attulit probationes. Pluribus quoq; ac perſpicuis argumētis probauit,gratiam dei ac cœleſtia beneficia,per dominum noſtrū Ieſum Chriſtū filium dei ſaluatorem noſtrū,chriſtianis eſſe collata. Dixit enim: audite me o Iudæi & qui aſtatis omnes,ſermo & prædicatio noſtra non eſt (vt noſter ait apoſtolus) in perſuaſibilibus humanæ ſapientię verbis,ſed in oſtēſione ſpiritus & virtutis. & rurſum. Sapientiā loquimur inter perfectos: Sapientiam autē non huius ſeculi,neq; principū,qui deſtruuntur,ſed loquimur ſapientiā in miniſterio abſconditam. Pręterea: ſufficientia noſtra inquit ex deo eſt,qui nos & idoneos fecit miniſtros noui teſtamenti. Demū Sylueſter pontifex aſtātibus Auguſto filio videlicet & matre,ac innumerabilibus ſapientiſſimis viris,quum obiectis Iudæorum diu & rationabiliter,atq; ſapiētiſſime eos confutaſſet,oſtendit: maiores noſtros quum diu dæmonū cultus tenuiſſent,attendiſſe iudaicas ſcripturas,pro quibus ipſos cultus priſtinos abominauerūt & ſpreuerūt: a quibus q̄uis plurima chriſtianę religioni cōſentanea collegiſſent,nihilo minus ipſorum Iudæorū ceremonias & viuēdi modum imitari noluerūt. Sed ne viderētur ipſa ſua dicta aliter a ſe cōficta,q̄ ſi tam ipſa quę a maioribus ſuis ipſi accepiſſēt,q̄ Iudęorū priſcas virtutes in mediū,vt omnibus paterent,ante oculos omniū propoſuit,vt & ſimul ſuæ diſputationis & argumētationis virtus extaret. probauitq; per ipſam Iudęorū ſcripturā fuiſſe ab erroribus pri-

ſtinis Chriſtianos liberatos. probauit quoq; plurimis rationibus, qua ratione Iudæorum ſcripturas Chriſtiani admirãtes, illorum vitam nihilo minus recuſare voluerint. Poſtremo ipſe diuus pontifex Syluester ipſis Iudæis oſtendit quæ fuiſſet ratio euangelij, & quis proprie atq; ſyncere diceretur Chriſtianiſſimus: ꝙ nec gẽtilium nec Iudæorum, ſed noua quædam ac vera religio ab ipſo ſaluatoris nomine appellata. Intulit enim ipſe pontifex coram omnibus aſtãtibus (& quidem ſtupentibus) priſcas omnium & primas theologias, per ſingulas nationes, & regiones, ciuitateſq; diuulgatas, atq; probas omnium ſapientium philoſophorum, de dijs & de conſtitutione mundi opiniones. Ex quibus quidem apertiſſimis rationibus cognoſcere potuerunt, recte ne an non, Chriſtiani Iudæorum ritum ſpernere debuerint. Quibus ex rebus quum Iudæi quid reſponderent, ignorarent, Sãctiſſimo Syluestro ceſſere, ac chriſtianitatis iugo colla ſubmiſerunt. Helena autem quum ex Iudæorum longa cõſuetudine, aliqualem de ſcripturis diuinis notionem haberet, nec Hebræorũ linguam ignoraret, quæſtiones diuo Syluestro de ſcripturis proponebat, & cauſas & rationes multarum ſcripturarum exquirebat. At ipſe non modo de ſcripturis diuinis, ſed & de myſterio ſacratiſſimæ trinitatis efficaciſſime eam ac cæteros omnes inſtruxit. Declarauit enim deum vnum eſſe, patrem cunctorum viſibilium & inuiſibilium, conditorum omnipotentem, eiuſque vnicum filium dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem creata ſunt omnia, verum eſſe deum, & ipſum cum patre, vnius eſſe ſubſtantiæ, & ei per omnia æqualem, vt nec tempore, nec gradu, nec poteſtate poſſit eſſe inferior, aſſerens tantum eſſe illum qui eſt genitus, quãtus ille qui genuit. Non autem tenerent quamuis dicatur genitum a patre filium, diuina & ineffabili generatione, ei aliquod eſſe adſcribendum tempus, ſed nec patrem aliquando cœpiſſe, nec filium. Eſſe vero ſpiritum ſanctum, etiam verum deum ex patre procedentem, æqualem per omnia patri, & filio, poteſtate, volũtate, æternitate, & ſubſtãtia: Nec eſſe in trinitate aliquis prorſus gradus: nihil quod inferius, ſuperiuſve dici poſſit, ſed tota diuinitas ſui perfectione æqualis eſt, vt exceptis vocabulis, quæ perſonarum proprietatẽ indicant, quicquid de vna perſona dicitur, de tribus digniſſime poſſit intelligi. Dicebat autem patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum in ſubſtantia vnum eſſe, ſed perſonis & nominibus tantummodo diſtingui. Docuitq; filium dei, qui abſq; initio æternitatem cum patre & ſpiritu ſancto poſſedit, in fine ſeculorum, perfectum naturæ noſtræ hominem ſuſcepiſſe ex Maria ſemper virgine. Et ipſum quidẽ paſſiones hominum adeo ſuſcepiſſe docuit, vt diuinitas permaneret impaſſibilis. Paſſum vere docuit dei filium, non putatiue. omnia quæ ſcriptura proteſtatur, videlicet eſuriem, ſitim, laſſitudinem, dolorem, mortem, & cuncta huiuſmodi. Deinde ad imitationem Chriſti interpretatus eſt omnes ſcripturas, incipiens a Moyſe & omnibus prophetis, & ſcripturis quæ de Chriſto ſcriptæ erãt, in quibus apertiſſime oſtẽdit, neceſſe fuiſſe ad ſalutem noſtrã Chriſtum pati, & reſurgere, & ita intrare in gloriã ſuã. Docuit demũ vnũ eſſe cũctis baptiſma: quod quidẽ ijſdem ſacramenti verbis in infantibus, quibus etiã in adultis dicebat eſſe celebrandũ. His & alijs permultis documẽtis, permota virago ſapientiſſima Helena regina, cum omni populo atq; etiam Iudæis ipſis cum propheta Dauid dulci melodia cantare cœpit. Quemadmodum deſyderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſyderat anima noſtra ad te deus. Atq; ita de Ægypto tenebrarum regina cum ſuis recedẽs, interfecto Pharaone in aquis ſuis, per ſacrum dei baptiſmũ tandẽ dei munere, acceſſit ad patrem & filium & ſpiritum ſanctũ. Pro quo ſtatim omnia excelſa domini, & fluctus ipſius, & fluminis impetus, qui dei ciuitatẽ lætificãt, ſuper ipſam & ſuos trãſiere. Suſcepto itaq; ab Helena & eius vniuerſa familia pene innumerabili, baptiſmi ſacramẽto, quãto gaudio quãtaq; lętitia, vniuerſa nedũ romana ciuitas, ſed totus pene mũdus exultauerit, ad explicãdã eius magnitudinẽ, & Tulliani ingenij certe exiccaretur fluuius. Quicquid cogitare poteſt animus, quicquid lingua explicare nõ poteſt, in tẽpore illo factum exiſtimare debemus: Certatim in oſcula omnes ruebant: & prę gau=

dio Chriſti,nō modo ſanctus præſul Syluester cum clero, ſed ſanctiſſimus Auguſtus Conſtantinus flere non deſiſtebat. O bone Ieſu q̄ fauſtus fuit ille dies, quantumq;,in illa vrbe tam ſancta exultationis fuit. At illa poſtmodum quantum patiebatur ſua regalis conditio,magni ardoris fidei, & humilitatis ac religionis documenta præbuit. Maluit enim (vt diuus refert Ambroſius) vt ſtercora reputari,vt Chriſtum per humilitatem lucri faceret. Neq; eius miſericordiā,eius humilitatem,ſanctimoniam,& animi ardorem poſſet quis calamo exprimere. Sæpius illud ſuo obſeruabatur in ore: Et quomodo me redemptā arbitrabor,ſi ipſa redēptio nō cernitur? Ego enim in aureis habito, & Chriſti redēptoris mei triumphus in ruinis: ego inquam in tectis, & crux Chriſti in puluere. Vnde repente & contra omniū opinionem, cū maximo comitatu Hieroſolymā nauigauit: Vbi multorū excepta fuit cōcurſu. Præſul erat tum Hieroſolymis optimus Macharius,vir fideliſſimus omnibuſq; virtutibus adornatus, cui hoc etiam accedebat,quod plurimū eſſet diſertus,ac potens in verbo,necnō & multa eruditione præditus. Is quum cauſam aduētus tantæ reginæ intellexiſſet,inenarrabili quidem luſit & exultauit tripudio,quum animaduerteret,& videret iam tandē confutatam & omnino deiectā tyrannorum acerbiſſimā peruerſitatem. Ipſum autē ſanctum hominē Helena regina rebus in omnibus ſecū adeſſe voluit,atq; eius cōſilio,negocia cuncta peregit. Ita ſancta Helena volens executioni mandare id pro quo in Syriam adnauigauerat: quum loca ſancta luſtraſſet,ad Golgotha locum peruenit. Ibiq; conſiſtens ait. Ecce locus pugnæ,vbi eſt victoria? Quæro ſalutis meæ vexillum, & nō inuenio. Icc irco hæc Helena dicebat, quia perdifficile id fieri videbatur, ꝙ antiquis perſecutoribus eo in loco Veneris ſimulacrum fuerat defixum: vt chriſtiani accedētes adorationis gratia,ipſam Venerem adorare viderentur,ac compelli dicerētur. Et ob hoc derelictus & infrequens ac pene obliuioni datus fuerat locus Ab incolis perquirit. Illi Iudam iudæum ſolum locum ſcire proteſtātur: is quippe Iudæorum mos eſt, vt ſimilia parentes indicent filijs ſuis vt memoriam in poſteros ſic tranſmittant. Iudam itaq; Helena apprehendere fecit,illiq; & mortem & felicitatē propoſuit. At ille in carcerem coniectus,veritus ne obtruncaretur,eidem mox Caluariæ locum oſtēdit. Caluariæ locus ideo dictus,ꝙ ibidē primi parentis noſtri perhibentur Caluaria condita: vt poſtmodum Chriſti ſanguis de cruce ſtillando,ipſius noſtri protoplaſti iacētis peccata dilueretur. Ad eundem igitur locum Caluariæ quum Regina ſancta perueniſſet,videns ibi cuncta profanata & polluta,ingemuit multum: deinde ruderibus purgatis , tres in confuſo reperit cruces . Sed obturbabat reperti muneris lætitiam, vniuſcuiuſq; crucis indiſcreta proprietas. Aderat quippe & titulus ille qui græcis,& latinis,atq; hebraicis literis a Pilato fuerat ſcriptus. Sed nec ipſe ſatis euidenter, dominici præbebat ſigna patibuli. Hic iam humanæ ambiguitatis incertum,diuinum flagitat teſtimonium. Accidit ea in vrbe primariam quandam loci illius fœminam, graui ægritudine confectam,ſeminecem iacere. Macharius de quo ſupra dictum eſt, illius eccleſiæ erat epiſcopus. Is vbi cunctantem reginam atq; omnes pariter qui aderant videt: Afferte huc inquit totas quæ repertæ ſunt cruces, & quæ ſit quæ dominū portauerit, nunc nunc aperiet nobis dominus. Et ingreſſus cum regina pariter & populus ad eam quæ decumbebat fœminam,defixis genibus huiuſmodi precem profudit. Tu domine qui per vnigenitū filium tuum ſalutem generi humano per paſſionem crucis conferre dignatus es: & nunc in nouiſſimis temporibus adſpiraſti in corde ancillæ tuæ: perquirere lignum beatum in quo ſalus noſtra pependit: oſtende euidenter ex his tribus quæ crux fuerit ad dominicam gloriam,vel quæ fuerit ad ſeruile ſupplicium: vt hæc mulier quæ ſemiuiua decumbit: ſtatim vt ea lignum ſalutare contigerit,a mortis ianuis reuocetur ad vitam. Et cum hoc dixiſſet,adhibuit primo vnam ex tribus, & nihil profecit. Adhibuit ſecūdam: nec ſic quidem quicq̄ actum eſt. Vt vero admonuit tertiam: repente apertis oculis mulier conſurrexit. Et ſtabilitate virium recepta,alacrior multo q̄ dum ſana fuerat, tota domo diſcurrere, & magni-

ficare domini potentiam cœpit. Tum regina voti cõpos effecta, tanta lætitia & exultatione vna cum omnibus perfuſa fuit, vt vix vllus loqui poſſet. Statim autem regina eo gaudio repleta, nullo ſuę dignitatis habito reſpectu, ad crucẽ cum lachrymis proſtrata, quaſi dominum præſentem cerneret adorabat, exoſculabatur: & quaſi ſitiens aquas deſiderans fideli ore lãbebat, atq; verbis hebraicis clamabat, & dicebat. O crux aue ſpes vnica, hoc inuentionis tempore, auge nobis iuſticiam, reiſq; dona veniam. O arbor decora & fulgida, ornata regis purpura, electa digno ſtipite, tam ſancta membra tangere. O bona crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris domini mei ſuſcepiſti, iam tandem & me peccatricem ſuſcipe, & illi me redde: vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Quid ibi lachrymarum, quantum gemitum, quid doloris effuderit Helena regina, cuncti teſtes erant qui aderãt, teſtis & ipſe dominus quem rogabat vt ignoſceret. Iudas autem prædictus iudæus, mox & ipſe a ſancto epiſcopo Machario baptizatus, Cyriacus (mutato nomine) eſt appellatus: poſtea Chriſti martyr per Iulianum apoſtatam effectus fuit. At regina eo in loco in quo ſanctam domini Crucem repererat, permagnificum templum ambitione regia conſtruxit, & multa munera pretioſa donauit. Clauos autem quibus corpus dominicum cruci fuerat affixum ad filiũ detulit. Ex quorũ vno ille frenos compoſuit, quibus in prælio vteretur. Idq; frenum, a diuo Ambroſio Mediolanẽſe epiſcopo, diuinitus repertum, magna cũ reuerẽtia, in eminẽtiore cathedralis ſuæ eccleſię loco adhuc ſeruatur. Ex alijs duobus clauis, galeam nihilo minus belli vſibus aptam, fertur armaſſe. Ligni vero ipſius ſalutaris partem per medium ſectum detulit filio, atq; tabulam paruam tituli Pilati, ſimiliter filio Romam detulit: quæ nouiſſimis diebus etiam Romæ reperta eſt. Partẽ vero reliquam thecis argẽteis mirifice cõditam, in loco dereliquit. Reliquit præterea ibidem regina venerabilis maximum ſui religioſi animi indicium. Virgines ibidem deo ſacratas inuitaſſe ad prãdium perhibetur, & tanta eas curaſſe deuotione dicitur: vt indignum crederet, ſi famulorum vteretur officijs, Sed ipſa manibus ſuis, famulæ habitu ſuccincta, cibũ apponeret & poculum porrigeret, & aquam manibus infunderet. Et regina orbis ac mater imperij: famularũ Chriſti ſe famulam deputaret. Hæc quippe Hieroſolymis geſſit. Helena autem poſtmodum, quum cuncta terræ ſanctæ loca, omni cum reuerentia colluſtraſſet, & multam eccleſijs, & Chriſti pauperibus atq; conſeruis eius pecuniam diſtribuiſſet (tenuerat enim eam eiſdem in locis diutius fixa fides, & quoddam iam inueteratum ſanctorum locorum deſiderium) verſus Romam ſtatuit remeare. Præparata igitur claſſe, ſanctiſſimũ crucis pignus, in puppi ſeu trireme regia, in qua ipſa degere conſtituerat, collocari iuſſit: poſtea cum reliqua claſſe Romam verſum adnauigans, repente ipſi reginæ & cruci domini, vniuerſæ ciuitates, quibus illa cum tanto theſauro appropinquabat, aliæ dona ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria, aliæ thura & cereos, quos circa ſanctam incenderent crucem, certatim mittebant. Ferebatur itaque ſancta crux in magna eminentique trireme, regia pompa perornata. Aderant præterea plurimi, & pene innumerabiles cuiuſcunque ordinis & profeſſionis ſancti homines, qui die noctuque incredibili deuotione, atque vocum ſuauitate ſacra celebrabant officia, ac ſacros canebant hymnos, atque ipſi (vt ita dixerim) triremis remiges, tanta cum iucunditate ciebant fluctus, vt remorum pulſu ſanctorum hominum carminibus & hymnis reſpondere viderentur. Cum vero prope Romam tandem proſpero curſu applicuiſſet regina, Auguſtus Conſtantinus eius filius, audito ſanctæ crucis aduentu, atque ipſius ſuæ genitricis ſoſpitate, nullam moram interponendam eſſe putauit, quin cunctis ſepoſitis negocijs (prius tamen pręmiſſis apparitoribus) & ipſe quum multo comitatu obuiã conceſſerit: atq; multitudo Romani populi, quæ extra vrbem frequens conuenerat, vbi Auguſtum humilẽ, abiectum, pedibuſq; diſcalciatum, ac lachrymis perfuſum cõſpexit, ingenti principis religione permota, clamorem & vlulatum ingẽtem edidit. Crux deinde cum multa proceſſionis pompa intra vrbem delata, a matre filio Auguſto donata eſt. At Con-

ſtantinus tandem eccleſia Romę ſub titulo ſanctę Crucis in Hieruſalem, conſtructa: ipſam ſanctam crucem in eadem venerabiliter collocauit. Ac per hoc dicere auſim, Helenam maximã fuiſſe fœminam, & multo plus inueniſſe quòd imperatori filio conferret, q̃ quod ab ipſo acciperet. Fidem nãq; quam in corde habebat, etiã actione mirifice exequi voluit. His itaque ex ſententia per q̃optime geſtis, Helena regina quod reliquum ſuperfuit tempus ibidem ſanctiſſime exegit, & ſemper orthodoxæ fidei acerrima protectrix, Et orphanorũ, & viduarum ac pauperũ, maximam curam geſſit: quos tanta proſequebatur humanitate ac charitate, vt merito omnium mater appellaretur. Quam dominus noſter Ieſus Chriſtus quum ex ſtercore eleuaſſet, non modo cum principibus ſeculi huius, ſed etiam cum cœleſtis glorię principibus euexit: quoniã ſe ſemper terræ ſtercus humiliter exiſtimauit, & CHRISTO lucrifacere promeruit. Demum Helena regina de deo deq; hominibus bene merita, filio ſuperſtite Romæ diem ſanctiſſime obijt, vndecimo videlicet calendas Iunias. Cui filius ipſe Auguſtus mauſoleum ex prophyritico extrui faciens, ſanctum corpus ibidem collocauit, Inter ſanctasq; merito collocata, eo die eius annua feſtiuitas celebratur. Sanctiſſimum autem eius corpus integrum Venetijs delatum, & templo & monaſterio ſuperbiſſimo ea in vrbe decoratum eſt: quo in loco maxima etiam religione & veneratione, a religioſiſſimis venerandiſq; patribus monachis, montis Oliueti nuncupatis: capſella ornatiſſima cuſtoditur.

¶De Helena Aldiabenorum regina. CAP. CXIII.

HElena alia regina Aldiabenorum Armeniæ p̄ouinciæ, clara & inſignis temporibus Claudij principis fuit: quam de induſtria hic collocandam diſtulimus. Hanc quippe vt multis & plurimis meritis fuiſſe ſplendidam credam, facit illud permagnificũ facinus, quod vnicum de ſe poſteritati reliquit, & Ioſephus in vigeſimo antiquitatum ſcribit. Ait enim Ioſephus idem, ipſam reginã vna cum filio Iazate, Hieroſolymã deuotionis templi cauſa properaſſe: Monobazus autem Aldiabenorum rex, hanc Helenam ſororem ſuam amore captus, duxit, quum eſſet gentilis, vxorem: Quæ dum ex eo haberet in vtero, cõtigit, vt dum ea dormiente ſuper ventrem eius manum poneret, per ſoporem quandam vocem ſubito audierit, præcipientem vt manum de ventre eius auferret, ne infanti eius nocumentum inferret: quoniam deo prouidente, & principium & finem feliciſſimum eſſet poſſeſſurus. Qua voce pauefactus, repente conſurgens, hæc vxori dixit, Et natum filium, Iazatem nuncupauit. Huic autem filio præ cæteris filijs pater rex maximam deuotionem & amorem mirifice impendebat: pro qua re, non paruã fratrum ſuorum inuidiam ſuſtinuit, eo ꝙ pater ipſum cæteris pręponeret: verũ veritus pater, ne idem Iazates aliquid ex odio fratrum aliquando ſuſtineret, illum multis muneribus ſarcinatum, ad Abenerigum regem in caſtrũ Paſſim tranſmiſit, commendans ei nati ſalutem. At rex ille cum illum libenter excepiſſet, illi ad amoris indicium filiam ſuam vxorem tradidit. Donauitq; ei prouinciã ex qua quotannis multos perciperet prouentus. Demum etiam moriens, eidem legauit Carrorum prouinciam, terrã admodum fertilẽ, in qua adhuc erant quædam reliquię arcę Noe. Ipſum autem regem, Helena mater cernens rebus in omnibus fore perbeatum, & pacifice gubernare, deſyderium eidem inceſſit Hieroſolymam ciuitatẽ inuiſere, atq; templũ cunctis hominibus famoſiſſimum adorare, & in eo pacificas hoſtias offerre. Ob quã rem filio ſupplicauit. Qui matri perbenigne annuens, multam itineris præparationẽ fecit: profecta itaq; regina vna cum filio rege Hieroſolymam cum innumerabilibus pecunijs, Hieroſolymitis non parum profuit. Erat tum vniuerſa ciuitas maxima rei frumentarię egeſtate oppreſſa. Ipſa quippe populorum miſeratione permota, eos

omnes ante alia bono eſſe animo iuſſit. Miſſiſq; cõfeſtim nauibus ex Alexandria & Cypro frumenti copiam perq̃maximam, in Hieroſolymam deuehere fecit, & indigentibus primum alimenta illa diuiſit. Suus autem filius & ipſe multam pecuniam primatibus Hieroſolymorum deſtinauit. Et alia multa bona ipſi principes, vrbi Hieroſolymitanæ prꝫſtiterunt. Poſtea patrios ritus relinquentes, iudaicis ſolennitatibus obedierunt: poſtmodũ ad apoſtolorum prædicationem conuerſi Chriſti fidẽ ſuſceperunt. Qua conuerſa multo magis Chriſti fidelibus qui Hieroſolymis erant ſubuenit & quotidianos omnibus ſumptus ex bonis ſuis mira liberalitate quãdiu ſterilitas fuit exhibuit. Nec vlla ex parte circa opportunitates continue affluentiũ manus retraxit. Equidem mirabile dictu, & in muliere longe mirabilius, q̃ ſi homini contigiſſet. Pulchrum equidem facinus & magnificum fuit pietatis opus, & omnibus certe præconijs extollendum, indigentibus tam munificentiſſime auxilium etiã vltro præbuiſſe, atque ita Helena hæc regina ſuis ſubſtantiis bene ſe vſam fuiſſe oſtẽdit. Demum quum Iazates eius filius in regno ſuo diem obijſſet, eius oſſa magna cũ pompa pientiſſima mater Hieroſolymam deferri fecit, & in mauſoleo quod ipſa mater tribus procul ſtadijs ab Hieroſolymis conſtruxit, ſepeliuit. poſt mortem autem filij quum ad regionem Aldiabenorum redijſſet, non multo tempore ſuperuixit: verum Monabaſus alter filius rex, & ipſa oſſa defunctæ matris mittens Hieroſolymæ ſepeliri præcepit in mauſoleo filij. Ac ſic hæc pientiſſima fœmina ſibi dignum memoria peperit monumentum.

¶De apoſtola Hyberorum muliere optima. CAP. CXIIII.

APoſtola Hyberorum ſeu Georgianorum quos nũc plærique Scotos eſſe credunt, Conſtantini magni æuo dum eſſet apud eaſce gentes captiua, & ingenti virtute & ſanctimonia præclara, eam gentem ſuis miraculis ad Chriſtum conuertit: huius autem ſanctæ captiuæ deperditum malignitate fortunæ nomen & parentũ atq; patriæ ſuę notitiã, & forſitan aliquantulũ decoris meriti ſurripuiſſe videbitur: verum anteq̃ vltra mea progrediatur oratio, de huiuſce gentis prouincia aliquid differendum eſt, quum ſit memoratu dignum. Hyberia itaq; eſt Aſiæ minoris inſignis prouincia: ſub axe Pontico conſtituta, & Hyrcano mari proxima, Albaniæq; prouinciæ. eſtq;, vt quibuſdam placet, vnum & idem, quum Hybernia inſula quæ verſus occaſum Britanniæ proxima eſt, quæ ab Aphrico in Boream porrigitur, & quoniã partes priores Hyberiam proſpectant, Hyberia Hyberina dicta eſt. Gentes ibidem ferociſſimę & bello aptiſſimę ineſſe dicũt: quum robuſtiſſimis ſint membris & elato ſimiliter corpore, atq; ingenio celebri, ac linguæ facilitate plurimum præſtare dicantur. In ea igitur prouincia: vt Ptolemæus refert, præcipue ciuitates ſunt, Armatica, Agina, Sura, & Varica. Ibidem anguis nullus, atq; apis nulla reperitur. Ad apoſtolam autem redeuntes cuius nomen ſeu ſcribẽtium deſidia ſeu annoſitatis vitio, quum nobis ſubtractum ſit, & quidem indigne dixerim, quum nõ vulgari facinore mereatur in præcipuam efferri gloriam. Sed poſtq̃ inuidenti fortunæ ſic viſum eſt, tamen qua poterimus arte conabimini: innominatã eam pro viribus digno præconio, tanq̃ bene meritam in memoriam poſteritati deducere. Apoſtola igitur Hyberorum captiua adoleſcentula fuit, ſed neq; quidpiam ſuæ originis (vt præmiſſum eſt) poſteritati relictum eſt. Sane ſi opera domini in conuerſione humani generis ex gẽtilitate ad chriſtianiſſimũ inſpicere voluerimus: quod annoſitas abſtulit, pro parte reſtitutum videbimus: eam ſcilicet ex humilibus infimiſq; parentibus fore productam. Sic etenim apoſtolus dixit. Infirma mundi elegit deus, & ignobilia atq; contemptibilia, vt fortia quæcũq; confundat. Ipſam igitur eo tempore, eam gentem infra ſcriptis miraculis ad Chriſtum conuertiſſe, & fidẽ futuri

regni ſuſcepiſſe conſtat. Erat autem ea ipſa Apoſtola apud Hyberos in captiuitate poſita. Quæ nihilo minus quum pudicam apud eos duceret vitam, & dies noctesq́ in orationibus conſumeret, admirationi barbaris erat. Et quid ſibi hoc velit, curioſius ab ipſa perquirere cœperũt. Illa, vt res erat, ſimpliciter ita ſe ſuum deum colere reſpõdit, qui Chriſtus eſſet. Nihil ex hoc amplius admirati barbari, q̃ nouitatem nominis, mulierculam in honore habuerunt. Mos gentis erat, paruulos quum ęgrotarent, per vicinas domos a matribus circũferri remedia exquirentibus. Cũq; mulier quædam nobilis paruulum ſuum per omnes circũtuliſſet ex more: nec aliquid remedii cunctas domos luſtrando cæpiſſet: venit etiam tanq̃ ebria doloris ad captiuã, rogãdo vt ſiquid remedii ſciret, impẽdere dignaretur. Illa ſe nihil quicq̃ humani ſcire teſtata eſt, ſed deum ſuũ Chriſtum quem colebat, deſperatam ab omnibus ſalutẽ ſibi conferre poſſet confirmat, paruulumq; cilicio ſuo ſuper imponẽs, & orationẽ ad deũ ſuum fundens, mox infantem ſanum matri reddidit. Impleuit e veſtigio vrbem facti rumor, & ad reginam perlapſus eſt: quæ dolore quodam afflicta, in deſperatione maxima erat. Rogat ad ſe captiuã deduci. Illa ire abnuit, ne præſumeret amplius q̃ ſexus ſinere videretur. Ipſa ſe regina deferri ad captiuæ cellulam iubet: Quam ſimul ac ſupra cilicium ſuum poſitam, inuocato Chriſti nomine, illico poſt precem ſuã, & alacriorem fecit exurgere, Chriſtumq; deum eſſe, deiq; ſummi filium qui ſalutem hanc contulerit docet: eumq; quem ſciret ſibi autorem, ſuæ ſciret eſſe incolumitatis & vitæ, cõmonet inuocandum. Ipſum nãq; eſſe qui & regibus & regna diſtribuat, & mortalibus vitam. At illa cum lætitia domum regreſſa, marito regi percũctanti cauſam tam ſubitæ ſanitatis aperuit. Qui cum pro ſalute coniugis lætus, mulieri munera deferri iuberet: illa horum inquit o rex nihil captiua dignatur, aurum deſpicit, argentum reſpuit, ieiunio quaſi cibo paſcitur. Hoc ſolum ei muneris dabimus, ſi eum quem, me illa inuocante ſanauit, Chriſtum dominum colamus. Ad hæc tunc rex ſegnior fuit: interim diſtulit, ſæpius licet ab vxore cõmonitus, donec accidit quadam die eo in ſyluis venante cum comitibus ſuis: quumq; acceſſiſſet, coorta ſubito tempeſtate, ita tenebræ cuncta operuere, vt nec ipſe comites cerneret nec cerneretur ab illis, ignarus quid ageret: promiſſionis coniugi factæ recordatus illico eſt, Chriſtumq; rogauit vt ſi deus eſſet, ex tantis eum periculis liberaret. Nec mora dies reddita mũdo eſt. Et rex incolumis ad vrbem perductus eſt. Qui reginæ quæ geſta erant miraculi loco expoſuit. Euocari iã iãq; captiuã iubet, & colendi ritum vt ſibi tradat expoſcit: nec ſe vltra aliũ deum q̃ Chriſtum veneraturũ eſſe confirmat. Adeſt captiua iam ſpiritu ſancto repleta, Chriſtum deum eſſe mirifice docet: ſupplicandiq; ritum, venerãdiq; modũ, reijcere omnino idola, atq; alia omnia ad ſalutẽ neceſſaria, inquãtum aperire fœminæ fas erat, optime pandit. Fabricari tamen prius eccleſiam monet, formamq; deſcribit. Igitur rex totius gentis ſuæ populo congregato, rem ab initio quæ erga ſe, ac reginam geſta fuerat, exponit. Fidemq; edocet, & nondum ſacris initiatus, fit ſuæ gentis & ipſe apoſtolus. Credunt viri per regem, fœminæ per reginam. Cunctiſq; idem volentibus, eccleſia extruitur inſtantiſſime, & magni quidem operis. Et eleuato pertinaciter murorum ambitu, tempus affuit quo columnæ collocari deberent. Cũq; erecta prima & ſecunda ventum fuiſſet ad tertiam, conſumptis omnibus machinis, & boum hominumq; viribus, quum media iam in obliquum fuiſſet erecta, & pars reliqua nullis omnino machinis erigeretur, repetitis ſecundo & tertio ac ſæpius viribus, nec loco quidem moueri attritis omnibus potuit. Admiratio erat totius populi, regis animoſitas hebeſcebat, quid fieri deberet omnes ſimul latebat. Sed quum interuentu noctis omnes receſſiſſent, ſola apoſtola captiua apud eccleſiam in oratione perſeuerauit. Poſtea die prima luce redeunte Rege & populo pene vniuerſo, columna reperta eſt ſupra baſim, in aere ſuſpenſa, quantum eſſet vnius pedis ſpatium pendente. Tum omnes populi contuentes, magnificauerunt deũ. Veramq; omnes regis & captiuę fidem cognouerunt, & præſertim præſentis miraculi ſi

dei teſtimonio: quibus mirantibus atq; ſtupētibus, columna ſupra baſim ſuā ſenſim, nullo prorſus contingente, depoſita eſt, & ſumma libratione deſcendit. Poſt hæc reliquus colūnarum numerus tanta cū facilitate erectus eſt, vt quæ ſuperfuerāt omnes ipſa die collocarentur. Perfecta itaq; eccleſia, & populi fide confirmata, ſuadente captiua totius gentis legatio ad imperatorem Conſtantinum magnum mittitur. Res geſta exponitur, & ſacerdotes expetuntur, qui cœptum erga ſe munus expleant. Ferūt Conſtantinum non minus hoc nuntio lætatum, q̃ ſi gentes plurimas Romano imperio incognitas, & ignota regna viciſſet. Quapropter Hyberis iucundiſſimo vultu ſatiſfecit, & magno illos dignos præconio eſſe cenſuit. Ruffinus autem optimus teſtis in decimo Eccleſiaſticę hiſtoriæ: hæc ſibi Bachurium ipſius gentis Regem narraſſe affirmat, virum fideliſſimum, quum Hieroſolymis ſecum humaniter degeret. Hyberes autem qui & Georgiani etiam hodie vſq; Chriſtum mirifice colunt, quāuis aliquantulum procul ab apoſtolica ſede veritatis magiſtra, eo (vt Pius papa inquit) quia barbaris circunfuſi ſunt gentibus, qui eos non omnem euangelij puritatem ſeruare permittant. Ea itaq; captiua apoſtola, iā omnium mater virtutū, omniūq; certiſſimum exemplum vniuerſæ Hybernæ & Hyberiæ effecta, etiam ſpiranti adhuc ipſa natio diuinos (ſi paſſa fuiſſet) voluiſſet inſtituere honores. Mortua autem in tam grandem apud eas gentes ſanctitatis venerationem euaſit, vt illi ſacella nonnulla conſtruerentur, atq; illi ea ipſa, quæ cunctis apoſtolis decantatur oratio, ab accolis ſacerdotibus decantaretur, videlicet: Deus qui nobis per beatā apoſtolam tuam. N. ad agnitionem tui nominis venire tribuiſti, da nobis eius gloriā ſempiternā, & proficiendo celebrare, & celebrando proficere. Per dominum Ieſum Chriſtum. Amen.

¶ De ſancta Mellania Romana matrona. CAP. CXV.

MEllania optima Romanarū fœminarum matrona, Marcelli quondam conſulis nobiliſſimi filia fuit: mulier ſane corporeo decore, ſanctimonia, moribus, magnificentia ac honeſtate & laudabili pudicitia plurimum ſplendida, quam ſanctus Hieronymus ob merita ſuæ virtutis ſanctam appellat: eo ꝙ vere omnium virtutum eſſet certa nobilitas, cum qua idem beatus Hieronymus optabat in die iudicii partem habere: anno a natali chriſtiano ſeptimo & ſeptuageſimo, ſupra trecenteſimum: qui erat decimus imperij Valentiniani annus, Vrbano vnico filio, vrbis Romæ præfecto relicto, Hieroſolymam propter Chriſtū adnauigauit. Vbi tanto omnium virtutum, præcipue humilitatis, miraculo omnibus extitit, vt Theclæ nomen accipere meruerit. Hæc etenim præter ea quæ dicta ſunt, videlicet nobilitatis inſigna, ſuo æuo caſtimoniæ & humilitatis ac meritis, cæteris fuerit præponenda Romanis, cuius actum vnicum memorabilē ac quaſi incredibilē retuliſſe, ad eius omnem vitam cognoſcendam, eiq; claritatem meritam impendendā, ſat erit. Refert idem diuus Hieronymus inter cætera de eiuſdem ardoris & fidei monimenta, Quod calente adhuc mariti corpuſculo, necdum humato, illam geminos miræ expectationis & futuræ probitatis amiſiſſe filios. Quo quidem crudeli nūtio, tanq̃ mente alienata non ſparſit crines, nec veſtem lacerauit, aut pectus percuſſit ex more fœminarum huius ſeculi, ſed ſiccis oculis ſtetit immobilis, & ad pedes aduoluta crucifixi, quaſi ipſum manibus teneret, iucundiſſime dixit: Nunc mi domine Ieſu Chriſte inquiens, tibi expeditius ſeruitura ſum: quia tanto me leuaſti onere. Et vt omnia prorſus mundanæ ſtoliditatis calcaret ornamenta, contemptis innumerabilibus facultatibus, & Vrbano prædicto filio quaſi derelicto, crucem domini quodā pietatis indicio leuauit, & magiſterio atq; doctrinæ diui Hieronymi inhæſit. Qui ob munera ſuæ ſanctitatis eam informandam ſuſcepit, ac omni cum veneratione quoad vixit illam excoluit. At illa poſſeſſione omni ſua quam tunc habebat, ipſi ſuo

Vrbano vnico filio conceſſa,domini miſericordiam continuis diebus ieiunando, & lugendo,in cinere & cilicio ſqualida & humilis,deprecare non deſtitit. Et pro conſueto mundano cantu pſalmos, proq; dulci & vano eloquio, euangelia delegit, atq; pro delitijs continentiam, ac pro ſuaui vita, ieiunium toto tempore vitæ ſuæ accepit. Atque ita in iſto optimo viuendi modo, tandem apud Bethleem immaculatam CHRISTO reddidit animam.

❡De Mamea Ægyptiorum regina. CAP.CXVI.

MAmea ſeu Mannia,quędam Ægyptiorum iuuencula regina,temporibus Valentiniani Auguſti fuit inſignis:a quibus tamẽ parentibus genus duxerit,annoſitas & parẽtum & mariti nomina abſtulit. Eã tamen a nobiliſſimis & magnis parentibus genitam fuiſſe credendũ eſt,neq; etiam cõſtat eam vllam habuiſſe prolem. Hæc itaq; defuncto marito adeo ingentis fuit animi, vt non ſolum quas eius vir regebat coercebatq; nationes,arte & ingenio regere præſumeret, ſed & animi præſtantia viribus aucta,Romanis bellũ implacabile indixerit,adeo vt eiſdem formidabilis eſſe cœpit. Quorum quum opes frequentibus prælijs plurimum attriuiſſet:etiam Palæſtinorum & Arabici limitis oppida infenſiſſime vaſtauit. Cuius quũ pacẽ poſtea Valens Auguſtus & Lucius hæreticus humiliter expoſtularent: non aliter eam promittere voluit,q̃ Moyſem eremitam ſanctiſſimum, ſuæ genti in epiſcopum deſignarent:quod cum Lucius facere q̃ libentiſſime ſpopondiſſet,conareturq; efficere,Moyſes ſanctus renuit,dicens. O Luci,te certe chriſtiani omnes catholici ad metalla damnati,perq; varias inſulas relegati,atq; in carceribus truſi arguunt. Quam ob rem ſcito niſi eos liberos omnes iniuſte damnatos abire permiſeris, tuas manus ad me conſecrandum nunq̃ inijcies. Quibus verbis permotus Lucius põtifex ſeu patriarcha, vna cum Valente Auguſto, illico epiſcopos omnes reuocauit. Atq; ita hoc modo cõſecratum Moyſen,reginæ obtulerunt pontificem: ac per hoc Romano imperio pax integra reddita eſt. Hanc mulierem ferunt fuiſſe chriſtianis fauorabilem, multaq; facinora ingenti animo geſſiſſe, multaſq; ciuitates vetuſtate collapſas inſtauraſſe,& de nouo condidiſſe. Quo autem mortis genere,aut quos habuerit ſucceſſores,nullibi me legiſſe memini.

❡De Mamea Alexandri Auguſti parente, CAP.CXVII.

MAmea alia multo dignior & ſplendidior, Auguſta & Alexandri Auguſti mater,longe ante prædictam fuit. Quæ circa annum domini,vigeſimum ſupra ducenteſimum,& chriſtianitatis titulo, & ingenti eruditione,atq; alijs plurimis virtutibus clariſſima effulſit. Cuius tamen patris fuerit filia,non inueni. Hæc quippe chriſtiana,& pientiſſima atq; iuſtiſſima adeo fuit fœmina, vt nedum familiam progenitorum ſuorum,atq; imperium Romanorũ tanti filij Auguſti honoribus ampliauerit,ſed & chriſtianas laudes mirifice euexit. Erat enim vnicum omnium virtutum exemplar, quæ non modo iuſticiam coluit, ſed & filium Auguſtum ita colere docuit, vt nemo vnq̃ de illata ab eo iniuria conqueſtus fuerit. Procul enim a ſe omnem pompam omnemq; ambitionẽ ſemper abiecit,nec vnq̃ muliebribus ornamentis vti voluit. Virorum inſuper doctorũ & illuſtrium amatrix adeo extitit,vt q̃ maxime oratores & hiſtoricos viros ſuis conſilijs, & in comitijs,atq; curia habere voluerit:aſſerens hiſtoriam eſſe virtutis parentem & vitæ magiſtram. Illos idcirco præcipue diligebat,quoniam ad impellendos homines ad iuſticiam,ad prudentiam,ad cæteraſq; virtutes præſtare plurimũ concernebat. Egit nãq; ſuo hortatu & conſilio,vt Alexander Auguſtus eius filius,innumerabiles prædeceſſorum ſuorũ ſordes lauaret, & imperij dignitatẽ reſtitueret,atq; Chriſtum dominũ

noſtrum, velut prophetam ſanctiſſimũ excoleret, quem & inter deos referri voluit: & Chriſticolas magna in veneratione ſemper habuit. Vnde & eius domini noſtri Ieſu Chriſti ſtatuã vna cũ Abrahę ſimulachro, ſua in domo habere voluit. Sicq́ rempublicam chriſtianã, Mamea hæc chriſtiana cõſilio maxime Origenis viri optimi, cuius familiaritate vſa fuit, vt collapſam iã reparaſſe dicatur. Tantis nãq́ virtutibus hæc virago inſignita fuit, vt merito quaſi inter ſanctas referri potuerit.

De ſancta Euphraſia Alexandrina virgine. CAP. CXVIII.

Euphraſia virgo Alexandrina, fœmina vtiq́ ſanctiſſima, & genere ac virtutibus præclariſſima, Theodoſio ſeniore imperante, circa annum ſalutis noſtræ octogeſimum ſupra trecenteſimũ, apud Alexandriam in monaſterio deo conſecrata, & maxima virtute abſtinentiæ, ac miraculis innumeris clara & inclyta fuit. Hæc quippe quendam Antigonum nomine habuit patrem, virum ſiquidem & genere ac dignitate atq́ Auguſti familiaritate feliciſſimum, atq́ genitricem Euphraſiam religioſiſſimã fœminam, vtiq́ timentem deũ. Quibus orbata, omnibus ſeculi facultatibus prorſus relictis, confeſtim ad monaſterium ſe contulit, vbi per octo & decem annis quibus ſuperuixit, incredibili abſtinentia, obedientia, humilitate, manſuetudine, longanimitate, atq́ labore imprætermiſſe vſq́ ad trigeſimũ vitæ ſuæ annum permanſit. Quibus ita glorioſiſſime expletis, aſtantibus abbatiſſa & ſororibus cunctis, ſanctã deo reddidit animã. Vitæ autẽ huius ſanctæ virginis Euphraſiæ curſum breuiter hic, licet forte ſaltibus potius (ſi dici poteſt) q̃ paſſibus, pro feſtinatione ad finẽ dei munere vſq́ perduximus. Eius autẽ ſanctum corpus a ſororibus elatum, cum Euphraſia genitrice, æque ſancta ſepeliere.

De Maria Ægyptiaca ſancta. CAP. CXIX.

Maria Ægyptiaca olim peccatrix appellata, dein ſanctitatis & pœnitentiæ, ac perſeuerantiæ optimũ exemplum nuncupata: anno a natali chriſtiano ſeptuageſimo octauo ſupra trecenteſimũ, imperante Valentiniano principe, cum ſeptem & quadraginta annis mirabilem in deſerto peregiſſet pœnitentiã, calendis Martij migrauit ad dominum. Hæc quippe in ipſo vſq́ ſuæ adoleſcentiæ primordio, inſigni quadã floruit pulchritudine. qua autẽ ex vrbe, aut quibus ex parentibus genita fuerit, minime me legiſſe memini. Sane ex quibuſcũq́ parentibus ſit genita, eam nedũ inter claras huius ſeculi mulieres ſed potius ſanctas, ob inauditam illuſtrẽq́ eius pœnitentiam, q̃ decorã eius perſonam cenſui diſtribuendã. Aiunt enim ipſam tãto oris decore, ac totius corporis venuſtate enituiſſe, vt ſepe intuentiũ falleret credulitas. Verũ cum ad .12. ętatis perueniſſet annũ, tãq̃ iã luxui dedita, inſcijs parentibus, vt infamẽ duceret vitam, Alexandriã perrexit. Vbi in lupanaribus omni ſe dedicauit infami ludibrio, & per ſeptẽ & decem cõtinuos annos tãta vulgari corporis laborauit infamia, & id quidẽ nõ vlli⁹ lucri gratia, ſed ꝙ explẽdę ſuę pruriginis, mallet laborare infamia. Nã ludi, ebrietates, & alia obſcœna õnia, theſauri loco apud eã habebantur. & oblata lucra, quo ad ſe plures attraheret amatores, ſæpius recuſabat. Cũq́ obſcœnã huiuſmodi duceret vitã, contigit vt multitudo maxima virorũ ex Ægypto adorãdæ crucis Chriſti gratia Hieroſolymã pergeret & naui aſcẽderet. Tũ illa velociter ad mare curſum dirigẽs, vidit iuuenes plurimos in maris litore alios expectantes, vt inſcenſa naui iter arriperẽt. Dixitq́ illis: Ducite me quo ituri eſtis obſecro, nequaq̃ enĩ vobis inutilis futura ſum. Quæ vbi naui ingreſſa eſt, eleuatis velis, Hieroſolymã verſus nauigatũ eſt. Vbi cũ ſimilia, immo præteritis deteriora exercens opera, in multorũ perditionem inſanire nõ recuſabat. Verum vb

ſanctę crucis adorandę ſolennitas appropinquaſſet. vidiſſetq; complurimos homines vndiq; ad templum concurrere, perrexit & ipſa, ſperans ſecum alijs ſacra ingredi locā, ſed cum ſe regiis atriis iūgere vellet, per quas ſacrum domini templum ingreſſus erat: per quas & ſalubris domini noſtri Ieſu Chriſti crux videnda erat, vix magno fletu cum labore appropinquare poterat: cæteriſq; ingredientibus, ſola diuina eam prohibēte virtute ab ingreſſu arcebatur. & cū iterato ingredi anniteretur: omnis eius conatus inanis fiebat. Dumq; hæc frequenter illi cōtigiſſent, defecta iam viribus, ita vt ne ſtandi quidem ei virtus ineſſet, in quendam templi angulum ſeorſum ſeceſſit, tractans ſecū vnde hoc illi accidiſſet: intellexit tandem infinita eius propemodū ſcelera cauſam præſtitiſſe, moxq; in ſe reuerſa: ait. Quid o Maria peſſima mulierū quotidie inanibus affligeris deſyderijs? Quid capi pateris illecebrarū laqueis? Quid vltro falleris viſco libidinum? Quid ſciens, videnſq; doloſis voluptatum inſidijs te illaqueas? Extrica tandem te miſera, & eiice omnibus inanes cogitatus? Affuit e veſtigio deus illi imploranti, & ſe orantem exaudiuit, inuocantiq; præſto affuit. Cœpit itaque Maria tunc flere, pectusque tundens, gemitus lachrymaſq; affluenter effudit. Effigie itaq; dei genitricis mox inſpecta: his verbis allocuta eſt. Obſecro te domina mi, quæ Chriſtum verbo genuiſti, iube mihi clauſas patefieri regias, vt vna cum aliis venerabile crucis lignum, in quo carne affixus eſt deus adorare valeam. Polliceor deo tibiq; genitrici ſuæ, non amplius me polluere corpus meū luxuriæ inquinamentis, ſed mox vt ipſam ſanctam crucem venerata fuero, eo loci lugebo quo tu ſalutis meę viam ingrediendā duxeris. Vix hæc effata fuerat, eidē ingrediēdi templi facultas facta eſt. Adorataq; cum innumerabilibus lachrymis domini cruce, eo regreſſa eſt vnde diſceſſerat, Poplitibuſq; flexis, tu mihi domina dei genitrix, inquit, miſerata es meaſq; preces haud repuliſti: Per te merui videre gloriam dei: Per te igitur glorificabo dominum redemptorē, pœnitētiam peccatorū miſericorditer ſuſcipientē. Scio mi domina ſcio me multū peccaſſe, idcirco animaduerto, multum pœnitere neceſſariū fore. Iamiā tempus adeſt, quo mea debeat ſuppleri promiſſio. Nunc igitur quo tibi placet meos dirige greſſus, demonſtraq; mihi pœnitēti viam ſalutis. Protinus audita eſt vox dicens. Si Iordanem tranſieris, ſaluaberis, bonāq; inuenies requiem. De templo autē egreſſa, tres tantummodo panes ex tribus minutis quę ei in eleemoſynā collata fuerant emit, amnēq; nauicula tranſfretans, in vaſtam eremū perrexit. In qua (vt præmiſſum eſt) ſeptē & quadraginta annos cōmorata, decem & ſeptem annis herbis tantūmodo agreſtibus vixit, nullum prorſus hominem vnq̄ videns. Ab inde eius cibus, potus, veſtimentūq;, tantummodo verbum dei extitit: cuius vita quantū deo accepta grataq; fuerit, hinc intelligi datur, q; in deſerto ipſo degens, etiam ſacras literas diuinitus didicerit, & propheticum ſpiritū habere cōmeruerit: q; Zozimę abbati viro ſanctiſſimo, monachorum ſuorum mores emendandos admonuit. A quo quum in deſerto ipſo ipſa ſancta fœmina ſacratiſſimum domini noſtri corpus ſuſcepiſſet, cunctis terrenis permotionibus exuta, ac pietatis pēnis induta, euolauit ad Ieſum, vbi omnium tentationum viuit ſecura, Vbi nullus amplius poteſt ſordidari flagitiis, quorum vulnera ſimul cū morte, eo viuendi modo proſtrauit ac vicit. Cum Ieſu autem Maria hæc in cœleſtibus victrix triumphat, non perfulgidis Romanorū curribus, ſed piis virtutum operibus, ac ſanctiſſimis continuiſq; illis orationibus & lachrymis quibus mitem ipſum, propitiūq; reddiderat dominum: manſuetam illam faciem ſuam in cunctos peccatores conuertens, quum & peccantium miſeretur, & fluctuantibus aſſiſtit, ac bono vt in deum ſint animo hortatur. Igitur & nos miſeri peccatores ad huius fœminæ exemplum ex hoc terreſtri cœno ſurgere tandē poterimus, & mētis lumina ad cœlos tollere debemus. Has ob res quū eius poſt mortem fuerint plurima ſigna & miracula, in famoſam Maria Ægyptiaca euaſit famam, atq; illi diuina officia ſingulis annis ſolenniter in calendas Martias celebrantur, atq; ſacella & tēpla plurima dicantur. & Romæ maximū tēplum, ex ingenti ſaxo quadrato cōſtru-

ctum,quod ad Arā pontis ſanctæ Mariæ poſitum eſt,quum gentilium deorum fuiſſe tradant,ipſi ſanctæ Mariæ Ægyptiacæ adhuc dedicatum habetur.

¶De Bleſilla,vidua romana,ſanctæ Paulæ filia. CAP.CXX.

BLeſilla romanarū omnium mulierum nobiliſſima ſanctiſſimæ matronæ Paulę proles,& Euſtochij virginis ſoror,clariſſimæq; viduitatis exemplum, hoc anno qui eſt nonus & octogeſimus ſupra trecenteſimum a natali chriſtiano,cum indelebile ac certiſſimum diuini amoris reliquiſſet documentum,anno ætatis ſuæ vigeſimo,Romæ apud ſanctam genitricē ſuam, de tenebris migrauit ad lucem: atq;(vt diuus refert Hieronymus)inter fidei incipientis ardorem, conſumati operis percepit coronā.Quam ſane adoleſcentulam ob nimiam ſanctitatem,innocentiam,miſericordiam,caſtitatēq;,atq; egregiam triū linguarum eruditionem,inter claras mulieres,immo ſanctas merito computandam puto. Fuit etenim & maximæ humilitatis,& parſimoniæ exemplū. Quippe,quum in ipſa ſua florida adoleſcentia,præpotentem maritū nobiliſſimumq; amiſiſſet,e veſtigio ad exemplū matris,ardentiſſima fide crucis vexillum leuauit,vt magis amiſſam virgintatem,q̃ mariti dolere videretur interitum.Maritali igitur Bleſilla vinculo abſoluta,nihil ei potius fuit,q̃ ſe ita humili, ita contempto habitu deijcere, vt inauditum prope illi ſeculo fuerit humilitatis exemplum.Et ſicut antea monilibus ornabatur pretioſiſſimis,dieq; tota quid ſibi deeſſet,perquirebat in ſpeculo, & crines non ſemel ſed pluries ab ancillis diſcriminari & componi faciebat: Ita poſtmodum neglectū omnino caput,tantum ſufficere ſibi videbatur,q; velleretur.Antea item cum pluuiarū mollicies ſibi dura videbatur,ita & poſtmodū ad orandum laudandūq; deum,ſuper nudam humum genua cū lachrymis incredibili feruore domini miſericordiā exorare & inuocare non deſiſtebat,vt videlicet peccatis ſuis ignoſcere dignaretur.Vnde & poſt orationem pſalmi concrepabant,laxaq; ceruix poplites vacillantes,ac in ſomnū oculi vergentes,nimio mentis ardore vix impetrabant vt quieſceret.Eius veſtis ſemper humilis erat,Cingulum vero non aureū quidem nec gēmis diſtinctum ſed laneum & tota ſimplicitate puriſſimum: q; vt magis poſſet aſtringere veſtimenta q̃ ſcindere.Ipſa nāq; veſtium humilitas (vt in plæriſq;(tumentes animos non arguebat,ſed quū ſe interiori mente diceret intra ancillarum virginum cultum, dominarūq; nihil medium,niſi quod in hoc facilius cognoſcebatur,quod grauius & negligentius incedebat. Deniq; poſt quartum menſem a propoſito ſancto in langorem incidit, & per continuos triginta dies febribus æſtuauit: ex quibus ita toto corpore deſtituta remanſit,vt vix eius tenue collū,ceruicem & faciem ſuſtinere poſſet.Attamen ſemper aut prophetam,aut euangelium in manibus tenere volebat, & ex eorum lectione lachrymis ora cōplebat.Poſtremo quū ſanctum & debile corpuſculum febrium ardor excoqueret,& ſemianime in lectulo iaceret,Circūſtātibus hæc verba extrema dixit. Orate quæſo dominū Ieſum vt mihi ignoſcat,quia quod volebā,implere nō valui. Et hæc dicens,ſarcina carnis abiecta,ad ſuū ipſius anima volauit autorem,& in antiquam poſſeſſionem diu peregrinata conſcendit. Cuius mortē ita ſancta eius mater planxit,vt prope & ipſa moreretur.Super cuius ſanctū obitū diuus Hieronymus Romæ tunc exiſtens,eam conſolari volens:his tandē verbis vſus eſt. Dum ſpiritus hos meos reget artus,Bleſillā mea reſonabit lingua, Illi mei dedicabuntur labores, illi ſudabit ingenium. Nulla erit pagina,quæ non Bleſillam reſonet:Hanc mea mente defixam legent virgines,viduæ,monachi,ſacerdotes:& breue vitæ ſpatium, æterna memoria compenſabit. Fuit igitur Bleſilla hæc, adeo tenaciſſimi ingenij ac prope diuini,memoriæq; tenaciſſimæ,& diſertiſſima lingua,vt adhuc in tenera ætate tantum ſtudijs impertita fuerit opere,vt nedū latinam græcāq; linguas optime didicerit,verum etiam & quod in Origene mirata eſt tota Græcia, breui quidem tempore

hebraicæ linguæ difficultates vicerit,vt crepitantia cõfractaq; verba,ita cõcinne proferre didicerit,vt qui eã audiſſet,nil aliud præter hebræã linguam ſcire eã putaſſet.

De Aſella Romana virgine,ſanctæ Marcellæ diſcipula. CAP.CXXI.

ASella optima Romana virgo, ſanctæ Marcellæ diſcipula ac in Chriſto dilectiſſima filia, ex nobilibus romanis originẽ duxit: cuius perfectæ vitæ normam diuus Hieronymus ad ipſam illuſtrem Marcellam in exemplum aliarum virginũ luculentiſſimo conſcripſit ſermone: anno a natali chriſtiano nonageſimo & treceteſimo, quum nondum exceſſiſſet decimum, honore futuræ beatitudinis, deo ſe mirabiliter conſecrauit. Nam quum eã ob rem a matre fuſcam veſtẽ expoſtulaſſet, nec obtinere potuiſſet: mox ipſa adhuc tenella infantula, quodam incredibili ardore cathenam auream quam collo portabat inſciis parentibus vendidit,& ex pretio ſibi ipſam deſyderatam pullam emere fecit veſtem,ac ſeſe ipſam induit. Quo quidẽ humili veſtimento (ſeculo in ſe damnato) ſe domino conſecrauit. Poſtq̃ vero duodecimum exceſſiſſet annũ: quod propria volũtate deiq; munere delegerat,ardentiſſimo amore accepit,tenuit & impleuit. Cellulam etenim vnã apud eandem ſpiritualẽ matrem ſuam Marcellã ſibi delegit: in qua quoad vixit,ſemper & orationis & quietis eidem locus fuit. Vbi ieiunium pro ludo habuit,& inediã pro conuiuio & opipera refectione. Eius cibus: panis & aqua ſolum perſæpe erat. Ita nãq; ſe ſemper moderate habuit,etiam intra ſui cubiculi ſecreta cuſtodiuit,vt nunq̃ pedem in publicum proferret, nunquãq; alicuius viri noſſet alloquiũ: & quod magis eſt,ſororẽ propriam virginem amaret potiusq̃ videret. Suis etenim manibus quotidie operabatur: ſciens ſcriptum eſſe,Qui non laborat,nõ manducet. Sponſo autem ſuo cœleſti,aut orans,aut pſallens loquebatur. Ad martyrum autem limina pene inuiſa properabat. Cumque per omne tempus ter aut quater in hebdomoda ieiunaret, in quadrageſima vero pene omnes hebdomodas læto vultu coniũgebat. Eius lectus perſæpe nuda humus erat, Ciliciumq; & ſaccum pro camiſia induebatur. Tanta autem erat eius orationis perſeuerantia atq; frequentia,vt eius genua camelorum duritiem præ ſe ferret. Nihil eius ſeueritate iucundius,nihilq; iucũditate ſeuerius. Eius ſermo breuis grauiſq;,omni ædificatione conditus. Inceſſus autem idem ſemper fuit. Neglecta mundicies & inculta veſtis,eius erat cultus. In hoc itaque viuendi ſanctiſſimo ordine, Aſella virgo vſque ad quinquageſimum vitę ſuæ annum ita peruenit vt nunq̃ doleret ſtomacho, nec viſcerum cruciaretur incuria, ſed nec eius cutis vllum contraxerit fœtorem, quinimmo ſano ſemper corpore,animoq; ſanior, ſolitudinem putaret eſſe delitias, & in vrbe turbida,monachorum eremum inueniret. Ac ſic poſt conſummatum vitæ ſuæ opus, victrix triumphatrixq; migrauit ad cœlos. Cuius ſanctiſſimam vitam,hic ad multorum ædificationem breui ſermone conſtrinximus. Vt viduæ & virgines,illuſtrem clarãq; Aſellam imitentur,maritatæq; colant,ac noxiæ pertimeſcant & confundantur: atq; deniq; ſacerdotes omnes,eius virtutum exempla ſuſcipiant.

De Euphroſyna ſancta virgine Alexandrina. CAP.CXXII.

EVphroſyna Alexandrina virgo præclariſſima, ſanctaq;, & omni præconio vtique digna: anno a natali Chriſtiano nonageſimo ſecundo ſupra trecenteſimũ,non longe ab Alexandrina vrbe in conuentu abbatis Pamphutij innumeris inſignita virtutibus atq; miraculis,migrauit ad dominũ. Hæc quippe Pamphũtium quendam,vnum ex ciuibus,ętate atq; nobilitate venerabilem virũ,& militia eo tempore inſignẽ chriſtianiſſimũq; patrẽ habuit,

cuius virginis formoſitas & habitus,nulla prorſus varietate diſtinctus, honeſtas atq;
grauitas puellaris, necnon & maxima eruditio atq; eloquentia tales tantæq; erant,
vt omnem humanam ęſtimationem excederent. Nam quum ingenio eſſet perſpica-
ciſſimo, ab ipſa ſua adoleſcentia ſtudiis vigilanter inſiſtens, adeo in liberalibus &
ſacris literis ex conuerſatione ſanctorum monachorum profecit,vt præ cæteris excel
lens haberetur & erudita. quod Pamphuntius generoſus pater animaduertens, ine-
narrabili geſtiebat lætitia,eo ꝙ præter ſcientiam & eloquentiam,ſingulari honeſta-
te,grauitate, ac ſanctitate polleret. Erat quippe puella hæc, ad ingenij ſplendorem
indolisque præſtantiam iis virtutibus prædita , quibus ſupra ætatem admiranda
omnibus videretur. Has ob animi & corporis innumeras virtutes, multi dignita-
te præcellentes Alexandrini, eam ſibi in coniugem dari importune contendebant.
Cumq; tandẽ pater, Euphroſynam filiam cuidã dignitate & opibus præſtanti con-
iugem ſpopondiſſet,eam die quadam in monachorum quorundam cœnobium ſalu-
tis cauſa orandi deduxit. Vbi tribus diebus virgo perſiſtens, patrum illorum ordi-
nem vitæque modum contemplans, intra ſed dixit. Beati homines tales, quoniam
in hac vita conſtituti, angelis conſimiles vtiq; habentur, & poſt huius ſeculi demi-
grationem,æternæ vitæ præmio perfruuntur. Satimq; eius cor zelo amoris dei com-
pungi viſum eſt. Contigit autem vt poſt aliquot dies, eiuſdem loci abbatis memo-
ria celebranda foret, qui eiuſdem cœnobii principium fuerat. Miſit itaque abbas
qui Pamphuntium honorabilem virum inuitarent. Verum quum e domo idem pa-
ter Pamphuntius diſceſſiſſet: Fratrem quendam optimum ſanctumque virum ad-
uocans Euphroſyna, ab eodem percunctata eſt, fratrum eorundem numerum, ieiu-
niorumq; obſeruantiam,ac pſalmodiam, atq; omnem eorum viuendi modum. Di-
xitque præterea: Vellem mi fide pater, cum virili habitu hinc omnino effugere, vt
per religionem ſaluari poſſem. Sed patrem plurimum vereor: qui meas cupit cele-
brare nuptias. At vbi ſanctus monachus de tondendo,recedendoq; modum tradidiſ-
ſet, & pater iam ad monaſterium profectus eſſet: Euphroſyna poſito pauore fœmi-
neo,virili habitu ſumpto,in cœnobium vbi pater aderat clanculum ſe contulit,quin-
gentis aureis ſecum allatis: ſimulauit ſe eunuchum ex pallatio fore, ab Abbate ſe
Smaragdum vocari expoſtulans, religionis habitum illico accepit. Illum itaq; vbi
Abbas libenti animo ad religionis habitum ex more ſuſcepiſſet, Agapito probato
monacho ipſum tradidit informandum. Quæ breui & vigilijs, & ieiunijs, celeber-
rimiſque orationibus ita operam dedit, vt omnibus admirationi & ſtupori foret.
At vbi pater Pamphuntius domum reuerſus, quum filiam vnicam dilectiſſimam,
quam vnam ſupra vitam etiam ipſam mirifice amabat, non inueniſſet , tanto affe-
ctus eſt mœrore,vt mortem ſibi conſciſcere peruicaciter decreuerit:ad quam vt erat
animo iam nimia ferocitate ſuccenſus,cum furens præcepſque ferreretur,ſubita atq;
miſerabilis miſericordia dei illi affuit, qui illum ab omni immanitatis impetu, ad
ſanioris conſilij retraxit, & redegit virtutem. Cumque illam vbiq; perquiſiſſet,nul-
libi inueniri potuit. Abijt ergo ſubtriſtis & mœrens pater ad abbatem, lugens &
obſecrans, vt pro filia domino preces effundere dignaretur, quatenus eam inuenire
poſſet. Ille autem vt pientiſſimo erat animo,plurimum cõdoluit huiuſmodi re,in-
iunxitque monachis maiorem in modum obſecrationes fieri. Sed poſtquã diu ora-
tum eſſet, & nulla de filia haberetur prorſus notitia: quidam ex monachis hortatus
eſt Pamphuntium, Confideret inquiens quia filia ſua, caſtitatis ac pudicitię cauſa &
non aliter iter aggreſſa eſſet. poſt autem non multum tẽpus, quum rurſus triſtis re-
dijſſet in monaſteriũ Pamphuntius: dixit ad eũ abbas. Vis ne domine mi, fratrẽ pe-
ritum ſanctũq;, ex Theodoſij domo progreſſum alloqui? Cui ille: lubens id faciam.
Ductus itaq; ad Smaragdum pater Pãphuntius, ab eodem plurimum conſolatus eſt,
multaq; de miſericordia & patientia, atq; alijs plurimis virtutibus edoctus, ac ſi ſuã
conſpexiſſet filiam immo dei angelũ, ad abbatẽ lætus redijt: dicens. Nimiũ equidẽ

ſanƈte pater de homine iſto ædificatus recedo. Nouit dominus, quia ſic eius amore teneor, ac ſi meā vltro conſpexiſſem Euphroſynam. Neq; enim ob nimium palloꝛ rem, quem nimia abſtinētia contraxerat, eam agnoſcere potuit. Vixit itaq; Euphroſyna in hoc viuēdi modo & ordine in monaſterio, ſub habitu virili incognita, annis triginta octo. poſt hæc dum in langorem deueniſſet, rurſus ad eam venit pater, ſummis efflagitans precibus, vt pro filia obnixe deum deprecaretur. Noli ait contriſtari domine mi, in proximo eſt, vt tibi filia reueletur. Sed quæſo tribus diebus hic ſubſiſtere digneris. Quibus tranſactis, quū ſe ex hac vita migraturā cognouiſſet: Patre ad ſe euocato, dixit. Quoniam vitæ meæ iam finis inſtat: nolo te diutius ſuſpenſum habere, neq; etiam ſine mœrore eſſe. Ego inquit ſum filia tua Euphroſyna: vidiſti iam me, ſatiſfactumque tandem eſt tibi. Sed rogo te per deum meum atq; adiuro, ne quempiam patiaris corpus meum attractare: ſed quicquid opus eſt, tu ipſe perfice. Et quum ei cuncta per ordinem enarraſſet: ſpiritum deo reddidit immaculatum. Quæ res vbi diuulgata & cognita eſt: omnes vno ore glorificauerūt deum, qui ſemper admiranda exercere non deſinit. Erat tunc vnus ex monachis captus oculis: qui vbi ſanctum contigit corpuſculum, confeſtim viſum recepit. Pater vero eius viſis miraculis, vniuerſam ſubſtantiam in pauperes diſtributam, & ipſe religionis habitum ſuſcipiens, eo in loco vbi filia decubuerat, per decennium in magna vitæ auſteritate vixit, & poſtmodum ad cœleſtia regna migrauit.

¶De ſancta Maxentia Tridentinorum patrona. CAP. CXXIII.

MAxentia ſancta Tridentinorum patrona, ſanctiq; Vigilij Tridentinæ vrbis Epiſcopi parens, Romana fuit matrona: quæ Iouiniani ac Valentiniani Auguſtorum temporibus, Damaſo quoque beatiſſimo pontifice in cathedra Petri Romæ præſidente: exiſtēs ingentis animi fœmina, maximum & ardentiſſimum amoris indicium, erga filiorum ſuorum ſalutem præ ſe ferens: integerrimæ fidei documentum præſentibus atq; poſteris præſtitit ſempiternum. Quæ eſto a quibus progreſſa ſit parentibus, nec ex qua fuerit proſapia, in dies noſtros non venerit: ſatis ad eius fulgoris laudem eſt, nouiſſe eam Maxentij Patritii Romani potentiſſimi viri, prętoriæ dignitatis inſigniti (licet gentilis) fuiſſe conſortem. Ex quo cum tres videlicet Vigilium, Claudiū, & Maioranum edidiſſet miræ indolis filios, parere deſijt. Quos omnes, a puero in primis (tanq̃ chriſtianiſſima mater) baptiſmi lauacro purificari fecit: deinde aliquantiſper adultos, liberalibus diſciplinis imbuēdos, ex patrio more Athenas tranſmiſit. Vbi, vt erāt optimę naturæ & excellentiſſimi ingenii adoleſcentes, & virtutibus, & rationabilibus omnigenis diſciplinis, nō mediocriter incumbentes, pro ſuo captu, ita ſtudiis inſiſterunt, vt breui procul dubio, in omnium ſcientiarum habiti fuerint illuſtriſſimi. Domi deniq; ad parentes regreſſi, ad diuinas ſcripturas ingenium omne prorſus inflexere ſuum. Ob hoc autem Maxentia ſapientiſſima ac religioſiſſima ſimul & pientiſſima parens, quanto exiliuerit gaudio, atq; diuino quodam tripudio: non facile hic explicari poſſet. Erat nihilo minus & ipſa bonarum literarum, ac diuinarum rerum non ignara: vnde & ſæpius, cum eiſdem ſuis filiis, de interpretationibus diuinæ ſcripturæ contendebat: atque Pythagoricas & Socraticas ſententias mirifice inter ſeſe conferebāt. Ea propter factum eſt: vt ſibi ipſis, rerum mundanarum iam quandam negligentiam indicerent, & rebus diuinis ſe totos deuouerent. Et vt glorioſam immortalitatē aliquando cum domino IESV CHRISTO, atq; finem beatum tandem aſſequerentur: maximeq; cum animaduerteret glorioſa mater, Romam ciuitatem quandā eſſe dæmoniorum habitationem, execranſq; magnopere ſui mariti vitia atque peccata, ſuis filijs quotidie admonendo dicebat. Fugiamus obſecro dulciſſimi filii de medio

Babylonis, fugiamus inquã vt vnuſquiſq; noſtrũ ſaluet animam ſuam, ne videlicet participes ſimus delictorum parentum noſtrorum, aut ne de plagis eorum certe accipiamus, quoniam ad cœlos vſq; peccata ipſorum aſcenderunt. Erat autem & ipſa (vt præmiſſum eſt) non vulgariter erudita, & dulci eloquio admodum terſa, a beato Damaſo papa diligenter inſtructa, atq; ad huiuſmodi, bene beateq; viuendi propoſito plurimum incitata, quæ nihil prorſus agere omittebat quod ad veram religionem, lumenq; veritatis æternæ conduceret. Vnde & ipſos ſuos filios omnes, iam literarũ diuinarum peritos, ac ſancti ſpiritus gratia inflammatos, ſuo hortatu, ſuave imitatione, ad tantam deniq; huius ſeculi perduxit nauſeam & ad veram religionem inflammauit, vt apud patrem eorum, maritum ſuum (vincere eorum propoſitum cupientem) cauſam conſtantiſſime defendere non vereretur. Dicebat autẽ quotidie pignoribus ipſis: Duobus dominis filij dulciſſimi ſeruire nemo poteſt, ſic neq; præſentib⁹ voluptatibus, & futuris gaudijs perfrui. Qui non eſt mecũ, inquit dominus noſter, cõtra me eſt. Et qui mecũ non colligit, ſpargit. Amor dei, & amor ſeculi, dicebat ſemper ſibi adinuicem aduerſari. Veritaq; tanq̃ ſapientiſſima parens, ne terrena iſta ipſorum filiorum ſuorum virtutibus atq; ſaluti aliquando aduerſarentur, illud Ioan euangeliſtæ aureum documentũ eis ſæpiſſime proponebat & exponebat, dicens. Filij animaduertite & videte, quia omne quod in mundo eſt, aut eſt concupiſcentia carnis, aut cõcupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. A quibus & vos quoq;, vt plenius dei gratiam percipiatis, animum obſecro auertite, voſque in ſublimi veluti in ſpecula ponite, vnde vno cernatis intuitu quæ hic deorſum inter homines & mortales geruntur miſeranda: Videbitis, vt a carnis concupiſcentia incipiam, videbitis inq̃ filii mei amantiſſimi, de fumo inceſtæ carnis, etiam aerem: proprium immutaſſe nitorem. Tanta equidem eſt huius peſſimi ſceleris vis, atque (vt ita loquar) neceſſitas, vt eam indolere q̃ euitare multo ſit facilius. Ad oculorum etiam concupiſcentiam venio, per quam euangeliſta ſanctus auaritiæ denotat crimen: quæ tantopere inſedit mortalium iam fere cunctorum animis, vt fas ſit dicere quod etiam gentiles deplorant poetæ. Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus. Poſtremo ad ſuperbientis ſeculi vitia filii mei, ſi volueritis oculos ducere: infinitus certe ſe vobis offeret malorum numerus. Ita vt auſim dicere, ꝙ omnia virtutis præmia poſſideat ambitio, & auaritia atq; carnalis vſus & luxus. Hæc & his ſimilia ſæpe & ſæpius dicens, ac ſæpiſſime optima parens repetens, aſſeuerabat, ſola æterna pro certo vera, temporalia vero veri ſimilia rata, omnino eſſe contemnenda: & vt mala euitarent, ad æterna dicebat eſſe confugiendum. Vnde & quod tantopere hortabatur, etiam vt ſe facto impleſſe comprobaret, a marito iam per diuortium ſeparata, ampliſſimas diuitias quas hæreditario iure, & patria ſucceſſione conſecuta fuerat, pauperibus pro maiori parte erogans, peregrinationis propoſitum vna cum filijs ſuis ſuſcepit. Miro equidem ardore ſuccenſa erat, atque incredibili quadam fortitudine iugiter agitabatur, ſui ſexus ac fragilitatis corporis quaſi oblita: non alicuius rei quæ ad ſeculum pertinet memor, niſi per momenta temporum. Solum patrium deſeruit, & quaſi incomitata ad eremum ſanctorum patrum, ſuis cum filiis geſtiens perrexit, cuncta (vt ita dixerim) terrena deſpiciens, vt veras diuitias aſſequeretur. Demum igitur Maxentia hæc volens fugere & declinare laudantium ora, atque mundiales viſitationes, & frequentiam ſuſtinere non valens: Romam cum ſuis pompis deſerere conſtituens, a beatiſſimo Damaſo papa prius licentia & benedictione obtenta, læta & accincta, vniuerſum Picenum atque Flamineam necnon & Lombardiæ partem ſuis pedibus delicatis perluſtrauit, & loca quæcumq; ſancta ipſis in regionibus adire poterat, reuerenter inuiſebat. Eleemoſynaſque prout eius facultas permittebat hilariter condonabat. Florebant autem tum regiones ipſæ doctiſſimis ac ſanctiſſimis viris, vtpote monachis, ſacerdotibus, atque eremitis plurimis. Quorum hoſpitia vna cum filiis (aliquid odorando) cum introiret: mox eorum pedibus ſe proſternens,

ſalutis documenta ab omnibus obnixe expoſtulabat: exiſtimans ſemper in ſingulis ſe CHRISTVM videre: & ſi forte aliquid pietatis in illos conferret, in dominum IESVM CHRISTVM ſe contuliſſe exiſtimabat. Tandem dum Bergomum vrbem in Lōbardia applicuiſſent: & a ciuibus illius, religioſiſqꝫ perſonis comiter excepti fuiſſent, per plurimos dies tanq̄ religioſiſſime perſonæ eiſdem ciuibus multa exemplaritatis documenta tradiderunt. Deinde ipſorum humanitate ac ſoli bonitate non mediocriter delectati tanq̄ perpetuo ibidē permanſuri, extra vrbis mœnia, haud procul in amœniſſimo montis decliui ſibi cellulas extruxere nonnullas. Vbi a perturbationibus ſemoti, per aliquot tempus in maxima ſanctitate, & animi integritate vitam duxere quietam: qua quidem vita ac religione multa etiam præuiderunt futura. Vnde & in hodiernū vſqꝫ diem, locus ille ab accolis, ſancti Vigilij mōs appellatur. Quo quidem in loco poſt dormitionem eorum, eccleſia in honorem eiuſdem ſancti Vigilij a ciuibus extructa fuit. Quæ adhuc incorrupta permanens, in ipſius diei ſolennitate cum maxima ciuiū illorum frequentia inuiſitur. Verum cū plurimi ad eos hinc inde non ſolum agreſtium, ſed & præpotentium cōcurrerent viri: ita vt eis eo in montis loco maxima fieret tentatio, tanq̄ gloriam & honorem adhuc calcaturi, aliam ſolitudinem ſunt meditati. Vnde ſpiritu diuino acti, inde diſcedētes Brixiam perrexerunt: vbi ex more ſanctorum martyrum Fauſtini & Iouitæ, Apollonii & Honorii, atqꝫ aliorum multorum: reliquijs ſanctiſſimis viſitatis, ad vrbis epiſcopum ſanctiſſimum virū ſe contulerunt, a quo incredibiliter recreati, benedictione recepta, ex inde Tridentū conceſſerunt. Vbi & ab accolis illis incredibili hilaritate & amore excepti, mox ciuilitate etiam donati ſunt. Eſt autē ipſa ad quam acceſſerant Tridentina ciuitas, in Venetia Italiæ regione conſtituta, a Gallis olim condita, Italiam & Germaniam diuidens: quam Atheſis celebris fluuius, ſuis in montibus oriens, curſu rapidiſſimo radit: deinde Veronam vadens, vrbem in duas diuidit partes, & poſtremo in Adriaticum funditur mare. Ambitur autem ipſa ciuitas tribus montibus, a quibus id nomen ſortita eſt. Quorum aquilonaris mons: plurimas argenti habet fodinas, Alij vero duo, & aeris ſalubritate, & paſcuorum vbertate, atqꝫ aliarum rerum ad vitæ humanæ ſuſtentationem abundantia, plurimum illuſtrātur. Vnde & in vrbis communi ſigillo, talis ſupraſcriptio dicitur ineſſe: Montes, argentum, nomen mihi dantqꝫ Tridentum. Ibidem itaqꝫ ſancta Maxentia cum filijs conſtituta, & propter ſapientiam, doctrinam, pietatemqꝫ, vniuerſi populi beneuolentiā atqꝫ reuerentiam mox ad ſe traxit. Mortuo autem illis diebus, vrbis ipſius epiſcopo, vniuerſus populus Vigilium eius primogenitum, vno omnium conſenſu ac voto, propter ſanctitatem & miraculorum gratiā, annum ętatis vigeſimum agentē: pontificem ſurrogauit. Eo quippe diuinitus in pontificali ſede merito collocato, eius pientiſſima mater Maxentia iam grandæua & anus, cupiens vitam perficere ſolitariam, in pagum qui Mayanum nuncupatur, a Tublino lacu quinqꝫ paſſuū millibus diſtās cōceſſit: locoqꝫ delectata, ꝙ vitam ignobilē & ſolitariam plurimum deſideraret. Domum ſibi conſtrui fecit, atqꝫ in eodem loco, reliquū vitæ ſuæ tempus in orationibus, vigilijs, ieiunijs, & aliis plurimis operibus bonis, maximo cū ſanctitatis eximiæ præconio cōſumpſit. In eundem autem ſolitudinis locū profecta diua Maxentia, in primis ſummopereqꝫ annitebatur, ne templū ſui cordis vllis malis cogitationibus ſordidaretur, aut violaretur. Deinde & vita, & moribus, & ore, cunctos ad ſe aduentātes admonebat, atqꝫ monumēta ſalutis dabat, quomodo virtutes inquirerēt, ac felicē ducerent vitā. Vnde nō modo circūſtantes, ſed & longinquæ nationes, ipſam mirifice cōmendabant, ꝙ diuinam vitā noſſet, illamqꝫ aliis demonſtraret. Sed neqꝫ hoc in loco eius præclariſſima miracula ſcripto enarrare intendo, quia cum ſint ingentia, & tempus me deficeret, atqꝫ ingenii imbecillitas non ſufficiat. Demū Maxētia hæc, de deo deqꝫ omnibus bene promerita: in pace deo optimo ſuū ſanctū reddidit ſpiritū. Cui⁹ venerabile corp⁹ in eodē loco venerabiliter ſepultū eſt, Supra qđ & poſtmodū

ecclesia a fidelibus extructa fuit. Ibidem autem ad Altemani eiuſdem ciuitatis epi-
ſcopi vſꝗ tempora quieuit. At ipſe præfatus pontifex, religioni & pietati admodū
affectus, decernens eccleſiam ſancti Vigilij martyris vetuſtate ſemicollapſam inſtau-
rare, operæpretium exiſtimauit, etiam reliquiis maternis ipſam filij eccleſiam deco-
rare: maxime indignum fore exiſtimans, tantas reliquias eo in pago tam indecenter
haberi. Tridentum igitur illas magna cum veneratione & pompa tranſlatas, in ſcrip
ta eccleſiæ ſanctiſſimi ſui filii Vigilii ad laudem omnipotentis dei, vrbiſꝗ decorem
& ſplendorem honorificentiſſime condidit. Cūꝗ ipſas ſanctas reliquias idem vene-
rabilis pontifex cōdigno collocaſſet honore: hæc verba aſtāte vniuerſo populo pro-
tulit, dicens. Tu deinceps ſecura & perbeata iam profecto eris, mea Tridentina ciui-
tas ad cuius tutelam & cuſtodiā tanta etiam excubabit cuſtos: ad cuius caput ſancta-
rum reliquiarū tam nobile ſertum allatū eſt. Quam quidē matronam atꝗ eius ſan
ctiſſimum filiū pontificem habuiſſe, nō modo nos qui nunc ſuperſtites adſumus, ſed
& omnis huius noſtræ feliciſſimæ vrbis perpetuo lætabitur ſucceſſura poſteritas, &
ſemper dū ſtabit ciuitas, illius præſentia ac veneratione ſe ſentiet recreari ac cōfoue-
ri. Itaꝗ dilectiſſimi mei omnes, has ſanctiſſimas reliquias ſolenni gaudio, quaſi e cœ-
lo nobis demiſſas læti excipiamus. Et tu clariſſima nunc Tridentina noſtra ciuitas
necte myrtos lauroſꝗ felices, & thura ſuo adole altari, vt canoras hymnorū voces in
excelſo deus noſter exaudiat, qui inuocatus tandē in hæc tua vota reſpiciat. Quare
omni iam excuſſa formidine, patronā hanc amplectere: quæ perpetuo ab imminen-
tibus periculis protectrix & adiutrix tua erit.

¶ De glorioſa parente ſanctiſſimi Auguſtini ſancta Monica. CAP. CXXIIII,

MOnica venerabilis & ſancta vidua, natione Africana, diuj Aurelij
Auguſtini parens digniſſima, hoc anno qui eſt tertius & nonage-
ſimus ſupra trecenteſimum, ætatis vero ſuæ ſextus & quinqua-
geſimus, in oſtijs Tyberinis Italiæ vrbe, ab vrbe quidē Roma de-
cem millibus paſſuū diſtante: poſtꝗ ſuum vnicum filium multo
ſemine lachrymarū Chriſto lucrata fuiſſet, operibus bonis plena,
cū maxima ſui animi æquitate, ex iſta caliginoſa laborioſaꝗ vi-
ta, in ſerenum illud cœleſteꝗ domicilium, nonis Maij demigrauit. Hæc quippe ex
vrbe Tagaſtēſi eius prouinciæ, nobiliſſimos parentes habuit. Cuius mater Facūdia,
ex præclariſſimis parentibus progenita, etiam illi ſi ipſius omnium parentum ſche-
mata in medium ederemus, magnum certe claritatis nomen afferre poſſemus. Verū
quum alia longe adſint huius ſanctæ mulieris maiora decora, miſſis illis neceſſario-
ra proſequemur. Et primo ſanctiſſimi filij Auguſtini decora commemorabimus.
Cuius tam ingentia fuere facinora, & doctrina atꝗ ſanctimonia, vt qui ſuperaret il-
lum gloria, nec audiretur natus nec naſceretur in poſterum: quod beatæ matri non
modicum fulgoris adiunxit: cum parentibus, vt ſcriptura teſtatur, fulgor non
modicus ſit, præſtantes habere filios. Hanc itaque dixerim prius ſanctificatam ꝗ na-
tam. Nam, vt ab eius infantia: noſtra initium ſumat oratio, aiunt in ea cum corpo-
ris ſenſu, primum quædam mentis intelligentiæ exaugeri cœpiſſe, cum quadam eti-
am innata prudentia, quæ quidem peritæ ſenectutis proprium dicitur. Cumꝗ etiam
ſupra ætatem, & ſapere & callere didiciſſet; ſpretis iam puerilibus ineptijs & ludis,
deum omnipotentem religioſiſſime, & oratiunculis alijsque ſignis venerari cœpit.
Charitate autem miſerorum & pauperum nihil ducebat ſanctius. Quos ſæpius etiā
furtiuis domus ſuæ alimentis reficere curabat: atꝗ illos ſæpiſſime quadam ingenua
pietate, in paterna domo paſcendos vltro intromittere non pertimeſcebat. In neceſ
ſarios vero reliquos omnes nihilo minus erat obſequentiſſima. Ab ipſa nanꝗ infan-
tia cum ea quędam miſeratio excreſcere videbatur, vnde & naturali affectione pau-
peres diligere præ ſe ferebat. Infirmos ardentiſſimo amore viſitabat, hoſpiteſquē

recipiebat,infirmorum pedes lauabat,eiſqꝫ vt poterat inſeruiebat:litigantes(vt erat
manſuetiſſimi ingenij puella)reprehendebat,& ad concordiam redigere ſatagebat.
Inerat quoqꝫ in ea quædam addiſcendi cupiditas.Et propterea iugiter ſatagebat ali
quid præclarũ,aut audire,aut addiſcere.Eidem profecto ineſſe videbatur quædã in=
ſatiabilis cognoſcendi cupiditas.Et idcirco q̃ maxime auiã ſuam chriſtianiſſimam,
in omni vitæ inſtituto pro modulo ſuæ capacitatis ſequebatur,eidemqꝫ adhærebat,
ipſamqꝫ in omni vitæ inſtituto imitari cupiebat.Ea quoqꝫ mentis acie ferebatur(vt
diuus eius filius refert)vt aliquid boni quotidie ſupra annos aſſequeretur. Quo qui=
dem ſciendi ſtudio,quaqꝫ vitæ inſtitutione effectum eſt,vt eius animus nullis ſecu=
li vanitatibus,aut certe voluptatibus,ſeu pompis illudi potuerit vnq̃. Exiſtens au=
tem ætatis annorum tredecim,nobili patritio Carthaginenſi in vxorem a parẽtibus
tradita eſt.Ipſum vero non ſua,ſed maiorum ſuorum voluntate adhuc gentilẽ ac=
cepit maritum: malens in humili gradu tuto pergere,q̃ penduli gradu alio in ſtatu
fluctuare . Attamen inito ſemel matrimonio,nil aliud diebus ac noctibus cogita=
bat,niſi vt reddito nuptiarum fructu,ſecundum caſtimoniæ gradum arriperet. Et
tanti dux fœmina facti, virũ ferociſſimum gentilẽqꝫ tãdem propoſito ſuo iungeret,
non relinquens ſaluti ſuæ comitem ſed expectans. Optabat hæc cõiunx ſancta libe=
ros nõ aliter,niſi vt Chriſto, aut chriſtianos aut virgines relinqueret.Nec ſua certe
fefellit opinio.præter enim ſanctiſſimum doctorem Auguſtinũ, duas videlicet Per=
petuam & Baſilicã filias virgines inſignes,perpetua virginitate poſt ſe reliquit.De=
inde non modo ſibi,ſed & vniuerſo prorſus mũdo,poſt dormitionẽ ſomnũqꝫ ſuum,
iubar illud ſplendidiſſimũ,doctorem cõſumatiſſimum Eccleſię peperit poſthumũ.
Igitur Monica tradita viro prædicto,nomine Patritio,illum venerari non deſtitit,
ſeruiens ei tanq̃ domino,ſatagebat eũ lucrari domino.Erat quippe perpulchra,erat
ſapiens,amabilis,reuerens,& verecũda.Ita ſemper eius tolerauit iracundias & iniu=
rias,vt nullam ob hoc vnq̃ habuerit ſimultatem.expectabat etenim ſemper dei miſe
ricordiam ſuper illum,vt in domino credens,poſtea caſtificaretur. Et quãq̃ eſſet ira
nimium feruidus,nihilo minus & beneuolentia erat præcipuus. Et idcirco eidẽ ira=
to,non tantum facto ſed nec verbo quidem reſiſtere vnq̃ præſumpſit. Sed eo refra=
cto & quieto,poſtea quum opportunum videretur,facti ſui ſi opus erat rationem red
debat.At matronæ multæ,quarum viri manſuetiores videbantur,plagarũ veſtigia,
etiã dehoneſtatam faciẽ gererent:inter amica colloquia illæ arguerent maritorũ vi=
tam.Hęc illarũ linguam veluti per iocũ grauiter admonebat,ꝙ nimia dicacitate cõ
pleſſent, onerarẽtqꝫ viros querelis innumeris,ſe fore omiſſas,ſeqꝫ derelictas,ſe vili=
penſas, ſe deniqꝫ a viris ſuis in nullo pretio habitas, atqꝫ tanq̃ ancillas mercenarias
& empticias habitas:proinde monebat memores eſſe conditionis ſuæ,videlicet ſu=
perbire aduerſus dominos ſuos nõ oportere.Illæ autẽ quũ nimium mirarentur,ſcien
tes q̃ ferocẽ coniugẽ ſuſtineret Monica,nũq̃ fuiſſe auditũ,aut aliquo indicio clamaſ
ſe ꝙ Patritius ceciderit vxorẽ, vel ꝙ a ſe inuicẽ vel vnam diẽ domeſtica lite diſſen=
ſerint,& cauſam familiariter quærerent:docebat inſtitutũ ſuum,quod ſupra memo=
raui:omnes enim nõ modo matronæ ſed viri qui hæc nouerant,cõclamabant atqꝫ di
cebant.O ſacris in cœlũ extollẽda laudibus mulier.Socrũ etiã ſuam primo ſuſurris
ancillarũ malarũ aduerſus ſe irritatã,ſic humaniſſimis euicit obſequijs,mãſuetudine
& tolerantia perſeuerans:vt illa vltro filio ſuo medias linguas famularũ proderet,
quib9 inter ſe & nurũ,pax domeſtica turbabat,expeteretqꝫ vindictã.Deinceps enim
ſub ſocru quoad ipſa ſuperuixit, intra limites ſuæ ſubiectionis adeo pacifice,adeoqꝫ
ſanctę Monica tranſegit,vt pręteritarũ omnium fœminarũ laudes,filiatione celebri
ſuperaret.Erat autem venerabilis Monica hæc,ſicut inter multas gẽmas,pretioſiſſi=
ma gemma micat,& iubar ſolis paruos igniculos ſtellarum obruit & obſcurat,ita cũ
ctarum virtutes & potentias ſua humilitate & charitate ardentiſſima ſuperabat.Mi=
nima equidem erat inter omnes domeſticas ſuas, vt omnium maior eſſet, & quanto

plus ſe deiiciebat,tanto magis ab omnibus ſubleuabatur:fugiebat omnem inanem gloriam cunctorum præconia merebatur. His & aliis q̃plurimis virtutibus ornata Monica,& fœcunditate & pudicitia probata,primum viro,deinde ſocrui,poſtremo & propinquis,& totius vulgi teſtimonio. cum tres liberos marito edidiſſet, Auguſtinum Aurelium doctorem,Perpetuam,& Baſilicam virgines perpetuas:parere deſiit.vt intelligeretur ipſam non diu officio ſeruire voluiſſe,ſed mariti deſyderio qui optabat liberos. Sæpe etenim quũ illius diui Pauli dicti reminiſceretur,quo dicitur, Saluabitur vir infidelis propter mulierẽ fidelẽ:& lachrymas & gemitus effundebat, ac tanta orationũ & lachrymarum perſeuerantia & inſtantia dominum exorauit,vt tandẽ obtinuerit,quod tantopere expoſtularat. Iã enim venerabilis Monica, quum ſuo optimo viuendi modo,ſuaq; manſuetudine,atq; cõſtanti perſeuerantia,in tã feruentem ſui dilectionem traxiſſet maritũ:vt ſatis aduerteret,nil eum ſibi negaturum quod peteret, Ante alia poſt longam diuinorũ eloquiorum doctrinam,humilis ſupplexq; rogauit,ſe per baptiſmi lauacrum chriſtianum catholicum fieri:id dei munere haud labore multo obtinuit quod poſtularat.Quod cũ non ſatis animo ſufficeret ſuo,audacius expoſtulauit ſe a ſuo ſeparari thoro,vt vterq; iã tãdem continenter viueret,quod & impetrari per gratiã dei cõmeruit. Erat nempe mater noſtra Monica, inenarrabili quadam diuina ſapientia plurimum illuſtrata. Et idcirco ſæpe & ſæpius tam maritum,q̃ filium Auguſtinum,ac filias omnes cõmonebat, vnumquẽq; anniti debere omni cũ pietatis ſtudio,vt quilibet q̃ ſapientiſſimus fieret,inquiens atq; conteſtans,ita animum veſtrum deo qui vera ſapientia eſt, euadere poſſe ſimillimum. In qua quidem ſimilitudine:ſummum bonũ,ſummũq; conſiſtere gradum veræ beatitudinis ipſa arbitrabatur Dicebat autem:moralia vſu eſſe cõparanda, naturalia ratione quærenda:verum diuina per orationem a deo expoſtulanda, & ea quidem ob vitæ puritatem potius obtineri, q̃ alia doctrina humana. Ac per hoc dicere conſueuerat,ſe ſibi ſolum tunc feliciter viuere, quum de deo,aut cogitaret aut loqueretur. Rata, omne genus humanum tunc eſſe cunctis brutis infelicius, quum cultum diuinum poſtponeret. Ex quo factum eſt,vt domino reuelante,multa de arcanis cœleſtibus perceperit documenta. Abſorbebatur etenim ita ſæpe numero intantum,& per totam ferme diem,vt ab ea neq; vox,neq; ſenſus prorſus audiretur. Nam tanq̃ cœleſtis fœmina,veluti in quadam luce, iam cuncta cognoſcere videbatur. Dicebatque, ſolam hominibus diuinam lucem poſſe,& clementiæ donum,atq; veritatem & beatitudinem elargiri. Ipſius autem diuinum prope ingenium,quũ diuus eius filius Auguſtinus iam exploratum habuiſſet,de ea in ſecundo libro de ordine rerum,his verbis ſic inquit. Nobiſcum erat mater noſtra Monica,cuius ingenium, atq; in res diuinas inflãmatum animum,cum antea conuictu meo diuturno,& diligenti conſiderati one perſpexeram:tum vero in quadam diſputatione,non paruæ rei,quam die natali meo,cũ cõuiuis habui,atq; in libellum contuli. Tanta mihi mens eius apparuerat vt nihil aptius veræ philoſophiæ videretur. Itaq; inſtitueram animo, quũ abundaret otio,agere vt colloquio noſtro nõ deeſſet. Dixit autem idem ſuus filius:matris philoſophiam ſibi nõ modicum placere,& idcirco ego inquit me,non illibenter tibi matri meę,in diſcipulum dedo atq; trado. Erat autem Monica rebus in omnibus tam diuinis q̃ humanis adeo ſolicita,vt ne punctum quidem ætatis ſuæ videretur inutiliter expendere. Timor quidem caſtus eidem ſemper in corde erat tanq̃ pectoralis faſcia,quæ cogitationes noxias conſtringeret, In ore etiam tanq̃ frenum quo linguam reprimeret: In opere denique veluti ſtimulus,ne pigritia torperet,In cunctis autem ſicut regula, ne modum excederet, verbum item ſeculare ex eius ore nunquam auditum fuit. Pietatis vero opera, vſque adeo ſemper in omni vita ſua amauit, vt nihil ei magis curæ fuerit, q̃ vt infirmis ſeruiret, mortuiſque ſepulturam præberet, orphanos cuſtodiret,atque viduas maritatas tanq̃ filias conſolaretur. Cum ad cœnam quandoque vocaretur, tanq̃ ad medicinam amaram (aiunt) acceſſiſſe. Fertur

die quadam quum dei beneficia in ſe collata animo repeteret, tantam lachrymarum copiam profudiſſe, vt eius veſtigia: per templi pauimentū deſuper fuſæ lachrymę demonſtrarent. Erat nanq; ipſa ſerua ſeruorum domini, omneſq; qui eam videre merebantur. ſcientes præſentiam dei eſſe in illa, in maximo pretio venerabātur. Filios etiā ſuos (vt veram decebat parentem) toties parturiebat, quoties a domino deuiari cernebat. Sæpe etenim (vt diuus ait Auguſtinus) in oratione poſita, tāta ſancti ſpiritus replebatur ebrietate, q; per diem integram ſic in ea quieſcebat, vt dum eſſet rex in accubitu cordis ſui, neq; ſenſus neq; vox, in ea penitus audiretur vlla: intantum q; vix matronæ & vicinæ eius, excitare eam poſſent. Inquit item idem pater Auguſtinus, q; in ſolennitate beati Cypriani, quum ſacrum domini corpus percepiſſet, mox per cubitum a terra eleuata fuit, ſicq; cōſiſtens, clamaſſe eam: volemus in cœlum, volemus ad cœlum fideles. Quæ cum interrogata fuiſſet, quid ſibi accidiſſet: nil prorſus reſpondiſſe, ſed tanto gaudio ſe repletam oſtendiſſe, vt omnes ad lætitiam non minimā deduxerit. Cantans cum propheta. Cor meum & caro mea exultauerunt in deum viuū. At venerabilis Monica poſtea q̄ vir eius patritius feliciſſime vita exceſſiſſet, quotidie intolerabili quodam cordis vulnere ex infideli filio Auguſtino trāſuerberabatur, q; eum ad baptiſmi gratiam reducere minime poſſet. quotidie enim dolebat, quotidie ingemiſcebat, quotidieq; lachrymas pro eius ſalute effundere non deſiſtebat: quotidieq; animo torquebatur, quum ſe quaſi in iucundiſſimo ſibi filio mortuam animaduertebat. Verum etſi minime deſperaret ipſum ſaluari debere, lachrymari tamen non deſiſtebat, diuinumq; auxiliū aſſiduis orationibus implorare, etiam ieiuniis vti, atq; ſacrificia pro eo offerri, cæteraq; omnia facere, quib9 dominus propitius redderetur. Nec dubitabat mulier ſancta, eum qui viduæ vnicum mortuum potuit reſuſcitare, & ſuum ad ſuam catholicam fidem poſſe perducere. Diſcurrebat nāq; Monica quotidie anxio quodā pectore, ac quaſi aliquo mentis ſtupore, atq; (vt ita dixerim) ſui aliquando neſcia, per tēpla, per eccleſias, perq; religioſorū monaſteria, Importunaq; adibat pontifices, alioſq; ſanctos dei ſeruos, vt pro ſalute filii effundere preces dignarentur. Cui aliquando quendam ſanctum epiſcopum nimium importune ab ea ſolicitatum, dixiſſe quodam prophetico ſpiritu aiunt. Vade inquit ſecura mulier: quia impoſſibile eſt vt tantarum lachrymarum filius pereat. De eadem præterea ſic inquit diuus Auguſtinus: q; dum die quadam, in linea quadam lignea oraret: eidem quam quietiſſime dormienti Angelus domini apparuit, qui in hæc verba eā benigniſſime allocutus eſt. Monica inquit, eſto ſecura, quia tuæ de filio tuo Auguſtino pientiſſimæ orationes, apud pientiſſimum humani generis redemptorem, meruerunt exaudiri. Nam futurum eſt, vt in illa cœleſti patria vbi omnia ſunt tranquillitatis & gaudii ſempiterni plena, futuri vna eritis. Itaq; nihil deinceps triſte, nihilq; lugubre ob hoc apud te ſit, Non tibi ob hoc diutius laborandum & gemendum eſt. Quibus dictis Angelus euanuit, & Monica ſancta ſomno ſoluta eſt. Secum igitur conſiderans quæ in viſione, immo oraculo potius, reuelata fuerant, & ea quidem q̄ accuratiſſime diſquirens, non de miſericordia dei diffidit. Admonuitq; filium de viſione angelica, & de promiſſo munere, ac ex ea die, luctui mœroriq; nimio finem imponere cenſuit. Verum nihilo minus crebra munera ſacro offerebat altari, iugeſq; pro eo eleemoſynas dabat vt ſalutis filii compos efficeretur. At tandem Auguſtinus, quum aliquandiu rhetoricam, philoſophiamq; Carthagini florentiſſime docuiſſet: videndi Romam deſyderio ſuccēſus, inſcia ipſa pientiſſima parente, Romam, deinde Mediolanum poſtremo conceſſit. Quod vbi pientiſſimæ matri renuntiatum fuit: illico nimio dolore conſternata eſt. Verumenimuero amoris eximii erga filium facibus incenſa, duabus ſolis filiabus ſuis virginibus domi parentibus commendatis, in ſententiam iuit, velle omnino filium chariſſimum ſubſequi. Verū nec ad ipſum pergere facile Monicę cōceſſum eſt. Summa quippe diligentia a cunctis ſuis affinibus & agnatis atq; filiabus ipſis prohibebatur, ne filii voluptatem per tot maris diſcrimina ſequeretur. Sed quos nō ludit amor

cuſtodes? Celeriter igitur tempore captato, cũctis ferme cuſtodibus deceptis, aliquibus fideliſſimis honeſtiſq; amicis cõſociata ardẽtiſſima mater, natale ſolũ, patrioſq; penates linquens, fugitiuum filium ſubſecuta eſt. Nec expauit inclyta mater, ſubterfugia & maris æſtus, periculaque ac innumerabilia diſcrimina, ac noſtræ Italiæ aſpera montium itinera, incerta filij dulciſſimi ſequi veſtigia, eumq; per incognitas nedum regiones, ſed & linguas exquirere: donec Mediolani laſſa, comperto ſe iunxerit filio. Cautius, rata, per mille diſcrimina vitæ filium ſequi adhuc infidelem, & in ſeculo ſuperbe nimium periclitãtem, cum eius ſalutis ſpe, q̃ domi vacare quieti, & infinitis excruciari præ timore curis. Inolitæ profecto maternæ charitatis, & ſanctum virum potius q̃ fœminã redolentis, tale iudicium eſt. Ac ſic affectuoſiſſimæ matris hęc ſpectanda militia fuit, hæc bella, hæ victoriæ & ſuarum victoriarum conſpicui triumphi pro ſalute filij ſuperaſſe anguſtias atq; molliciem fœmineam: hinc illi fama perennis atq; gloria ſubſecuta eſt. Cũ autem ſancta virago Mediolanum cũ ſuis (licet laſſa nimiũ) ſoſpes applicuiſſet, & ſuũ filium deſyderatiſſimum, a Manicheis diuulſum, catholicumq; reperiſſet chriſtianum, mira & ineffabili exiliuit lætitia. Confeſtimq; optima mater videns filium, ſuper collum eius in oſcula ruit: vbertimq; flere præ gaudio cœpit: filius vero amantiſſimus, conſpecta matre, tot labores iam quinquagenaria & eo amplius pro eo ſubſequendo pertuliſſe, ex inſperato eius aduentu, genibus eius repẽte prouoluitur, fletuq; tanto & mœrore, atq; plangore quod cõtra ipſam iniuſte egiſſet, oſtendit. Obſtupuit ſancta & grauis mater, filij humilitatem conſpiciens. Hæſere vtriuſq; voces faucibus, & inter dolorem atq; contritionem, & lætitiam, varie mittebãtur cogitationes. Hinc diuina fiducia, pectore pleno Monica ſic filium alloquitur. Credo fili mi dulciſſime in Chriſto, q; anteq̃ e vita iſta demigrem, te verum veriſſimumq; chriſtianum hominẽ viſura ſum. Tunc Auguſtinus ad matrem conuerſus, exclamauit dicens. O mater pietate fortiſſima, O ſancta venerandaq; parens, O eximii feruoris & dilectionis genitrix Monica: Solare inquit, gaude & exulta, quia dominus noſter miſericors, de ſeruitute Babylonis tibi redemit Auguſtinum, Auguſtinũ inq̃ filium tuum, quem plus lachrymarum Chriſto, q̃ carnis ſemine mundo genuiſti. Gratulabatur autem beata mater maiorem in modum, q; triſtem ipſam: lætã & felicem efficere dignatus eſſet dominus. Atque ita in paſchate reſurrectionis domini, diuino tandem auxilio, meritis matris, ac diui Ambroſij prædicatione permotus, contẽpto gentilitatis cultu ac hæreticorum omnium erroribus, ad veram Chriſti religionem per Chriſti baptiſmum feliciter peruenit. Cum enim diuus Ambroſius, Auguſtinũ ſacro baptiſmate, aſtante matre, vniuerſoq; ferme Mediolanẽſi populo initiaret, diuino quodam inſtinctu hymnum perpulchrum, videlicet Te deum laudamus, vna decantauere. Ad explicandam autem totius populi matriſq; ac diui Ambroſij incredibilis gaudij magnitudinem, & Tulliani fluuius exiccaretur ingenij: & contortæ Demoſthenis, vibrateq; ſententiæ, tardius languidiuſq; ferrerẽtur. Quicquid poteſt cogitare animus, quicquid ſermo non poteſt explicare, illo in tẽpore factum fuit. Quaſi ex radice fœcunda, multi ſimul pullularunt chriſtiani, exemplum doctoris & magiſtri, ſecuta eſt clientium diſcipulorum & ſociorum turba. Et per totam vrbem Mediolanẽſium atq; prouinciam feruebat chriſtianitatis profeſſio. Mox autem vt Chriſti baptiſma Auguſtinus ſuſcepit, ad Simplicianum monachum magnæ ſanctitatis virum conceſſit: a quo & de religione beata feliciq; vita non mediocriter inſtructus eſt, atq; de Chriſti fide, & exempla ac miracula nonnulla accepit. Quibus ſi qua hæreſis maculæ rubigo remanſiſſet, ab eius animo penitus abſterſit. Nouus itaq; chriſtianus Auguſtinus effectus, nouis veſtimẽtis videlicet cucullo nigro, diuus Simplicianus monachus eum induit. At beata mater quum talia ſueret religionis veſtimenta, vt Iulianus Poperius epiſcopus Toletanus digniſſimus ſcribit, tot lachrymas præ gaudio effudit, & gratias domino Ieſu Chriſto ingentes agens, qui ſibi & religioni chriſtianę talem ac tantum cõceſſiſſet principem. Benedicebat chriſtianiſſima mater dominũ,

quia ad conferendum cunctis ſubſidium, creaſſet & illuminaſſet filium dilectiſſimum Auguſtinum. A quo iam tanq̃ religionis exordio, omnes auxilium caperent pariter & ſuffragium. Igitur Auguſtinus qui inciderat in latrones, Chriſti & matris humeris ad caulas reportatus eſt. Vicerant plurimi ciuitates & corpora plurima, ſed mater Monica tanq̃ virago præſtantiſſima, ſpiritales nequitias ſubiugauit. Triennij autem tempus poſtq̃ Auguſtinus baptiſmi ſacramentum ſuſcepit, ſancta mulier Mediolani vna cũ cęteris ſubſtitit, & in diui Ambroſij, ac Simpliciani optimi viri ſæpius fuit hoſpitio: cum quibus ſæpe & ſæpius de diuinis ſcripturis diſſerebat, & quæſtiones proponebat, & ſolutiones apud ſe recondebat. Quum filio & cæteris certabat, vt in portu Abrahæ tabernaculum figerent. Eratq; contentio ſancta inter eos, quis humilitate, charitate atq; humanitate ſuperaret, Tandem in patriam cum filio & cæteris remeare conſtituens, dum in oſtijs Tyberinis applicuiſſent, & ſe nauigationi inſtaurarent, aduenit tempus quo ſancta mulier ex hac vita migratura ægrotare cœpit, & ingraueſcente iam febre ait ad filium, permagnæ mihi id eſſe conſolationi mi Auguſtine fili dulciſſime arbitror, q; ſim te relictura filium pientiſſimum, non Chriſtianum ſolum ac catholicum, verum etiam contempta felicitate terrena videam ſeruum dei. Neq; ſe enim corpore morituram exiſtimabat ſapientiſſima Monica, quæ ſuperſtes foret in tali ac tãto filio: at animæ immortalitate non ſe prius frui dicebat, q̃ in illius conſpectum perueniſſet, ad cuius imaginem & ſimilitudinẽ nouerat ſe creatam. Cũq; dormitioni appropinquaſſet, dixit Auguſtino ac cæteris: ponetis corpus hoc meum vbicunq; nihil vos cura eius conturbet. Tantum vos illud rogo, vt ad domini altare veſtris in oblationibus vbicunq; fueritis memineritis mei. Atq; ita (vt verbis Auguſtini vtar) die nono ſuæ ægritudinis, ſexto & quinquageſimo ætatis ſuæ anno, tertio vero & trigeſimo filij ſui Auguſtini, illa anima religioſiſſima & pia corpore ſoluta eſt, nonis Maij. Atq; ibidem honorifice in baſilica ſanctæ Auræ virginis tumulata eſt. Verum id ſanctum corpus, vſq; ad annum ſalutis milleſimum & quadringenteſimum ac nonum ſupra vigeſimum, ibidem ſtetiſſe compertum eſt. Sed deus qui cuncta conſpicit, volens ipſum ſanctum corpus honoratiori loco defungi, vbi a Chriſti cultoribus dignius veneraretur. Martini quinti papæ temporibus Romam transferri honorificentiſſime iuſſum eſt. Et in templo eius filio Auguſtino dicato, curæ fratrum noſtrorum commendatum eſt. Cui & Mapheus Laudenſis poeta ſui temporis laudatiſſimus, ob ſingularem quam in filium (quem miraculum mundo natum aſſerit) eiuſque matrem Monicam (quam tanq̃ lucidiſſimum quoddam bene recteq; viuendi ſpeculum ante cunctorum oculos dicit præfigendam) gerebat deuotionem, mauſoleum mira arte elaboratum ſua impenſa extruere faciens, tales verſus in eius laudem cecinit dicens.

Salue lux matrum mater ſanctiſſima ſalue,
Salue Auguſtini Monica digna parens.
O ſalue tanti nati digniſſima mater,
O ſalue ſexus gloria fœminei.
Quæ genuiſti illud cunctis memorabile ſeclis
Eccleſiæ robur, præſidiumque ſacræ.
Eloquij flumen, tantum quo tota rigatur
Lex ſacra: & vbertim lingua latina fluit.
Vertiſti ſacris precibus quibus anxia ſemper
Pulſabas magnum flenſq; gemenſq; deum.
Vertiſti largo lachrymarum flumine, quo te
Spargebas: largo ſemper & imbre madens.
Felices o quæ tantum lachrymæ gemituſq;,
Felices tantum quæ potuere preces.
Quæ trahere ad ſeſe ſummum potuere tonantem

Ferreqꝫ,qua certe mundus egebat,opem.
Ingenij fulmen tantum quo tota coruſcat
Sacra fides:omnis impietaſqꝫ tremit.
Quem longe errantem longe Chriſtoqꝫ rebellem
Vertiſti ad veræ relligionis opus.
O feruens amor,o pietas incenſa parentis,
O qui flagrabat ſancta per oſſa calor.
O flamma,o nulli facile enarrabilis ardor,
Maternæ o feruor mentis & ignis edax.
O qui te tantus æſtus pia mater agebat,
Et quo ſcandebas impetus aſtra ſuper.
Ardentes tanquam longæ volucreſqꝫ ſagittæ,
Sic ibant lachrymæ vota preceſqꝫ tuæ.
Æthereiqꝫ alte penetrabant pectora regis,
Cogebant illum nulla negare tibi.
Quin maiora etiam q̃ quæ ſperare vel vnq̃
Auderes vltro,plura ſimulqꝫ dare.
O quantum tibi nos omnes debere fatemur,
Cuius ope eſt mundo reddita tanta ſalus.
Quippe,niſi e tenebris ad lumina ſacra rediſſet
Conuerſus meritis filius ipſe tuis.
Altiloquas totum niſi diffudiſſet in orbem
Doctrinas tantum,totqꝫ voluminibus.
Errorum niſi tot peſtes ſtrauiſſet iniquas,
Ingenio niſi tot dogmata praua ſuo.
Eccleſiam tanto quæ firmauere ruentem
Robore,felices o lachrymæ atque preces.
O dulces lachrymæ vincant quæ mella fauoſqꝫ
Quæ vincant dulces & meritum omne preces.
Quid mirum ſi noſtra fides cultuſqꝫ periſſet?
Si totus noſter relligionis honos.
Nunc vero ſuperi quando ad faſtigia cœli
Euectam,nunc te purior orbis habet.
Quando hac terrena de fæce & carcere tanto
Eruta,tu loca nunc liberiora colis.
Nunc noſtris melius,rogitans tu conſule rebus:
Pro noſtra melius funde ſalute preces.
Affer opem nunc,tu mundo ſuccurre labanti,
Succurre afflictis rebus & affer opem.
Te cunctæ exorant gentes,tibi vota profundunt,
Succurre & cunctis gentibus affer opem.
Omnis te ſexus,omnis teqꝫ inuocat ætas,
Te quicunqꝫ vocent,omnibus affer opem.
Præcipue matres quantum tu experta labores
Et natis,& tu matribus affer opem.
Te docti ante omnes orant,ne deſpice doctos:
Nemo tuo nato doctior,affer opem.
Salue lux matrum,mater ſanctiſſima ſalue,
O ſalue æterna laude canenda parens.
Amen.

¶De Fabiola matrona Romana CAP.CXXV.

FAbiola vidua ſanctiſſima,Matronarum Romanarũ corona & ſingulare decus,ante excidium Romanæ cladis,circa annũ ſalutis noſtræ quintum ſupra quadringẽteſimum,Romæ cum maximo ſuæ pietatis & humilitatis præconio,migrauit ad dominũ. Cuius admirandam vitam,regiaſq; exequias diuus Hieronymus ſcribens,illam miraculo fuiſſe refert. In primis nanq;,venerabilis hęc Fabiola,ex illuſtri excelſaq; Fabiorum familia fuit oriunda. Quæ ſecundo defuncto eius marito,quem primo adhuc ſuperuiuente contra euangelij rigorem ſuſceperat,in ſemetipſam reuerſa,tantã ſui erroris cõtritionem cunctis oſtendit,quantam quis vnq̃ ſermone explicare poſſet. Nam vt ſuum ipſum errorem publice fateretur:ſaccũ induit,ſpectanteq; vniuerſo populo in Lateranenſi Baſilica,videlicet die ſancto paſchæ,ſic induta acceſſit,atq; ibidem in ordine pœnitẽtium coram epiſcopis & preſbyteris ſparſo crine, manibuſq; ſqualidis ſe humiliter proſtrauit, & de erratis cum lachrymis veniam & pœnitentiam expoſtulauit. Veniaque tandem conſequuta, mox vt domum regreſſa eſt,de ſolio delitiarum ſuarum deſcendens, molam accepit farinãq; fecit,& pedibus diſcalciatis lachrymarum fluenta pertranſiuit,atq; ſuper carbones ignis ſedit,qui dei beneficio ei in refrigerium fuere. Vſq; enim adeo ornamenta omnia corporis proiecit, ac animum humilitate cæteriſq; ſanctiſſimis virtutibus decorare ſtuduit:vt non facile iudicandum ſit,plus illa inculta,an Q. Maximi toga, Fabiorum familiæ ornamenti præſtiterit. Itaq; in primis faciem ſuam per quam ſecundo viro placere procurauerat,perſæpe pugnis verberabat,deinde gemmas cõtemnens,in ſtratu linteamina videre nolebat,aliaq; ornamenta quæq; fugiebat,ſicq; dolebat,quaſi adulterium commiſiſſet. Ac per hoc multis medicaminum impẽdijs,ſuum vulnus ſanare curabat. Receptaq; eius ab eccleſia pœnitentia, mox omnem ſuum cenſum quem habere poterat (erat quippe amplum & ſuo generi reſpõdens) vendidit, & in pecuniam congregauit,& in vſus pauperum præparauit. Primoq; omnium hoſpitium,quod vulgo hoſpitale appellatur,extruxit. In quod quidem ægrotos omnifarie,pauperes,& miſeros congregaret & confoueret. In quo tanta pietatis opera exercuit,quanta vnq̃ quis feciſſet compertum ſit. Quis vnq̃ crederet mulierem nobiliſſimam,delicatiſſimãq; proprijs humeris portare languentes morbo regio,& fœtore nimio correptos atq; confectos,lauare putridam ſaniem,& vulneribus infirmorum,quę certe alius nemo facere, aut certe aſpicere præſumpſiſſet? Præterea præbere propria manu cibos,ſpirantibus cadaueribus,atq; alia his ſimilia facere,quæ nullus diues aut certe pene vir ſanctus ob ſtomachi anguſtias vnq̃ attentare potuiſſet. Quod monaſterium non eius opibus ſuſtentatum eſt? Quis nudus, aut paralyticus, non ipſius veſtimentis veſtitus eſt? quo ſe gentium ſua ſe non effudit feſtina largitio? At non ſolum in Romana vrbe hæc pietatis refrigeria Fabiola cõtulit,ſed & nõnullas inſulas peragrauit,ac totum Hetruſcum mare, Volſcorũq; prouinciam, in quibus monachorum & eremitarum conſiſtebant chori,aut proprio corpore aut per fideles Chriſti ſeruos largas mittebat & condonabat eleemoſynas. In eo equidem feruore & ardore, etiam contra multorum opinionem Hieroſolymam adnauigauit. Vbi & multorum cõcurſu hilariter excepta fuit, ac primum ad pauperrimum diui Hieronymi diuerſorium declinare voluit,atq; eius hoſpitio aliquantiſper vti. Cuius plane feruorem,quum & ipſe ſanctus Hieronymus conſpexiſſet,mirari non deſtitit, necnon & ipſius ſtudij inſtantiã,quo intenta eſſet diuinis voluminibus,in quibus veluti quandam ſitim atq; famem ſatiare deſyderans,per euangelia perq; prophetas,atq; pſalmos diſcurrẽs,quæſtiones nonnullas proponebat, atq; earum ſolutiones in ſcrinio pectoris ſui recondebat. Vnde & ipſe beatus Hieronymus eius precibus ſtimulatus, libellum de veſte ſacerdotali inter alia edidit,illiq; dedicauit. Demum propter Hũnorum irruptionem, quæ vniuerſam Iudæam cædibus pariter & terroribus complebant,non dignitati aut ætati,ſexuiq;,aut vagient imiſerabantur infantiæ,in patriam regredi compulſa eſt.

Vt ibi ſcilicet pauper viueret, vbi dudum diues nimium fuerat, manēdo in alieno ſo-
lo, prius tamen multos hoſpites habuit. Condoluiſſe quoqꝫ ipſum ſanctum Hierony
mum, ipſius a ſanctis locis abitionem ferunt. Perſæpe & ipſa ſancta virago planxit, qꝫ
ſe intra vrbis Romæ anguſtias clauſam videret. Vnde & perſæpe tanq̄ e vinculis ge-
ſtiebat erumpere. Igitur dum ad vltimum vitæ ſuæ ſe deueniſſe cōſpexiſſet: ne mors
eam imparatam inueniret, ad multos ſcripſit monachos, vt ad eam venire dignaren-
tur: tanq̄ graui onere grauatam, abſoluendam, facerentque ſibi de iniquo mammona
amicos, qui eam reciperent in æterna tabernacula. Venerunt e veſtigio itaqꝫ innume-
rabiles pene monachi, a quibus & abſolutionis omnimodæ beneficiū accepit. Depo-
ſitaqꝫ omni peccatorum ſarcina, leuiſſimaqꝫ effecta: cōfeſtim ad cœli euolauit gaudia.
Nullus ædepol iſtius poſſet miſericordiam, humilitatem, fidem deuotioniſqꝫ ardorē
credere. Eius autem religioſiſſima mors: fuit chriſtianorum laus, gentilium miracu-
lum, luctus pauperum, & monachorum ſolatium, atqꝫ matronarum omniū documen
tum. Quantū autem viuentis Fabiolæ haberet Roma miraculi, Hieronymus ſanctus
cōteſtatus eſt, dicens. Necdum debitam Fabiola Chriſto reddiderat animam, & iam
fama volans tanti prænuntia luctus, totius vrbis populus ad exequias ſe congregauit.
Atqꝫ eius admirandas deſcribens exequias: ait. Hinc iuuenū chorus, illinc ſenum, qui
carmine laudes fœmineas & facta ferebāt. Non ſic Furius de Gallis, non Papyrius de
Samnitibus, non Scipio de Numantia, non Pompeius de Ponti gentibus triumpha-
uit. Illi corpora vicerunt, hæc ſpiritales nequitias ſubiugauit. Non plateę, non porti-
cus, non imminentia deſuper tecta capere poterant proſpectātes. Tunc ſuos Roma in
vnum conſpexit populos. Fauebāt ſibi homines in gloria pœnitētis. Nec mirū ſi de
eius ſalute omnes exultauerunt, quum de eius conuerſione angeli longe antea in cœ-
lo lætati ſunt: In qua ſicut abundauit peccatum, poſtmodū & gratia ſuperabundauit.

❡De ſancta Paula, optima matrona Romana. CAP. CXXVI.

PAula illuſtris venerabiliſqꝫ Romana fœmina planeqꝫ ſanctiſſima,
atqꝫ omni memoratu digniſſima, anno a natali chriſtiano decimo
ſupra quadringēteſimum, vitæ vero ſuæ ſexto & quinquageſimo,
ſeptimo calendas Iunias, apud Bethlemiticum Iudææ oppidum,
maximo cum ſui præconio quieuit in pace. Cuius celibem vitam
diuus Hieronymus optimꝰ teſtis, diſertiſſimo cōſcripſit eloquio.
Hęc nanqꝫ & humanis pariter & diuinis fulgoribus plurimum il-
luſtris & clara fuit. Quum ex Scipionum & Graccorum clariſſimarum familiarum
ortum duxerit, Nupſeritqꝫ Toxotio illuſtri romano, qui & ipſe ex Ænea atqꝫ Iulio-
rum altiſſimum ſanguinem traxerat. Ex quibus ſane maioribus orta, & fœcunditate,
& probata pudicicia, totius mundi teſtimonio plurimum inſignis habita fuit. Cum
autem ex viro ſuo quinqꝫ liberos ediidiſſet, parere deſiit. Mortuo poſtmodum mari-
to, ita eum planxiſſe tradunt, vt & ipſa prope moreretur. At Paulo poſt, ita ſe ad do-
mini ſeruitutem tranſtulit, vt eius mortem optaſſe viſa fuerit. Tandem ita quorun-
dam ſanctorum epiſcoporum virtutibus incenſa, vt poſtq̄ in ſancto propoſito, a viri
morte quinqꝫ annis ſanctiſſime vixiſſet, patriam, domū, atqꝫ liberos omnes deſerens,
in Syriam cum Euſtochio virgine filia, ſui propoſiti & nauigationis comite, perrexe-
rit. Vbi poſtq̄ plurima ſanctorum patrum inuiſiſſet & perluſtraſſet loca, Hieroſoly-
mam ſuper aſellum ſedens tandem peruenit. Ibiqꝫ cuncta domini noſtri Ieſu Chriſti
loca, tanto ardore ac ſtudio circuiſſe eam tradūt, vt niſi ad reliqua feſtinaret, a primis
illis non potuiſſet abduci. Nam ſtatim cum ante domini noſtri Ieſu Chriſti crucem
perueniſſet, ita illam adorauit, ac ſi ipſum Chriſtum pendentem conſpexiſſet, Sepul
chrumqꝫ reſurrectionis introgreſſa, lapidem quem ab oſtio monumenti angelus amo-
uerat, exoſculabatur. atqꝫ ipſum ſanctum corporis locum vbi dominus iacuerat, quaſi
ſitiens deſideratas aquas ore fidel ilambebat, vt ſui ipſius neſcia facta prorſus fuiſſe

videretur. Quid ibi lachrymarum, quãtum gemitum, quid doloris effuderit: teſtis eſt Ieſus qui cuncta conſpicit, atq; pater quẽ rogabat. Inde digreſſa, aſcendit in Sion mõtem, & poſtmodum Bethleem, vbi ſaluatoris ſpeluncam introiens: poſtq̃ ſacrum virginis diuerſorium & ſtabulum vidit, in quo bos agnouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: vt illud quod in eodem propheta ſcriptum eſt, impleretur. Beatus qui ſeminat ſuper aquas, vbi bos & aſinus calcant. Vtq; diuus Hieronymus teſtatur, vidit ſancta fœmina, oculis fidei perfecte, infantem pannis inuolutum in præſepi, vidit magos adorantes, ſtellamq; ſuper ſe radiãtem, matrem virginem, nutritium ſedulum, ac paſtores nocte venientes, vt viderẽt verbũ quod factum erat. Cætera quæq; domini noſtri Ieſu Chriſti, ac omnium patriarcharum & prophetarum quum circuiſſet loca, deniq; in Ægyptum magno cum ardore deſcẽdit. Vbi quum vidiſſet ſibi occurriſſe venerabilem ſanctum hominem epiſcopum Iſidorum cum turbis innumerabilibus monachorum, ſe illico indignã tanto honore exiſtimauit. Mirus certe ardor, & vix in fœmina credibilis fortitudo: oblita ſexus, & fragilitatis corporeæ, inter tot milia monachorũ quum puellis ſuis, ſeorſum habitare cupiebat: & certe impetraſſet, niſi eam maius ſanctorum locorum retraxiſſet deſiderium. Locis itaq; his ſanctiſſimis viſis, Bethleem perpetuo manſura repetijt. Vbi & per triennium in anguſto permanſit loco, donec ex proprijs bonis cellulas ac monaſteria extrueret, ac diuerſorum peregrinorum iuxta viam conderet mãſiones, in qua Maria & Ioſeph hoſpitium non inuenerant. Hæc itaq; omnia cum filia Euſtochio comite, & multis virginibus peragrauit. Nunc autem de ipſius humilitate, quæ chriſtiarorum prima virtus eſt, dicẽdum eſt: propter quã ita ſe deiectã fecit, vt qui eam vidiſſet, & pro celebritate nominis videre geſtiſſet, ipſam vtiq; eam eſſe non credidiſſet, ſed ancillarũ minimam. Et quum frequentius choris virginum cingeretur, & veſte, & voce, & habitu, atq; inceſſu minimam ſe omnium oſtendebat. Nec vnq̃ poſt viri ſui obitum, vſq; ad diem mortis ſuæ, cum vllo comedit viro, quamuis eum ſanctum & pontificali ſciret culmine inſignitũ. Balneas etiam niſi periclitans non adijt. Mollia quoq; ſtrata, etiam in grauiſſima febri habere noluit: ſed ſemper ſuper duriſſimam humum ſtratis ciliciolis quieſcebat: ſi tamen illa, quies dicẽda ſit. quæq; iugibus pene orationibus dies noctibus iungebat: illud de pſalterio implẽs. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo. In qua, non crederes quas lachrymarum fontes ſpargebat. Ita leuia peccata plangebat, vt diceres, illam grauiſſimorum criminum eſſe ream. Cũq; a ſanctis moneretur, vt parceret oculis, eoſq; ſeruaret euangelicæ lectioni, aiebat turpanda eſt facies, quam contra dei præceptum purpuriſſo & ceruſſa, & ſtibio ſæpe depinxi: affligendum eſt corpus, quod multis vacauit delitijs. Quæ viro & ſeculo placui, nunc Chriſto per hunc modum placere deſidero. Si inter tales tantaſq; virtutes, eius caſtitatem quis pręadicare vellet, ſuperfluum vtiq; eſſet. in qua etiam dum ſecularis eſſet, omnium Romæ matronarum exemplum fuit. Quæ ita ſe geſſit, vt nunq̃ de illa etiam maledicorum quicq̃ auderet fama confingere. Nihil equidem illa clementius, nihil humilius, nihilq; blandius fuit. Si pauperes videbat, ſuſtentabat: ſi potentes, ad benefaciendum cohortabatur. Sola liberalitas in ea excedebat modum. Hanc ob rem quidam optimi patres illam quandoq; arguebant, ꝙ in largiẽdo eſſet ita profuſa. Illa reſpondendo aiebat. Scriptum eſt in euãgelio: Qui habet duas tunicas, vnã det non habenti: Et multa alia facere ſacræ ſcripturæ teſtimonia pro huiuſmodi re, mira cum verecundia & ſermone pauciſſimo introducebat. Sed neq; eius abſtinentiæ facile recenſeri poſſent, quæ prope menſuram excedebant. Nam exceptis diebus feſtis, vix oleum in cibo capiebat. Taceo de vino, carnibus, piſcibus, lacte & melle ac ouis, reliquiſque cibis quæ guſtui ſuauia ſunt: a quibus penitus quoad vixit abſtinuit. Patientia præterea ipſius, quæ quidem contra obtrectares & perſecutores perq̃ maxima fuit. Nam dominus ei ſuſcitauerat inimicum qui eam colaphizaret, ne de tot, tantiſq; virtutibus ſe extolleret: licet contra detractores & iniurias ſæuientium & oblo-

quentium, pulcherrimis ſacræ ſcripturę teſtimonijs quaſi armaturam Chriſti, & præcipue contra inuidiam ſæuientem ſe inſtruebat: patiendo iniurias, furorem rabidi pectoris mitigabat. Dicebat enim. Si diabolus contra ſeruos dei & ancillas nō vbiq; pugnaret, & omnia loca fugientes non præcederet, ſi non ſanctorum locorum amore retinerer, Bethleem me iam reperire in alia terrarū parte poſſet. Cur enim non patientia liuorem ſuperem? Cur non humilitate ſuperbiam frangam? & percutienti maxillam offeram alteram? dicente Paulo. Vince in bono malum. Nonne apoſtoli gloriabantur, quando pro domino patiebantur contumelias? Nōne ipſe ſaluator humiliauit ſe, formam ſerui accipiens, & factus fuit obediens patri vſq; ad mortem: mortem autem crucis, vt nos ſua paſſione ſaluaret? Poſt virorum monaſterium quod ſuis impenſis extruxerat, viriſq; inhabitandum gubernandumve tradiderat: aliud quoq; pro mulieribus ſimiliter extruxit, in quo ex diuerſis prouincijs virgines nobiles ac mediocres plurimas cōgregauerat: in quo & opere, & cibo, & orationibus, & pſalmis omnes voluit coniungi. Et iuxta illud pſalmiſtæ, ſepties in die laudem dixi tibi. Et media nocte ſurgebam ad confitendum tibi: Mane, hora tertia, & ſexta, nona, & veſpera, completorio, ac noctis medię gallorum ſcilicet cantu, per ordinem pſalterium cātabatur. In eo tantūmodo ad tergendū manum linteaminibus vtebātur. A viris autē tāta erat ſeparatio, vt ſpadones etiā vitarēt. Sed neq; hoc loco eius in eo optimus viuēdi modus, vna cū reliquis ſacris virginibus quæ ſecum erant, calamo quis enarrare poſſet. In quo omnem ſuæ vitæ curſum compleuit, fidemq; ſeruauit. pro quibus nunc corona iuſtitiæ fruitur. Hæreticos deniq; tanq̄ ethnicos habebat, & illorum cœnoſos viriliter declinauit lacus. Ipſius præterea ingenio nihil profecto docilius vnq̄ viſum fuit. Ad loquendum tarda erat, ſed ad audiendum velox. ſcripturas diuinas pro virili ſua memoriæ commendabat, & cū hiſtorias amaret, & illud veritatis diceret fundamentū: magis quidem ſequebatur ſcientiam ſpiritualem, & hoc culmine ædificationem protegebat. Deniq; precibus diuum compulit Hieronymum, nouū & vetus teſtamentum in latinum tranſferre, atq; multa illi exponere & componere. Tam eminētiſſimi fuit ingenij, vt hebraicam didicerit linguam, quam ipſe Hieronymus iam cana ætate multo labore & ſudore didicerat. Ita vt pſalmos & hebraice, græceq;, ac latine ęque caneret, cum opus eſſet. Demum hęc virago Paula, poſt multos agones & labores pro Chriſti amore perpeſſos, in grauiſſimam incidit ægritudinem, pro qua deniq; ſentiens ſe morti propinquare, illos pſalmiſtæ verſiculos (prout poterat) ſuſurrans dicebat. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Et q̄ dilectiſſima tabernacula tua domine virtutum, cōcupiſcit & deficit anima mea in atria tua. Elegi abiecta eſſe in domo dei mei, magis q̄ habitare in tabernaculis peccatorum. Cumq; a diuo patre ſuo Hieronymo interrogaretur, cur taceret, cur nollet reſpondere, & an doleret aliquid: græco ſermone reſpondit: nihil ſe habere moleſtię, ſed omnia tranquilla & quieta proſpicere. Poſt hæc obmutuit, & clauſis oculis quaſi iam mortalia deſpiciens, vſq; ad expirationem animæ eos repetebat verſiculos. Digitum ad os tenens, crucis ſignum pingebat in labijs. Ac ſic animam ſanctam præſentibus epiſcopis & ſacerdotibus ac monachis pene innumerabilibus Chriſto ſaluatori ſuo reddidit. Mortuaq; mulier ſanctiſſima: non vlulatus & plāctus, vt inter ſeculi homines fieri ſolet, ſed pſalmorū diuerſis linguis examina concrepare cœperunt. Trāſlataq; funebria epiſcoporū manibus, & ceruicem feretro ſubijcientibus: quum alij pontifices lampadas cereoſq; perferrent, Alij choros pſallentium ducerent, in media Ecclesiæ ſpelunca eſt poſita. Tota ad funus eius Paleſtinorum vrbium turba conuenit. Quam monachorum in eremo latitantem cellula ſua continuit, Quam virginū cubiculorum ſecreta texere, Viduæ & pauperes in exemplū, dorcadis veſtes ab ea præbitas oſtendebant, Omnis inopum multitudo, & matrem & nutriculam ſe perdidiſſe clamabat, Quod mirum eſt. Nihil pallor mutarat in facie: ſed ita dignitas quædam & grauitas ora compleuerat, vt eam putares non mortuam ſed dormientem,

Græco,Latino,Syroq; ſermone pſalmi in ordine reſonabant:non ſolum triduo, ſed donec ſubter eccleſiam & iuxta ſpeluncam domini corpus conderetur. Et per totam hedomodam cunctis qui venerant,quaſi ſuũ funus & proprias crederes lachrymas celebraſſent. At venerabilis virgo filia eius Euſtochium,quaſi ablactans ſuper matrem, abſtrahi non poterat a parente, quin deoſculari oculos, hærere vultui, totum corpus amplexari,& ſe velle cum matre ſepeliri clamabat. Tanta profecto fuit huius ſanctiſſimæ fœminæ liberalitas atque fides,vt ne vnum quidem filiæ nummum derelictum fuerit. Et quod quidem mirabile & incredibile quaſi vidiſſe fœminam nobiliſſimæ familiæ,magnam quondam opibus,tanta fide omnia largitã fuiſſe,vt ipſa ad egeſtatem pene vltimam deueniret. Nemo certe plus dederat pauperibus q̃ Paula,quæ ſibi nihil reliquit. Et nunc quidem diuitijs fruitur diuinis,& de paruula Bethleem cœleſtia regna conſcendit. Et hæc de Paula ſancta Romana,dicta ſufficiant. Cuius ſepulchro beatus Hieronymus,hunc titulum poſuit.

Scipio quam genuit Paulam,fudere parentes
Gracchorum ſoboles,Agamemnonis inclyta proles
Hoc iacet in tumulo:Paulam dixere priores.
Euſtochij genitrix Romani prima ſenatus
Pauperiem Chriſti & Bethleemitica rura ſecuta. Amen.

¶De Proba poetrice, Adelphi coniuge. CAP.CXXVII.

PRoba & facto & nomine, literarum notitia fœmina memoratu digniſſima,Honorij principis æuo:anno videlicet quartodecimo ſupra quadringenteſimũ a natali chriſtiano, & doctrina atq; chriſtiana religione inſignis plurimũ,& notiſſima fuit. Hęc quippe Italica fuit mulier ex oppido Orti oriunda,& Adelphi cuiuſdam clariſſimi viri coniunx. Quę quantum in liberalibus ſtudijs valuerit, liquido percipi poteſt. verum inter alia eius ſtudia,adeo peruigili cura Virgiliani carminis nota atq; familiaris eſt effecta,vt fere in omni opere a ſe confecto,teſtem in conſpectu & memoria eã ſemper habuiſſe videatur. Quæ dum forſan aliquando perſpicaciori animaduertẽtia Virgilij carmina legeret,in exiſtimationem incidit:ex illis,omnem teſtamẽti veteris hiſtoriam,& noui ſeriem,placido atq; expedito & ſucci pleno verſu poſſe deſcribi. nõ equidẽ admiratione caret, tam ſublimem conſiderationem muliebre ſubintraſſe cerebrũ. Sed longe mirabilius fuit executioni mandaſſe. Operã igitur pro conceptu præſtans:nunc huc,nũc illuc, per Buccolicum, Georgicũq; atq; Æneidos ſaltim diſcurrẽdo carmẽ: nũc hac ex parte verſus integros, nũc ex illa metrorũ particulas carpẽs,miro artificio in ſuũ redegit propoſitum:adeo apte integros collocans,& fragmenta cõnectens,ſeruata lege pedũ & carminis dignitate,vt niſi expertiſſimus,compagẽ poſſet aduertere. Et his ab orbis exordio principium faciens,quæ quid hiſtoriæ in veteribus atq; nouis legitur literis, vſq; ad miſſionem ſancti ſpiritus tam compte compoſuit:vt huius cõpoſiti ignarus homo,prophetam pariter & euangeliſtam facile credat fuiſſe Virgilium. Ex quibus nõ minus commendabile ſumitur indicium,huic ſcilicet mulieri ſacrorum voluminũ integram,ſeu ſatis plenam fuiſſe notitiam:q; q̃ rariſſime etiam hominibus noſtro contingat æuo, dolentes nouimus. Voluit inſuper egregia fœmina , labore ſuo compoſitum opus vocari Centonam:quod ipſi perſæpe dicimus. Et quãto magis illud memoratu perpetuo dignum putamus, tanto magis credimus tam celebre mulieris huius ingeniũ, tãtum acquiſiuiſſe labore. Quinimmo reor,etſi in annos ampliore vitæ ſpatio protractum eſt,eam alia inſuper condidiſſe laudabilia,quę librariorum deſidia, noſtro tantum incommodo, ad nos vſq; deueniſſe nequiuere. Quæ inter (vt non nullis placet) ſunt Homeri Centona:eadem arte,& ex eadem materia qua ex Virgilio ſcripſerat, ex Homero ſumptis carminibus edita. Ex quo ſi ſic eſt,ſumitur,eius cũ ampliori laude,eã ita doctiſſime gręcas nouiſſe literas,vt latinas. Sed quæſo nũc,quid optabilius

audiſſe? fœminam Maronis & Homeri ſcandiſſe cacumina , & apta ſuo operi ſepo=
nentem, ſeiuncta artificioſo contextu nectentem, eruditiſſimi ſpectent viri. Quibus
quum ſit ſacrarum literarum inſignis profeſſio: arduum tamen eſt & difficile, ex am=
pliſſimo ſacri voluminis gremio, nunc hinc, nũc inde partem elicere, & ad ſeriem vi=
tæ Chriſti in vnum, paſſim verſibus, proſaq; cogere: vti hæc fecit ex gentilitio carmi
ne. Erat huic ſatis (ſi fœmineos conſideremus mores) colus & acus atq; textrinum, ſi
more plurium torpere voluiſſet. Sed quoniam ſalua ſtudijs ſacris, ab ingenio ſegni=
ciei rubiginem abſterſit omnem, & in lumen euaſit æternum. Quotquot autem bono
præditæ animo, voluptatibus obſequentes & otio, quibus pergrande eſt cubiculo in=
ſedere, flabellis friuolis irrecuperabile tẽpus terere, & a ſummo diei mane in noctem
vſq; totam, perſæpe ſermones aut nocuos aut inanes blaterando deducere, ſeu ſibi tan
tum laſciuiendo vacare. Si aduerterent, quanta interſit differentia, famam laudandis
operibus quærere, & nomen vna cum cadauere ſepelire: & tanq̃ non vixerint, e vita
diſcedere: talibus certe non ſtuderent.

¶De ſancta Marcellina virgine, diui Ambroſij ſorore. CAP.CXXVII.

MArcellina virgo glorioſa, diui Ambroſij epiſcopi germana: anno ſa
lutis noſtræ quadringenteſimo duodecimo meritis multis inſignis,
poſt deuictum huius ſeculi curſum. Mediolani vitę finem fecit. Hæc
quippe virgo in primis decore corporeo, moribus, honeſtate virgi=
nea, & laudabili pudicitia ſplendida, Romana origine fuit, Ambro=
ſij de Tignoſis, familia nobili & honorata, hominis ſenatorij ordi=
nis filia, atq; (vt præmiſſum eſt) egregij pontificis Mediolanenſium
Ambroſij germana. Vitam autem ſuam in primis apud Romanam vrbem cum parẽ=
tibus (dum vixere) duxit inſignem. Quibus diem claudentibus, ad germanos ſuos
Ambroſium & Satyrum Mediolanum conceſſit, & ibidem poſt eorum mortem vi=
tam finiuit. Itaq; Marcellina hæc quum ſanctiſſimæ genitricis moribus optime inſti
tuta foret, in primæuo iuuentutis ſuæ flore, ſolum dei filium concupiuit vt ſpõſum,
dilexitq; vt dominum. Quam parentes tanq̃ coniugij primitias, bonorum omnium
datori conſecrãdam deuouerunt. Hæc matris ſanctiſſimę cura peruigili enutrita, ſicq;
incrementis puellaribus mundior & purior auro obrizo, abſq; vllis prorſus humanæ
vitæ illecebris adoleuit. Quid multa? prius q̃ viriles aſpectus atq; contagiones vir=
go pulcherrima attigiſſet, nec quicpiam amare ſciret niſi Chriſtum, cœpit parentes
de profeſſione virginitatis acceleranda ſuppliciter & obnixe implorare. Anxiebatur
autem plurimum tenerum pectus, & crebris ſuſpirijs ob hoc inceſſanter quatiebatur.
Tandem obtinuit vt die natalis domini venturo, ſponſi cœleſtis arram ſuſciperet. Et
q̃ libenter atq; q̃ decenter eo die Chriſti annulũ virgo ſuſcipere importunis precibus
geſtiebat: quo virgo intemeratæ virginitatis princeps nouellum ſui vteri fructũ æter=
na poſteritate, acquiſiuit. Prædicabatur in populo ſacrandæ virginis intemeratus pu
dor. Fit concurſus mox ad eccleſiã innumerabilium puellarum inuicem de eius ſocie=
tate certantiũ. Præſidebat tunc romanæ eccleſiæ, beatæ memorię Liberius papa: Cui
in eccleſia principis apoſtolorũ Petri, dominici natalis ſolẽnia celebrãti, nũtiãtur cla
riſſimorũ parentũ vota, & Chriſtũ ſolũ amãtis puellæ indefeſſus ardor aperitur: an=
nuit pijs ſupplicãtiũ precibꝰ eximius paſtor, & deuotos vtrorũq; affectus adimplẽdos
cẽſuit. Qui vbi eã multis adhortatus fuiſſet ſermonibus, tãdẽ pij patris oblatã mani
bus, matriſq; ſanctiſſimæ, mixtis cũ fletu precibus vultũ irrigãtẽ ſolẽniter benedixit,
veloq; ac cæteris ſacræ religionis veſtimẽtis, quodã modo ſubarratã, imaculatã Chri
ſti Ieſu, quẽ totis viſceribus cõcupierat, ſpõſam effecit. Benedictione aũt põtificali inſ
tiata & perfuſa, talẽ ſe regi regũ Chriſto dño, in ſeruãda mẽtis corporiſq; ſãctimonia
ſtuduit exhibere, vt abſq; dubio, ex tũc illi crederetur ſociata in cœlis, cui ſe intemera
tã vigilãter reſeruabat in terris. Beati ꝑfecto parẽtes, q tale deo viuo ſuę ꝓlis primi=

tiuum dedicauere munus: per quod eis poſteritas duplicata eſt, non imminuta. Siquidem Ambroſio huius virginis genitori, nati ſunt Ambroſius & Satyrus, quibus duobus virgo Chriſti Marcellina, quaſi duarum fulta remigijs alarum, terrena omnia præpeti penna præteruolans, aditum quotidie cœleſtis patriæ ſuſpirabat. Horum etiam adiuta præſidijs, & admonitionibus inſtituta: nil erat iam quod in ea ſæuiens mundus inueniret, Sed ſecundum Apoſtolorum mundo crucifixa, & illi mundus ipſe in ea crucifixus erat. Vnde & nihil præter ſimplicem habitũ, & viles cibos, de vniuerſa paternæ poſſeſſionis hæreditate requireret. Continuatis autem ieiunijs, vigilijſq; creberrimis, lubricos macerãs artus, nunq̃ ab intenta oratione, aut ſcripturarum diuinarum meditatione ceſſabat. Sicq; factum eſt, vt dum vnius cura ſpiritualium iugiter ſacro ſanctæ virgini ſubminiſtrarentur inſignia ferculorum, alterius quoq; vigilantia corporalium neceſſitudinum procurarentur obſequia. deo dicata mens quaſi in ſpeculari lapide diuinæ contemplationi ſemper intenta: ſemetipſam circunſpecte ac prouide intuendo: irreprehẽſibilem immaculatamq; cœleſti ſponſi conſpectui repræſentaret. Conſtat igitur hunc venerandæ virgini morem fuiſſe: vt continue ſupra tumulum Satyri fratris mortui genu innixa, dominatori omnium ſanctam eius animam precibus continuis & aſſiduis commendare conſueuiſſe, & eam ob rem perſæpe etiam diem ſine vllo prorſus cibo, noctem vero inſomnem trãſegiſſe, adeo vt a ſepulchro vix ad momentum poſſet auelli. Defuncto poſtmodum diuo Ambroſio, quum ante tumulos ipſorum fratrum die noctuq; excubaret, ſpiritum tandem ibidem deo reddidit. Cuius corpus ſanctum, Simplicianus põtifex ſancti Ambroſij immediatus ſucceſſor, aromatibus delibutum, iuxta fratres appoſuit: vbi dominus eorum interuenientibus meritis, beneficia plurima fidelibus rependit. Eam igitur ſanctã dei virginem Marcellinam, quã in illius conſpectum indubitato credimus perueniſſe, ad cuius imaginem & ſimilitudinẽ ſe creatam nouerat, oro vt ipſum precetur, vt mihi peccatori, & nunc & ſemper, rebus in omnibus, actionibuſq; meis, & propitius adſit atq; adiutor, meq; fragilem dirigat aſſidue in viam iuſtitiæ & pietatis. Amen.

¶ De ſancta Marcella Romana diui Hieronymi filia. CAP. CXXIX.

MArcella illuſtris & religioſiſſima fœmina, Romana & eruditiſſima fuit: quæ prima illuſtrium Romanarum fœminarum monaſticam vitã profeſſa fuerat, anno a natali Chriſtiano duodecimo ſupra quadringenteſimum, temporibus Innocentij papæ eius nominis primi, & Honorij atq; Arcadij imperatorum, poſt excidium Romanæ vrbis a Gothis cõfectum, Romæ quum maximo ſuæ viduitatis caſtimoniæ præconio obdormiuit in domino. Hãc quippe præclariſſimam mulierem diuus Hieronymus in Bethleem conſtitutus, maiorem in modũ adamaſſe, plurimaſq; epiſtolas & tractatus, tanq̃ ſapiẽtiſſimę mulieri tranſmiſiſſe cõpertum eſt. Ipſiuſq; ſtudium in diuinis ſcripturis, cõtinentiãq; ac grauitatẽ, & reliquas ipſius virtutes cõmemorãs, miris effert præconijs. Fuit enim in primis inter cæteras mulieres ſui æui, & origine, potẽtia, & moribus, & quod maius eſt, ſanctitate clara atq; illuſtris. quę & in ſuc feliciſſimo iuuẽtutis flore, patris inclyti morte orbata, viro quoq;, ſeptimo mẽſe a nuptijs priuata eſt. Poſt quorũ luctũ, quũ Leã poſthumã edidiſſet filiã: a deo inſpirata, maximis opibus & põpatica nobilitate cõtẽpta, cũ maxima rerũ tẽporalium parcitate & humilitate, ad vexillũ crucis Chriſti euolauit. Cũq; & propter corporis decorẽ, morũq; grauitatẽ, necnõ ætatẽ floridã, ac familiæ ſplendorẽ, a pluribus vrbis nobilioribus in vxorẽ peteretur, & Albina eius mater præſidium domus vltro appeteret: illa omnino omnium recuſauit coniugium. Et ad id cõprobandũ, reiectis quibuſcũq; pretioſiſſimis corporis indumẽtis & ornamentis, etiam vſq; ad annuli ſui ſignaculum: humili veſte ſe induit. Tali autem veſtimento ſe induere curauit, vt magis frigori obſtare, q̃ voluptati parere videretur. Redditus vero ſuos & aurum omne, magis in ſubuẽtionem egenorũ q̃ in arca, aut marſupijs recõ-

dere voluit. Statuitq́ʒ ſibi nuſq̃ deinceps pergere ſine matre, nec quẽpiam videre aut alloqui ſine ipſa aut arbitris. ſemper in comitatu ſuo graues fœminas habere ſtatuit, quod & in mortem vſq́ʒ obſeruauit. Diuinarum autem ſcripturarum cum incredibilis ei ardor eſſet, ſemper cantabat cum propheta. In corde meo abſcondi eloquia tua, vt nõ peccem tibi. Moderata ei ieiunia erant, ſed carniũ omnino abſtinentia: vini odor magis q̃ guſtus, propter ſtomachũ & frequentes infirmitates. Raro in publicum procedebat. Et maxime nobilium matronarũ domos non viſitabat: ne cogeretur videre quod contempſerat. Apoſtolorum & martyrum baſilicas, ſecretis celebrabat orationibus: & maxime illas, vbi populorum parua erat frequentia. Matri ſemper obediẽs: ne faceret interdũ quod nolebat ſummo ſtudio cauebat. pauperes magnopere diligebat, & ipſis commiſerabatur: ita vt & monilia, & quicquid ſupellectilis ei eſſet, pro Chriſto largiſſime donaret. Nulla quippe eo tempore nobilium fœminarum Romæ nouerat propoſitum monachorũ: nec audebat propter rei nouitatem, ignominioſum (vt tũc putabatur & vile) in populis nomẽ aſſumere. Sed hęc iuuenis quum didiciſſet diſciplinam virginum & viduarũ in Thebaide, a beato Pachomio cõfectam, non erubuit profiteri, quod Chriſto placere cognouerat. Quã & non multo poſt, & alię multæ maximeq́ʒ Paula venerabilis (de qua ſupra dictum eſt) in huius enutrita cubiculo, cum Euſtochio virginitatis decus ſunt ſubſecutæ. Sicq́ʒ omnẽ ſuam ætatem duxit, vt ſemper ſe crederet moriturã: ſicq́ʒ induebatur veſtibus, vt meminiſſet ſepulchri: deferens hoſtiam rationabilem, viuam & deo placentem. Deniq́ʒ quum diuus ipſe Hieronymus vna cum ſanctis põtificibus Paulino & Epyphanio, pro eccleſię neceſſitate Romam veniſſet. Marcella ſciens eundem Hieronymum, hominem eruditiſſimum ſanctũq́ʒ, ita opportune importuneq́ʒ egit, vt ad eã viſendam verecũde concederet. Cũq́ʒ ſæpe & ſæpius ipſum poſtmodum conueniſſet: nunq̃ tamen cõuenit, quin aliquid ipſum de ſcripturis interrogaret: nec ſtatim reſponſis eius acquieſcebat, ſed contra, ipſa quæſtiones mouebat: vt eo modo quærẽdo earũ ſolutiones, clarius intelligeret, quas opponi poſſe animaduertebat. Maximas in illa virtutes, & ſanctimoniã, puritateq́ʒ, atq́ʒ diuinum prope ingenium inueniſſe ſe Hieronymus teſtatus eſt. Refert præterea ſanctus Hieronymus, tam curioſe ſe ab ipſa fuiſſe interrogatũ: vt quicquid ipſe longa meditatione perceperat, ea pene totũ breuiſſimo tẽpore & didiciſſet & poſſediſſet: ita vt poſt abitionem ipſius ſanctiſſimi Hieronymi, ſi aliqua Romæ de ſcripturis ſanctis oriretur quæſtio, ad illam tanq̃ ad optimum iudicem pergebatur, quoniam valde prudẽs eruditaq́ʒ cenſebatur. Poſt autem diſceſſum ipſius diui Hieronymi, Principia ſane nobiliſſima religioſiſſimaq́ʒ fœmina, huic Marcellæ conſortio adeo inhæſit, vt nunq̃ ab illa, ne tranſuerſum quidem vnguem (vt aiunt) receſſerit: eadem ſcilicet domo, eodemq́ʒ cubiculo vſa, vt omnibus in vrbe Romana notum fieret, ipſas matrem videlicet & filiam fore. Suburbanus quidã ager, eis pro monaſterio erat, & aliud ruſculum electum propter iucunditatem. Ad earum vero imitationem, & Romæ & alibi crebra virginum monaſteria, monachorumq́ʒ innumerabilis multitudo conſurgere cœperunt: ita vt pro frequentia ſeruientium deo, quod prius ignominiæ fuerat, fuit poſtea pro gloria. interim autem abſentiam ſui, diuiq́ʒ patris ſui Hieronymi mutuis ſolabantur epiſtolis: nec multum temporis præteribat, quin iugibus ſibi literis iungerentur. In ipſa autem ſua ſancta tranquillitate, & domini optima ſeruitute, hæretica quædam prauitas & tempeſtas exorta eſt: quæ vbiq́ʒ, & Romæ q̃ maxime cuncta perturbauit: & in tantã rabiem concitaſſe viſa eſt, vt nec Marcellæ, nec vlli bono fideli parcere videretur. Tunc ſancta Marcella quæ diu ſe cohibuit, ne per æmulationẽ quidpiã facere crederetur. Poſtq̃ ſenſit, fidẽ apoſtolico ore laudatã & approbatam, a pleriſq́ʒ violari & maculari, ita & ſacerdotes quoq́ʒ, & nonnullos monachorum, maximeq́ʒ homines ſeculi in aſſenſum ſuum trahi, atq́ʒ ſimplicitati illudi pontificis Romani: nimio zelo ſuccenſa, mox illi qui de ſuo ingenio cæteros antecedebat, publice reſtitit: malens deo placere, q̃ hominibus. Atq́ʒ ita eius inſtinctu & conſilio, ipſa pe-

ſtis hæretica ſubito damnata fuit. Dum autem hæc agerentur: ecce haud multo poſt Roma quæ totum ceperat orbem: ab Alanis, Hoſtrogothis, alijſque fœdis gentibus turpiter capta eſt. immo prius fame periit q̃ gladio, ita vt vix pauci in ea qui caperentur ſunt inuenti. Tanta etenim in ea famis rabies prius inualuit: vt mater non parceret lactanti filio: ſed ipſum quem paulo ante effuderat, rurſus in vtero reciperet. Nocte quippe capta fuit, nocteq; eadem & muri cecidere. Quis illius noctis cladem, quis funera dilacerata explicare poſſet ſermone, aut lachrymis ęquare dolorem? Vrbs celeberrima, vrbſque antiqua ruit, multos dominata per annos. Cumq; plurima per vias, perque domos paſſim obtruncarentur corpora: ecce quidam cruentus victor, Marcellæ ſanctiſſimæ domum intrat: Quem illuſtris mulier cum ſuis intrepido vultu excepit. Cumque poſceretur aurum & defoſſæ opes, illaq; ſe pauperem fateretur, ab eiſdem mox & flagellis & fuſtibus duriſſime cæſa eſt. Denique quum inter cruentos gladios, pietas locum non inueniſſet, ipſam, vna cum Principia ſua, ad baſilicam Pauli barbari deduxere: vt vel ſalutem ibidem vel ſepulchrum inueniret. Cumq; ad eundem locum læta perueniſſet Marcella: gratias deo agens, dixit. Nuda de ventre matris meæ exiui, nudaq; illuc redeã, ſicut domino de me viſum eſt, ita & factum eſt: ſit nomen eius benedictum. Poſt aliquot vero dies, ſana, integro, vegetoq; corpuſculo obdormiuit in pace. Et Principiam ſuam dilectiſſimam, paupertatis ſuæ reliquit hæredem, claudens oculos in manibus ſuis, reddens ſpiritum domino, cõſcia vitæ bonæ, & præmijs futurorum. Huic itaque ſapientiſſimæ & eruditiſſimæ mulieri, diuus Hieronymus has infraſcriptas ex Syria, dedit ſcripſitq; epiſtolas atq; tractatus, Quorum tituli hi ſunt: ex quibus lector plane animaduertere poterit, quanti ingenij, quantæq; eruditionis & virtutis fuerit Marcella. Et primo quidem epiſtolam, exhortans illam ad relinquendum mundum: deſcribens perpulchre, humanæ mutabilitatis vices, & ſecularis occupationis æſtus. De decẽ nominibus, quibus apud Hebræos dicitur deus, Et ſingula nomina, latine exponens. nonageſimum pſalmum. de pſalmo: Niſi dominus ædificauerit domum. De fide noſtra, & hęreticorum dogmate. De blaſphemia in ſpiritum ſanctum. De collatione editionis Aquilæ cum hebraicis. Epiſtola etiam in qua vitioſam expoſitionem Rhetij Galli in Cantica canticorum reprehẽdit. De Onaſio: vbi inuehit contra detractores ſuos. De ſtudio Theophili epiſcopi Alexandrini. Cõtra Origenianos gratulatio, In qua epiſtola eſt de paſchate, & cõtra ipſam hæreſim traductã: in qua dicit ſe eniti vt Oriẽtis fidẽ cathedra Petri cõfirmet. Hortatoria: vt vrbem Romam deſerat, & in Iudæam demigret: vbi ciuitatem ſanctam & Bethleemiticum rus miris effert præconijs. Contra Montani hæretici inſaniam: qui promiſſionem ſpiritus ſancti in ſe dicebat eſſe completam. Librum vnum pro ſe, contra detractionem Ruffini. Cõtra item detractores, qui eum temeritatis accuſabant propter emendationem euangeliorum. De muneribus ab ea receptis, binas epiſtolas, gratias agentes. De laudibus Aſellæ virginis: vt eius exemplo aliæ prouocentur virgines. De ægrotatione Bleſillæ filiæ ſanctæ Paulæ. Ad eandem in aduerſis probatam: inſtituens eam ad tolerantiam paſſionum. Et ad Principiam eius ſodalem virginem fideliſſimam: ſuper pſalmo, Eructauit cor meum verbum bonum.

¶ De Galla Placidia Auguſta & ſancta muliere. CAP. CXXX.

GAlla Placidia Auguſta, fœminarum ſui ęui optima, Theodoſij ſenioris ex Galla vxore filia ſuſcepta: anno a natali chriſtiano ſexto & quadrageſimo ſupra quadringenteſimum, leone eius nominis primo pontifice Romano in cathedra Petri præſidente: quinto calendas Decembris, apud Rauẽnam vetuſtiſſimam inſignemq; Italiæ vrbem cum maximo chriſtianitatis titulo migrauit ad Chriſtum. Et in eadem vrbe, in ſpecioſiſſimo ſacello, miro artificio &

cura elaborato, & muſiuo opere depicto, in ſuperbiſſimo mauſoleo, lapide vnico marmoreo, ſplendidiſſime fabrefacto, eius ſanctum corpus honorificentiſſime, vt ſua imperialis expoſtulabat ſanctitas atq; maieſtas, tumulatum eſt. vbi & in hodiernum vſq; diem, eius oſſa ſingulari memoria & veneratione concernuntur. Mulier certe & chriſtianiſſima, & omni præconio, memoratuq; digniſſima, & memorabili quidem pietate proſequenda. In cuius plane interitu, omnes ſimul virtutes, & ſalus publica ſui temporis, & quicquid boni erat, & inter humana reperiri poſſit corpora, vno ſuæ mortis ictu concidere viſum eſt: atq; (vt ita dixerim) dimidium lucis orbi terrarum ademptum fuiſſe, ſuum quoq; æthera fulgorem perdidiſſe plurimi credidere. Erat in primis chriſtianiſſima hæc Auguſta maximæ fidei, maximæq; religionis, ac maioris ſanctitatis fœmina. In qua certe omnis virtutis relucebat ſpecimen, formaq; boni, & decoris ac laudis omnis imago. Nullum tempus omittebat, quod chriſtianiſſime nō coleret: nullūq; ei erat ſine deo viuo & vero oblectamētū. Aſſidue nāq; circa imperij gubernationem tam orientis q̃ occidētis vna cum filio, germaniſq;, atq; marito, cum maxima iuſticia, & clemētia incumbebat: quod tam bene curauit, tamq; feliciter geſſit, vt omnes in eius prouidentia plurimum cōquieſcerent. Erat illi inter terrenas delitias (quibus ſupra modum affluebat) pro ſummis delitijs, non aurum, non gemmę, non mundus reliquus muliebris: ſed chriſtiana religio immaculata, deuotio, miſericordia, atq; pietas immenſa. Et quum eſſet ſublimioris ingenij, ac græci, latiniq; ſermonis admodum decorata, hiſtorias, & res diuinas, necnon & omnium gentium mores, vitæ rationes, artes, atq; vires adeo callebat, ac illi origo, patriaque vbiq; fuiſſet. Quantum autem in ſe fidei, ſpei, deuotioniſq;, ac prudentiæ habuiſſet, in illa ſua periculoſiſſima Adriatici maris tempeſtate mirifice vtiq; demonſtrauit. Nam defuncto eius marito Conſtantio, Valentiniano paruulo filio ſibi relicto: atque ipſius patruus Honorius, quum pluribus imperaſſet annis, & a ciuibus ſuis infenſiſſime interfectus eſſet, ipſa ſapientiſſima haud tutum exiſtimans inter impios commorari conciues, veritaque q̃ maxime, ne & filio ſuo adoleſcenti (cui hæreditario iure imperium debebatur) patrui inuidia noceret, & experientia atque exemplis mirifice edocta, malitiæ & iniquitati cedendum eſſe cenſuit. Vnde & protinus vna cum ipſo filio ſuo Valentiniano, ac copioſa familia, in præparatam ſibi claſſem ad Italicas partes adnauigatura conſcendit. Cumq; ex Thracia in Adriaticum mare proſpero perueniſſet nauigio & curſu, ſubito ſurgentibus ventis, horrida tempeſtas, cœlum commouit & vndas. Diſperguntur ſtatim ſociæ naues, atq; triremes, & ſuo impetu varijs ventorum perferuntur vijs. Sæuiunt venti, mariaque confuſa turgeſcunt, miſeramq; claſſem pene lacerant. Cumque nautæ cæterique omnes, iam omnem ſalutis ſpem amiſiſſent, & nihil ſibi niſi ſubmerſionis iudicium expectarent. Galla Placidia Auguſta, virago vtique chriſtianiſſima, in tanto omnium metu, quum vitæ felicioris integritas fiduciam plurimam eidem daret: vniuerſam multitudinem, his dulciſſimis verbis infractoq; animo alloquitur. Video inquit fratres & filij chariſſimi, ac cōmilitones mei amantiſſimi, animos veſtros periculi inſtantis timore perculſos, minuſque ſenſus veſtros valere, vbi iſta per q̃ maxima vētorum vis inualuit. Nec multum equidem mirandum eſt, ſi nobis imminens periculum: rationem & conſtantiam debilitarit, modo in totum prorſus non proſternat, contundat & quatiat. Moneo itaque vos chariſſimi mei, ac maiorem in modum rogo, ne eam prorſus a vobis auferri permittatis in rebus aduerſis tolerantiam. Mementote obſecro, q̧ deus ipſe omnipotens, nos omnes q̃maxime rationis capaces condidit. Probat etenim tentatque per hanc ingruentem tempeſtatem nos deus: vt experimento noſtra fides, noſtraque dilectio dignoſcatur. Veruntamen, ipſe vtique pius, ipſeque miſericors neminem vltra ſuas vires tentari permittet. Eo igitur dilectiſſimi mei conſtantes eſtote, & ex totis cordis noſtri medullis, cum lachrymis, & obſecrationibus clamemus, & ad eum confugiamus. Verum quoniam noſtra fortaſſis demerita apud eundem talia ſunt, vt ora-

tiones noſtræ a deo minime exaudiri mereantur,eius dilectiſſimum diſcipulum Ioã-nem euangeliſtam,noſtri præſentis naufragij interceſſorem ac liberatorem,toto corde poſtulemus,nihil penitus in fide hæſitantes. Pijs ergo lachrymis,vocibuſq́,atque indubitata fide ipſum beatiſſimum apoſtolum Ioannem exoremus,deprecemurque, ac ad eius præſidium infracto animo confugiamus: vt ſua interceſſione hanc imminentis ſententiæ mortem euadere mereamur. Et ne magnitudo periculi animos veſtros proſternat, mementote obſecro, ꝙ Chriſtus dominus noſter, vnico ſuo verbo conturbatum ſedauit mare. His atq; alijs plurimis verbis huius ſanctæ virginis Auguſtæ,confortati & animati omnes:ſpem haud modicã imminentis periculi euadendi reaſſumpſere. Cõfortati itaq;,ac viribus ſumptis:omnes vno animo in laudem dei linguas reſoluere. Sed ipſa virago Auguſta,cui ſanior mens metum temperabat: e veſtigio beatiſſimum euangeliſtam,his verbis interpellare cœpit:dicens. O ſanctiſſime Ioannes,qui ſingulari priuilegio præ cæteris apoſtolis a Chriſto domino noſtro magis magiſq; dilectus fuiſti,obſecro: te diligentes,in teq; plurimũ cõfidentes nunc adiuua:atq; te nunc inuocantes exaudire non recuſes,nec patiaris perire qui tibi victuri ſunt:ac ne eos procella abſorbeat,qui ſe perpetuo tui profitẽtur fore cultores. Sẽtiãt igitur tuum leuamen,qui ſuam ſpem in te vno repoſuerunt. ac ne pelagus:ora nomen ſanctum tuũ canentia,intercludat. O mi ſancte dilecte deo Ioannes,opem nunc nunc affer miſeris,adiuua nos deſolatos,nec ſinas perire,qui per te tantũ imminẽs naufragiũ euadere indubitato ſperãt. Dilecte dei apoſtole,oro ne reſpicias ad demerita noſtra,quę permagna vere ſunt:nec quid egimus,ſed quid actu ſumus attẽde. Ego itaq; miſella peccatrix,ſi mihi vita,tua ope & interceſſione nũc reſeruata fuerit:dignũ regia honorificentia templum tuo nomini mox ędificabo. Vix illa hæc ex ore emiſerat verba,quũ protinus inuocata beati Ioãnis apoſtoli affuit prę́ſentia:qui in ſingulis nauibus ſub humana ſpecie latẽs,omnium oculis præſens apparuit. Cuius quidẽ figura non hominem,ſed virtus ſupra hominem indicauit. Cernunt itaq; vniuerſi,& quem mente tenebant hunc fore Ioannem, quem tantopere inuocauerant, ſua cuique conſcientia perſuaſit. Cunctis ergo ſtupentibus:ille ſingularum nauium armamenta diſponit, erigitque, & vela ventis accommodata, demum in ſingulis nauibus, nauclerí locum occupauit. In quibus more naucleri ſedens, mare ventoque ſedatis,per ſingulas naues cuncta regere viſus eſt, vſque dum vniuerſum mare felici curſu peruolaſſent. Vt autem ab eorum conſpectibus diſparuit, ſinguli illico gaudentes, ad ſua nauigij officia rediere, portumque proximum Rauennatum conſpicientes,læti pariter intrauerunt. At diua Auguſta tandem diuino munere Rauennam perueniens, a ciuibus ipſis,maximo cum honore excepta eſt. Vrbemq; ouans introgreſſa, confeſtim vt erat multis bonis ornata, & prudentia q̃ ornatiſſima, tantum valuit & effecit apud omnes, vt omnium officijs pro ſua voluntate vſa eſt. Omniumque moribus ſeſe applicans, quæſiuit ſummopere plus ab omnibus amari q̃ timeri. Et cum eſſet ingenio inſigni,atq; magnitudine animi & iuſta & clemens,etiam pro ſua virili ſtuduit omnibus fore munifica & affabilis. Scienſq; ad regni moderationem nihil magis valere, q̃ pacem colere, & ipſa ſua innata prudentia ſtuduit mox ſibi ſuoq; filio Valentiniano Auguſto, omnium amicitias comparare. Et quum eſſet rerum diuinarum humanarumq; ſtudioſiſſima:ſtatim (& Rauennę q̃ maxime,& alibi) curam ſuſcepit,non ſolum vt ciues informarentur ad bonos mores,optimaq; inſtituta bene moratarum vrbium haberẽt,ſed & cultum diuinũ ea in vrbe ampliauit, & ipſam vrbẽ pulcherrimis ac ſuperbiſſimis ędificijs,publicis pariter & priuatis,ſuis impẽſis exornauit & amplificauit:quæ quidẽ ædificia adhuc ea in vrbe Rauenna in parte viſuntur. & q̃ maxime eccleſię ac monaſteria. In ea præterea vrbe,nõ ſolum murorũ ambitus inſtaurauit,ſed & amplificauit. Summaq; adeo cura & diligẽtia tam ipſa q̃ eius filius Valentinianus conſumauit,vt nullum fere Italię nunc vel nouum vel vetuſtum inueniatur oppidum illi æquandum. Multis igitur ibidem eccleſijs cõſtructis, ad illam tandẽ extruendam

quam beato Ioanni deuouerat,animum adiecit:quam ideo aliquandiu diſtuliſſe creditur,ꝙ maiorem diligentiam præ ſe ferre videbatur. Deerat nanq; ea in vrbe ſolidus locus tanto ædificio aptus:nec omnino decernebat tantum opus ſuis beneficijs ac regiæ dignitati impar fore. Tandem cum ſapientiſſimis ſuis ciuibus conſilio habito, apud portam quæ Artemeduli vocabatur, maximis cum impenſis primum eccleſiæ fundamenta,vna cum filio Valentiniano Auguſto iecit:illamque columnis quatuor & viginti marmoreis, ſpecioſiſſimiſq; lapidibus atq; alijs varijs ornamẽtis opere muſiuo,& figuris taxillatis exornauit. Voluit præterea ipſa ſancta Auguſta atq; mandauit,vt in omni loco ipſius templi,etiam in muſiuo panimento,naufragij ſui præſentaretur forma: vt ipſius tota operis facies, quodammodo reginæ Placidiæ pericula loqueretur.Illam quoq; ac monaſterium ſuperbiſſimum iuxta conſtructum,innumeris dotauit fundis:atque multipliciter varijs ornamentis,& vaſis cum argenteis,tum aureis exornauit,Atque q̃ plurimas ſanctorum reliquias eodem ſuo in templo recondidit:quæ omnia certe mulieris deuotionem & ſanctimoniam præ ſe ferre videntur. Completo deniq; inſigni illo,& celeberrimo templo, illudq; vna cum filio Valentiniano Auguſto,beatiſſimo Ioanni euangeliſtæ miraculoſe omni cum gaudio,& religione conſecrato. Ex poſt per mille & eo amplius annis,ſemper illum lætiſſimum & ſplendidiſſimum dedicationis diem, in ipſo peruetuſto templo diuinis laudibus, quarto calendas Martij ſemper celebrari non eſt deſtitutum. In quo diuinæ prouidentiæ gratia,munereq;, ſandalia dexteri pedis beatiſſimi Ioannis euangeliſtæ,huic religioſiſſimæ ac chriſtianiſſimæ Auguſtæ,pro ſingulari dono ab ipſo euangeliſta in pontificali habitu ſibi apparente,donata ſunt. Vnde id templum ab ipſo euangeliſta ſic dedicatum,humanis officijs conſecrari amplius prohibitum eſt. Ædificauerat præterea hæc ſancta Auguſta & Byzantij varijs in locis nonnullas eccleſias, atq; regiam domum,ſpecioſiſſimamque, vbi & oraculum admirabile cum altari ornatiſſimo:quod quidem oraculum & altare, vſq; ad Martini eius nominis primi pontificis Romani tempora, qui fuit in anno ſalutis noſtræ quinto & quadrageſimo ſupra ſexcenteſimum,perdurarunt. Quo quidem æuo, Paulus quidam hæreticus Byzantinus epiſcopus, vt ſuam prauitatem defenderet, id altare ſanctum ſedis apoſtolicæ, quod erat in domo huius ſanctæ Placidiæ ſacratum, in venerabili ſuo oraculo cum maxima veneratione obſeruatum,ſubuertens dirupit:prohibens ne adorãdam immaculatam hoſtiam apocryſarij ibidem offerre deo valerent, nec communionis ſacramenta percipere poſſent. Alia atq; alia ſanctiſſime & feliciſſime geſta narrantur huius viraginis facinora. Quibus feliciſſime geſtis, omnium deinceps vitæ ſuæ curſum in orationibus,vigilijs,ieiunijs,cæteriſq; operibus pijs, cum omni præconio conſumpſit. Quibus quidem artibus, per feliciſſimos rerum exitus, tantam non ſolum apud Romanos ſuos, ſed & apud omnes nationes adepta eſt gratiam & autoritatem non modicam, vt & deo cunctiſq; mortalibus non Auguſta minus q̃ ſancta videretur, & diceretur. Exiſtimabat nempe omnes huius mundi faſtus, omneſque honores, & omnem gloriam:omnino vanitatem & vmbram quandam. Solos autem felices illos dicebat, qui in virtute,deoq;: omne ſuum bonum collocaſſent. Vnde & iugiter humanæ fragilitati ſummopere miſerebatur. Fuit ergo hæc Placidia Auguſta,genere, coniugio, deiq; amore,ac optima ſobole,omnium mulierum quæ vnq̃ fuere, inclyta ac clariſſima multum. Nam eius in primis genitor Theodoſius ſenior, inclytus & optimus Auguſtus. Eiuſque germani Arcadius & Honorius,Auguſti fuere. Ipſius vero fratruelis Theodoſius iunior Auguſtus, prædicti Arcadij filius, & quidem omnes ex paterno genere Materna vero generatione refulſit Placidia hæc clariſſima. Quia eius auus Valentinianus huius nominis primus, Gallæ ipſius Placidiæ matris pater,fuit Auguſtus. Valens item Auguſtus,prædicti Valentiniani frarer fuit. Auunculi quoq; Gratianus, & Valentinianus eius nominis ſecundus,Auguſti extitere. Nupſit denique Conſtantio Auguſto, ea tempeſtate ſuper omnes imperatores clariſſimo, ex

quo concepit & peperit Valentinianum eius nominis tertium, virum certe optimum ac tantæ matris chriſtianiſſimæ haud degenerem: quem & poſt obitum ſuū feliciſſimum Auguſtum ſuperſtitem reliquit. Et hæc de Galla Placidia muliere ſanƈta, & Auguſta diƈta ſufficiant.

❡De Demetriade ſanƈta virgine romana. CAP. CXXXI.

DEmetriades ſeu Demetrias religioſiſſima Chriſti virgo, quo anno in Africa diem obierit, præciſe non habetur: illam autē poſt beatiſſimum Hieronymum aliquādiu ſuperuixiſſe conſtat. Hæc quippe inter Romanas mulieres quum nobiliſſima ditiſſimaq; exiſteret, poſt excidiū vrbis, anno videlicet vigeſimo ſupra quadringenteſimum. dum in Africā vna cum genitrice auiaque ſua aufugiſſet, adeo inſpirata, ac multis plurimiſq; inflammata ſtimulis, omnem ſui corporis cultum, & ſecularem habitū ſcilicet. Aurum, gēmas, ſericum, quæq; monilia, atq; exquiſitas epulas, necnon & miniſteria omnia perſtrepentis familiæ, quaſi propoſiti ſui impedimenta cōtemnens & proijciens. vili ſe tunica in primis induit, vilioriq; pallio (inſcijs parentibus) contexit. & præter ſpem ſic mutata & induta, cum maximo fletu ad auiæ matriſq; ſuæ pedes ſe repente proſtrauit. Quā cum auia & mater inepte ſic indutam conſpexiſſent, tanq̄ graues fœminæ obſtupuere tali habitu, gaudio tamen repletæ & quaſi attonitæ extitere, ac ſi nō crederent quod verū optabant. Confeſtimq; hæſit vox faucibus, & inter ruborem palloremq;, ac metum atq; lætitiam quandā, cogitationes variæ nutare cœperunt. Quantum tamen gaudii & lætitiæ hoc conuerſationis facinus matri auiæq; fuerit, animoq; quidem cogitare, at ſermone explicare non poſſet. Certatim illico in oſcula mater & auia filiæ ruunt, vbertim præ gaudio lachrymas fundunt, amplexari filiā non deſiſtunt, cognoſcentes mentem, & ſuū propoſitum gratulari ſibi ac deo optimo cœperunt: ꝙ virgo filia, ſua virginitate, ſuaq; ſanƈtimonia nobilem familiam, nobiliorem facere conſtituiſſet. Id plane maximæ exultationi in paterna domo fuit. Ex cuius quidem exemplo, mox ſubſecuta eſt cliētium atq; familiarū turba. Per omnes enim domos e veſtigio feruere cœpit virginitatis profeſſio: quarum etſi impar eſſet carnis cōditio, vnum tamē erat caſtitatis præmiū. protinusq; cunƈtæ per Africā eccleſiæ quodam incredibili exultauere tripudio. Non hoc quidē propoſitum, hæcq; profeſſio ad vrbes, oppida, viculoſq; tantum circūſtantes, ſed & ad omnes inſulas quæ inter Africam Italiāq; ſunt, hæc celebris fama penetrauit, atq; hoc rumore repletæ ſunt. Tunc (vt ita loquar) Roma lugubres veſtes mutauit, & eius ſemiruta mœnia priſtinum ex parte recepere fulgorem: propitium ſibi exiſtimantes dominum in alumnæ ſuæ conuerſione. Penetrauit etiam hic ſanƈtus rumor ſuæ profeſſionis & ardoris crucis Chriſti orientis litora: atq; etiam triumphus chriſtianæ gloriæ in mediterraneis vrbibus mox auditus fuit. Omnes enim Chriſti virgines, atq; alij promiſcui ſexus plurimi, ſeſe iaƈtabant de ſocietate huius ſanƈtæ virginis: beatumq; clamabant Iulianæ matris vterū, quæ talem ac tantum protulerit fruƈtum. At mater & auia fœminæ ſanƈtiſſimæ, ex hac filiæ ſuę virginis conuerſione geſtientes: quicquid ab ipſis pro ſuis nuptiis præparatum fuerat, eidem omnino detraxere nihil, immo omnia hilari tradidere animo: ne ſuo cœleſti ſponſo iniuriam facere viderentur. Verū vt dotata priſtinis opibus, ad ipſum ſuum ſponſum liberius accedere poſſet, & ipſa ꝙ in rebus mundi periturū erat, ſeruorum dei inopiā ſuſtentare propoſuit. Nam hæc Chriſti tyrūcula: probam maiorum ſuorū familiam, ſicenim ipſa ſua familia erat appellata, quæ omnium vrbis Romæ dignitatum ſemper principatum obtinuerat, multo illuſtriorem effecit, q̄ alia quæcūq; conſulatus dignitas efficere potuiſſet. Cuius ſanƈtitas, & in vniuerſo mundo effuſa bonitas: etiam apud infideles barbaros venerabilis fuit. Quando autem in ſeculo erat, iamiā matura viro: quæ ſeculi erant magnoperē

diligebat, vt polire faciem, illamq; purpuriſſo & ceruſſa depingere, crinē ornare & componere, & alienis capillis turritum verticem ſtruere, & alia q̃plurima huiuſmodi facere: in quibus ſtudijs matronæ ſemper inſanire conſueuere. At poſtquā diabolo & ſeculo ac pompis abrenuntiauit, vt fœdus quod pepigerat ad vnguē ſeruaret, quū legiſſet illud euangelicum dictum. Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt: mox quodam animi ardore, etiā incitata matris auiæq; exemplis: in primis fuſcam (vt prædictum eſt) veſtem, & aſperrimas veſtes ad carnem induit, & alijs delitijs, ac plumarū mollitie a ſe reiectis, nudam humum pro delicatiori ſtrato ſibi delegit, & orationibus atq; ieiunijs iugiter vacās, iugibus etiā faciem rigabat lachrymis. Saluatoris miſericordiam genibus prouoluta deprecās, vt ſuum dignaretur recipere propoſitum: atq; ita in tali ardore vſq; ad vltimam ſenectutem ipſam perducere dignaretur: Quod & factum eſt, Nam & vſq; in finem vitæ ſuæ cum omni humilitate modeſtia, grauitate, innocentia, & parentum ſubiectione vitam tranſegit innocentē, declinans omnem mūdanum riſum, prauaq; eloquia atq; omnino omnes animi perturbationes. Et quum eſſet literis tam græcis q̃ latinis non mediocriter erudita, vt quæcunq; vitia & peccata deuitare omnino poſſet, die noctuq; ſtudijs ſacrarū literarum ac ſanctorum doctorum documentis ſtudioſiſſime incumbebat. Hanc ob rem a plurimis viſitabatur & epiſtolis & tractatibus, & q̃ maxime a diuo patre Auguſtino, ſanctiſſimoq; Hieronymo, qui eam in huiuſce rebus diuinis, atq; Iulianā matrem eruditiſſimam perſæpe inſtruebat, de vita, de moribus, & ad ſanctum virginitatis propoſitum conſeruandum, atq; ad gloriam acquirendam. Fuit igitur hæc ſanctiſſima virgo Chriſti Demetrias, nobilitate ac diuitijs in vrbe Roma prima, in ſummoque loco nata, vtpote ex illuſtri Proborum & Olibriorum familijs clariſſimis. Cuius genitor Olibrius quum immatura morte ſubtractus fuiſſet, Roma vniuerſa cōgemuit. Vir certe inter Patritios affabilis, & amabilis, qui & a pueritia conſul dilectus omnibus extitit. Sed & ipſa eius mors eum vtiq; felicem feciſſe dicere auſim, q; nō permiſerit illum patriam videre corruentem. Mater vero Iuliana, matrona ſane omnibus virtutibus, tam diuinis q̃ humanis plurimum inſignita. Cuius vita certe, virtutis forma erat. Quæ vna cum filia & auia, ad patrem Auguſtinum viſendum in Hypponem ardentiſſime acceſſit: a quo & multa ſalutis monumenta percepit. Ad hanc virginem diuus Hieronymus ex oriente in Africam ſcribens, inter cætera ſua documenta, inquit. Ama chariſſima in Chriſto filia ſacras ſcrpturas, & ſapientia amabit te: dilige eam, & ſeruabit te: honora illam, & amplexabitur te, Hæc quippe monilia tuo in pectore, tuiſq; auribus ſemper hæreant.

¶De ſancta Demetria, virgine & martyre. CAP. CXXXII.

DEmetria alia Romana virgo & martyr fuit, quæ ſub Iuliano apoſtata principe, pro Chriſto Romæ martyrio coronata eſt, Nam quū ante Iulianum impiiſſimum introducta fuiſſet, & crudeliſſime verberata, tandem in confeſſione perſeuerans, ad vltimum decimo calendas Iulias ſpiritum deo emiſit.

¶De ſancta Euſtochio, virgine Romana. CAP. CXXXIII.

EVſtochium diuæ Paulæ matronæ Romanæ filia, & ſuauiſſimus virginitatis flos ac decus, anno a natiuitate Chriſti trigeſimo ſupra quadringenteſimū, poſt mortem ſanctiſſimi ſui patris Hieronymi, & ipſa apud Bethleemiticum oppidum, felici dormitione quieuit in pace. Hæc nanq; tantæ mulieris Paulæ filia, & hæres in omnibus vtiq; extitit, a qua quidem ſancta genitrice atq; a Bleſilla germana (de quibus ſupra) nequaq̃ degeneraſſe viſa eſt: quin & omnibus earum virtutibus, virginitate adiecta, perſimilis fuit. Cuius inter cætera

tantum deo placuit, ipſa ſua humilis abiectaq; virginitas, vt cum Hencetij eius patrui imperio, abiectionem ipſius æquo non ferentis animo, proteſtata vxor eius cultum & neglectum caput mundano more mutaſſet: illi nocte ſequenti per viſum angelus apparuit, terribili aſpectu, dẽtibus hęc verba infrendens. Peſſima fœminarum, nũc tibi tuæ execrabiles manus exareſcent, vt & præſentes ac futurę mulieres tuo exemplo euadant cautiores, & facile perpendere queant q̃ abominabilis ſit deo, mundanum & exceſſiuum ornamentum: & veluti non ſatis tuo cruciatu expiatum ſit ſcelus, & maritum & filios repentino interitu perdes. Fuit itaq; hæc ſacratiſſima virgo, ad ſuæ ſanctę genitricis Paulę imitationẽ in primis ſingulari humilitate, & alijs virtutibus, pariter & literarum tam hebraicarum, græcanicarumq;, q̃ latinarum ſtudiis plurimum inſignita. Et adeo ipſa animæ ornamenta, mundialibus & corporalibus præpoſuit, vt nihil vnq̃ prætermiſerit, quod ad decus maternum, gloriamq; ſummi dei creatoris & redemptoris ſui conducere videretur. Vnde ob hoc, tantam ſibi vendicauit famam, vt ſuo tempore in vniuerſo orbe, ſanctimonię & honeſtatis prodigiũ pene appellaretur. Et idcirco ipſa ſua genitrix, cum cæterorum filiorum amorem propter deum contempſiſſet, in hac ſola gnata, quæ & propoſiti, & nauigationis ad ſacratiſſima domini noſtri Ieſu Chriſti loca comes eius eſſe volebat, tantummodo acquieuit. Quę admodum adhuc adoleſcentula, nobiliſq; ac delicata, quum prius eunuchorum portaretur manibus, quodam incredibili ardore ſuccenſa, & ipſa aſello humili ſedens, vniuerſa ſacra domini noſtri loca, cum reliquis virginibus peragrauit, inuiſitq; ac perluſtrauit: donec ad ſanctam Bethleem perueniſſet. vbi & ſtatione firmata, totum ſuæ vitę curſum feliciter conſummauit. Equidẽ eius ingenio docilius nihil, nihilq; diuinius, quod plane totum ſacris dedicauit literis. Et propterea nunq̃ de manibus eius ſacra exibant volumina, quinimmo eius iugiter terebant genua. Eam ob rem, diuus Hieronymus ad ipſius petitionem, nouum & vetus tranſtulit teſtamẽtum, atq; plura edidit opuſcula, quæ vulgo circũferuntur: quęq; omnia ipſi ac matri dedicauit. Hebræam inſuper perdifficilem linguã vna cum matre, ita apte atq; perfecte didicit, vt pſalmos abſq; vlla linguæ latinæ proprietate & reſonantia, hebraice & legeret, & caneret. Eodemq; modo nouerat græcum ſermonem, ita vt ſi græce loqueretur, latinum eam neſciſſe quiſq; putaſſet. Matrem autem ſuam ſemper ex corde, non ſolum dilexit, ſed & filiali amore maiorem in modum amauit: eidemq; ſemper inhæſit, atq; eius imperiis adeo obediuit: vt etiam abſque ea nunq̃ cubare vellet, nunq̃ oraret, nunq̃ procederet, nunq̃ deniq; cibum ſumeret, & ne vnum quidem nummũ in ſua poteſtate habere vellet. ſed & paternã ac maternam ſubſtantiam omnem, a matre diſtribui pauperibus lætabatur. & pietatem in parentẽ: hęreditatem maximam, & diuitias in Chriſto credebat. Deniq; quũ ipſa ſua venerabilis mater in mortis langorem incidiſſet, eius filialis pietas in ipſa magis magiſq; cõprobata fuit: quia vſquequo e vita demigrauit; ab ea nunq̃ diſcedere voluit, immo eius ſemper lectulo inhęrere, atq; omnia pietatis officia circa illã exercere. Et licet aliæ q̃ plurimę Chriſti ancillæ eidem iugiter aſſiſterent: ipſa tamen ſi quid beneficij alię in matrem contuliſſent, de ſua mercede ſubtractũ fuiſſe exiſtimabat. Quibus illa lamẽtis, quibusq; gemitibus & precibus inter iacentem matrem, & ſpecum domini diſcurreret, ne tanto priuaretur contubernio, enarrare difficillimum foret. poſtremo quũ vltimum reddidiſſet ſpiritum: ipſa venerabilis virgo, quaſi ablactans, mox ſuper ſanctum corpus ſeſe totam effudit, atq; illud incredibili amore complectens: modo vultũ, modo oculos, & cætera corporis membra oſculari non ceſſabat, nec inde extrahi poſſe videbatur. quinimmo, magno eiulatu cũ ea ſe ſepeliri expoſtulabat & clamabat, atq; rogabat. Teſtis eſt dominus Ieſus, quia nec vnum quidem nũmum eidem a matre derelictum fuiſſe. Verũtamen in ipſa ſua paupertate & egeſtate in domino plurimũ confidens, vſq; ad mortem ita ſecura gaudẽsq; ſtetit, ac ſi magna hęreditate dotata fuiſſet. Quoniam eius partem dominum vtique exiſtimabat, atq; eo magis gaudebat: ſciens

ſe vna cum matre propter immaculatam Chriſti ſeruitutem fore a domino quodã martyrio coronandam. Atq; ita & ipſa vſque ad diem mortis ſuæ non eſt reuerſa in Chaldæam, hoc eſt Romam, ſed choris ſemper comitata virgineis, ciuis eſt effecta paradiſi: & de paruula Bethleem, cœleſtia regna tandem, & liliis coronata conſcẽdit. Sed neq; poſt obitum ſanctę huius genitricis Paulæ conſtat diuum Hieronymũ quũ & ipſe admodum ſenio confectus eſſet, aliquam epiſtolam aut tractatum huic ſanctæ virgini Euſtochio dediſſe, niſi libellũ tantũmodo de ipſius viraginis Paulæ vita, ac rebus geſtis. vtpote humilitate, continentia, profuſa clementia, fide, patientia, ordine q; monaſterii, atq; ad extremum, de eius felici exitu illam exhortatur. Demum ad petitionem ſuam, extremo ſenio iam confectus: Regulam & modum viuendi per capitula diſtinctam, pro ſe & cæteris virginibus cum ea cõmorantibus cõpoſuit. Quæ ſic incipit Tepeſcentes.

¶De ſancta Vrſula virgine & martyre. CAP. CXXXIIII.

VRſulam virginem & martyrem, illuſtriſſimi originis, & celebris ingenii fœminam Britannicam, in anno domini quinto & quinquageſimo ſupra quadringenteſimum, cum vndecim milibus promiſcui ſexus chriſtianis, qui omnes virginum nomine appellãtur: apud Coloniam inſignẽ Germaniæ vrbem, ab Hũnis, Scythisq;, impuriſſimis, ſceleſtiſſimis, ſylueſtribus populis, ſub Attilla rege militãtibus, glorioſiſſimum martyrium pro Chriſti nomine pertuliſſe compertum eſt. Quæ etſi ſanguinis fulgore, & ingenti corporis pulchritudine, locum inter claras mulieres ſibi & aliquod magni fulgoris nomen quæſiſſe forſitan videatur: longe magis tamen ob feruidum fidei & virginitatis ámoris in deum, quo vtplurimum ſacræ Chriſti virgines vtuntur, ſed & ob meritum inſignis eius audaciæ & prudentiæ, in tot tantiſq; ad ſe cõgregandis eccleſię prælatis, nobiliſſimisq; regijs ac alijs filijs, & matronis, atq; filiabus virginibus occupaſſe cenſetur. Quod ne videatur a calamo noſtro ſurreptum, paucis explicandũ eſt. Hæc Mauri cuiuſdã Britonũ chriſtianiſſimi regis ex Demetria æque chriſtianiſſima, & deuotiſſima vxore ſuſcepta, filia fuit. Cuius ingens & incredibilis prope corporis & oris pulchritudo, & cæteræ virtutes, necnon & animi magnitũdo, quum ad notitiam Anglorum potẽtiſſimi regis delatæ fuiſſent: illico in huius ſacratæ virginis amorẽ adductus eſt, & ſeſe perbeatum exiſtimare cœpit, ſi talis ac tanta virgo ſui vnigeniti filij copularetur coniugio, atq; ipſe eius filius identidem in amorem eius egregiæ formoſitatis adeo tractus eſt: vt nil iam præter illam ſibi charum aut delectabile in tanto ſuo regno arbitraretur. & ſic dũ pater & filius amore vrerentur, oratores ſolẽnes ad Maurũ regẽ, virginis patrem miſerunt, qui eandem virginẽ & blandiciis & promiſſionibus in coniugem pro tanto regis filio expoſtularent: adiicientes minas, ſi ad eoſdem dominos ſuos vacui redirent. Rex autem ſuſceptis oratoribus, non minime anxiari cœpit, plurima ſecum pertractans. Tum quia filiam Chriſti ſignaculo inſignitam, indignũ duceret in primis idolorum cultori cõiugio copulare: veritus quoq; ne & ipſa vllo pacto aſſentiret, tum deniq; quia ipſius regis formidabat potentiam. At ipſa diuino ſpiritu ſuffulta, trepidanti genitori ſuaſit, vt poſtulatis aſſenſum pręſtaret: Ea tamen cõditione appoſita, vt rex ipſe Anglorum cũ patre ſuo, decem ſelectas virgines, ſibi ad ſolatium traderet, & tam ſibi q̃ prædictis decem ſelectis clariſſimis virginibus, mille alias virgines domicellas aſſignaret: & pluribus comparatis triremibus, triennij inducias ſibi concederet: ad ſuæ virginitatis dedicationem ex more regio celebrandã. Intereaq; ſponſus ipſe de fide Chriſti ſufficienter inſtructus baptizaretur: ſapientiſſimo equidem vſa conſilio, vt videlicet aut difficultate conditionis propoſitę: eius animum ab huiuſmodi coniugio auerteret: aut tali opportunitate, ipſas virgines vna ſecum Chriſto domino noſtro dedicaret. At iuuenis nimio iã ardore virginis incẽſus,

ipſa conditione lubenti animo accepta,apud patrẽ inſiſtere cœpit,vt protinus baptizaretur,cunctaq́ʒ quæ ſacra virgo propoſuerat,fieri impetrauit. Pater autem puellę quam vnice diligebat:iſtuc interim deſtinauit eunuchos graues viros aliosq́ʒ proceres plurimos:quorũ ſolatio,auxilio, tam ipſa q̃ eius virginalis exercitus indigeret, ſuoq́ʒ haberet in comitatu. Vndiq́ʒ igitur virgines,vndiq́ʒ viri ad tam pręclarum ſpectaculum concurrunt. Erat autem hæc præclariſſima regina Vrſula præter eximiam corporis pulchritudinem, multorum idiomatum & linguarum egregia eruditione plurimũ inſignita. Loquebatur etenim cũ opus eſſet adeo expedite,in quocũq́ʒ idiomate interrogaretur:vt ſolũ illã linguã ſapere videretur. Vnde cã neceſſitas incũberet,& ornatiſſime loquebat̃,& rurſus tã q̃ virgo verecũda tacebat,quũ locus requireret. Et cũ a natura noſſet,maximã eſſe in oratione vim ad cõcitandos nõ modo homines ſed & omnes animi motus ſedãdos:ſũma vigilantia eloquẽtiæ incũbebat. Et quum latinitatem perpulchre calleret,etiam in dicendo effulſit diſertiſſima. Quantum autem momenti ipſa eius habuerit copioſa & elegans oratio ad ſuadendum accõmodata,cum alijs rebus in plurimis,tum in hoc maxime demonſtrauit: quum tot tantæq́ʒ ex omni natione virgines a Chriſti fide alienæ,Chriſto per ſuã prædicationem lucratæ ſint. Quantum vero fuerit eius differẽdi pondus,quantus torrens,quãta vis,quantusve impetus in illo ſanctæ virginis ingenio, vel hinc intueri licet: ꝙ & in primis Pantulum Baſilienſem epiſcopum virum optimũ eruditiſſimumq́ʒ ad ſe attraxerit,& Romam vſq́ʒ comitẽ habuerit, indeq́ʒ rurſus cum ea regreſſus, martyrij palmam cum ipſis percepit. Indeq́ʒ & Romanum pontificem maximũ, Cardinales nõnullos,plurimoſq́ʒ ſanctos eccleſiæ Antiſtites doctiſſimos,atq́ʒ Erithreũ Anglorũ regis filium, ipſius ſanctæ virginis ſponſum, & ira iã in ipſam æſtuantem, atq́ʒ alios innumerabiles prope nobiliſſimos iuuenes,atq́ʒ ſanctã Geraſinã Siciliæ reginã,matris ipſius ſanctæ Vrſulæ germanã habuit comites cũ quatuor eius filiabus Babilla, Iuliana,Victoria & Aurea,atq́ʒ paruulo ſuo Adriano filio,qui ſororũ ſuarũ vltro ſe peregrinationi ingeſſit,relicto regno:in Britanniã vſq́ʒ,viſendi amore & audiẽdi eã adnauigauit. Atq́ʒ ita factum eſt:vt plurimi eam quam animo iam condemnabant, floccipendebantq́ʒ inſanam & amentẽ,cogerentur vel inuiti ipſam ſequi, atq́ʒ eius ſe peregrinationi adiungere. Ita eius ſanctiſſima & ardentiſſima documenta omnes cõmouit, vt perinde atq́ʒ ſui pene immemores, per totius corporis conquaſſationem, propoſitionibus,quas diu ſecuti fuerant abiectis:contra pertinacem illam ſuæ gentilitatis ſententiam,eam mirifice laudarent extollerentq́ʒ,quã iniuria oderant. Quid dicendum eſt de prædicto Erithreo ſponſo ſuo illo illuſtriſſimo, cũ eius genitrice, atq́ʒ Florentina virgine ipſius ſponſi ſorore,atq́ʒ Marcello Græcię epiſcopo doctore & oratore cõſummatiſſimo: quos omnes ita ſuis deflexit epiſtolis, placauit & allexit,ac in ſuam traxit ſententiam: vt ipſos quos in ſuum innocentiſſimum ſanguinẽ diſtrinxerant mucrones, & iam pene vibrauerant percuſſuri, eos obſtupefacti,omni cruore vacuos in vaginam remitterent,ſed etiam ad martyrium vltro ſe exponerent. Iuxta igitur condictum triremibus pręparatis & ſumptibus ad ſuſtentationem virginũ,& vniuerſi exercitus copioſiſſime nauibus impoſitis: Vrſula regina ſuis cõmilitonibus,ſui cõſilij ſecretum reuelauit,& eoſdem omnes ad nouã militiam iureiurãdo aſtrinxit. Quippe modo boni noua præludia inchoarunt, currendo & hinc inde diſcurrendo. Interdum bella ſuſcitando,plærũq́ʒ fugam ſimulando. Omniq́ʒ ludorũ genere,eaſdem virgines recreare & exercitare ſtudebat,nihil omnino relinquens intactum,quod animo fiendum occurreret. Aliquando enim meridie,aliquandoq́ʒ veſperi,ad naues retificatæ reddibant virgines. Quamob rem illud apoſtolicæ vocis inſigne in beata Vrſula virgine celebrandum veniebat. Volo autem vos omnes:virginẽ ſanctam exhibere Chriſto,quãdo aſtitit regina a dextris eorum in veſtitu deaurato, circũdata varietate:qua quidem veſte polymita, & multarum virtutum diuerſitate cõtexta,regum filiæ tunc vtebantur. Vnde & ipſa ſponſa lætabatur,dicens:Introdu-

xit me rex in cubiculum ſuũ. Reſponditq; ſodalium chorus. Omnis gloria & filiæ regis intrinſecus. Sed & Vrſulæ ſanctæ oratio aliquid emolumenti dabat, Quemadmodum pugilum fortitudo clamoribus incitatur. Paratas autẽ ad prælium virginũ acies, actoſq; mucrones eius ſuaſio, tamq; imperatoris accendebat. Incredibilis quippe animi fortitudo diuæ Vrſulæ erat, vtpote intra gẽmas & ſericum, inter eunuchorum puellarumq; cateruas, & miniſteria perſtrepentis familiæ, & molliciem plumarum atq; exquiſitas epulas, quas regia & paterna domus affatim præbebat: appetiſſe peregrinationem, itineris laborem, & maris æſtum, cœli procellas, barbarorum perfidias & hoſtium infeſtationem, atq; perſequentiũ manus, propter caſtitatis virginitatisq; conſeruandæ amorem diximus. Legerat enim domini verba ad Abraham dicentis. Egredere de terra tua, & de domo patris, & vade in terram quã monſtrauero tibi. Æſtuabat Chriſti tyruncula, & genibus ad terram aduoluta, lachrymis ſaluatorem exorabat, vt ſuum dignaretur recipere propoſitum, & ſuũ impleret deſyderiũ: vt omnium virginum comitũ ſuarum illuminaret & molliret ſpiritum. Penetrauit hic Vrſulæ rumor Occidentis litora, & in mediterraneis vrbibus chriſtianæ gloriæ triumphus auditus eſt. Confluebant non modo virgines fœminęq;, ſed & principes, proceres quoq; & primates per turmas ad hoc tam grande ſpectaculũ, & omnes admiratione gaudioq; replebantur. Omnes quippe virgines tam gentiles q̃ chriſtianæ huius ſanctæ ſocietatis plurimum ſe iactare dicebantur. Omneſq; eiuſdem virginis, matris vterum benedicebant. Atq; ita ipſam hominis ſponſam, quã tantum vna prouincia Britãnica nouerat: virginem Chriſti factam totus mundus agnouit. Inde volens ſanctas & ſimpliciſſimas comites virgines Chriſto lucri facere. Ipſaſq; inſtituere decernens: plurima eiſdem tradidit documenta ſeruanda. primumq; eis ſtudium eſſet, cognoſcere deum & dominũ Ieſum Chriſtum eius vnicum filium, atq; eius ſcire volũtatem, & quid ei placeat, quidve diſpliceat: diligenter animaduertere, vt ſecundum apoſtolum Paulũ, rationabile deo reddant obſequium, totũq; vitæ earum curſum, ex ipſius poſſint ordinare ſententia. Impoſſibile, inquiens, deo chriſtianorũ queq; placere, cui quid placeat ignorat. Fieriq; poteſt, vt etiam obſequendi voto offendat: qui quomodo obſequi debeat, ante non didicit. Et vt maius eſt, voluntatem domini facere q̃ noſſe: ita prius eſt noſſe q̃ facere. Illud enim merito præcedit hoc ordine: vnde beatus Paulus dicit, Qui ignorat, ignorabitur. Scitote inquit chariſſimæ ſorores, in ſcripturis diuinis, per quas ſolas quilibet ſaluandus: plenam poteſt dei intelligere voluntatem, quædam prohiberi, quædam pręcipi, concedi aliqua, nonnulla ſuaderi. Prohibentur igitur chriſtianis mala, præcipiũtur bona, conceduntur media, perfecta ſuadentur. In duobus illis, ſorores chariſſimæ, quæ priori loco ſunt a me exarata, peccatum omne concluditur. In vtroq; enim dei noſtri continetur imperium, & non ſolum præcipere, ſed & prohibere ipſum: iubentis eſt. Generaliter nãq; chriſtianorũ lex, mandatur omnibus iuſticia: quã ſaluator in euangelio breuiter quidẽ, ſed pleniſſime cõprehendẽs, ait. Quęcũq; vultis vt faciãt vobis homines bona: hęc & vos facite illis. Hoc eſt vt nihil mali inferamus alijs, & præſtemus omne quod bonũ eſt: quia volumus, hoc ab alijs in nos vtrũq; ſeruari. Hæc itaq; ſententia æquo iure præcepti: vniuerſos omnino tenet chriſtianos, nec vlli etiã omnino trãſgredi licet, quod omnibus imperatum eſt. Apertuſq; cõtemptus dei eſt: vel facere prohibita, vel iuſſa non facere. His & alijs ſanctæ Vrſulæ virginis documentis, vniuerſæ virgines permotæ, & edoctæ, in Chriſtum credidere, & baptiſmi ſacramentum omnes percepere. Quibus baptizatis, & nauibus aſcenſis: ſub vnius diei ſpatio, vento proſpero flante, ad quendam Galliarũ portum, qui Cyella nũcupatur, atque inde tandem Coloniam per Rheni fluminis alueum deuenere. Vbi ſanctæ virgini Vrſulæ angelus domini apparens, prædixit eas integro numero omnino iſtuc reuerſuras, coronaſq; martyrij ab Hunnis percepturas. Inde igitur ad angeli admonitionem digreſſæ, Romam verſus nauigantes, Baſileam nobilem Germanorum vrbem applicuere, idẽque trire=

mibus relictis, Romam pedeſtres omnes cõceſſerunt. Earum enim in vrbe Roma introitus, quadam admirabili religione triumphalis & inauditus pene extitit, atque omnibus fuit miraculo. Tantus etenim circa hanc reginam eiuſq; comites fuit ordo, diſpoſitioq; pulcherrima ac religioſa incedendi, vt omnium intuitus ad ſe conuerterit. Nemo earum virginum, niſi vel amictu decoro, reſolutiſq; per ſcapulas crinibus induta erat. Non publicus vicus vllus, non forum, nõ porticus, non feneſtræ deſuper capere poterant proſpectantes. A ſpectaculi deuotione plurimi nedum ſecularium, ſed & ſanctiſſimorum Epiſcoporum, & Cardinalium, quaſi attoniti abierunt. Cyriacus autem maximus tum Romanæ eccleſiæ pontifex, natione & ipſe Britãnicus, in aduentu ſanctiſſimæ virginis Vrſulæ, innumerabiliũq; ſociarum eius virginũ, plurimum gauiſus eſt, q inter eas nonnullæ intereſſent ipſius cõſanguineæ. Vnde & ipſas honoris gratia, cum vniuerſo Romano clero reuerenter excepit, nutriuit, & per biennij tempus omni cum diligentia, & cuſtodia ſuſtentauit, ac pauit: atq; de omni chriſtianæ veritatis documento, illas accurate & diligenter inſtruere fecit: & quę inter ipſas minime baptizatæ fuiſſent, baptizauit. Quadam autẽ nocte pontifex in viſione diuinitus præmonetur: eum cum ipſis ſacris virginibus martyrij palmam fore percepturum. Captato igitur tempore (anno videlicet ſecundo ab aduentu ſanctarũ virginum) põtifex Cyriacus: ſynodo congregata, quę ſibi a domino reuelata fuerãt, reſerauit, Corãq; omnibus, & dignitate & officio ceſſit. Sed quũ omnes collegij patres in eũ mirabundi reclamarẽt, dicerẽtq; turpiſſime delirare, q pontificiã generalis eccleſiæ gloriã renueret, vt poſt quaſdã fatuas mulierculas ſubſequeretur: ille nullatenus eorum reclamationibus acquieſcere voluit, ſed Antherũ pontificem ſibi ſuffectum, & papam declaratũ: eas virgines & ipſe virgo vſq; ad martyrij coronã ſubſecutus eſt. Verum quia contra patrum voluntatem dignitati & pontificatui ceſſit, in pontificũ cathalogo poſitus minime fuit. omnem quoq; gratiã quam beata Vrſula & ſacer ipſe virginum chorus a Romana curia obtinuerat, conſecutaq; fuerat: eam ob rem omnẽ prorſus perdidit. Maximus vero & Africanus peſtiferi infideleſq; Romanæ militiæ principes, videntes tantã virginum & populorum frequentiã, quodq; multi ac multę quodã miraculo ducti ad ipſas cõfluebant: ſubuerti, ne propter eaſdẽ nimium chriſtiana religio excreſceret: per internuntios ſecreto in Germaniam Iulio Hũnorum principi, eorum cognato qui Coloniam obſidebat, ſignificarunt de virginum illuc aduentu: vt educto contra eas exercitu, ipſas omnes tanq̃ chriſtianas cum Coloniam nauigio applicarent, trucidaret. Beatum igitur pontificem Cyriacũ, cum nobili illa virginum multitudine ex vrbe egredientẽ, Vincentius preſbyter Cardinalis & Iacobus Antiochenus patriarcha natione Britannicus (qui Romam tunc viſendi & ſalutandi pontificis maximi gratia venerat) ſacras virgines ſubſecuti ſunt. Mauritius quoq; Leuicaniæ vrbis epiſcopus optimus vir, Babiliæ & Iulianæ auunculus, necnon & ſolarius Lucenſis atq; Sulpitius Rauennas, epiſcopi, qui tunc Romæ erant prędictæ multitudini ſanctæq; ſocietati adhæſerunt. Erithreus vero ſanctę Vrſulæ ſponſus in Anglia conſiſtens, & ipſe per angelum in viſione monetur, vt genitricem ſuam in primis adhortaretur chriſtianã fieri, deinde ſponſæ ſuæ obuiã eat, vt cum ea martyrij coronã percipiat. Eius quippe genitor rex primo anno quo chriſtianitatis titulum acceperat, mortẽ obierat. Ipſe autem in regno ſucceſſit. Cum autem ſacræ virgines cũ pontifice Romano alijſq; plurimis ſanctis epiſcopis, & ſacerdotibus e Roma Baſileam repeterent. Qui diuinis monitis acquieſcens, matrem ſuam illico baptizari fecit, atq; cum ipſa & Florentina virgine, ſua paruula ſorore iã diu chriſtiana, necnon & ſancto quodam epiſcopo nomine Clemente, ipſis virginibus & cæteris obuians, ad martyrium intrepido animo ſe conſociauit eiſdem. Marculus autem quidã Græciæ epiſcopus, neptiſq; ſua Conſtantia, Dorothei Byzantini imperatoris filia, quæ nuper cuidam adoleſcenti cuiuſdam regis filio nupſerat, ſed ante nuptias morte eodem ſponſo præuento, virginitatem ſuam domino deuouerat: &

ipſi per viſionem admoniti,Romam concito curſu venerunt,prædictiſq; virginibus vltro ſe ad martyrium iunxere. Omnes igitur virgines cum prædictis ſanctis pontificibus,tandem cũ Coloniam ex Baſilea perueniſſent:quam quidem vrbem Hũni infideles infeſto Marte obſidebant. Ad quos cum veniſſet ſancta virgo Vrſula cũ pontificibus,alijsq; pene innumerabilibus principibus viris ac virginibus,numero vndecim milibus,ipſos omnes ad martyriũ infracto animo perferendum,eleganti oratione exhortari cœpit,dicens. Scitote filiæ & ſorores chariſſimæ ſcriptum eſſe. Mulieres fortes ſapientesq; ædificauerunt ſibi domos. Illuminauit enim dominus deus vultum noſtrum ſuper nos, vt ſegregaret nos ex vtero cognationis terræ noſtrę,non ſolum regione, ſed & ſpiritu bonæ voluntatis, vt de terrenis rebus ad cœleſtia regna nos aduocaret. Diuus etenim Paulus diuinorum arcanorum vt fideliſſimus conſcius conteſtatur,dicẽs: Non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Tribulatio, inquit, patientiã operatur,patientia autẽ probationem:probatio vero ſpem,ſpes autem non confundit: quia charitas dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. In qua quidem charitate ſi radicati fuerimus, omnia æquo animo atq; alacri mente ſuſtinebimus. Propterea impenſius obſecro chariſſimi mei: vt nunc cum propheta vnuſquiſq; dicat. Diligam te domine virtus mea: dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus. Dilectio enim domini, virtus ſalutis eſt:quia deus dilectio eſt,& qui manet in dilectione,in deo manet. Adſunt enim, vt videtis, humanæ mortis tribulationes: in earum autem ſorte vocauit nos deus perenni lætitia,vt in hæreditate cœleſti,& in honore regali,conſtituat nos ſemper. Igitur nobis nunc tolerandæ ſunt paſſiones & tormenta, quia mox nobis a deo ipſo recõpenſabuntur. Itaq; eſtote parati,quia iam ad coronam vocamur, & dũ Chriſtũ conati ſumus imitari,& eius veſtigijs affigemur, depoſitis oneribus & impedimentis atq; compedibus, quibus ſeculi huius amatores detinentur, ſedentes in tenebris & in vmbra mortis,nos iam liberati,expediti comitemur dominum maieſtatis crucifixum,Cuius imaginem non poteſt portare,niſi qui in hoc ſeculo nudum & mortuũ ſe reddit. His & ſimilibus exhortationibus omnes corroborati,ſigno crucis præmuniti, data vnuſquiſq; ſuo proximo,pace,proris verſus Coloniã porrectis: Barbari veluti canes & lupi,in oues irruentes: vniuerſam multitudinem ſagittis interemerunt. Cum autẽ ad beatiſſimam ſpecioſiſſimãq; Vrſulam (cæteris trucidatis) perueniſſent: videns princeps nimiam, atq; eximiam eius elegantiæ pulchritudinẽ, vehementer obſtupuit,Conſolanſq; eam ſuper nece virginum & exercitus ſui: promiſit q; eam in coniugem ſibi copularet. Sed cum illa ipſum penitus reſpueret:ipſe contẽptui ſe haberi animaduertens:e veſtigio arcu arrepto, ſagitta eam tranſfigens: eo mortis genere, martyrium conſummauit. Atq; ita ſancta virago Vrſula, cum ſua propemodum infinita ſocietate:tam conducibilẽ patriæ ſuæ Britãniæ, Germaniſq; (vt ita dixerim) cunctis vitam egit,vt etiam poſt mortem non parũ illis, maximeq; Agrippinæ ciuitati vtilis in ęterna habitatione cũ ſuis permanſura ſit. Virtutis autẽ ſuę monumenta per totum terrarum orbem adepta:regale ea in vrbe ſepulchrum cõſecuta eſt,vbi frequentiſſima quotidie fiunt miracula. Earum itaq; annua celebritas, vndecimo calendas Nouembris dicata celebratur a fidelibus populis. De huius autẽ ſanctæ virginis ſociarumque prædictarum paſſionis temporibus, quædam fuit apud illuſtres hiſtoriarum ſcriptores ambiguitas. Cum ſint qui dicant illam paſſam fuiſſe temporibus Alexandri Romanorum principis,qui deſiit regnare in anno ſalutis noſtræ,ſexto & trigeſimo ſupra ducenteſimum. Sed ratio non patitur,vt tali tempore paſſa fuerit beata Vrſula, quum tunc Sicilia regni titulum non haberet, neque Byzantium,ſed verius eam paſſam tempore ſupra præmiſſo.

¶De Amalaſuntha optima Gothorum regina. CAP.CXXXV.

AMalaſiuntha vidua Oſtrogothorum regina, Theodorici hæretici regis filia, fœmina quidem corporeo decore, eruditione, moribus, magnificentia, liberalitate, honeſtate & laudabili pudicitia decora: poſt chriſtianum natalem, anno vigeſimo ſecundo ſupra quingenteſimum, ſuę gentis regno ſuſcepto, inclyta, ſplendidaq; plurimum fuit. Hæc quippe Theodorico eius patre defuncto, cum Athallarico filio ſuo paruulo regnum ſuſcipiens, regnauit apud Rauẽnam vetuſtiſſimam Italię vrbem, annis octo. Mulier ſiquidem prudẽtiſſima, bonarumq; virtutum, ac liberalium artium ſtudijs ornatiſſima. Quę (vt erat mulier catholica) paterno regno ſuſcepto: confeſtim multa patris malefacta temperauit. Ac inter cætera: & Symmachi, & Boetij filijs patrimoniũ ablatum reſtituit: idq; & alijs complurimis, ſuis bonis priuatis clementer reddidit. ipſum præterea Athallaricum filium ſuum (renitẽtibus Gothis) diſciplinis omnibus, ac græcis latiniſq; literis inſtituere, & erudiri curauit. Qui quidem Athallaricus, quanuis ob paternam hæreditatem, Arrhiana labe eſſet infectus, tamẽ Bonifacium, & Ioãnem põtificem eius nominis ſecundum, ambo videlicet pontifices Romanos, magnis fauoribus & honoribus proſequi non deſtitit: multaq; alia ob catholicam fidem laude digna peregit facinora. cumque annis octo cum matre regnaſſet, in florida ætate mortem obijt: quo mortuo, ipſa genitrix Amalaſiuntha regina, quendam ſuum conſobrinum Theodatum nomine, regni conſortem ſuſcepit. Qui Theodatus latinis ac græcis literis inter cætera admodum cum eruditus eſſet, philoſophiæ quoque q̃ maxime operam dabat, & inter cæteros Platonem philoſophum vt plurimum ſequebatur. Qui orante ipſa regina Amalaſiuntha, multa præclara geſſit facinora. Q̃ maximeq; Burgundiones Liguriam & Æmiliam turpiter & infenſe nimium vaſtantes, ſimiliter Alemannos, qui Venetiam noſtram prouinciam vaſtauerant ac ſpoliauerant: cum magna ipſorum cæde, ex Italia pepulit, ac Romanam prouinciam deperditam recuperauit. Atque pacem cum Iuſtiniano imperatore Francorumq; rege obtinuit. Sed poſtea cum populationibus & rapinis (reſiſtente ac reclamãte plurimum Amalaſiũtha) indulgeret: illam cepit, & maxima ingratitudine vſus: in inſulã Vulſini lacus perpetuo relegauit, vbi & tandem eam a quibuſdam malignis occidi permiſit, atque eiuſdem filiam, vxorem regnique ſociam accepit & fecit. Fuerat igitur Amalaſiuntha virago clariſſima, memorabiliſque fœmina, græcis latiniſque literis egregie erudita, adeo vt cum quibuſuis eruditiſſimis viris, de omni ferme diſciplina cõgredi & diſceptare non pertimeſceret. Cuius quidem mortem Iuſtinianus Auguſtus peregre nimium tulit, de eaque vindictam omnino ſumere conſtituit. Hæc quippe poſtea q̃ ea ſuperbas ædes, baſilicaſque multas intra vrbem conſtruxiſſet: etiam extra monumentum in Rotundo, vnico & integro, eoq; vaſtiſſimo lapide coopertum, ingenti impenſa cõſtruxit, ſupra cuius ſummitatẽ mauſoleum ex pretioſiſſimo quidem prophiritico lapide compoſuit. In quo paterna oſſa, omni cum reuerentia atque honore regio collocauit. Eſt nempe lapis ille per q̃ maximus, quadamq; incredibili admiratione dignus. Eius etenim latitudo in qualibet parte, triginta pedum ſpatio protenditur. Idemque locus, nunc ſancta Maria Rotunda nuncupatur: vbi & poſtmodum monaſterium monachorum extructum, adhuc manet. Perfecitque hæc ſancta fœmina opus a genitore ſuo ea in vrbe cœptum, quod ſancti Martini templũ in aureo cœlo, nunc vero mutato nomine ſancti Apollinaris in nouo appellatur, Super cuius pinnaculum idem pater reginæ, æream ſtatuam, auro puriſſimo deauratam, varijſque ornamentis redimitam, vt glorioſum opus oſtenderet, erigi iuſſerat: quam & Carolus magnus Francorum rex, quum totam ferme ſibi ſubiugaſſet Italiam, in Galliamque rediret, ſubtraxit, ſecumque in facinoris monumentum deferri iuſſit: palamq; (vt aiunt) teſtatus: ſimilem ſe nuſquam vidiſſe, nec artificio, nec ornatu celſiorem.

nota. non est verum quod filiam eius uxorem acceperit, imo ~~potius~~ Vittiges qui ob inertiam Theodatum, a Gothis el[illegible] est

De ſancta Scholaſtica virgine. CAP.CXXXVI.

SCholaſtica virgo, diui Benedicti ex eiſdem parẽtibus germana:
temporibus,Iuſtini ſenioris Auguſti, Ioanniſq; papæ eius nomi
nis primi,circa annum ſalutis noſtræ quartum & vigeſimum, ſu=
pra quingenteſimum, ob eximiam eius vitæ ſanctitatem, & re=
ligionem perfectiſſimam , in tota ferme Italia , maximeq; apud
Aprutium Italiæ prouinciam clariſſima effulſit. Hæc quippe vir
go ſanctiſſima ex Vmbria Italię regione quæ nũc Ducatus Spo=
letinus nuncupatur,ex Nurſia vrbe vetuſtiſſima originem trahens:parentes nobiliſ=
ſimos eam habuiſſe conſtat: quam ego ob inſignem, maximamq; ſanctimoniam, &
alia eius præclara geſta atq; miracula, inter claras fœminas ponendam cenſui. Cu=
ius etſi non neſcius ſim difficillimum eſſe, virtutibus eius & gloriæ commendatio=
nem parem inueniri poſſe : veruntamen pro modulo mei ingenij fretus , q̃ maxime
teſtimonio diui Gregorii aggrediar:quoniam rationi minime conſentaneum foret,
eam nec inferiorem laudem ac claritatem aſſequi debere:propterea ꝙ ad ſummum
perfectæ ſanctitatis culmẽ peruenerit. Quæcumq; autem hæc ſancta virgo, ſua in re=
ligione geſſerit, q̃ breuiſſime potero, ſermone percurram. Nam ex aliquibus ipſius
rebus geſtis,mores quoque,& mirificam ſanctimoniam (vt arbitror) ſpectare licebit.
Cum igitur ſancta Scholaſtica iuuenili adhuc ætate florens, ad imitationem fratris
ſui Benedicti ſanctæ conuerſationis habitum ſuſcepiſſet: haud longum poſt tempus,
per vniuerſam ferme Italiam ipſius ſanctiſſimus viuendi ordo vulgatus eſt: pro quo
ingens tam virginum q̃ aliarum matronarum numerus ad eam confluxit. Verum eti=
am antea in ipſa ſua paterna domo,cum adhuc puella delicata eſſet,quodam diuino
ſpiritu afflata, delitias atque omnem corporis cultum & voluptatem abhorrere ſe
demonſtrauerat. maximeq; pulchritudini, qua plurimum excellebat, aduerſabatur,
atq; puellarũ ornatum refugiebat. Lautiores epulas,& balneorum vſum,& his ſimi=
lia,quibus tunc erat ampla in domo paterna viuendi conſuetudo,grauiter accuſare
& improbare non modo cœpit,quin etiam illud frequenter in ore habebat: nequaq̃
ſe regno cœleſti potiri poſſe, ſi non per illud, priſtinos ſanctorum patrum viuendi
mores in vſum reuocaret. His de cauſis permotus eius germanus ſanctus Benedictus,
vna cum ipſa Scholaſtica,optimam regulam,quam ipſi iam ſanctiſſime obſeruabãt,
pro omnibus tam fœminis q̃ viris cõponere aggreſſus eſt. Omnes videlicet ad ęqua=
litatem apoſtolico & antiquo more redigere, atq; ipſam regularem normam docu=
mentis ſanctis replere. Monachi autem nonnulli, aliique q̃ plurimi vtriuſq; ſexus a=
doleſcentes, q̃ primum præter omnium ſpem ad ipſos ſeorſum acceſſere, ſtudioſeq;
& ardentiſſimo animo, cum illis ad virtutem, ſanctimoniamque ſeſe accingentes,
cum habitu pariter & viuendi norma, & optima conſuetudine, ad ſalutem anima=
rum ſuarum reſpicientes penetrarunt. Seniorum vero patrum religioſorum maior
pars,quæ in omnem Italiam perque inſulas diſperſi erant: ꝙ diutius in ipſa corrup=
tela veluti labe quadam permanſerant,non ſecus ac ſerui in fuga deprehenſi, ad do=
minum: ſic ad ſanctiſſimum patrem Benedictum eiuſq; germanam Scholaſticam re=
duci formidabant: ac propterea ipſum ſanctum Benedictum præſentis regulæ condi
torem turpiter incuſabant, ꝙ acerbam ſeueramque nimium antiquam viuendi di=
gnitatem,& rigorem religioſis reſtituere orſus fuiſſet. Erantq; tũ plurimi tam fœ=
minæ q̃ viri autoritatis monachi in dei eccleſia conſtituti: Hi primum diui Bene=
dicti ſororiſq; propoſitum concernentes, a tali eos ſententia tanq̃ iuuenes deterrere
conati ſunt: tanq̃ inania quædam, ſupraque vires agere præſumentes. At vbi felix
tum Romanus pontifex,eius nominis quartus, aliique nonnulli minores pontifices,
veteres monachos cohortari cœperunt,bene de ſucceſſu huiuſmodi regulæ reforma=
tioneq; morũ ſperare perſuaſere: diui Benedicti ſororiſque Scholaſticæ ordinatio=

ni facile acquieuere: quum præſertim ex altera parte ſanctus Benedictus inſtaret, rogans vt facultatibus quas habebant ad voluptatem, ad pompam, & ad honorem adipiſcendum: vti alios eccleſiæ prælatos paterentur: quos diuitijs adęquare impoſſibile ipſis & indecorum foret. Quod ſi modeſtia & religione, ac animi magnitudine multorum delitias ſupergreſſi, æquabilitatem atq; in ſancta religione cõcordiam reduxiſſent: veri boni, veriq; ſeruorum dei nomen & gloriam cõſequerentur. His etiã diui Benedicti efficaciſſimis & ardentiſſimis adhortationibus, plurimi religioſorũ veteranorum impulſi, adeo priſtinam viuendi ſententiam mutauerunt, vt ipſi quoq; gloriæ cupiditate ac reformandorum morum flagrãtes, vltro ſanctum iuuenem Benedictum, germanãq; Scholaſticam ad rem peragendam quaſi impellerẽt, atq; honeſtatis amore, diuino quodam numine afflati, & ipſum ſanctũ regulatorem properare aſſidue hortarẽtur. Quin etiam cõuocatis & verbo atq; ſcriptis alijs monachis conſilium aperientes, illos ad obſeruãdam regulam, & ad ferẽdum auxilium hortabantur. Idem quoq; mulieribus alijs prędicabãt. Erat autem per id tẽpus diuitiarum maxima abũdantia apud ſanctimoniales: quod ſane plurimum ad rem peragẽdam ſancto Benedicto difficultatis afferebat. Nam eas ob res monachæ quemadmodum Veſtales romanæ dimittebantur pro voto cuiuſq;, atq; (vt ita dixerim) libidine licentioſam ducere vitam. Cõptæ etenim atq; ornatæ, per plateas, per fora, atq; alia minus honeſta loca curioſe diſcurrebãt. In porticibus cũ laſciuis, inurbaniſq; fœminis accũbebant, loquentes, & garrulantes quæ non licet, gemmatas manus habentes: nihil eorum quæ antiquitus profitebantur ſanctæ religioſæ penitus obſeruãtes, ſed ſuis voluptatibus propter diuitias innumeras omnia maculabãt. Quibus ex malis atq; flagitijs, quotidie diuus Benedictus ſanctaq; ſoror Scholaſtica virgo indolentes, cum propheta dicebant. O bone Ieſu: quidnã hoc eſt quod cernimus. Incenderunt enim ſanctuarium tuum igne, polluerunt tabernaculum nominis tui: Idcirco totis conatibus, tanto igne beatiſſima virgo Scholaſtica pietate permota, aquã ſuperinfundere curauit: & vt luporum arceret rabiem, vineã domini optimis regularibus ſpinis ſępiuit, Ac ſanctę religiõis dedecus (de quo quiſq; etiam infidelis obloquebatur) deleuit. Et ſaluti non modo ſui ęui infelicium ſanctimonialium, quæ ſponſi vocem nõ ſequebantur, ſed innumerabilium prope futurarũ optime conſuluit. Quibus ex rebus, ſancta virgo Scholaſtica ſempiternas ſuas laudes, ſempiterna memoria cõſecrauit. Rebus igitur in hunc modum optime ex ſentẽtia geſtis, quum iam omnia diuo Benedicto, eiuſq; ſorore Scholaſtica proſpere ſuccederent, nemoq; iam cœptis obſiſtere auderet: haud multo poſt, quidam peſtilentes religioſi diabolico ſpiritu inflãmati, cuncta ſępius ſubuertere conati ſunt, pulcherrimam videlicet, ſanctiſſimãq; regulam, optimis moribus maxime cõgruentem: ob turpiſſimum auaritiæ eorum morbũ corrumpentes. Ædificauit autem ſancta virgo Scholaſtica in primis ſibi ſpiritualem domum, & eam non quidem ſupra arenam, ſed ſupra firmam petram. Innocẽtiæ primũ fundamenta ponens: ſuper quæ facilius poſſet arduum iuſtitiæ culmẽ erigere, ſciens maximam æquitatis partem implere, qui nulli nocere ſtudet. Ea quippe in ſua innocẽtiæ domo cũ propheta ſæpe decãtabat, dicens: Perambulabã in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Sororibus vero intra cœnobij ſepta cõſtitutis: illud prophetę ſæpe prædicabat, dicẽs. Non fraudauit eos deus bonis, qui ambulabant in innocentia. Id quippe dicebat, vt omnẽ maliciã & odium atq; inuidiã, quæ nocẽdi artes maxime cõſueuere eſſe in fœmina, ab eis ꝓrſus auferret. Hinc, inquiẽs, ſorores chariſſimæ mens veſtra iugiter vigeat & inuigilet: quia ſi innocẽter vixeritis, deũ ſponſum etiã in fragili corpore videre poteritis. Sũmopere autẽ & verbo & exẽplo edocebat ipſas ſanctimoniales, omnẽ ſexus mollicieẽ fugere, atq; perfectiſſimę virginitatis ꝓpoſitũ ſeruare. Inſtruebatq; præterea regularẽ vitã ſectari, ex mira ſanctorũ monachorũ cõuerſatione: aſtringẽs earũ affectus ad aſſiduã diuinorũ cõtẽplationẽ, pręcipue ex pretioſa deuotione ſanctorũ cõfeſſorum. Cũcta deniq; huius ſeculi aduerſa

perferēda, & huius procelloſi maris tempeſtates, cum omnibus diabolicis verſutiis, & infeſtationibus dæmonū, per exempla ſanctorum martyrū etiam docebat conculcare. Informabat inſuper earū mentē, ex ſanctorum patriarcharū prophetarūq; obedientia. Ipſa autem quū euangeliorū codicem ſemper in manibus velut ſpeculū teneret: ibi tantum diuinę lectionis ſtudiū figebat, tāq; crebræ orationum & lachrymarum vices, tam firmā & preſſam de futuris cogitationē eleuabant, vt omnes reliqui tēporis negligentias, facile ipſa vacatione cōpenſaret. Ac per hoc Scholaſtica virgo, & angelicis choris, & ſanctorū ſocietatibus iugis ſua videbatur intereſſe conuerſatio. Difficillimū quippe mihi foret omnia ſanctæ Scholaſticæ geſta proſequi, & nō neceſſaria. Igitur tandē æui matura, & ætate ingraueſcente, qua quidem ſancta liquido animaduertere poterat, ſuo corpori ſpiritū cito extenuari & exinaniri debere. Cum ſingulis annis ſemel tantū ad germanū ſuum beatum Benedictū viſendi & audiendi gratia, in mōtem Caſſinū accedere aſſueuiſſet, eūq; non procul a monaſterio extra ad ſe euocaſſet, vt ipſam diuinā vocem audiret, quæ iandiu & ſibi multiſq; chriſtianis ſalutem pepererat: quum neq; quidpiā ſalubrius ſe aſſequi poſſe exiſtimaret, acceſſit. Nō lōge itaq; extra ianuam monaſterii, in poſſeſſione vltima vtriq; Scholaſtica & Benedictus conſtituti: quum totā illam diem in dei laudibus ſacriſq; colloquiis cōſumpſiſſent, incūbentibus iam noctis tenebris ſimul acceperunt cibū. Cumq; adhuc in menſa cōſiderent, & inter ſacra colloquia ſe hora protraheret: ipſa ſancta virgo diuū rogauit germanum ſuum, vt illa in nocte ipſam non deſereret, vtq; in mane vſq; ad ſui vltimi ſolatii aliquid de gaudiis cœleſtibus colloquerētur. Cui ille benigniſſime reſpondit. Ecquid eſt quod loqueris dulciſſima ſoror? an ignoras quia extra monaſterium minime mihi cubare licet. Sanctiſſima autē virgo, verbis germani ſui negantis vlteriora colloquia auditis: mox inſertos manuū digitos ſuper menſam poſuit, caputq; in manus deū rogatura declinauit. Cumq; de menſa caput leuaſſet, mox tantæ coruſcationes & tonitrua inſonuere, vt illico pluuiarū inūdationes tantę eruperint, vt neq; venerabilis vir, nec eius ſocii qui cū eo venerant, extra limē vbi cōſederant, pedē mouere potuerūt. Sanctæ quippe fœminæ lachrymæ tantū apud dominum valuerunt, vt ex aeris ſerenitate, maximam pluuiā trahere potuerint. Nā (vt diuus ſcribit Gregorius) tanta fuit orationis & inūdationis cōuenientia, vt vnū idēq; momentum eſſet, & caput leuare, & pluuias deſcendere ſeu deponere. Tūc vir dei & propter coruſcationes tonitruaq;, ac ingētis pluuiæ inūdationē, ad monaſteriū ſe minime recipere poſſe animaduertēs, & cōtriſtatus aliquantulū, de ſorore in hæc verba cōqueſtus eſt, dicens. Parcat tibi deus omnipotēs: & quid eſt ſoror quod feciſti? Cui illa: ecce ex te humiliter expoſtulaui, nec me miſellam ſenē iam in ianuis mortis cōſtitutam audire voluiſti. Dominum autē meum pientiſſimū rogaui, qui me exaudire non eſt dedignatus. Itaq; ſi potes modo diſcede, & me dimiſſa, ad monaſterium redi. Atq; ita Benedict9 ſanctus qui ad vltimū ſolatiū ſanctę virginis eo in loco remanere recuſarat, vel inuit9 ſubſtitit. Sicq; factū eſt vt noctē illā ſanctiſſimi germani puigilē pducētes, per ſacra ſpiritualis vitę colloquia, ſeſe vicaria relatione ſatiarent. Qua de re diuus Benedictus quoddā miraculum dei omnipotentis ex ſororis pectore inuenit ſeu vidit, quod minime credebat. Nec mirū q; pl9 illo fœmina potuerit, quę diu fratrem eſſe in eodem loco cupiebat, etiam eodē tempore potuerit. Quia enim iuxta Ioānis apoſtoli vocem: Deus charitas eſt, Iuſto valde iudicio, illa plus potuit: quia amplius amauit. Cumq; die altero, eadem virgo domum remeaſſet, & ipſe vir dei Benedictus ad monaſterium ſuum lætus cum ſocijs regreſſus fuiſſet. Tertio poſt die, Benedictus in cella conſiſtens, oculis in cœlū eleuatis, vidit ipſius ſororis animā e corpore egreſſam, in columbæ ſpecie cœli ſecreta penetrare. Cuius tantæ gloriæ ſibi congratulans, deo omnipotenti in hymnis & laudibus immortales gratias reddidit, moxq; eius obitum fratribus denuntiauit: quos etiam protinus cum proceſſione eo tranſmiſit, vt eius ſanctum corpus ad monaſterium ex more perferrent: atque illud

in ſepulchro quod ſibi idem ſanctus Benedictus confecerat, collocarent. Quo facto: cõtigit vt quorũ vna ſemper in domino mens fuerat, eorum quoq; corpora nec ipſa ſepulchra ſepararent. Obiit itaq; beata virgo Scholaſtica quarto idus Februarias,& & cum omni felicitatis præconio ad æternam tranſmigrauit beatitudinẽ. quo quidẽ die inter ſanctas relata,eius anniuerſaria dies celebratur. Hæc quippe de beata virgine Scholaſtica per me ſcripta, fore omnia, verbum ex verbo in libris Dialogorum diui Gregorij ſcripta comperi. Diuus vero venerabiliſq; vir Benedictus,poſt exceſſum tantæ ſororis,& ipſe tantummodo quadraginta dies ſuperuixit: qui & ipſe digniſſimo cũ honore,cœleſtibuſq; triumphis, feliciter ad ſyderea regna tranſcendit. Duo igitur ipſi in primis diuino nutu,atq; æternæ prouidentiæ dono,ſpirituq; ſancto ſuffulti,ſuo exemplo,ſuaq; ſanctimonia,prudentia etiam atq; conſilio rem monaſticam plurimum auxere: & perditos mores, ad veterem Paulorum, Antoniorum, Machariorum cæterorumq; ſanctorum monachorum religionem & ſanctimoniam, ac rigorem reuocauere. Quibus certe vniuerſa monachorum profeſſio plurimum debet: ꝙ ſua pietate & charitate,atq; diuina quadam ope factum fuerit,vt eos omnes, qui perinde atq; ſtulti & amentes,ab antiquis ſanctorum inſtitutis defecerant, ad ſanitatem ſua cum gloria viderint redijſſe. Deo enim duce ac vexillifero, non modo antiquum ſanctorum monachorum viuendi ritum, cum immortalitate eorum nominis recuperarunt,ſed longe eũ admodum amplificarunt & exornarunt. Quapropter ſi quis me interrogaret,quid ex rebus a beata Scholaſtica geſtis, maximum eſſe putem, vtrumne virginitatẽ perpetuam, integram,illibatamq; ſeruatam? an pœnitentiam & carnis macerationem maximam? an perfectiſſimam ac innocentiſſimam vitam? vel totam regularis vitæ diſpoſitionẽ? in multa profecto ambiguitate conſtituerer, Nam quocũq; oculos mentis inijcio: id mihi & maximum & admodum admirabile videtur. Itaq; ſi aliquæ mulieres propter virtutes & ſanctimoniam immortales fuere,arbitror & virginem Scholaſticam ipſam hoc munere dignam fuiſſe,cõiecturis & argumentis vtens: ꝙ illis & chariorem,fortunatioremq; deo & domino noſtro Ieſu Chriſto immaculatam vitam vſq; in finem duxerit. Meum propoſitũ autem hoc in loco de beata Scholaſtica virgine fuit ea dicere & ſcribere: quibus nõ modo ſanctimoniales & monachos omnes ad ea appetenda excitaremus,quæ in præſenti hiſtoria ſcripta conſpiciunt, ſed & ſcirent ſibi nihil conuenire, nihil deficere ab eadem. Curamq; habere,atq; ſuum ita exercere animum,vt tali parente,immo talibus ſanctiſſimis parẽtibus non indigni videantur: quorum perfectionem omnes admirari decet. Ipſiſq; præſertim,qui ea ſub regula ſunt conſtituti. Et hæc de ſancta viragine Scholaſtica ſatis.

¶De ſancta Brigida virgine Scotica. CAP.CXXXVII.

BRigida virgo, eius nominis prima, natione Hybernia ſeu Scotica,temporibus Iuſtini ſenioris Auguſti,feliciſq; Romani pontificis,eius nominis quarti: ea in regione, & pœnitentiæ acerrimæ,& morum omnium ſplendore,clara & inſignis plurimũ fuit. quo autem anno mortem obierit, necdum me legiſſe memini. Eius tamẽ natalitius dies, calẽdis Februarij a fidelibus venerabiliter celebratur. Eſt autem Scotia huius ſanctæ virginis patria,quædam ſuprema Angliæ ſeu Britanniæ portio: quæ in Aquilonari parte vertitur, diſcernitur etenim ab Anglicana inſula quibuſdam paruis fluminibus, monteque haud magno. In ea quippe hyemali tempore adeo dies breues habentur, vt ſol vix tres horas illuminet terram. Hæc igitur Brigida huius regionis virgo,fuit clariſſimæ virginitatis & pietatis exemplum indelibile,quod poſteritati cum magno ſuo fulgore reliquit. Fuit autẽ Brigida hęc. Daboth nobiliſſimi ea in regione viri,ex Crocha vxore filia: quã quidem puerulam,a pueritia bonarũ virtutum ſtudijs apprime parentes erudi-

re curarunt. Ipſa autem vtpote puellula, adeo electa ab ipſa pueritia, & moribus, & ſobrietate, pietateq́ ac pudicitia inſignita, excreſcēs quotidie in melius proficiebat. Sed eius virtutes atq́ præclara facinora, quæ ab ipſa ſua pueritia vſq́ in diem defunctionis ſuæ geſſit, nemo plene enumerare ſufficit. Verū pauca de innumerabilib9 hoc in loco (ex more ſuſcepto) demonſtrabimus. Erat in primis Brigida virgo venuſta facie, decoroq́ aſpectu atq́ omnium oculis admodū gratioſa, & admirabili humanitate præclara: propter quod non apud ſuos tātum, ſed & apud prouinciales fere vniuerſos, interq́ cæteras coæuas puellas, multo in honore habebatur. Quæ cū gregum parentum curam ageret (eo quippe tunc temporis miniſterium hoc ſolū mulieribus erat illius regionis) quæ aliquando dum a genitrice ex more mitteretur ad butyrum ex lacte armentorum congregandum, prout & aliæ puellæ a parentibus mittebātur: illaq́, vt erat animo pientiſſimo, totum quod coagulauerat Chriſti pauperibus erogaſſet. nihilo minus tempore a matre exquiſito, plus cæteris adoleſcentulis puellis in butyri quantitate reportauit. Dum vero iam maturam viro, parentes matrimonio copulare decreuiſſent: ipſa renuens, ſe perpetuam delegiſſe pudicitiam & virginitatem dixit. Poſtq̄ autem virginitatem perpetuam in manibus pontificis profeſſa fuiſſet: lignum altaris ex more virgininum profitentium tetigit, quod mox in teſtimonium ſuæ viuificæ virginitatis reuixit: quod in viriditate nunc vſq́ perſeuerare dicitur. Quo celebri miraculo ſtupefacti parentes: eam prorſus domino obtulerunt, & maximo in pretio deinceps habuerūt. Indubitatum eſſe debet apud omnes, q̄ ſi quis vellet omnia quæ virgo Brigida geſſit miracula, atq́ quæ circa ſalutē animarū operata facinora narrare voluerit: plura eſſent conficienda capitula. Quare de multis, aliqua digniora narranda duxi. Sciendū itaq́, q̄ cū meſſores, eius ſegetes in agro colligerent, pluuiaq́ perq̄maxima erūperet, a ſuis meſſoribus imbrem prorſus depulit, circūſtantibusq́ agris pluuia madefactis, ſola huius virginis area immunis a læſione aquarum remanſit. Præterea die quadam dum oues ad paſcua perduxiſſet, imbre deſuper infuſa, panniſq́ perfuſa, domum madefacta rediit, Veſteſque ita madefactas, ſuper ſolis radium qui per rimas oſtij intrabat, exſiccandas extendit: quæ quaſi in ſolida pertica diuinitus permanſerunt. Aquam inſuper in optimam ceruiſiam, atq́ lapidem in ſalem aliquando conuertit. Atq́ cœcum vnum a natiuitate, illuminauit. Aprum quoq́ aliquando ferociſſimum inueniens, adeo in Chriſti nomine manſueſecit, vt deinceps ſuis cum ouibus tanq̄ aries manſuetiſſimus remanſerit. cum eiſdem etiam perſæpe ad paſtum egrediens: domum eas tanq̄ optimus cuſtos reducens. Nō ceſſabat immortalis deus virtutem, quam in brutis animalibus atq́ in non animatis rebus huic ſanctæ virgini cōceſſerat, niſi etiam multiplicaret, in pacem parturiendo, & tumultus exortos extinguendo, ſimiliterq́ incenſos odiorum ignes adnihilando extingueret. De quibus vnum ſilētio præterire haud poſſum. Dum igitur nouem viri peſtilentes, in vnius mortem aliquando conſpiraſſent: eoſq́ ab intentione peſſima minime reuocare poſſet. Statim in oratione proſtrata, rogauit dominum, vt eorū peſſimis cogitatibus & machinationibus protin9 reſiſtere dignaretur. Egreſſis itaq́ illis, e veſtigio quædā imago conſimilis hominis illius occidendi apparuit: quam illi gladijs tanq̄ ad mortem percutientes: domū læti rediere. Sed dum quod illis contigerat tandem cognouiſſentmox pœnitentia: ducti, ad pedes virginis cum lachrymis ceciderunt, & de errato veniam expoſtularunt. Sed & hanc virtutem omni præconio dignam, noſtro ſilentio indignā profecto putamus, quā quidem cæteras inter inumerabiles dignoſcitur Brigidā exegiſſe. Quidam enim vir nobilis, ſed admodū impudicus ac luxurioſus, quandam adoleſcentulam formoſiſſimam perdite diu adamauit: cuius cū fruſtraſſet blanditias, nec illis, nec donis ingentibus, neq́ precibus aut minis flecteretur imbutum ſanctitate pectus: tanto inſano ardore ſuccenſus malignus homo fuit, vt cū in varia labantem voluiſſet animum, nec ſatis tutum, vim publice inferre, arbitraretur: in fraudē ingenium conuertit. Eidem igitur callide fibulā aureā

pretioſiſſimãq; in depoſitum cõmendauit,quam & poſtmodum doloſe ſubtraxit,ac ea ignorante in flumen proiecit. Vt quum ipſam minime reddere poſſet,illam fibulæ loco,ancillam ſibi faceret: ac ſic eodem modo, ea pro libito pro ſcorto abuteretur. Egitque impurus homo tandem quod machinatus fuerat, Nullaq; re, aut pretio placari poſſe aſſerebat, niſi propria redderetur fibula,aut ipſa adoleſcentula ipſius loco eidem concederetur. Quod verita pudica puella,auxilio & conſilio animi deſtituta,ad diuam virginẽ Brigidam refugij loco,tanq̃ in tutiſſimam ciuitatẽ mox confugit. Quę cum quid pro re agere deberet excogitaret,nondũq; verba cõpleſſet: e veſtigio quidam piſcator cum quibuſdã piſcibus e flumine captis aduenit: quorũ poſtq̃ inteſtina exciſa apertaq; fuiſſent. Fibula illa quã impurus homo proiecerat,in vẽtre piſcis inuenta eſt. Ipſam autẽ puella ſecũ deferens ad conuentum multitudinis, & ante conſpectũ iudicis impauida conceſſit:multiſq; hinc inde dictis, eo ventũ eſt: vt aut fibula redderetur,aut iuuencula pretij loco ardentiſſimo & nefario homini in mancipiũ daretur. At illa mox e ſinu fibula prolata,multis atteſtãtibus illam eandẽ eſſe: Iudex pudiciſſimam iuuenculam,de impuro homine liberam dimiſit. Ille vero viſo miraculo,ſuũ ſcelus confitens,illico virgini Brigidę colla humiliter ſubdidit, & deinceps optime vixit. Tribus deinde leproſis eleemoſynam a beata virgine expoſtulantibus: illa mox vas quoddam argenteum condonauit. Quod ne illis diuidẽtibus,cauſa diſcordiæ & contentionis efficeretur: cuidam ex ſuis commiſit, vt illud æquis portionibus diuideret. Illeq; cũ ſe excuſaret: dicens neſcire omnino quo illud modo æqualiter diuidere poſſet,ipſa apprehẽſo eo,mox lapidi illidens, adeo ęqualibus portionibus confregit,vt nulla pars maior minorve vno obolo videretur. Secundum Iob ſanctiſſimi patriarchæ exemplũ & documentum beatiſſima ac pientiſſima virgo,nunq̃ hoſpites & inopes a ſe vacuos paſſa eſt recedere. Parabatur idcirco quotidie in domo beatæ virginis menſa abundãs,& quę vel multos homines affatim paſcere poſſet. Eoq; contribules ſuas nõ ſolum licebat accedere,ſed & quicũq; vellẽt libere conuenientes,refectionem ſibi vendicabant. Comitabantur præterea Brigidã ſanctã,viraginẽq; inſignẽ, familiares quædã matronæ, virginesq; ei conſuetæ. Hos honeſta & religioſa veſte amictis,imperatũ erat vt ſi qua paupercula & inops eiſdem obuiã facta fuiſſet,veſtẽ (ſi opus eſſet) ſtatim cũ ea permutarẽt. Viſum fuit hoc pietatis inauditæ genus,plurimum diuinitatis in ſe habere. Eædem & quandoq; nũmos ſecum detulerunt,vt ſi quos in vijs aut in templis miſeros & egentes conſpicerent,q̃ proxime accedentes,pecuniam ſibi clam in manibus deponerẽt. Inſuper & intra priuatos lares perinde ac in publicum quoddã vrbis diuerſoriũ,ſeu xenodochium peregrinos pauperes excipiens, Frugibus agrorum ſuorum, tãq̃ primitijs deo oblatis, eos fouit ac refecit. Veſtibus quoq; (vt opulentis tum mulieribus tum virginibus bono eſſet exemplo) temperanter & modeſte vſa eſt. Incedebat etenim beata virgo Brigida iugiter fuſca, & humi tunica pullata,nec oculos quorũcumq; potentum erubeſcebat,vt deridentes ſe,ipſos derideret: ſciens eſſe confuſionem quæ duceret ad vitam, & quę ad mortẽ. Neq; enim (ad imitationem Pauli) volebat hominibus ſed Chriſto ſuper omnia placere. Nouerat etenim dominum hoc documentũ ſuis prophetis dediſſe,quum diceret: poſui faciem veſtram, quaſi vrbem æneam,lapidemq; adamantinum,ac ferream columnam, ne videlicet iniurias populi timeretis: ſed impudentiam ſubſannantium, frontis veſtræ rigore contereretis. Ingenia quippe liberaliter educata (vt etiam diuus tradit Hieronymus) verecundia facilius,q̃ metus ſuperat, & quos tormenta non vincunt, interdum vincit pudor. Suam enim ſubſtantiam,non ſuperbis,non locupletibus,ſed egenis iugiter erogare volebat. Neque ſibi ſufficere exiſtimabat opes erogare, aut contemnere, niſi vt CHRISTVM pro ſua virili per omnia ſequeretur: peccata videlicet dimittendo , & virtutibus haud ſegniter inhærendo. Mundana itaque omnia contemnendo,dicebat: pars mea dominus eſt. Aiunt enim eam,tantæ fuiſſe perfectionis & ſanctitatis,vt cum Iacob ſancto

patriarcha cōmeruerit videre ſcalam de terra vſq; ad cœlum,& per eam aſcendentes angelos & deſcendentes: & deſuper innitentem dominum,vt laſſis manum porrigeret,vt ipſa aſcendens,ad laborem ſuo prouocaret aſpectu. Ad materię igitur dignitatem,& ad meritum tantæ viraginis Brigidę parum eſt omne quod a nobis dictum eſt. Vbi autem,aut quo anno,vel quo genere mortis hæc ſancta virago ſuæ peregrinationis vitæ curſum conſummauerit, incognitum mihi eſt. Verum & poſt dormitionem diuina virtus non defuit:quando eius ſanctitatis meritū etiam ex quo conſecuta fuerat ęternæ gloriæ prēmium,omnibus aperte declarauerit. In Scotia enim eidem plurimę domus digniſſimę,a fidelibus populis ędificatę:in ipſis etiā locis & tēplis,beneficia ſanctę virginis orationibus exuberant. Anniuerſaria enim eius ſolēnitatis dies,primo calendis Februarij,a cunctis celebratur.

❡De ſancta Brigida Suetia matrona optima. CAP.CXXXVIII.

BRigita ſeu Brigida,eius nominis ſecunda,natione Germana,matrona equidem optima ſanctiſſimaq;,Suetię prouinciæ dudum princeps & domina religioſiſſima ac vates optima: & ipſa anno a natali chriſtiano,ſecundo & ſeptuageſimo,ſupra milleſimum & treceneſimum,poſt longas diuturnasq; peregrinationes, & innumerabilia ſanctitatis facinora, Romæ decimo calendas Auguſtas,eccleſiaſticis deuotiſſime ſuſceptis ſacramentis,in manibus ſeruorū dei, ſuum optimuū deo reddidit ſpiritum. Hæc quippe inter egregias claraſq; fœminas in Germania,Italiaq; ac Syria,notiſſima fuit:cū ex vetuſtiſſimis regibus chriſtianiſſimisq; parentibus in Suetia prouincia nata fuiſſet. Ipſa enim Suetiæ prouintia Bauariæ proxima eſt:quæ quidem plus q̄ centum pagos habere dicitur. Cuius gens omnium Germanorū bellicoſiſſima eſt,atq; plurimum valida,quæq; & perq̄maximam laudem ſibi aſcribit: quæ ſuis finibus latiſſime agris vacare, & finitimis vaſtitates inferre poteſt. Ea in prouincia,plurima inſignia loca & ciuitates conſiſtere noſcuntur,vtpote Bauaria,vetus dominium & alia permulta. Matrē igitur huius ſanctę viraginis Brigidę (aiunt) dum eā in vtero haberet,naufragiū paſſam,ſed ob eandē prolem ſaluatā fuiſſe. Nata vero tribus annis elinguis & prorſus muta remanſit,diuino deinde miraculo,perfectiſſime ſemper locuta fuit. Poſt mortem autē genitricis,enutriēda informādaq; materteræ tradita fuit. Apud quā in omni virtutū genere videlicet humilitate,deuotione,eximia eruditione,morū quoq; pene omniū cōpoſitione mirifice excreuit,ac in paruo quidē corpuſculo ingentē animū iā demōſtrare cœpit. Pater autē ſuus quū viro maturā cōſpexiſſet: cuidā eā generoſo inſigniq; ac præpotēti Comiti,florido iuueni nupſit:apud quē quoad vixit in omni honeſtate,& incredibili abſtinencia,atq; humilitate,manſuetudine & labore,ſemper ſubiecta permanſit. Sciens enim præceptum apoſtoli eſſe:vt vnuſquiſq; in qua vocatione vocatus eſſet,permanere deberet in domino. Et qui ſub iugo eſt,ita debere currere,ne in luto comitem derelinquat:debitū reddere ſtudebat in ſobole,ſciēs vxorē nō habere poteſtatem corporis ſui:eidem marito non ad voluptatem, ſed ad prolem procreandā inſeruiebat. Suū autē corpuſculum quū multiplicatis ieiunijs ſæpiſſime vexaret: hoc in ore ſuo voluebat. Subiicio corpus meū,& in ſeruitutē redigo:ne alijs prædicans, ipſa reproba inueniar. Mirabāt̄ ex tūc ei⁹ ſanctimoniā ſacerdotes,virgineſq;,ac ſanctimoniales deſyderabāt eius conſortiū. Mortuo deinde viro, rebuſq; domeſticis cōpoſitis,mox ſubſtantiā ſuam ampliſſimā omnem inter filios,& pauperes Chriſti diſtribuit & erogauit,nihil ſibi reſeruās in terra,vt hæreditatē in cœlo inueniret. Familiāq; omnē pene manumiſſā,plurimos vtriuſq; ſexus,videlicet de ſeruis ancillis ſuis, in fratres & ſorores ꝑmutauit. Nec diu potuit excelſi generis ſui viſitationes,& multorū frequētiā ſuſtinere:ſed & habitū ſimul & vitā permutauit,& ſe viliſſimis indumētis atq; aſprimis induit,& plurimas virgines ſimul & matronas ad ſe,& verbo &

exẽplo aggregauit:quibus vnum omnium voluit eſſe habitũ, & linteamine nõ niſi ad velãdũ caput,& ad tergendas ſolũ manus,vti nõ licebat:eo enim modo plures virgines ex diuerſis Germanię locis congregauit:eaſq; omnes in monaſterio a ſe ædificato vna ſecũ collocauit,& in cibo & opere,ac orationibus ſibi cõiũxit:inter quas ad quæcunq; agenda prima cõueniens,& pudore & exemplo ad orationem & laborem eas prouocabat,nõ terrore.Eaſq; omnes,a viris adeo ſeparauit,vt a ſerpentibus, ne vllã linguę maledictæ occaſionẽ præberet.Cumq; abiectis calcatiſq; ſeculi delitijs Brigida hæc toto renuntiaſſet mũdo,& orationi,ieiunijs, lectioniq; vna cum cæteris quotidie vacaret.Et monaſteria duplicia,videlicet virorum ac fœminarũ diuino afflata ſpiritu ad imitationẽ diui Baſilij,in Germania nonnulla ędificaſſet,immo potius inſtauraſſet & renouaſſet,in quibus licet ędificia cõnexa eſſe voluerit,tamen habitationes ita ſeiunxit:vt de vna ad aliã,niſi maxima vrgente neceſſitate,trãſire quiſquã nõ poſſet.Ipſorum autẽ baſilicam cenſuit eſſe cõmunem:ita vt viri in inferiori parte,ſorores vero ſeorſum in ſuperiori diuina exoluerent.Quorũ monaſteriorũ curam principalem Abbatiſſę eſſe cenſuit.Fratribus autẽ diuina miniſteria tantũmodo aſſignauit.Quorũ vnus qui prior aut cõfeſſor appellaretur,alijs preeſſe decreuit.Quæ quidem monaſteria prouentus ad ſuſtentationẽ eorum habere voluit: quorum omnium victus & veſtitus ad Abbatiſſam monaſterij ſpectare cenſuit.Sed neq; huiuſmodi fratres aut ſorores monaſterium egredi præſumerent,niſi maxima & euidenti neceſſitate,ac de ipſius Abbatiſſæ licentia.Eiuſmodi etiã fratres & ſorores cẽſuit per epiſcopos eſſe cõſecrandos. Hi quoq; religioſi griſeis veſtimẽtis communiter vti iubentur: cum chlamyde nihilo minus eiuſdẽ coloris,cruceq; rubea deſuper induti. Carnibuſq; per tempora vtuntur.Regulam autẽ diui Aurelij Auguſtini (additis quibuſdã Brigidæ ſanctæ cõſtitutionibus) profitentur omnes.Ipſis vero fratribus & ſororibus ſancta Brigida aſſignauit numerum.Quę quidem omnia ipſa ſanctiſſima Brigida ſibi a deo reuelata fuiſſe dictataq; cõteſtata eſt.Quam quidẽ regulam Vrbanus põtifex eius nominis quintus,plurimiq; alij Romani pontifices(ad quos ipſa acceſſerat) autoritate apoſtolica ſpecialibus priuilegijs approbatã confirmatãq; eſſe voluere.Huius igitur tantũ deuotionis & orationis atq; ingenij meritũ in cõſpectu dei omnipotentis fuit vt vigilij ſtudio,non abſq; magno dei munere meruerit tanq̃ ſanctus Daniel(ſi verum eſt ab ea dictum quod legitur) futura tanta(de quibuſdam regnis cõſumandis) tanta claritate deſcribere:vt factum potius q̃ vaticiniũ videatur.Hæc autem ex præcepto diuino quum Romam cum religioſiſſimo comitatu deuotionis cauſa veniſſet,Vrbanus prædictus pontifex eidẽ in primis regulam cœptam cõfirmauit.Deinde ipſo põtifice percunctanti, an Auinionẽ accedere deberet:omnino diſſuaſit,atq; eidẽ ſi accederet, ſuos labores ſuãq; futurã de proximo mortem tam perlucide prædixit, vt nil poſt factum q̃ ante noſceretur clarius,ſucceſſoriq; Gregorio vndecimo ſcripta direxit,vt Romanã omnino curiam reduceret:licet nõ annuerit.Quibus certe meritis & dilectiſſimam deo fuiſſe cenſendũ eſt:& præ cæteris ſui æui mulieribus venerãdam: atq; omni ſanctitatis præconio extollendã:non enim in contagioſo pectore, tantum futurorum lucis effulſiſſe potuiſſet.Eius autẽ prophetiæ ſcripta apud plæroſq; non paruo habẽtur in pretio.Inde Chriſti amore ſuccenſa,ſanctã Hieruſalem,ſanctaq; loca alia cum multo comitatu inuiſere voluit, parcere noluit aut laboribus, aut ætatis iam prouectæ & teneritudini:quo minus ſpretis pelagi periculis,neglecta nauigationis vexatione,ſanctum peteret domini ſepulchrum.credo etiam tum ita deo optimo ſic deliberante,vt etiam atq; etiam Chriſti Ieſu diſciplinã,& ſpiritum ab ipſo fonte,loca illa petendo,viſendo,relegẽdo ſuſceperit.Itaq; maiorẽ in modum in ea creuit incredibilis amor,atq; zelus chriſtianæ fidei.At ita coaluit,vt nihil deinceps niſi de ipſius incremento ac amplificatione cogitare potuerit. Eo itaq; dum perueniſſet ſancta virago Brigida:plurimi vtriuſq; ſexus religioſi geſtientes occurrere,moxq; eã primo in ſpelũcam domini perduxere,Inde adorato cũ ingenti fletu ſaluatore,in ſe

pulchrum domini intrans,cum matre eius atqꝫ ſorore fleuit q̃ amariſſime, deinde in montem Oliueti cum aſcendente domino,voto & animo & ipſa conſcendit. Viditqꝫ in ſpiritu,Lazarũ faſcijs colligatum de monumento exeuntem reſuſcitatũ:atqꝫ poſt reliqua,etiã Chriſti villulam, Mariæqꝫ diuerſoriũ denuo inuiſere ſæpius voluit, dicens.Ecce chariſſimi mei in hoc paruo foramine terræ: cõditor mundi naſci voluit, hic pannis inuolui,hic a paſtoribus videri, hic a ſtella demonſtrari,& a Magis adorari:hic locus eſt ſanctiſſimus omniqꝫ veneratione dignus.& iccirco ibidẽ ſancta peregrina Brigida cum ſuis crebrius orauit & fleuit,dicẽs:Inueni quem quæſiuit anima mea.Adeo quidẽ locis ſanctis oblectabatur Brigida,vt diuerſorio Mariæ carere omnino nollet.Tandem cum ſuis Romã regreſſa,tam gratus atqꝫ honorificus apud Romanos fuit eius reditus,ac ſi maximus quiſpiã pontifex eo perueniſſet,tãqꝫ lætis cunctorum concurſibus excepta eſt: vt e cœlo aliquis ſanctus ad eos demiſſus videretur. Nam pleriqꝫ quaſi ſui obliti,ipſam ſanctã fœminam ingenti quodã ardore adibant, ipſam venerabiliter intuebãtur,in ipſamqꝫ proinde,ac in amœniſſimo diuerſorio cõquieſcere videbãtur.Gratulabãtur eidem q̃ plurimum omnes,quum ipſius comitatem,eiuſqꝫ humilitatem,ac morũ ſanctimoniam, inde & ingenij acumẽ, deniqꝫ diuinam prope ſapiẽtiam animaduerterent viderẽtqꝫ.Vnde non modo viuens,ſed & vita functa,poſteros q̃ plurimos in ſui deuotionẽ,obſeruantiam,atqꝫ charitatẽ perduxerit maximam.Ibidem autem multo interiecto tẽpore:contracta infirmitate, per annum integrum grauiſſimis langoribus lecto decubuit.Demũ dum appropinquaſſet dormitioni,& iam venarũ fontes hauriret calor,laſſoqꝫ anhelitu triſtes conſolaretur comites,læta erat vultu,& vniuerſis circa eam plorantibus,ſola ipſa ridere videbatur:ac quaſi in occurſum veniẽtibus angelis,ſe vt poterat ſalutare veniẽtes erigebat.Ac ſic depoſita tandem ſarcina Brigida ſanctiſſima,leuior effecta volauit ad cœlum.Tota hãc Romana ciuitas,totaqꝫ planxit Suetia,Corpus ſanctũ terra ſuſcepit, anima vero Chriſto reddita eſt. Aiũt enim,cũ necdũ ſancta mulier debitam Chriſto reddiderat animã,et iam erat fama volans tanti prænũtia luctus,totius vrbis populum ad exequias conueniſſe. Eius autẽ felix tranſitus,glorioſiſſimis miraculis & indicijs euidentiſſimis oſtenſus eſt.Anno deinde ſubſequente cum ſui religioſi magna ſe ignominia affici exiſtimarent,ſi alibi q̃ in patria eius venerabilis ſanctæqꝫ mulieris corpus humatum remaneret:a ſummo pontifice impetrarunt,vt ſibi id permitteret in Suetiam deferri: quo delato,conuenientia eius vitæ monumenta conſtruxerunt. Atqꝫ inde,a Bonifacio pontifice eius nominis nono & vigeſimo poſt ſui obitũ anno ob frequentiam miraculorum in ſanctarum cathalogo relata eſt.Germani itaqꝫ omnes apud quos permulta & ampliſſima huius ſanctæ mulieris habẽtur monaſteria: ſolennitates & ritus,& honores atqꝫ ſacrificia per q̃ maxima ei tribuunt,vndecimo calendas Auguſti:quo die migrauit a ſeculo.

¶De Theodolinda Longobardorum regina. CAP.CXXXIX.

THeodolinda illuſtris & magna Lõgobardorum Regina,fœmina ſane chriſtianiſſima primũ Arthariſ Hauij regis deinde Agilulphi regis eius ſucceſſoris vxor , circa annum domini nonageſimum ſupra quingenteſimum,Gregorio magno pontifice in Petri cathedra præſidente,Mauritio Auguſto Romanis imperante,& generis conſanguinitate,ac per q̃ maxima religione,necnon & alijs infinitis propemodum egregijs facinoribus emicuit, atqꝫ inclytum perpetuæ claritatis nomen ex Longobardorum omniũ conuerſione,ſibi vendicauit. Fuit quippe hæc illuſtris regina in primis Garimbaldi optimi chriſtianiſſimiqꝫ Bauarorum regis filia.Bauaria autem quæ & Noricum ipſius regis tunc regnũ,eſt Germaniæ inſignis & nobilis prouincia: quæ pro limite,ab occaſu Sueuos ſeu Ennium fluuium habet.Ab auſtrali plaga,Boemiam & Danubiũ:qui Danubius fluuius me=

diam pene perlabitur. Ab ortu Cecinum montē qui Pannoniam ab ipſa Bauaria diſterminat. A meridie vero Curuacam montem, ſeu Italiæ Alpes. Inter Auſtriam autem & Bauariam, Iſara pro termino poſita eſt. In ea vrbes inſignes plurimæ nunc adſunt, Quarum Metropolis & primaria, Salzeburga habetur. Erat igitur Theodolinda hæc ex ipſa prouincia oriunda: quę ſua in adoleſcentia tam exquiſiti decoris, vt incredibile omnibus videretur, erat & ingenij prope diuini verſatiliſq;, inſuper & comis ac per q̄ humaniſſima, & omnibus gratiſſima, quam pater in florida ætate Artharis flauio Longobardorum Regi connubio iunxit. Eoq; anno Chilpericus Francorum rex, quum Artharis regis inimiciſſimus foret, indignatus Garimbaldo, q̄ filiā eidem matrimonio copulaſſet: in Bauariam cum exercitu multo veniens, ipſum ex Bauaria expulit, & regno paterno priuauit: qui fugiens ad Theodolindā filiam cum ſuis venit. Quem Artharis læto animo ſuſcepit: & intātum illum, quaſi loco retributionis vxoris, honoribus prætulit: vt nil fere ipſe Artharis gener in Italia niſi eo diſponente perageret. Per annum autem tātum Artharis rex poſtq̄ vxorem duxit, ſuperuixit. Ipſa itaq; Theodolinda regina eo in tēpore apud maritum & eius proceres, militeſq; omnes, non minorem gloriam aut laudem, q̄ apud patrem cōſecuta eſt. Nam in omnes æque ſe comem, facilē, & perhumanā præſtitit: quippe q̄ & in pauperes in primis atq; oppreſſos & viribus deſtitutos, & verbo, & opere perbenigne omnes cōfouebat: his erat patrocinio, hos tuebatur. Neq; quenq̄ a ſe vnq̄ mœſtum dimittebat, donec implorantis neceſſitati auxilio proſpexiſſet. Neq; vnq̄ tam quibuſuis voluptatibus potuit deliniri, vt ſuorum obliuiſceretur ſubditorum. Mortuo autem eius poſt annū marito prædicto, quum Longobardi proceres de futuri Regis electione diu diſcordes eſſent: tandem ita conuenerunt, vt quem ex Longobardis principibus Theodolinda hæc eorum gratiſſima regina in virū deligeret: pro rege haberetur. Quibus poſt gratias exhibitas, vt communi bono conſuluiſſe videretur, Agilulphum Thaurinenſem ducem, virum bellicoſiſſimum, prudētia & forma præſtantem, maritum ſibi delegit, ac regem declarauit. Agilulphus igitur beneficio & electione huius viraginis Rex conſtitutus & ſalutatus, cognita vxoris ſapientia, & magnanimitate, mox eidem omnem pene regni curam commendauit: quod vt plurimum quoad vixit, maximo cum cōſilio, magnaq; prudētia adminiſtrauit, in ſumma quiete, paceq;, ac ciuium, & pene omnium amore. Et quandiu præfuit, multa edidit iuſticiæ exempla aduerſus nocentes. Et quanq̄ Longobardi omnes gentilitatis ritus obſeruarent: ipſa in tantis nihilo minus occupationibus & paganorum ritibus obuerſaretur, nunq̄ res diuinas intermittere voluit, nec ieiunia intermiſit, & alia huiuſce bona, quæ ad placādam diuinam irā, & ad promerandam ipſius miſericordiam, ſuper conuerſione populi ſui pertinerēt. Vtebatur magna liberalitate & frequenti in omnes, maximeq; in pauperes: Ipſe autē Agilulphus rex maritus ſuus, mox regno ſuſcepto, pacem poſtulatā, Cachano Hunnorum regi conceſſit. Sequenti deinde anno, ſimiliter cum Chilperico Frācorum rege compoſuit, & eius ſocero Garimbaldo Bauarorum regi pulſo, regnum reſtituit. Regnoq; pacato, contra Romanos bellum ſuſcepit, & Romanam vrbem per annum acriter obſedit, atq; illi clades nonnullas intulit. Inde in Patauium vrbem (lignis tantummodo compactam) mouens, cum diu illam obſediſſet, tandem igne immiſſo, illam exuſtam, deſolatamq; pene dimiſit. id & in Cremona & Mātua vrbibus effecit. Tanta igitur erat huius reginæ comitas, atq; (vt ita loquar) ad omnia naturalis ingenij dexteritas, vt facile diuerſis, cōtrarijs etiam hominum moribus, ſuum viuendi accommodaſſe videretur modum. Quam ob rem, quum apud Longobardos ſuos bene promeritam ſe cognouiſſet, ipſos pene omnes ſuis elegantiſſimis efficaciſſimiſq; adhortationibus, quaſi compulit antiquos maiorum ſuorū gentilitatis ritus relinquere, & verā Chriſti domini noſtri fidem ſectari. Nam etiā ei largitiones & frequētes eleemoſynę, ac ingēs erga ſuos erat milites magnificētia, qua omniū Reginarū pręteritarū liberalitatē ſuperabat. eloquētia īſuper, & optima chriſtianę religionis diſciplina,

affabilitaſq;, & forma,ac alia permulta,quibus Theodolindam deus omnipotens atq; natura mirifice inſtruxerat:eam ſibi gratiam apud Regẽ & vniuerſum populum ven dicabat: vt pene omnes, ad eius promerendam gratiam, grato animo antiquum viuendi modum aſpernari viderentur. At deniq; Agilulphus rex in primis humaniſſimus,huius optimę vxoris reginę deſiderio permotus(quum & ipſe legiſſet libros dialogorum diui Gregorij eidem reginę ab ipſo pontifice miſſos)ſtatuit omnino pientiſſimam illius voluntatem(quæ tanq̃ præclara arbos ampliſſimos fructus paritura videbatur)quantum in ſe erat non ſolum adiuuare,ſed & ad debitum finem traducere. Itaq; perficiendi quæ diua regina ſuadebat & prædicabat ſtudio pellectus Rex,extemplo cunctis erroribus idolorum omnino repulſis,ad chriſtianam religionem & diſciplinam animum vertens,ſacrũ baptiſma ſuſcepit,atq; omnibus poſthabitis nugis, ardẽtiſſimo amore in rebus chriſtianitatis illius familiaritatem iniuit,doctriniſq; intereſſe voluit,neq; ab illius lateribus(quaſi a ſapientiſſimo concionatore) vnq̃ diſcedere poſſe videbatur. Lætabatur & ipſa nõ mediocriter in hoc,q̃ cernebat ipſum regem virum ſuum dilectiſſimum,non gratiam cuiuſcũq; mortalis hominis,vt alij for taſſis plurimi, cõſectari,ſed religionem & ſanctimoniam tantummodo quærere:atq; præcipue in eo laborare,vt ij qui inſtrui aut vellent aut poſſent:omni corruptela,inſolẽtiaq; ac hipocryſi repulſa,optimis moribus imbuerẽtur. Dimiſſa igitur ab Agilulpho rege cæteriſq; ſuis gentilitate,pacem omnimodam cum diuo Gregorio pontifice Romano(ablatis eidem reſtitutis)compoſuit. Hortabatur autem hæc diua regina virum ſuũ omneſq; ſuos iugiter,dicens. Erigite dilectiſſimi mei animos veſtros ad coruſcãtem luminis ſempiterni gratiam,vobis miſericorditer collatam. Abſtinete vos obſecro a carnalibus deſiderijs,quæ militant aduerſus animam:quemadmodũ diuus Chriſti apoſtolus ſuis(vt legitur) verbis hortatur. Malitia paruuli eſtote:quia & dominus gloriæ ſe hominum conformauit infantiæ. Induite vos arma iuſticiæ, & virtute patientiæ,in quibus animas veſtras acquiretis:quoniam qui cunctorum eſt redemptor & redẽptio,ipſe etiam erit omnium fortitudo: per viam veritatis & pacis incedite conſtanter,nec vos impediant terrena oblectamenta:pro quibus omnibus pa rata ſunt cœleſtia. Hæc & ſimilia documenta Theodolinda Regina ſuis omnibus & verbo & exemplo docebat. Sicq; hæc viragõ chriſtianiſſima & religioſiſſima domina,plurimorum bonorum omnibus Longobardis extitit cauſa. Hæc præterea inter cætera ſuæ pietatis opera,monaſterium nobiliſſimum in honorem ſancti Columbani abbatis apud Bobiũ Longobardię vetuſtam vrbem ſuperbiſſimis ædificijs,ſua im penſa ædificauit, & q̃ plurimos fundos ad monachorum ſuſtentationem contulit,& aſſignauit. Alia quoq; nonnulla monaſteria & templa, maximeq; apud Modoetiam agri Mediolanenſis,celebre & frequentatiſſimum oppidum,in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ a fundamentis inſigniſſimum extruxit, quod quidem & prædijs alijſq; diuitijs,cum argenteis tum aureis plurimis vaſis adhuc extantibus,exornare curauit. Vnde ex illo & deinceps propter mulieris exemplũ: Longobardi noſtri omnes,ſanctiſſimum Ioannem Baptiſtam,domini noſtri præcurſorem,in aduocatum & protectorem ſumpſere præcipuum. Vnum autem tantummodo eam ediſiſſe filium nomine Adoaldum regni ſucceſſorẽ,ex Agilulpho rege marito ſuo conſtat:cum quo paruulo adhuc poſt viri mortem regnauit annis decem. Cui & ad acquirendũ præſidiũ vixdum quadrienni,Theodoberti Francorum regis filiam deſpõſauit vxorem. Quę quidem prudentiſſima mulier,cum omnibus nedum Longobardis ſuis,ſed & vniuer ſis Italicis,alijſq; nationibus pacem facere curauit. Erat nihilo minus ipſa Theodolinda regina,& ob virtutem & rerum geſtarum gloriam:ad præclara omnia obeũda, animo ſemper parata: vndiq; tamen quoad vixit vſq;adeo bellicas res prorſus abſtulit,amouit,& perdidit. Non enim ſui modo Longobardi,ſanctę huius virginis iuſticia & modeſtia,ad religionem ac pacis amorem traducti ſunt:verumetiam & pontificis Romani vrbes,aliæq; nationes vicinę,quaſi aliqua inde ſe aura,ſalubriq; ſpiritu

ferente,mutationis & imitationis principiū ſuſceperunt,& in omnes deſiderium in-flexit,ſancte, modeſte,tranquille,pacateq; viuendi,& colendæ religionis chriſtianę, nutriendorumq; in quiete filiorum, & populorum. Neq; enim bellum, neq; ſeditio, neq; tumultus,Regina Theodolinda regnante,in toto Longobardorum regno fuiſſe inuenitur. At neq; aduerſus eam vllæ vel inimicitiæ,vel inuidia,ſeu ob regnandi cu-piditatē virorū conſpiratio. Quo autem genere mortis hęc diua noſtra Regina diem obierit,nullibi me legiſſe memini. Cōſtat autem omnes ſocios,& amicos,populoſq; multos,publicis ſimul concurſibus,& (vt ita dixerim) coronis ad inferias conueniſſe: & non vt Reginę ſolum exequijs aſſiſtentes,ſed veluti ex chariſſimis aliquem ſinguli ſepeliſſent,eam eiulatibus & fletibus ſunt ſecuti. Sepulchrum autem eius Modoetię, in tēplo diui præcurſoris a ſe ædificato,celebre adhuc extare dicitur: in quo (vt aiūt) diu ipſius diuæ Theodolindæ ſignum fuit: id quoq; ad maiorum noſtrorum ætatem vſq; etiam permanſiſſe fertur: quæ videbatur non animo tantum,verum etiam ore ipſo ac vultu heroica extitiſſe.

¶ De ſancta Aurea Pariſienſi abbatiſſa. CAP. CXL.

AVrea abbatiſſa,virgo ſanctiſſima, Diui Eligij Pariſienſis ſeu Nouionenſis optimi pontificis diſcipula, in Chriſtoq; filia dilectiſſi-ma: temporibus Heraclionis Auguſti Ioanneq; pontifice, eius nominis quarto,in cathedra Petri Romæ præſidente: circa annū ſa-lutis noſtræ ſextum & trigeſimum ſupra ſexcenteſimum, Pariſijs & eximia diſciplina,incredibiliq; ſanctitate,plurimū inſignis claraq; emicuit. Cuius ſanctitate permotus idē ſanctus pontifex Eli-gius: ipſam ea in vrbe trecentis monialibus matrem præfecit. Earumq; monaſterium quoad vixit,mirifice ſanctiſſimeq; non ſolum rexit, verum & innumerabilibus ſignis ac pene incredibilibus miraculis,in vita pariter & poſt mortem celeberrimum reddi-dit. Nam tanta eius erat ſanctitas & ſapientia, vt omnes facile in ſtuporem verteret: putantes non operam, non verbum, non quicq̄ aliud eſſe magnum aut paruum, niſi q̄ Aureæ ſācte virgini videretur. Eius enim vita omnis,eloquiaq; omnia,diuina pro-pe,pura quoq; erant,longe ab omni mendacio remota,aurum purgatum & probatū terræ. Huic autē virgini ſanctiſſimæ in primis & natura duce,atq; dei iudicio Aureæ nomen impoſitū conueniētiſſime fuiſſe exiſtimo,ac ex aureo genere propagatā pro-fecto dicere poſſumus: quum ipſius aliter genus ignoretur. Et quanq̄ ex quibus paren-tibus ortum habuerit,non ſatis conſtet: initia tamen generis glorioſa fuere. Quippe quum a puero foret natura prudēs,& animo elato atq; diuino,magna ſemper ab ex-ordio cogitare & dicere voluit. Nam cum ei a muliebribus negotijs,alijſq; diſcipli-nis perdiſcendis quieſcere,ac animum cum alijs puellulis relaxare licebat, non vt reliquæ ſolent,ludis,ineptijsve ſe dedebat,ſed orationibus aut in templo, aut in angu-lis domus ſuæ aſſidue verſabatur. Vnde & reliquas matronas vicinas dicere ſolitas quandoq; ferūt: Nihil equidem in hac puella paruum aut puerile,ſed certe magnum aliquod bonum auguramur. Nam ad ingenuas illas diſciplinas,quę ad gratiam,& li-beralem educationem quæri plerunq; ſolent,perdiſcendas,acri animo,celebriq; ingenio erat. Quibus autem ad aſtutiam & mūdi ſapientiam,& ad vanitatem,pompāq;, ac luxum informantur puellarum mentes,ea omnino contempſiſſe ac deſpexiſſe vi-dere viſa eſt,vt quæ ſupra ætatem naturæ bonitate conſyderet. Ex quo effectum eſt, vt in ipſa pene pueritia,deſpecto mundo & pompis eius,ad crucem Chriſti diuino afflata ſpiritu,diuiq; Eligij eruditiſſimi in primis viri,& naturæ munere adiuta, ar-dentiſſimo animo euolauit: vnde in ipſis iuuentutis primordijs celeriter & audacter viſa fuit ſacrum religionis habitum,incēſa patriæ cœleſtis deſyderio,ſuſcepiſſe. Vbi ſtatim omnem viuendi modum, ſagaci mente perluſtrans: haud multo poſt,omnes

coæuas virgines ſanctimoniales,in omni virtutum genere non modo æquauit,ſed mi rabiliter ſuperauit:ſemper ſeipſam ac terrena quæcꝫ contemnens,ſolum cœleſtia deſyderare viſa eſt. Vbi autem religionem ingreſſa,animaduertens omnino non poſſe quenq̃ vitam ingredi ſine charitatis adminiculo,in primis ex domini præcepto deũ ex toto corde,& ex tota anima ſua,totiſcꝫ viribus ſuis diligere voluit. Inde ſciens ſe de ſeculo per corpus cum alijs in apoſtolica vita adunatam fore : iuxta apoſtolorum ritum, cum cęteris ſororibus omnibus,vnum cor,vnamcꝫ animam in domino habere curauit:velut de ipſis apoſtolicis viris, eorum in actibus legitur. Multitudinis autem credentium erat cor vnum,& anima vna in domino. Eidem itacꝫ Aureæ virgini cum reliquis ſororibus,a principio vſcꝫ in diem defunctionis ſuæ,vnus ſemper extitit affectus, vna voluntas, vna fraternitas,vna morum proportio,vna iucunditas,vna triſtitia:ne videlicet alteri quod placeret,diſpliceret alteri:atque ſic vnanimis in domo dei habitans,cunctis ſe religionis propoſitum profeſſam,conteſtata eſt. Cumcꝫ etiam ex euangelio ſciret,veſtimēta duplicia fuiſſe apoſtolis prohibita,ſolummodo ea quę naturæ ſubueniebant,parce ſemper habere volebat. A diuo Eligio epiſcopo deinde monaſterio præfecta,nullam vnq̃ aut in potu vel in cibo, aut in veſtimentis pretioſitatem præ ſe tulit:immo quanto in loco ſuperiore ſe maiorem animaduerteret,tãto ſe in omnibus deiectam oſtentabat. Secꝫ quidem ſemper vt viliſſimum terræ ſtercus, ac vapor admodum parens exiſtimabat. Dicebatque CHRISTVM ſponſum ſuum (cuius generationem nemo enarrare poteſt) non miniſtrari,ſed miniſtrare veniſſe. Vnde & in vltima cœna, diſcipulorum ſuorum pedes abluens,cunctis chriſticolis hoc præcipuum humilitatis exemplum reliquit. Sic nempe CHRISTI charitas, ita eius cor in creaturas deificas transformaſſe videre viſa eſt,vt pene eius caro, neſcia eſſet carnis. Suo autem in regimine nihil omnino velle ſciebat,niſi quod ſubditæ. Sic ordinata erat, ſic rationi conformia ſororibus mandata proferebat, vt etiam deprauatæ ſuperbæque mentes,animarentur ad eius obedientiæ ſemitas. Non otium,non torpor,non ignauia:illam vnq̃ ad dei ſeruitia tepidam aut frigidam reddere potuit. Quinimmo ſemper aut diuinis officijs aut priuatis orationibus,& cœleſtibus contemplationibus, aut ſanctis manuum operibus, cæteriſque religionis laboribus fatigatum corpuſculum,potius refocillationem,q̃ voluptatem requirere volebat. Suam denique inter gentes conuerſationem omnem, non modo bonam, verum optimam quidem ſemper habebat,adeo vt ex odore ſuæ ſanctitatis, etiam malorum corda nonnunq̃ ad ſancta deſyderia laceſſiti mouerentur : has ob res Aurea virgo abbatiſſa,ſummam gratiam eſt ab vniuerſo Pariſienſe populo conſecuta:aſſerentibus cunctis, vix tandem poſt annos multos, hanc ſolam quæ merito ſanctimonialium Pariſienſium mater dici poſſet,inuentam eſſe. Quid dicam de iſtius ſanctiſſimæ matronæ gloria, virtutibus innumeris,triumphis contra inſidias inimicorum teterrimorum,reuelationibus,miraculis,in vita pariter & in morte,ac poſt mortem? Quid monaſterij illius amplitudinem,& operum magnificentiam,& templi ingentis molem? Verum hæc tantum alias inter caput extulit almas, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi. Eius igitur vita non dedecus, ſed ſummam potius immo conſummatiſſimam vrbi,& ſtirpi,ac religioni ſuæ gloriam adieciſſe dicendum eſt. His autem artibus Aurea virgo matrona ſanctiſſima bene de deo,de patria ſua, de religione ſua, de ciuibus ſuis, deque omni chriſtiana religione merita, cum octauum & ſexageſimum ætatis ſuæ abſoluiſſet annum, mortem oppetijt, ſuæque ætatis cum plurimum in adminiſtranda religione, & regularibus obſeruantijs triuiſſet. Cuius ſanctum corpus apud Pariſienſes maxima in veneratione ob frequentiam miraculorum habetur. Eius autem anniuerſaria feſtiuitas celebratur duodecimo calendas Nouembris.

ℂDe Cæſarea Perſarum Regina. CAP.CXLI.

CÆſarea illuſtriſſima Perſarum regina, Mulier ſane inclyta ac plurimum ſapiens: anno ſalutis noſtrę quadrageſimo ſupra ſexcenteſimum, Conſtantio Auguſto eius nominis tertio Cōſtantinopoli imperāte, Theodoroq; pontifice Romę in cathedra Petri præſidente, maximum fidei documentum omnibus præſtitit imitandum. Cuius etſi originis nullam ſtare memoriā compererim, gratiſſimam tamen coniugem marito ſuo regi fuiſſe comperio: quæ vnico, & illo in primis optimo opere valuiſſe dinoſcitur: ex quo, tanto digniori & egregiori laude extollendam puto, quanto illud ſua ſponte, ſingulariq; diuinę miſericordiæ dono, non alicuius concionatoris aut doctoris impulſu ardentius exſoluerit. Nam zelo fidei chriſtianæ impulſa, viro inſcio de Perſide cum paucis exiens, humili habitu Conſtantinopolim multo cum labore & periculo tādem peruenit. Vbi & ab imperatore Conſtantio, magno apparatu honorificentiſſime excepta eſt, Ibidemque aliquandiu ſubſiſtens, accuratiſſime de documentis chriſtianæ religionis ab eruditiſſimis & ſanctiſſimis viris informata, & cathecumina tandem ac chriſtianiſſima cum omnibus ſuis euaſit fœmina. Quam Auguſta imperatoris vxor, cum maxima lætitia de ſacro fonte ſuſcepit. Quod vbi eius vir Perſarum rex intellexit, non mediocriter indoluit: Miſſiſq; extemplo Conſtātinopolim legatis, humiliter ab imperatore expoſtulauit, ſibi ſuam vxorem reddi. Quibus Auguſtus reſpondens, ait in arbitrio reginæ fore ſtandi videlicet & diſcedendi: idcirco ipſimet ſciſcitarent ab ea. Quibus illa affirmauit, ſe nunq̄ reuerſuram, niſi & ipſe rex, chriſtianus efficeretur. At rex re cognita, ſtatim cum honorificentiſſima ſuorum Perſarum ſocietate videlicet quadraginta milium virorum, Conſtantinopolim multo apparatu, pacatoq; agmine veniēs, ab Auguſto ipſo benigniſſime ſuſceptus: non multo poſt vna cū ſuis omnibus baptizatus eſt. Quem Auguſtus ex ſacro fonte ſuſcipiens, illum tanq̄ filium chariſſimū ſibi delegit. Quibus ex ſententia geſtis, multis etiam muneribus donatus, atq; honoribus & priuilegijs honeſtatus, valefaciens Auguſto & Auguſtæ, lætus gaudenſq; cū dilectiſſima ac chriſtianiſſima vxore, in patriam & regnum ſuum feliciter redijt.

¶De Irene imperatrice. CAP. CXLII.

IRenes Cōſtantinopolitana regina, Leonis Auguſti dilectiſſima cōiunx: anno ſalutis noſtræ tertio & ſeptuageſimo ſupra ſeptingenteſimum, Hadriano pontifice Romano eius nominis primo in cathedra Petri præſidente, & imperio, & pulchritudine, ac rebus plurimis ſtrenue geſtis, clariſſima emicuit. Hæc quippe origine Athenienſis, nobiliſſimis parentibus orta, etiam inſigni pulchritudine fuit conſpicua: quas ob res, cum Cōſtantinus e patria in Thraciam ad ſe eam accerſiri feciſſet, delectatus plurimum ſua incomparabili pulchritudine, ac morum compoſitione: eam Leoni ſeu Leocozario filio ſuo primogenito vxorem copulauit. quam ob rem & ipſo Cōſtantino ſocero ſuo defuncto, eidem ipſa ratione mariti Auguſta ſucceſſit, & filium nomine Conſtantinū marito peperit. Demum & marito rebus humanis ſubtracto, cum filio eodem Conſtantino admodum paruulo, per decēnium imperium ipſa peregregie adminiſtrauit. Sed eo iam grandiuſculo facto, aſſerenteq; ſibi iam tandem imperium deberi, eam octo annis (vt aliquibus placet) ab adminiſtratione remouit. Tandem ingentis animi mulier, & imperandi auida, vidēs ſe in diſcordiam deueniſſe filij: quodam fœmineo aſtu iuuenem viribus ſuis plurimū fidentem cepit, & ab imperio ſubmotum, in cuſtodiam coniecit. Soliumq; a quo vniuerſus orbis olim iura ſuſceperat, ſola conſcendit, & præ cæteris mortalibus clara imperatrix effecta, cum ingenti gloria quinq; annis ſola imperauit. Porro amicorum Cōſtantini filij cōſilio actum eſt, vt Armeniorum auxilijs, poſt quinquennij tempus culmine imperij deponeretur Irenes, & filius Conſtantinus a vinculis abſolutus, patrio

reſtitueretur in throno. Qui in matrẽ mitior, q̃ ea in ipſum exiſtẽs, plurimũq; in amicorum auxilijs ſeu viribus ſpei habens: illam non carceri reddidit ſeu tradidit, ſed in palatio Eleutherij, quod ipſamet conſtrui fecerat, cum omni rerum copia ſeruari iuſſit. Eius omnibus amicis exilio relegatis. Attamen cum is infœliciter aduerſum Burgaros geſſit, cumq; tentaſſent ob id primates eum ab imperio ſummouere, & Nicephorum eius patruum eius loco ſubſtituere: ira exaſperatus, in turpem prorupit ſęuitiã. In primis enim Nicephoro ipſi & Chriſtophoro eius fratri linguas euulſit: hinc Alexium Armeniæ patritium luminibus orbauit, & Mariam ipſius coniugem monaſticum habitum aſſumere compulit. Theodotæ cubicularia vxore ſuperinducta: quam quidẽ e veſtigio coronauit. Quibus enormitatibus, occulta mulier Irenes (quæ eſto coacta imperij fortunam depoſuiſſet, egregium tamen ſeruauerat animum) ſpe reaſſumendi principatus ſumpta, ſi aurum optimatibus largiretur profuſe, theſauris reſeratis, quos dum imperaret eo in palatio, in quo ſepoſita habitabat, clam abſconderat: animos principum imperij ſibi vendicandi fecit accommodatos. Cumq; eos amplis muneribus in ſuam deduxiſſet ſententiam: egit vt qui illam depoſuerant, etiã Conſtantinum filium caperent, luminibuſq; priuarent. & ſic animoſa mulier, ſublatũ ſibi olim reaſſumpſit imperium Cõſtantinus autẽ ob hoc morbo correptus interijt. Tandem Irenes cum quinq; iterũ imperaſſet annis, a Nicephoro in palatio Eleutherij obſeſſa eſt. Qui cum a Cariſitio patriarcha Conſtantinopolitano imperij diadema ſuſcepiſſet: ſuadentibus Leone & Tryphilo patritijs, atq; Sycopeo ſacellario, nuper ab Irene ditatis, actum eſt vt ad Irenem cum humilitate intraret, blanditijſq; ageret: ea tamen non aduerſante, nec aliud præter id palatium in quo erat ex imperio poſtulante, vt obtenta petitorum promiſſione, aperiret illi omnes theſauros. Quibus obtentis, nepharius homo, fide fraudata illam Leſbos in exilium relegauit: in qua & iam ſenex vitam mœſtam terminauit. Alij tamen de fine huius mulieris aliter ſentire videntur. Aiunt enim matre & filio diſcordantibus, viciſſimq; ſeſe imperio priuantibus: Romanos ab eis deſciuiſſe, & in Carolum magnũ, tum Francorum regem, imperium tranſtuliſſe. Cumq; tentaſſet, vt in vnum, quod diuidi videbatur, imperiũ redigeret: Irenis expetijſſe nuptias, eiq; ipſa Irenes hæſiſſe. Quod cum aduertiſſet Eutitius patritius, confeſtim ſublimauit Nicephorum, & obſidione Irenem ad intrandum monaſterium imperio dimiſſo coegiſſẽ, atq; in eodem tandem ſenuiſſe.

¶De Ioanna papiſſa. CAP. CXLIII.

IOannes, eſto vir nomine videretur, ſexu tamẽ fœmina fuit: anno a natali chriſtiano quinquageſimo octauo ſupra octingenteſimum, Ludouico Franco Auguſto, eius nominis ſecũdo in Occidente imperante, quoddam & quidem perq̃ maximũ temeritatis vniuerſo orbi præſtitit ſcandalũ, pro quo vniuerſo orbi notiſſima facta fuit. Huius itaq; fœminæ, etſi patriam Maguntium quidam fuiſſe affirment: quod ipſius tamen proprium nomen fuerit, vix agnitum eſt, Eſto ſint qui dicant, Gilibertam fuiſſe vocitatam. Hoc conſtat aſſertione quorundam, eam virginem a ſcholaſtico iuuene dilectam, quem & ipſa adeo dilexiſſe ferũt, vt poſita verecundia virginali, atq; pauore fœmineo, clam de domo parentum effugeret, & amaſium, adoleſcentis in habitu, & mutato ſequeretur nomine. Apud quem in Anglia ſtudentem, clericus ab omnibus exiſtimata, & Veneris & literarum militauit ſtudijs. Inde illo morte ſubtracto, quum ſe cognoſceret ingenio non mediocriter valere, & dulcedine traheretur ſcientiæ: retento habitu, nec adhærere amplius voluit alteri, nec ſe fœminam profiteri. Quinimmo ſtudijs vigilanter inſiſtens, adeo in liberalibus, & ſacris literis profecit, vt præ cæteris excellens haberetur. Et ſic ſcientia mirabili prædita, iam ætate prouecta: ex Anglia ſe Romam contulit, & ibidem aliquibus annis in triuio legens, inſignes habuit auditores. Et quum præter ſcientiam, ſin=

gulari honeſtate ac religione,modeſtiaq; quadã polleret:homo maſculus ab omnib9 credita,& ideo a multis amata. Leone ei9 nominis quarto ſummo põtifice carnis debitum perſoluente,a venerãdiſſimis patribus cardinalibus communi omnium cõſenſu pro mortuo,in papatu ſuſceptus eſt,Ioanneſq; ſeptimus nominatus eſt. Quæ non verita Piſcatoris cathedram aſcendere,& ſacra omnia myſteria (nulli mulierũ a chriſtiana religione conceſſum) tractare,& alijs exhibere:apoſtolatum duobus annis & quinq; menſibus obtinuit, Chriſtiq; vicariatum fœmina geſſit in terris. Sane ex alto deus plebi ſuæ miſertus,tam inſignẽ locum teneri,tanto præſideri populo,tamq; infauſto errore decipi a fœmina,paſſus non eſt. Et illam indebita audentem nec ſinentem,ſuis in manibus liquit. Quam ob rem ſuadente diabolo,qui eam in tam ſceleſtã deduxerat audaciã atq; in ea detinebat,vt quę priuata præcipuam honeſtatem ſeruauerat, in tam ſublimem euecta põtificatum,in ardorẽ deueniret libidinis. Neq; enim diu ſexum effingere nouerat,artes ad explendam defuere laſciuiam. Nam adinuento qui clam Petri ſucceſſorem cõſcenderet,& exurentem pruriginem defricaret:actum eſt,vt papa cõciperet. O ſcelus indigniſſimum,O inuicta dei patientia. Quid tãdem? ei quæ diu oculos faſcinare hominum potuerat ad inceſtum:ad partum occultandum deficit ingenium. Nam cum is prę́ter ſpem, partui propinquior eſſet:dum ex Ianiculo,ſacrum annale celebrans,Lateranum peteret: inter Coliſeum & Clementis pontificis ædem doloribus circunuenta, ſine aliqua obſtetrice publice peperit. Et eo loci mortua,ibidem miſella cum fœtu ſine vllo honore in tenebras exteriores ſepulta eſt. Ad cuius deteſtandam ſpurcitiẽ,& nominis continuandam memoriam,in hodiernum vſq; ſummi pontifices rogationum ſupplicationes cum populo & clero agẽtes, cum in locum partus,medio eius in itinere poſitum abominantur,eoq; omiſſo declinant ad diuerticula,vicoſq;:& ſic loco deteſtabili poſtergato reintrantes iter perficiunt quod cœperunt. Et ad euitandos ſimiles errores,ſtatutum fuit,ne quis de cætero in beati Petri collocaretur ſede,prius q̃ perforatam ſedem,futuri pontificis genitalia ab vltimo diacono cardinale attrectarentur. Eidemq; mox ſubſtitutus eſt põtifex Benedictus,eius nominis tertius, natione romanus.

ℭ De Griſilde Salutij Marchioniſſa. CAP.CXLIIII.

GRiſildis Pedemontium Longobardiæ regionis, Salutiana Marchioniſſa,fœmina licet nullius nobilitatis genere inſignita,ſed incomparabilis obedientiæ,& fidei ſplendore decorata,quo tempore claruerit, non ſatis conſtat. Hanc autem Gualteri Salutiarum Marchionis illuſtris coniugem fuiſſe cõſtat. Volunt igitur ipſam pauperrimi hominis nomine Iannicole filiam fuiſſe. quæ cum eſſet forma corporis ſatis egregia,ſed morũ pulchritudine,atq; animi adeo ſpecioſa vt nihil ſupra:magnopere placuit ipſi prædicto Marchioni. Ipſam enim genitor ei9 in primis parco victu,& in ſumma ſemper inopia educauerat. Ita vt nil prorſus molle,nihilq; tenerũ cogitare aut contingere didicerit,ſed virilis ſeniliſq; animus virgineo latebat in pectore:& patris ſenium, inæſtimabili refouebat charitate. & pauculas eius oues depaſcendo,colum interim digitis atterebat. In hanc virginem Gualterus Salutiarum Marchio (cũ ſine vxore eſſet) ſæpe illac tranſiens,oculos nõ iuuenili laſciuia,ſed ſenili grauitate defixerat,& ipſius virtutem eximiã ſupra ſexum,ſupraq; ætatẽ acri penetrauerat intuitu:vnde factũ eſt,vt illam & non aliã vxorem omnino habere diſpoſuerit. Et ad patrem cũ multo comitatu accedens:illũ ſeorſum parũper abſtrahens,illi ſubmiſſa voce dixerit:an ipſum filia ſibi in vxorẽ data, generum vellet habere. Cui ſenex:nihil inquit aut velle debeo aut nolle,niſi quod tibi placitum eſt digniſſime princeps:quoniam & dominus meus es. Aduocans deinde vna cũ patre Gualterus Marchio puellã: dixit. Griſildis,& patri tuo placet & mihi, vt vxor mea ſis:credo id ipſum & tibi placere. Cui Griſildis omni cũ tremore & re-

uerentia reſpondit. Ego mi digniſſime princeps & domine, inquit, tanto honore me omnino indignam confiteor. At ſi tua voluntas, ſicq; mea ſors eſt, vt tuo ſub culmine ancillula perueniã: fiat voluntas tua. Ego inquit tibi domino polliceor: & ſi mori me iuſſeris, nihil vnq̃ moleſte feram. Satis eſt ille inquit. Vocataq; in publicum puella, vniuerſo aſtante populo, illam cum omni plauſu accepit vxorem, ac annulo pretioſiſſimo ſolenniter deſpõſauit. Deductaq; in palatium, breui tempore tantus illi diuinus fauor affluxit, vt nõ in caſa paſtorali, ſed in aula imperatoria educata, atq; edocta videre viſa eſt. & omnibus ſupra exiſtimationẽ chariſſima eſſe cœperit. Quam ob rem Gualterus ipſe Marchio, quanq̃ humili quidem ſed inſigni ac proſpero matrimonio honeſtatus: ſumma cum pace domi extraq; viuere cœpit. Pauloq; poſt grauida facta, filiam peperit pulcherrimã: pro qua mox totam patriã lętam nimium effecit. Quam cum ablactaſſet, Gualterus (vt ipſius coniugis experiretur fidem) interfici iuſſit, immo potius finxit. Et cuidam ſatelliti ſuo iuſſit, illam ſecreto modo Bononiam ad ſororem deferre videlicet ſuam: quæ illic Comiti cuidam nupta fuerat. Eamq; nomine ſuo traderet alendam. Ex hac tamẽ filiæ amiſſione, Griſildis nunq̃ mutati animi demonſtrauit indiciũ. Poſt quatuor deinde annos etiam filium malſculũ peperit, forma quidẽ corporis elegantiſſimũ: quę etiam & poſt aliquot tempus, ipſe Gualterus Marchio, & ipſum interfici velle finxit: quẽ & ipſum Bononiã eodem modo ſicut & filiã miſit. Poſt vero, ab ortu filiæ annũ duodecimũ, Gualterus vt acrius etiam Griſildem experiretur: e Roma ſimulatas literas apoſtolicas deferri fecit, quibus videbatur ſibi a Romano põtifice datam fuiſſe licentiã: vt pro ſua, ſuiq; populi quiete & pace, aliam ſuperinduceret vxorẽ. Quæ res, quum ad notitiã Griſildis perueniſſet: etſi admodũ in corde triſtis, incõcuſſa tamen animo ſtetit. Illo interim tempore, Gualterus Bononiã nuntios miſit, qui cognatum rogarent: vt ad ſe filios adducere dignaretur. Fama extemplo vbiq; diffuſa, virginẽ illam Gualtero in coniugiũ duci. Dum autẽ hęc agerentur, Gualterus vt vxorẽ denuo tentaret videlicet vt ad dolorẽ & pudoris adderet cumulũ: illam in publicũ venire fecit, & vniuerſo aſtante atq; audiẽte populo: dixit. Griſildis mea, per deũ te obſecro, patientiã habe in me. Papa enim mihi præcepit vt aliam mihi accipiã vxorem, quæ iam in via eſt, & ſtatim adeſſe debet. Eſto igitur forti animo, & da locum ei, & tuã dotem accipiens, in domũ patris tui reuertere. Cui illa ingenue reſpõdens: ait. Ego mi illuſtriſſime domine & princeps parata ſum, bono & æquo & pacato animo voluntatem tuam in omnibus exequi: & nouæ tuæ coniugi volẽs cedo. Ac ſic ſe veſte præclara exuens, annulũ quo eam ſubarrauerat etiam ei reſtituit, & cũ ſola camiſia de omnibus rebus, m̃ domũculã patris remiſit. Quas res Griſildis ſapiẽtiſſima, mirabili æquanimitate atq; humilitate tolerauit, ita vt nullum in ea ſignũ triſtioris animi videretur. Quippe cũ in medijs opibus, inops ſemper, modeſtia ſingulari & ſpiritu vixiſſet, atq; humillima. Cũq; eius filia ex Bononia Salutias appropinquaſſet, pridie ãteq̃ veniret: Gualterus idẽ Marchio Griſildẽ in veſte hiſpida ac lacerata ad ſuum palatiũ venire fecit: & præparãdi conuiuij eidem curã cõmiſit. Veniens autem puella cũ germano, cũ immenſo apparatu, arbitrãs Griſildis profecto illam veram fore vxorem: cũ humaniſſimo ac ſereno vultu intranti puellæ obuiauit. Et beneuenerit domina mea inquit: atq; ita tam ipſam q̃ reliquos comites læta facie, miraq; ſuauitate verborum comiter ſuſcepit. Cũq; videret Griſildis nouam ſponſam pulcherrimam, atq; miræ indolis præclaram adeſſe: ad Gualterũ ait. Obſecro mi domine, atq; tuam excellentiã moneo, ne hanc tenellam ſponſam, illis aculeis agitare velis: quibus me hactenus agitaſti: ne ex teneritudine puellari abs te per mortem tollatur. Ea quippe verba & ſimilia, dicẽtis vultus alacritatem perpendẽs Gualterus, ipſius iam tandẽ miſeratus, ac ferre & experiri eius patientiã & mirabilem tolerantiam diutius non valẽs: dixit. Griſildis mea dulciſſima coniunx: nunc nunc mihi ſatis cognita eſt incredibilis fides tua, nec ſub cœlo equidem aliquem eſſe puto, qui tanta coniugalis amoris experientia percipere potuerit, de quacunque fœmina, ſicut

ego de te chariſſima mea ſponſa. Hæc itaq; dicens, vniuerſo aſtante conuiuio, exclamauit dicens. O dulciſſima, o fideliſſima ſuper omnes coniunx mea, & ita lęto ſtupore cõiugem lachrymis perfuſam: cupidis vlnis amplectitur, & oſculatur. Et tu ait mea ſola vxor es, ſemper amantiſſima, aliam nec vnq̃ habui, nec habere volo. Iſta autem quam tu meam exiſtimas ſponſam: filia tua eſt, hicq; qui cognatus meus credebatur, & tuus ſimiliter eſt filius: & quæ diuiſim perdita videbantur: ſimul omnia reperiſti. Hæc illa audiẽs, pene præ gaudio exanimis effecta, cum lachrymis, ſuorum pignorum in amplexus ruit. Raptimq; matronæ alacres circumfuſæ, vilibus eam exuentes veſtibus: ſuis ſolitis exornarunt veſtimentis. Statimq; plauſus lætiſſimus, & fauſta omniũ verba circumſonare cœperunt. Multoq; cum gaudio & pientiſſimo fletu, dies ille celeberrimus omnibus fuit: celebrior quoq; q̃ dies nuptiarum fuerat. Multoſq; poſt annos ingenti cum pace & quiete atq; gloria Gualterius Marchio & Griſildis coniuges vixere feliciſſimi. Viderunt filios filiorum ſuorum, vſq; in generationem & generationem. Huius itaq; ſanctæ & inclytæ mulieris hiſtoriam exemplaritatis plenam: hic etiam ad multarum matronarum ſolatium & documentum ſcribere dignum duxi, vt & matronæ præſentes atq; futuræ omnes, ad imitãdam huius pauperculæ Griſildis patientiam, quæ certe imitabilis mihi videtur, excitarem.

¶De Mathildi glorioſa Comitiſſa Lombardiæ. CAP. CXLV.

MAthildim autem glorioſam illuſtremq;, ac optimam Mantuæ & multarum vrbium comitiſſam, temporibus Gregorij eius nominis ſeptimi pontificis Romani, Henrici quoq; ipſius nominis tertij, anno videlicet ſalutis noſtræ ſeptimo & milleſimo: ob clariſſima rerum multarum facinora celebris ingenij fuiſſe fœminã, multis in codicibus me lectitaſſe confiteor. Hæc quippe Bonifaciũ nobiliſſimum ac permagnificum, natione Lucenſem ciuem, & Beatricem primi Henrici Cæſaris filiam, habuit parentes. Quæ cum vnica eorum eſſet proles: poſt ipſos parentes, in imperio, Lucæ, Parmæ, Regij, Mutinæ, Ferrariæ, Mãtuæq; vrbium, ac ipſius Hetrurie partis (quam moderni Patrimonium appellant) ſucceſſit. Quas ob res in tota Italia inclyta & celebris habita eſt. Nupſit autem in florida elegantiq; adoleſcentia Godefredo præpotenti viro, Ricardi, & Roberti cognomento Guiſcardi, illuſtrium Apuliæ & Calabriæ atq; Campaniæ ducum germano: pro quo etiam gloriæ plurimum aſſecuta eſt. Imperauit igitur ipſis ſuis in vrbibus vna cum ipſo ſuo viro annis multis, ex quo tamen nullam vnq̃ edidit prolem: ſed infinita propemodum geſſit bella, quum eſſet virago inuictiſſima atq; prudentiſſima. Vnde & Alexandri ſecundi, ac Gregorij ſeptimi pontificum Romanorum decreto: Comitiſſa appellari meruit. Nam dum ad decus, & ad gloriam nata videretur, omnia quoq; ſupra humanam æſtimationem & meditabatur & moliebatur ac faciebat. In primis quidem, cum audiſſet Ricardum eius cognatum, & eius filiũ Guilielmum bellatores ſtrenuos, nonnullas in Apulia de eccleſiæ ditione terras occupaſſe: eo ex Lombardia cum exercitu acceſſere, & mox eos cõpulerunt capta reſtituere. Quibus ſtrenue geſtis, Romam cum exercitu reuerſi, a põtifice Romano valde honorati ſunt. Gregorius autem eiuſdem nominis ſeptimus pontifex, haud multo poſt celebrans concilium maximum in Laterano, voluit (propter ipſius maximam ſapientiam) comitiſſam hanc Mathildim intereſſe. In quo Robertum Guiſcardum, & cæteros Normanos anathematizat: eo quia nouiter etiam occupauerant plurimas eccleſiæ terras de Anchonitana Marchia. Igitur Mathildis comitiſſa, non modo prædictorum Apuliæ & Calabriæ ducum: ſed & Henrici tertij Cæſaris potentiam contra põtifices romanos ſæpius exercentem, magnanimiter repreſſit, & humiliauit: ac quæ de eccleſiaſtico iure occupauerant, reſtituere coegit. Inſuper & Gregorium pontificem ab Hẽrico Cæſare infenſe nimium perſecutũ, in Canoſſo ſuo Regenſis agri oppido,

honorificentiſſime tutandum excepit. Ad quod tandem Henricus Cæſar anathemate notatus, propere quũ omnibus copijs acceſſit. Qui viſa Comitiſſæ Mathildis magnanimitate & potentia, atq; ſagacitate: ſtatim depoſito regali ornamento, nudis pedibus vt comitiſſam & pontificem ad miſericordiam commoueret exorauit. Et cum eidem denegatus eſſet ingreſſus, & hyems aſperrima eſſet: per triduum in ſuburbio oppidi continuo ſubſtitit, ſemper veniam deprecans: tandem rogatu huius comitiſſę Mathildis potiſſimum, & Adelai Sabaudienſis Comitis, & Cluniacenſis Abbatis, in caſtrum ad pedes pontificis introductus: cum errata ſua Henricus præſentibus prædictis corrigere pollicitus fuiſſet: ab ipſo pontifice abſoluitur, & eccleſiæ reconciliatur: & pacem iureiurando cũ pontifice Romano (maxima dexteritate) conficere procurauit. Atq; idem Henricus Cęſar integram obedientiam obſeruare promiſit: & id quidem procuratione huius viraginis Comitiſſæ. Erat autem Mathildis hæc rerum diuinarum appetentiſſima, ac ſanctæ Romanæ eccleſiæ defenſatrix ardentiſſima, atq; de ipſa bene merita. Eius quippe deuotione freta, poſt Chriſtum & matrem eius ſemper virginem, quibuſcunq; flagitioſis & iniquis, animoſiſſime reſiſtebat: fidelibus autem ac probis hominibus, præſto adeſſe volebat, & auxilium ferebat. Conſurrexerãt etenim plurimi principes ſeculi, & alij q̃ plurimi eccleſiaſtici, & nonnulli vulgares in pontifices romanos, tanq̃ diaboli membra contra eccleſiam dei, & ſuperbe nimium cornua & calcem erigentes, facta coniuratione in ipſis: ſed Mathildis ipſa contra omnes protectionem infracto animo ſumpſit & imprætermiſſe ſemper obſeruauit. Erat nihilo minus omnibus Mathildis grata pro ſua pietate & religiõe, atq; iuſtitia. Mortuo itaq; Godefredo eius marito, paulo poſt, Azonem Marchionem Eſtẽſem accepit maritum: prioris viri conſanguineum, ac in tertio gradu affinitatis ſibi coniunctum. Verum poſtea re cognita, cum eſſet optimæ & timoratæ conſcientię mulier, ſuper eo conſulens pontificem Romanum quid facto opus eſſet: quo ſuadente, diuortium cum ipſo ſecũdo marito videlicet Azone Eſtẽſe fecit: itaq; facto, deinceps Mathildis deo & eccleſiæ Romanæ, in orationibus alijſq; operibus bonis caſtiſſime deſeruiuit. Erat nanq; Mathildis hæc comitiſſa, ingentis verſatiliſq; ingenij fœmina, Didicerat enim vbi opus erat mutare exercitia atq; ſententiam, quod prudentium hominum, eorũq; bonorum proprium eſt. In primis quidẽ rebus militaribus omnino ſepoſitis: ciuium ſuorum mores, negligentia & ignorantia pręteritorũ temporum labefactos, & omnino corruptos: in meliorem formam & ornatum redigere curauit. Indeq; cœpit contubernio vti virorum ſanctiſſimorum, doctorũq;: & potiſſimum Anſelmi Lucenſis epiſcopi, viri vtiq; eruditiſſimi optimiq;, ac Pontij magni Cluniacenſium Abbatis, & aliorum multorum: quorum optimis documentis & conſilijs, inter cætera innumeras pene extruxit eccleſias, atq; ampliſſima varijs in locis monaſteria, & ea quidem centum fuiſſe tradunt. In primis quidem in agro Lucenſi, Friſonarium monaſterium: in Regienſi, Canuſſiam Abbatiam: in Mutinenſi, Nonãtulam: in Ferrarienſi, Pomposam: in Mantuano, ſanctũ Benedictum: in alijs quoq; prope innumeris locis, alia atq; alia adhuc extantia ædificauit cœnobia: illaq; & ſanctorum reliquijs plurimis, vaſisve aureis & argenteis pretioſiſſimis, & veſtimentis præter credulitatem decorauit, atq; innumeris prædiis & fundis ditauit. Tandem vero admodũ ſenio confecta, anno vitæ ſuæ ſexageſimonono, videlicet ſalutis noſtrę milleſimo & centeſimo, tertiodecimo: in Bondeno agri Mãtuani oppido, plena bonis operibus migrauit ad dominum. Ferunt quidam hanc cordatam illuſtrẽq; fœminam, cum apud idem oppidum tum celebre, natalem domini ſolẽniter celebrare ſtatuiſſet: ad eãdem eius rei gratia, Pontius Cluniacenſis Abbas cum plurimis monachis peruenit: a qua & reuerenter plurimum exceptus eſt: Dũq; nocturnum officium in nocte Natalis domini celebrare cõſtituiſſet (quanq̃ immenſum gelu vigeret) Comitiſſa ipſa cupidiſſime ad illud acceſſit. Dum vero diuina exſoluerentur: immenſum gelu, adeo vetuſta ipſius membra diriguit, vt domũ reuerſa febribus percuſſa, lecto decumbere ipſam neceſſe fuerit. Superueniente

poſtmodum ipſius domini apparitione, aliquantulũ meliuſcula effecta, quum ad miſſam pedibus accedere omnino decreuiſſet: in langorem recidiuans, poſtea nunq̃ conualuit. Langore deniq; ingraueſcẽte, adeo vt nulla ſalutis ſpes amplius ſupereſſet: teſtamentum ſuum hoc modo chriſtianiſſime ac ſapientiſſime confecit. In primis quidem omnes ſeruos & ancillas multis eleemoſynis donatos, manumiſit. Deinde vaſa quæq; aurea & argentea, pretioſiſſimas quoq; veſtes, diuerſis eccleſijs a ſe conſtructis condonauit. Monaſteria ſua maiorem in modum fundis & caſtellis ditauit. Romanæ inſuper eccleſiæ reliquit, quicquid a Piſſa amne & ſancto Quirico agri Senenſis, vſq; ad Ceparanum, inter Apenninum & mare pertinet, addita Ferraria: quæ adhuc Romanæ eccleſię aliquantiſper vectigalis eſt. Hiſq; optime ex ſententia geſtis, in extremis conſtituta: omnibus chriſtianę religionis ſacramẽtis, ab Anſelmo epiſcopo, patre ſuo deuotiſſime ac reuerẽter ſuſceptis (poſt q̃ de deo deq; omnibus hominibus bene promerita fuiſſet) ſanctã ſuam deo reddidit animam. Eiuſq; venerabile corpus, nullo honoris genere, quod impendi magno principi poſſit, non adhibito, collachrymantibus cunctis: ab vniuerſis clericis & monachis, ad ſanctum Benedictum agri Mãtuani defertur: & mauſoleo marmoreo candidiſſimo, quod etiam nunc in ſiniſtro eccleſiæ illius cernitur, ſepelitur. Sunt qui ſcribant hanc mulierem Florentiæ mortuam fuiſſe, eo incendio, quo & magna pars vrbis illius cõſumpta fuit. Eiuſq; corpus poſtea in Ciſalpinam trãſlatum, & in eodẽ ſancti Benedicti monaſterio Mantuano ſepultum. Varia etenim ac pene incredibilia clara facinora, de huiuſmodi præclara viragine Mathildi ab autoribus, & verſu & ſoluta oratione referuntur: pro quibus merito inter præclaras fœminas eam cenſui eſſe connumerandam. Eodem quoq; loco ſepultum fuiſſe ſuum ſanctiſſimũ patrem ſpiritualem, ſanctum Anſelmum Lucenſem epiſcopum, compertum habemus, & id ex iuſſu ſuo, ob deuotionem tantæ mulieris: ſed poſtmodum inde (ne furto ſubriperetur) in Mantuanam cathedralem eccleſiã tranſlatum, cum miraculis cõtinuis celebris haberetur. Lucenſes autem iamdudum affirmabant corpus Mathildis ciuis ſuæ apud ſe fore, quod minime credendum erat. Guido deniq; Gonzaga ſuperioribus ferme ãnis ſancti Benedicti Abbas: dum monaſterium illud ſemiruptum reſtitueret: inuentum corpus honeſtiore loco (vt par erat) collocauit. Ad cuius tumulum monachi religioſiſſimi cœnobium illud tam amplum, tamq; magnificum incolentes, ſingula hebdomada proceſſionaliter accedẽtes: eius exequias venerabiliter celebrant, in memoriam tam eximiorum eius beneficiorum.

¶ De Conſtãtia: prius ſanctimoniali, & poſtmodũ Imperatrice. CAP. CXLVI.

Onſtantia Guilielmi Siciliæ regis vnica filia, anno ſalutis noſtræ milleſimo centeſimo, tertio & nonageſimo: e ſummo orbis cardine, terris Romanorum Imperatrix inclyta effulſit. Verum quoniam iam multis commune decus admirationem intuentium minuiſſe videtur: alia claritatis cauſa noſtro æuo apparere volẽtibus quærenda eſt: quæ huic mulieri non defuit. Nam ſi vllo alio non detur merito, vnico ſaltem partu vndiq; conſpicua facta eſt. Fuit igitur, vt prædictum eſt, hæc Conſtantia, Guilielmi optimi quondam Siculorum regis filia. Cuius in ortu cũ adeſſet (vt aiunt plurimi) Ioachim Calaber, abbas propheticus dotatus ſpiritu: Guilielmo dixit. Natam regni ſui deſolationem futuram. Qua præfatione ſtupefactus Rex atq; perterritus: quum præſtitiſſet vaticinio fidem, ſecum cœpit anxia meditatione reuoluere, quo pacto poſſet iſtud cõtingere a fœmina: nec aliter videns q̃ a coniuge vel a filia. Regno compatiens ſuo, & vertere iſtud ſi poſſet conſilio ſtatuit, eamq; vt cõnubij atq; prolis auferretur ſpes, virgunculam monaſticis clauſam clauſuris: egit vt deo perpetuam virginitatem voto promitteret: nec aſpernãdum ſi profuiſſet conſilium. Sed quid aduerſus deum, iuſte mortaliũ ſceleſta facinora expiantẽ, ſtolidi imbecilleſq; conatus exponimus? minime equidẽ & vnico

fruſtramur impulſu. Hæc autem cum ſanctiſſimo patre extincto, nemine præter ſe legittimo regni hærede ſuperſtite, iuuentutem omnem peregiſſet, iamq; facta videretur anus: ſumpſiſſetq; poſt obitum Guilielmi, regni diadema Tancredus regulus, & poſt eum Guilielmus eius filius adhuc iuuenculus. eoq; itum eſt, ſeu crebra ſeu minus digna regum innouatione, vt factionibus procerum vndiq; bellis ſcaturientibus, ferro igneq; regnum omne, in exterminium trahi videretur. Quam ob rem quibuſdam compatientibus infortunio: menti incidit, quod poſtmodum ſubſecutum eſt. Conſtantiam ſcilicet, alicui inſigni principi in coniugem dari: vt opere & potentia peſtiferi ſedarentur tumultus. Nec abſq; dolo atq; ingenti labore obtentum eſt. Summo etenim conſentiente pontifice, vt in eam Conſtantia deueniret ſententiam ſcilicet vt nuberet: quum immobilis ſtaret in profeſſionis propoſito, & annoſa etiam videretur ætas obſiſtere: ſi cum ea etiam renuente res adeo proceſſiſſent, vt cōmode nequirent retrahi. Henrico Romanorum imperatori, olim Fœderici, eius nominis primi, filio, deſponſata eſt. Et ſic rugoſa anus, ſacris omiſſis clauſtris, poſitiſq; ſanctimonialium vittis, cultu ornata regio, nuptaq;, & imperatrix deuenit in medium: & quæ deo virginitatem dicauerat perpetuam, thalamum principis intrans, nuptialemq; conſcendens thorum, eam inuita depoſuit. Ex quo factum eſt: non abſq; audientium admiratione, vt quinquageſimum & quintum ætatis annum agens: annoſa conciperet. Et cum tarda penes omnes conceptionis huiuſmodi fides eſſet, dolus crederetur a pluribus: ad auferendam ſuſpicionem, prouide actum eſt: vt propinquante partus tempore, edicto Cæſaris, matronæ regni Siciliæ vocarentur omnes: volentes futuro intereſſe partui. Quibus conuenientibus, etiam ex longinquo, poſitis in pratis extra ciuitatem Panormij tentorijs: & ſecundum alios, intra vrbem, percipientibus cunctis, Imperatrix pene decrepita infantē eſt enixa, Fœdericum ſcilicet ſecūdum, qui poſtea in monſtroſum euaſit hominem, & Italiæ totius, ne dum regni Siciliæ peſtem: vt non euacuaret Calabri abbatis vaticiniū. Quis ergo non conceptum, partumq; Conſtantiæ iam vetulæ arbitraretur monſtroſum: cum præter hunc nullus ſit nouiſſimis temporibus auditus, nec etiam ab Æneæ aduentu ad Italos: vnum præter conceptum annoſæ mulieris Helizabeth ſcilicet coniugis Zachariæ: ex quo dei ſingulari opere Ioannes natus eſt, qui inter natos mulierum nemini erat ſecundus.

¶De ſancta Clara, Seraphici Franciſci diſcipula. CAP.CXLVII.

CLara virgo ſanctiſſimā, Seraphici Franciſci in Chriſto filia atq; diſcipula: temporibus Gregorij pōtificis Romani, eius nominis noni: circa annum ſalutis noſtrę vigeſimum ſeptimum ſupra milleſimum & ducenteſimum, in Vmbria maxima Italię prouincia, apud Aſiſium vetuſtam vrbem, & moribus & auſteritate vitæ, ac mira ſanctitate celebris plurimum habita eſt fœmina. Hæc quippe apud eandem vrbem, ex honeſtis parētibus edita, a teneris annis ſingulari pietate prædita fuit: ꝙ cibarijs ſibi ſubtractis, illa pauperibus pientiſſime erogaret. Grandiuſculaq; facta, audita diui Franciſci, incredibili ſanctitatis fama, e veſtigio ſe ad eum contulit informandam. Nec ita multo poſt, ipſius beati Frāciſci monitis & exēplis permota: ſumpto ſanctæ conuerſationis & religionis habitu, apud diui Damiani templum (pro cuius reparatione vir dei Franciſcus mandatum acceperat) ſub continentiæ, perpetuæq; paupertatis voto, vitam actitare cœpit: vbi & mox plurimæ adoleſcentulæ ad eius ſanctitatis opinionem permotæ, ſeculo abrenuntiantes, Chriſto Ieſu ſeſe dedicabant. quantum autem & humilitatis & patientiæ & contemplationis, cæterarūq; virtutum exercitio floruerit, non facile literis mandari poſſem. Nam in primis foris exeuntium ſororum & famularum, lutuoſos ipſa pedes impigre abluebat, intuſq; miniſtrantium laborioſiſſimis obſequijs, ac ſi ipſa ancillula foret emptitia, præ cæteris promptum omnibus pro viribus exhibebat famulatum. Pa-

ternam quippe ſuam hæreditatem,quæ ad eam peruenerat,poſt conuerſionem mox diſtrahens,pauperibus cupidiſſime erogauit,nil prorſus de pretio ſibi reſeruans. Ita etenim cum paupertate fœdus cõtraxerat,vt nihil omnino præter deum habere vel=let:vnde & præter quotidianum & neceſſarium victum,a ſororibus in poſterum nihil reſeruari permittebat. Simplici tãtummodo tunica,viliſſimoq; pallio corpuſculum ſuum contegebat,vt fouere videretur potius q̃ enutrire,& teneram carnem continua=tis affligebat ieiunijs. Maiorem autem quadrageſimæ partem pane ſolum & aqua ie=iunans,ſolis dominicis diebus,vini modicum deguſtabat:ſecunda,quarta & ſexta fe=ria,ab omni prorſus cibo ſe abſtinens. Duro præterea cilicio chordulis confecto, cor=puſculum ſuum ſæpius affligebat,& nudæ humi aut ſarmẽtis ad capiendum ſomnum ſeſe proſternebat. Sũma & incredibilis in deum eius erat deuotio:quippe quæ inde=feſſe pene vigilans, cum fletu orationibus inſiſtebat. Ex quo factum eſt,vt aliquando cum dominicæ cœnæ dies aduenïſſet,& virgo deuotiſſima,inter cætera ſaluatoris no ſtri captionem,illuſionẽq; atq; alia ipſius improperia,iterum atq; iterum animo re=uolueret:adeo a ſemetipſa permanſit aliena,vt irreuerberatis luminibus Chriſto cõ=fixa,ac inſenſibilis prorſus videretur. Cum autem quadraginta cõtinuis annis & duo=bus:in maxima vitæ ſanctimonia,vtpote paupertate continentiaq;,ac laboribus con=tinuis vixiſſet:octo poſtea ſupra viginti annorum, diuturno lãgore laborauit. Demũ ipſa ad mortis ſomnum appropinquante:dum per decem & ſeptem dies,nullo pror=ſus ſuſcepto corporali alimento ſtetiſſet: media noctis hora in veſtibus albis virginũ turba ad eam venit:quę omnes aurea ſerta in capitibus geſtantes,vnã præ cæteris ele=gantiorem comitabantur:ex cuius corona tantus effulſit ſplendor,vt nox illa in ſplen didiſſimam lucem ſit conuerſa. Quæ cum ſacro illo virginum cœtu ad lectulum ſan=ctæ huius virginis Claræ læta procedẽs:eidem mox pallium miræ pulchritudinis ab alijs ſacris virginibus deferri iuſſit:quo quidem protinus Claram ſanctam honorifice contexit. Eoq; ornamẽto induta,ſancta illa anima carnis ergaſtulo ſoluta,pridie idus Auguſti ad aſtra migrauit:vbi ſimul cum angelis,quorum ſimillima & nomine & re creata fuerat,etiam & gratia,& pulchritudine atq; ſplendore, dei ſummi faciem vi=det,vultuq; reuelato,ſempiternam ipſius domini gloriam,ineffabilemq; ipſius bea=titudinem læta contemplatur,ac gaudens fruitur. In cuius gloriæ teſtimonium,non multis poſt ſui obitus diebus,& dæmones ex obſeſſis corporib9 profligati ſunt,clau diſq; greſſus, cœcis viſus,dementibus ſenſus redditus eſt.

¶ De ſancta Helizabeth Hungariæ regis filia. CAP. CXLVIII.

HElizabeth illuſtris ac ſancta fœmina,Hungariæ regis filia,Lants=graui, Thuringiæq; Comitis vxor:& ipſa eo æuo quo & prædicta ſancta Claravirgo,a Gregorio eius nominis nono põtifice Roma=no bonis documentis per ſcripta informata & edocta:tot operum bonarũ manipulos protulit,quot ab eo ſemina ſuſceperat præce=ptorum. Hæc quippe cum ſe noſſet ex nobiliſſimis editam paren=tibus,multo ſe nobiliorem & fide & religione eſſe,vniuerſo mun=do conteſtari voluit. Ab ineunte etenim ætate ſummo erga deum exiſtẽs deuotionis affectu:lubrica quæq; huius mundi contemnere cœpit. Nam etſi poſtmodũ ætate nu=bilis effecta,ipſi prædicto Thuringię duci ſeu comiti,ad procreandos liberos in vxo=rem data fuerit:tantæ tamen caſtimoniæ accendebatur amore, vt eo etiam viuente (quantum ad ſe attinebat) vouerit perpetuam ſeruare continentiam. Quantæ autem fuerit deuotionis & humilitatis:quantæve auſteritatis & abſtinentiæ, quantæ deniq; largitatis & miſericordiæ:non facile commemorare poſſet. In oratione equidem tã=ti extabat feruoris,vt ſæpius ancillas ſuas ad eccleſiã proficiſcenti gradu concito prę=ueniret:ac ſi quibuſdam clandeſtinis orationibus,a deo aliquam ſingularem gratiam impetrare vellet. A viri etiam perſæpe abſtinens thoro,vt orationibus inſiſteret, no=ctes ducebat inſomnes. Ea præterea ducebatur humilitate, vt propter dei & domini

noſtri Ieſu Chriſti amorem, vilia & abiecta quæq; appeteret, & velut altera ſancta Fabiola Romana: xenodochium pauperum extrueret: qua ſua pietate charitateq; eximia, pauperes, orphanos, ægrotos & infirmos ad ſe pertrahebat, & fœtore horribiles in proprium ſinum reclinabat, ac fœtore correptos atq; cõfectos lauabat, putredinẽq; ac ſaniem ex capitibus eorum tergebat: quod certe alius, non modo non facere, ſed ne dum aſpicere præſumpſiſſet. In rogationibus autem, ſeu proceſſionibus ſæpius nudis pedibus proficiſcebatur: & tanq̃ vere pauper, nobilis & illuſtris fœmina, inter pauperes reſidebat. Sibi vero tãtum abſtinentiæ rigorem indixit, vt corpuſculum ſuum delicatiſſimũ: iugis & continuis pene vigilijs, ieiunijs, diſciplinis, atq; alijs abſtinentijs afficeret, & inter diuerſa ferculorum genera, interdũ pane ſimplici pro cibo cõtentaretur. Adeo quippe pientiſſima & liberalis habebatur, vt nullum ferme aliqua inedia premi pateretur: veſtiebat nudos, & pro ſepeliẽdis pauperibus maxima illi cura erat. Quos autem pueros de ſacro fonte leuabat: crebro cum pecunia ei deficeret, etiã veſtimenta propria vendebat, vt eorum inopiæ ſubueniret. Erat præterea infirmorum ſedula viſitatrix: a quorum hoſpitijs nulla viæ difficultas aut longitudo deterrebat, quin diligentius inquireret. Verum cum eius vir Lantgrauus vita functus eſſet: mox religioſum & honeſtum habitum induit, & vt perpetuam continentiam ſeruaret: cõtemptis propter deum filijs proprijs, paupertatem quandã amplexari voluit. Quod vbi patri ſuo regi innotuit: miſit qui eam ad patrias ſedes reducerent. At illa conſtanti animo maluit ea in voluntaria paupertate propter Chriſtum degere, q̃ cum diuitibus diues apparere. Vt vero totus eius animus in deum omnino tranſiret, eiuſq; deuotio in ipſum intenta, nullum rerum temporalium impedimentum ſuſtineret: obnixe deum iugiter deprecabatur, vt ſibi ex ſpeciali munere omnimodum rerum temporalium cõtemptum infundere dignaretur, filiorumq; amorem e corde ſuo ſubmoueret, contra quoq; omnes contumelias ſibi irrogatas modeſtiam & cõſtantiam largiretur. Oratione autem huiuſmodi fuſa: mox dominum ſibi dicẽtem audiuit. Exaudita eſt deprecatio tua. Quæ ancillis ſuis dixit. Dominus meus Ieſus Chriſtus exaudire dignatus eſt petitionẽ meam. Quoniam iãiam temporalia omnia iſta vt ſtercora mihi ſunt: deq; filijs meis nec pluris q̃ de alienis curo, mei quoq; cõtemptũ atq; opprobria omnia complector. Et vt cum Maria optimam partem poſſideret, ſedulę orationi & contemplationi vacabat. In quo quidem, vt ſpecialem gratiã ſe habere, præ ſe ferret: cœleſtes viſiones perſæpe videbat, & alios ad mundi contemptum, deiq; amorem efficaciſſimis ſermonibus inflãmabat. Cum autem die quadam in eccleſia cõſtituta, ad dei altare oculos intenderet adeo, vt in eo dei ſummi præſentiam cernere videretur: eodem modo per magnum ſpatium, diuina reuelatione cõſolari promeruit. Dein domum reuerſus, cum præ debilitate corporea, in ancillæ gremium ſe aliquantulum reclinaſſet, oculoſq; ſuos per feneſtram ad cœlos defixos extuliſſet, mox cunctis videntibus eius vultus tanta hilaritate perfunditur, vt etiam riſus ei ſubſequeretur mirabilis: quæ cum aliquandiu tam periucunde lætificata ſtetiſſet: ſubito in lachrymas conuerſa eſt maximas. Cumq; a circunſtantibus rogaretur, vt viſionẽ exponere dignaretur: reſpondit. Quæ ibidem vidi, enarrare non expedit. Appropinquante vero tempore, quo dominus dilectam ſuam de ergaſtulo huius vitæ ad ſe auocare diſpoſuerit: vt quæ propter ipſum, regnum mundi, & eius omnem ornatum contempſerat: angelorum & ſanctorum ei traderet regnum. Eidem Chriſtus dominus noſter, feſtiuus apparuit, dicens: veni dilecta mea, veni in præparata tibi æterna habitacula. Quibus dictis & auditis, haud multo poſt ad extremam horam ſanctiſſima fœmina perueniens: obdormiuit in domino: quarto decimo calendas Decembres: quo quidem die, inter ſanctas merito relata, eius feſtiuitatis anniuerſaria celebrãtur. Ex eius autem venerabili corpuſculo, mox tantus odor aromaticus exhalauit: vt incredibili ſuauitate omnes reficeret. Extẽploq; auiculæ multę affuere, quas nemo vnq̃ eo in loco viderat: quę tã ſuaui modulatione cantitare cœpere, vt cũctos in admirationẽ adducerẽt. Quibus

ex rebus atq; prodigijs, clare oſtenditur quantæ ſanctitatis fuerit Helizabeth comitiſſa: cum etiam ex eius tumulo ſcaturire oleum compertũ ſit. Quibus quidem fulgoribus merito venit inter claras mulieres hic computanda.

¶De Radegundi Franciæ regina. CAP. CXLIX.

RAdegundis Franciæ regina & inſignis virgo fuit, ac memoratu digna, natione barbara ex Thuringia Germaniæ prouintia. Berentharium ſeu Berengarium patrem habuit, nobili ſatis honorataq; inter ſuos familia propagatum. Cuius patriam cum Lotharius Francorum rex debellaſſet, expugnaſſetq;, ac in prædã militibus expoſuiſſet: hæc paruula captiua, in regiam prædam deuenit. Cuius cum elegantiam atq; oris pulchritudinem rex cõſpiceret, non modicum delectatus: eandem enutriendam, informandamq; in Veromandenſem tranſmiſit ciuitatem. Nubiliſq; facta, ipſe rex ſibi ipſi virginem in coniugem aſſumpſit. At rex quum animaduerteret ſuæ nouæ ſpõſæ virginitatis integræ propoſitum, eius precibus permotus, eandem intactã reſeruauit virginẽ. Timens ſancta deo conſecrata Radegundis virgo, ne ideo aliquando declinaret cum mundi gradu, aut parum proficeret: ſuas plurimas regales facultates, in eleemoſynas pauperũ cupidiſſime pene omnes dedicauit. Nam cum ſibi aliquid de tributis accederet, ex omnibus quæ ſibi obueniebãt, ante decimas dabat q̃ reciperet: quodq; ſupererat, monaſterijs diſpenſabat. Et quo ipſa ire minime poterat, eo munera per fideles & ſtrenuos viros deſtinabat: hoc ſe perdere reputans, quod in pauperes non erogaſſet. Cõgregauit & ipſa quemadmodum prædicta Heliſabeth q̃ plurimos inopes & egenos, quorum capita ſæpiſſime propter Chriſtum diluebat, atq; eorum morbos & putredinem pientiſſime curabat, & regina velut humilis ancillula pauperibus ardẽtiſſime ſeruiebat. Inter regales cibos & delitias, faba vel lenticula tantũmodo perſæpe veſcebatur, Nocteq; intempeſta quotidie e lectulo conſurgens, orationi incũbebat: in quibus etiam lachrymas vbertim effundebat, leuia reputãs quę ferret & faceret, ne Chriſto ſponſo ſuo vileſceret. Poſtremo viro ſuo rege chriſtianiſſimo & optimo aſſentiẽte, in Nouinione monaſterio a ſancto epiſcopo Medardo, veſte mutata, & ſacro religionis habitu ſuſcepto, cõfeſtim ſacro velamine cõſecrata eſt. Monaſterioq; celeberrimo apud Pictauium a rege extructo, in eodem a prędicto ſancto epiſcopo, mater & abbatiſſa pręfecta fuit, In quo & abſtinentia & charitate, humilitateq; atq; alijs penę incredibilibus virtutibus illuſtrata, etiam multis miraculis in morte & poſt effulſit clariſſima. quas ob res & eius tranſitus demum extitit glorioſiſſimus. Cuius anniuerſaria dies, quotannis idibus Auguſti a cunctis venerabiliter celebratur.

¶De beata Clara de Montefalco, ordinis eremitarum. CAP. CL.

CLara itẽ alia Italica virgo, eiꝰ nominis ſecũda, in oppido Mõtiſfalci Spoletanæ vrbis, in Vmbria prouincia ſitę, Auguſtinianęq; religionis eremitarum alũna: Bonifacij eius nominis octaui põtificis, & Alberti Cæſaris æuo, ſynceritate vitę, ſicut nomine clariſſima & inſignis plurimum fuit. Huic itaq; in primis generoſa inter oppidanos ſuos origo fuit: quæ & a puero forma egregia, & honeſtis, ingenuiſq; moribus eſſe cœpit. quæq; cum in ſeculo pueritiæ ætatem peregiſſet, & duodecimum ætatis annum attigiſſet: iam rerum humanarũ mutabilitate cognita, fallaces huius ſeculi blandicias, & inania eius promiſſa cum animaduerteret: ad ſacram religionem anhelare cœpit. Conſentientibus igitur parentibus chriſtianiſſimis, diuinam ſancti Auguſtini eremitarum religionem, eo in ortus ſui oppido ingreſſa: non modo traditã ſibi regulam exactiſſime obſeruare curauit, verum & incredibilem per omne vitæ ſuæ tẽpus abſtinẽtiam, ſuiq; ipſius con-

temptum adeo complexa fuit,vt cunctis ſanctimonialibus inauditum prope videretur. Inſuper & mox tam mirifice cōtemplationi, & conſiderationi paſſionis Chriſti ſe addixit, vt animo tantummodo vita frui videretur, corpore autem quaſi alieno, & ſuperuacuo crederetur. Adeo etenim in tantam cognitionem trinitatis diuinæ deuenit,& Ieſu Chriſti paſſionem iugiter contemplabatur,vt pace omnium dicere auſim,neminem vnq̃ fuiſſe apoſtolorum,ſeu ſanctorum cuiuſcūq; etiam cōditionis, qui tā certiſſimis & euidētiſſimis indicijs eam cognouiſſe oſtenderit,ſicut hęc virgo ſanctiſſima Clara. Intellexit quippe optime in primis: qua veneratiōe de9 pater omnipotēs dicatur,quove ſacramento dominus noſter Ieſus Chriſtus, vnicus eius habeatur filius,& qua perfectione,ſanctus eius ſpiritus nominetur, & q; ſanctiſſima trinitas vnum ſit in ſubſtātia,ſed affectu perſoniſq; diſcreta. Præterea intellexiſſe per q̃ optime oſtendit,qui virginis ſanctiſſimæ partus ſit,& quid verbi in carne natiuitas,maximeq; quid ſacramentū totius paſſionis Chriſti,atq; alia ipſius Chriſti Ieſu myſteria. Deniq; intellexit cum eccleſia catholica,quæ erant vitanda hereticorū cōuenticula. Erat quippe Clara hæc,diuinæ doctrinæ eruditiſſima, atq; quadam inæſtimabili facundia copioſaq;. Surrexit enim tum peſtilens error fratrū qui de opinione Fratricelli nuncupabantur: qui & Picenum,Vmbriamq; ac Flaminiam in Italia prouincias maculauere;in quibus q̃ turpiſſimam atq; nephandiſſimam malignantium eccleſiam congregauerant. quod cum ſancta virgo Clara didiciſſet,haud parum certe indoluit: animaduertēs non eſſe in dei eccleſia vllam rugam, neq; aliquam perfidiæ maculam: propter quod dei zelo ſuccenſa,& ſcriptis & voce contra improbos inuehens, clamabat & dicebat cum propheta. Odiui eccleſiam malignātium, & cum impijs non ſedebo. Infractoq; animo cunctis clamabat,& dicebat. Qui vult ſaluus fieri,non declinet in conſilio huiuſce vanitatis,nec cum iſtis vtiq; iniqua gerētibus nullo modo introire præſumat. Sanctam inquiens tenete eccleſiam,quæ deum patrem omnipotentem,& vnicum eius filium Ieſum Chriſtum dominū noſtrum,ac ſpiritum ſanctum concorde & cōſona ſubſtātia,ratione optima profitetur. Quibus ex rebus,incredibili quadam omnium pene reuerentia & ardentiore attētione audiebatur,ac quaſi alter dei angelus eſſet,in admiratione a cunctis habita erat. Virtutum quippe ſtudijs & diuina quadam gratia, Clara hæc Auguſtiniana non modo illuſtris, ſed & clariſſima effulſit fœmina: quam quidem gratiam,nemini ſe dignum facienti,dominus denegare poteſt. His igitur virtutibus & meritis, etiam ad vaticinium & prophetiam vſq; vigilanti penetrauit dono,vt vates ſuo tempore efficeretur notiſſima. Quibus quidē decorata meritis,tandem anno ſalutis noſtræ nonageſimo nono ſupra milleſimum & ducenteſimum,ſuo in cœnobio apud idem ortus ſui oppidum Monteſalcum: ſanctam deo reddidit animam. De cuius ſanctitatis præconio,prædictorumq; omnium teſtimonio,iſtud hoc referimus teſtimoniū: quod apertis oculis intueri poteſt, quod de quouis ſancto nunq̃ compertū fuit. Ea ſiquidem defuncta: in eius corde (corpore aperto) confeſtim crucifixi imago clara & aperta viſa eſt,cum omnibus ipſius paſſionum inſignibus. In eiuſq; corporis felle, etiam tres lapilluli parui inuenti ſunt,eiuſdem omnes ponderis. Quod euidētiſſimum quidem ſanctitatis indicium fuit: quod quidam fidelis piuſque vates cernens: in huiuſmodi prodigij laudem hos cecinit verſus,dicens.

Monte ſata e falco virgo ſanctiſſima Clara,
Atq; Auguſtini ſacro perfecta: pudico
Vſq; adeo cum corde deum venerata dieſq;
Ac noctes,Chriſti crucem tormentaq; cuncta
Optauit ſenſiſſe: gerens,vt lumine functa
Extremo ſit aperta caro quæ prefferat exta,
Inque ſacro crux viſa ſimul,tum lancea corde.
Tumq; columna fuit,necnon poſt quodq; flagellum.

Præterea iunĉti tres huius felle lapilli:
Quorum vix poſſit cerni color, vnius horum
Ponderis eſt tantum, duo quantum vel ſimul omnes:
Atq; duo tantum, tres iunĉti quiſq; videre.

Eius quoq; corpuſculum prope diuinum, quod quidem ipſe vidi, in hodiernum vſq; diem, nulla ex parte corroſum extat: quum adhuc quandam viuentis rationem intuentibus præſtet, omnes in admirationem & venerationem ipſius perfeĉtionis, ſuæq; ſanĉtitatis adducit,

¶De Maria Puteolana, bellicoſa fœmina. CAP. CLI.

MAria quædam bellicoſiſſima fœmina, tempeſtate Frãciſi Petrarchę poetæ, circa annum ſalutis noſtræ milleſimum & trecenteſimum ac quadrageſimũ, in prouincia Cãpaniæ in omni partẽ bellandi multo fuit in pretio. Hæc quippe Puteoli Campaniæ vrbe, ex honeſtis parentibus propagata, a primis annis tanq̃ Camilla Volſcorum regina, armorum militiam ſequi cœpit: quod quidem exercitium ab huiuſmodi ſexu alienum eſt. Erat in primis hæc mulier a primæuo ſuæ adoleſcentiæ, omnium laborum & vigiliarũ patientiſſima, & adeo admirabilis: vt nullus vnq̃ labor, aut aliqua corporis laſſitudo, potuerit eam deterrere. Eratq; & minimi cibi, & in tota vita ſua ſemper ſe a vino abſtinuit. Cui & inter cætera ſemper ſermo admodum rarus erat parcuſq;. Illi muliebria exercitia curæ minime erant, non colus, non penſa, non acus, atq; lanificium: ſed arcus, iaculum, pilum, galea, ſcutũ, gladius, & enſis, atq; alia huiuſcemodi arma, quæ in bellis frequentari ſolent. Perſæpe etenim totam noĉtem agebat inſomnem: etſi quandoq; naturæ neceſſitate requieſcere cogeretur: in humo nuda, aut ſuper ſcutum ſuũ tanq̃ ſeuerus miles iacebat. Deniq; cum de gerendis rebus (vt de Anibale traditũ eſt) nichil ſupererat, tũc ſolũ quieti ſe dedit. Dedita rebus bellicis, inter armatos lęta ſemper obuerſabatur. Et quã q̃ cõſuetudine armatorũ virorum plurimum deleĉtaretur: præcipua tamen illi ſemper cura fuit (res certe admirãda) cuſtodia ſuæ pudicitiæ per totam vitam ſuam, atq; pudoris, quem vſq; ad extremum certe inuiolatum ſeruauit. quæ res eam clariorem atque inter mortales glorioſam vtiq; efficit. Cum ſane non facile crederetur, fœminam adoleſcentem inter armatos continue agentem, caſtitatem & pudicitiam illibatam ſeruare potuiſſe. Nõ defuere tamen qui hanc ſuam virginitatẽ falſis rumoribus labefaĉtare conati fuerint. verum poſtmodum clare deprehẽſum fuit, omnia falſo confiĉta fuiſſe. Fuit itaq; hæc Maria aptior armis & bellis pertraĉtandis, q̃ vllis aliis muliebribus exercitiis & ornamentis. Vnde & pleriq; pro magna ſibi reputabant gloria: ſi ab eadem data ſibi fuiſſet ſecum cõgrediendi poteſtas: ſiue pedeſtri ſiue equeſtri prælio. Quæ cum eſſet mulier validiſſimo & robuſtiſſimo corpore, ex omnibus, cum quibus certamen ſumebat, viĉtoriam reportabat, viĉtrixq; e prælio diſcedebat. Culti corporis ſui minime ſtudebat, aut certe muliebribus munditijs: qui ſi ſuperflui ſunt, potius damnantur q̃ comprobantur. Nullum vnq̃ iniuſtum bellum eam geſſiſſe conſtat: ſed tantummodo hoc illi propoſitum ad bella obeũda erat, aut ad tuendos amicos, aut ad defendenda patriæ ſuæ iura. Tantumq; illi fuit animi magnitudo: vt etiam ſola quãdoq;, aut certe paucis comitata, hoſtes adoriri nõ vereretnr. Et illis in aggrediendis: prima Anibalis exemplo pręliũ iniret: vltimaq; illo confeĉto, recederet. Ad vires etiam corporis accedebat clari imperatoris memorabile ingenium, maximeq; in inſidijs inſtruendis, quibus hoſtes circunueniret. Ardens & incenſa ferebatur non minus in prælio, q̃ in omni alio munere belli. æque patiens famis, ſitis, caloris, frigoris, & vigiliarum, poſtremo & laſſitudinis omnis. His itaq; laborib9, aſſiduiſq; periculis, Maria hæc, ferociſſima euaſit fœmina, atq; bellicoſiſſima in omni parte prælij. Vnde & multi hac opiniõe muliebris

ſtrenuitatis: ſua ex patria ad ipſam viſendã cupidiſſime ſolicitabãtur. quidã miraculo mulieris ducti, quidã vero ad cõferendã manũ, & ad vires ſuas, roburq; cum ea experiendum: quos inter Robertus Siculorũ rex quum de eius virtute multa accepiſſet mirabilia & pene incredibilia, ſuo ex regno ad Puteolũ in Cãpania venit. Scribit & præterea Franciſcus Petracha locuples teſtis: cum eo in loco ipſe aliquãdo acceſſiſſet, ipſam potiſſimum vidẽdi gratia: eam ſe vidiſſe cum armatã, tũ etiã inermẽ, rem quidem inauditã, & omnibus ſeculis & monumẽtis memoratu dignã. Refert quoq; ꝙ cum aliquãdo ea in vrbe cum amico eſſet, & per viã (vt fit) amicabiliter incederet: ab hac tota armata, cũ galea in capite cooperta, fuiſſe ſalutatũ, ſe omnino illã crediſdiſſe fore vtiq; equitẽ armatũ, non fœminã. Sed poſtea cũ ex quibuſdam geſtis, quæ eſſet intellexiſſet: extẽplo cũ quibuſdã amicis ſuis ſuper eminẽtiorẽ vrbis illius arcẽ cõſcendit, vt inde apertius illã videre poſſet pugnantẽ. Atq; ita perſpicue animaduertit illã ex pluribus viris fortiſſimis, qui huius rei gratia ex diuerſis locis illo aduenerãt, victoriã & triũphũ reportaſſe glorioſiſſimũ. Refert quoq;: cũ illã ſolã nactus aliquãdo fuiſſet inermẽ: rogauit ipſam, dignaretur ſui cõſolatiõe, aliquid fortiter in ſua pręſentia edere, quo eius fortitudinẽ certius experiri poſſet. At illa (vt erat fœmina humaniſſima & animi generoſi mulier) vt morẽ ipſi Petrarcha poeta gereret, perbenigne inuitata, ꝙq; maxime ei viſus eſſet vir alicuius præſtãtiæ: Eueſtigio ferreũ veſtem, ac magnũ ſaxũ ſeu lapidẽ, vnũ poſt aliud leui conatu lõgiſſime cõtorſit. Quibus iactatis perbenigne aſtantes appellauit. Vos inquit qui viri eſtis nõ mulieres, hoc ſaxũ arripite, & tãtum ſpatij quãtum ego (ſi videtur) iactu veſtro proijcite & ſuperate. At Franciſcus Petrarcha ſtupefactus cũ vidiſſet mulieris vires, viros anteire: pręfatus eſt, nunq̃ ſibi perſuaderi potuiſſe, tantã viriũ in vlla muliere fuiſſe præſtãtiam: niſi rem ipſam oculis proprijs plene perſpexiſſet. Erat Maria hæc procero ſatis corpore, a qua ſtatura multum honeſtabatur. Atq; ita in ſimilibus exercitijs ferme honorifice & pudice omnẽ ſuam perduxit ętatẽ. cum maximo ſui præconio. Poſtremo dũ inſuperabilis haberetur virago, & aliquãdo cõfligeret, rẽq; bellicã fortiter ageret: in ilibus grauiſſimo vulnere ſauciata: mortẽ mox cum vita mutauit. Cum nõ minorẽ de ſe gloriam ad poſteros propagauerit, q̃ aliqua ex ſuperioribus a nobis commemoratis Amazonibus reginis. Sunt tamẽ qui ipſam eo fato, quod omnibus fere cõmune eſt, defeciſſe contendant, ſemper cum virginitatis pudore. Eſſent qui poſſent mirari, mulieres quãtumcunq; armatæ, in viros vnq̃ incurrere auſas. admirationem eam a ſe reijciant: quoniã vſus in naturam vertatur alteram: quo hæc & huiuſmodi, longe magis in armis homines ſunt factæ, q̃ ſint quos ſexu maſculos natura fecit, & otioſitas & voluptas vertit in fœminis.

¶ De Baptiſta Malateſta, fœmina eruditiſſima. CAP. CLII.

BAptiſta, eius nominis prima, natione Italica, Galeazi Malateſtæ Piſauri, Flamineæ vrbis principis, illuſtris vxor fuit: quæ & prædictæ Mariæ Puteolanę temporibus, cum eſſet eruditiſſima inter fœminas ſui ſeculi, etiam ſingulari eloquentia plurimum inſignis & clara effulſit. Hæc in primis cum Guidonis clariſſimi Vrbinatis principis ingenua eſſet filia, nulli ſui ordinis extitit poſtponenda, & potiſſimũ quidẽ eximia pulchritudine & morũ omniũ probitate: quorũ dignitate celeberrima inter alias euaſit. Cui plane nõ paruę curę, aut ſtudij religio chriſtiana erat, Ineratq; ei ingeniũ prope diuinũ. Eius autẽ ſermo cultus erat, & oratio admodũ cõpoſita: ſiue vernacula lingua, ſiue romana loqui decerneret. Quę cum eruditiſſima ab omnibus eſſet exiſtimata, audiẽtes eã proloqui, in admirationẽ ſui om̃es facile cõuertebat. Nã & ſua admirabili eruditiõe & doctrina, ea anteire viros dicebat. vnde q̃plurimæ eius circũferebãtur orationes, tũ latinæ, tũ etiã artificioſæ, quas & ad imperatorẽ Sigiſmũdũ, & ad multos cardinales eã habuiſſe cũ ingẽti gratia, ferebat. Sed neq; philoſophiæ omnino fuit ignara: Quippe cuius multa extant argumẽta, ad refellendos eos

quibus in philoſophia cum ea fuiſſet diſputatio , aut in diuinis cœleſtibuſque documentis. Vnde pleraq; edidit opuſcula,vtpote, De conditione fragilitatis humanæ,librum vnum. De vera religione,librum vnum. Plurimas etiã ad diuerſos diſertas & doctas ſcripſit epiſtolas:quæ cum elegantiam, tum puritatem eius haud dubie declarant. Habuit & orationem ad Martinũ pontificem maximũ: in qua ſuum pontificatũ ab omnibus optatũ,mirifice laudat, & illius ſacerdotij felicitatem, ipſa ſua oratione exquiſitiſſimis laudibus proſequitur. Cuius tantus fuit orationis ornatus, taleſq; ſentẽtiæ: vt ab ipſo pontifice Martino magnificentiſſime fuerit laudata , & commendata. Multa præterea alia,pręclara mulier hæc ſcripſit monimẽta,quæ & legentes & audientes plurimum delectare videtur. Exiſtimata inſuper fuit memorabilis iuſtitię fœmina,ſed & clemẽtiæ ac pietatis,& in omnes benefica & gratioſa,adeo vt & perſępe mutuis epiſtolis,ac alijs ſcriptis a doctiſſimis eius temporis viris, & in primis a religioſiſſimo preſbytero Frãciſco Petrarcha etiã plurimũ ſalutaretur. Cuius extat volumẽ:in quo ad capeſſenda bonarum literarum ſtudia,maxime illam adhortatur. Non eſt vtiq; delectata,hæc magnifica mulier Baptiſta,ſumptuoſis ac pretioſis veſtimẽtis:q; diceret non in hĩs poſitam eſſe mulierum dignitatem, aut decus vllum. Sed ſuum potiſſimum ſtudium omne in cõparandis libris contulerat,& conſuetudine mulierum ſibi aſciſcenda,quæ ſcilicet virtute præſtarẽt,& omni morũ honeſtate:in quo maxime poſitã, omnis muliebris ſexus veram gloriam, eſſe putabat. Mariti autem principatum rectius & prudentius adminiſtrabat,q̃ maritus ipſe:quibus ex rebus factũ eſt,vt in ſummo honore ſemper ab omnibus fuerit habita,& a cũctis tanq̃ communis omnium parens culta,& id tam ab alienis q̃ a ſuis ſubditis. Vnicã in toto ęuo edidit filiam,nomine Iſabethã:quæ & pulchritudine & ingenio matrem ipſam ęquabat:quæ poſtea Camerinati principi nupta fuit. Poſt viri ſui autem obitum,aliquot annos in viduitate,vitam duxit cœlibem. Demum diuæ Claræ religioni dicata,in cœtu ſacrarum virginum, quod reliquũ fuit ætatis,Vrbani,in monaſterio egit. Vbi per labores maximos, quibus religioni operam exactiſſime dedit, pro adipiſcenda cœleſtium vita,cum ſumma omnium beneuolentia & exemplo , ex hac vita demigrauit. Multis memoralibus documentis,& vitę ſanctitate,quæ ad recte beatęq; viuendum chriſtianis omnibus documentum certum eſſe potuerunt,claruit. Quibus ex rebus merito hæc Baptiſta inter claras mulieres,hoc in loco a nobis venit computanda.

De Ioanna Siciliæ illuſtris regina. CAP.CLIII.

IOanna eius nominis prima,Siciliæ ac Hieruſalem inclyta regina, Caroliq; Calabriæ ducis filia, ac Roberti regis ex eius primogenito neptis: & ipſa ęuo & tempeſtate prædictarũ Baptiſtę, & Mariæ clararum mulierum fuit:non modo origine & potentia,ac inclytis moribus,ſed & robuſtiſſimo inuictoq; pectore plurimũ illuſtris & clara. Et rebus in omnibus tam extitit clara & generoſa,vt fraude potius,q̃ vllo ingenio quis eã decipere potuiſſet. Nam lõganimis & cõſtans plurimum erat: quod ſatis monſtrauere in ea fortunæ ſeueritatis inſultus. In quibus certe perſæpe agitata fuit. in primis quidem auſteros coniugum mores perferens,& ſiniſtram famam,atq; pontificum Ro.minas,necnon & inteſtina fratrum Regulorum diſſidia,& extera q̃plurima bella. Inſuper alieni criminis fugã, & nobilium ſuorum detractiones,atq; alia prope innumerabilia:quæ omnia forti pectore pertulit,ac tandem omnia inuicto animo ſuperauit. Demũq; diademate & omni regno in pace adeptis,in virtutem validam confeſtim couſurgens:adeo regnũ omne ſceleſtorum hominum purgauit inſultu, vt non modo inopes,ſed & diuites opulentiq; cãtando die noctuq;,quo voluiſſent tuto itinere ire potuiſſent: quodq; maius eſt, etiam inſignes viros moribus diſſolutos & incompoſitos , ad vrbanos retraxit

mores. Erat quippe ei eloquium mite, & grauiſſima facundia, atq; plurimum familiaris. Inerat quoq; in ipſa quædam pietas, humanitas, & manſuetudo: necnon & benignitas tanta, vt non reginam ſuam quis dicere poſſet, ſed ſociam. Ex quibus quidẽ virtutibus, omnes illam non ſolum egregiam atq; conſpicuam, ſed quoddam Italicũ decus ſingulare (quoad vixit) fuiſſe omnes affirmarẽt. Huius autem inclytę mulieris, fuit maxima regni inter cætera hæreditas. In primis nanq; inter Adriaticũ & Tyrrhenum mare, ab Vmbria & Piceno, ac vetere Volſcorum patria in Siculum vſque fretum fuerunt fines. Habuitq; & Hieroſolymitanum regnum, & Sicilię inſulam ac Pedemontis in Ciſalpina Gallia territorium: quæ illi ab vſurpantium quorundam occupata fuit iniuria. Sic & qui Septimanam prouinciam inter Narbonenſem Galliam, Rhodanumq; ac Alpes incolunt, & Focalcherij comitatũ, ſuis æquiſſimis parebant imperiis, eamq; ſibi fatebantur dominam & reginã. Innumerabiles certe huic reginæ erãt regiones, Ciuitates, inſignia oppida, maris ſinus nautarum perfugia. Inſuper & naualia, lacus, flumina, modici & maximi fontes, nemora, ſyluæ, & pinguia arua. Sed & numeroſiſſimi populi, & proceres inuictiſſimi ac præpotentes, ac deniq; omnium rerum copia ad victũ neceſſaria tãta illi erat, vt nemo facile explicare poſſet. Quod cũ per q̃ maximũ illi fuerit dominiũ, nec vix vnq̃ (poſt Semyramidẽ Aſſyriorum reginam) inuentum fuerit tãtum a muliere poſſideri, non minus miraculi q̃ claritatis ei affert. Ea enim poſtq̃ regio diademate fuit inſignita, virtute inſurrexit valida, vt non ſolũ purgauerit ciuitates & domeſtica loca, verum & Alpes, ſaltus deuios, nemora, & ferarum luſtra, ac ſceleſta hominum manus vt aufugeret omnis terrefacta, aut ſe celſis clauderet arcibus, quos agmine armatorũ emiſſo, ſub egregijs ducibus, non ante locorum talium obſidionem ſoluerent, q̃ captis munitionibus, nefarios homines ſuppliciis affeciſſent. quod egregium facinus præcedẽtiũ regum aliquis aut noluerit aut feciſſe nequiuerit. Regni etiam proceres tanta frenauit modeſtia, & eorum mores ſolutos retraxit in melius, vt poſita ſuperbia vetere, qui reges paruipẽdebant veteres: ea viuente faciem iratæ mulieris perhorreſcebant. Erat præterea Ioanna hæc regina longanimis & conſtans fœmina, vt eius propoſitum a quoq̃ non leuiter flecteretur inuacuũ: quod ſatis monſtrauere in ea fortunę ſæuientis inſultus quibus perſępe acri concuſſa motu, & agitata fuerat. Deniq; illi erat ſpectabile ac lętum oris decus, ac quædam regalis maieſtas, & maxime vbi opportunitas exigebat. Nec omnia huius fœminę decora poſſet quis explicare ſermone. Quibus factis, non ſolum euaſit egregia, ſed & mira claritate effulſit conſpicua fœmina: illãq; quoad vixit pleriq; Italicum decus ipſis ex rebus appellauere. Hæc quippe Auinionem celeberrimã Galliarũ vrbẽ ſuam, Clementi pontifici Ro. vendidit: pro cuius ſolutione pontifex ipſe feudum, quod regina ſingulis annis eccleſiæ Ro. perſoluere tenebatur, ipſi relaxauit. Vixit igitur Ioanna hæc regina cum Ludouico rege marito ſuo, vigintiſex annis: ex quo cum nullam peperiſſet prolem, Ludouicum Andagaueſem quõdam Francorum regis filium, ſibi ad ſucceſſionem regni adoptauit in filium: pro qua re indignatus Vrbanus põtifex, eam a Carolo regio genere nato, comprehẽdi & interfici iuſſit: & id in anno ſalutis noſtræ milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſecũdo. Hinc humanum genus, ſimilitudinem quandam cum terra habere liquido animaduertere poſſumus: ꝙ non falſa ratione Ouidium poetam ſcripſiſſe dicemus, quũ diceret. Terra ſalutiferas herbas, eademq; nocentes Nutrit: & vrticæ proxima ſæpe roſa eſt. Hæc quippe in fine tanq̃ ſuſpicioſum animal dum fidos amicos a ſe emiſiſſet, infidis quibuſdam (crimine procurante) ſe ipſam commiſit: & tandem eorum opere factum eſt, vt omnia vna cum ſuo interitu, vna hora ſubtracta fuerint: quæ fortaſſis per multos infauſtos dies, nequiter fuerant congeſta. Quæ ſero cognouiſſe potuit Ioanna.

¶De ſancta Catharina de Senis. Cap. CLIIII.

CAtharina eius nominis ſecũda, Hetruſca, virgo ſacratiſſima atq;
religioſiſſima, natione Senenſis, de pœnitẽtia ordinis prædicato
rum profeſſa: anno a natali chriſtiano, nono & ſeptuageſimo ſu=
pra milleſimum & treceteſimum, vitæq; ſuæ trigeſimo, Romã
deuotionis gratia profecta, innumeris illuſtrata miraculis, ac ſpi=
ritu prophetię plurimũ inſignita, cum maximo ſui nominis prę=
conio, diem ſuum adhuc iuuencula clauſit extremum, & ibidẽ in
Mineruæ ſui ordinis templo, cum maxima populorum frequentia ſanctum eius cor=
puſculum ſepulturæ honorificentiſſime mandatum eſt. Quæ quidẽ virgo, tanto me=
moratu dignior eſt, quãto extra monaſteriorum clauſtra, inter parentũ domos, & ſe=
cularia coniugia, atq; ſpectacula non coacta, ſed ſua ſponte, perpetuæ virginitatis iu=
gum ſubire voluerit, & exactiſſime in mortem vſq; obſeruauerit: quibus plane meri=
tis effulſit ſplẽdidior. In cuius laudes veras referendas, nunc ampliatis fimbrijs ire li=
bet. Fuit itaq; huius ſacratiſſimæ virginis (vt præmiſſum eſt) Sena Hetruriæ ciuitas:
quæ quidem amœniſſimo ea in prouincia ſita eſt loco: cuius plane populus, neq; ru=
dis, neq; inurbanus inter Hetruſcos cenſetur: ipſius autem genitor, Iacobus nomine
appellabatur: matris vero Lappæ nomen fuit, ex Bonacaſa familia ea in vrbe medio
cris nuncupata: ambo ſane timorati, & ſuos inter ciues honorati. Qui hanc ſanctiſſi=
mam virgũculam, inter plurimos partus, filiam edidere parentes: quam certe (vt ita
loquar) prius deo conſecratam q̃ adultã viderunt. In qua ſiquidem cunctorũ pręſcius
futurorũ deus, eius in infantia: plurima ante oſtẽdere voluit futura q̃ venirẽt, & etiã
ante monſtrare ventura q̃ fierent. Quippe ꝙ eius in infantia (deo ſic inſpirante) ſua
ſponte, non impulſa, aut ſiquidem coacta, inſcijs parentibus ad tollendam & auferẽ=
dam eis omnis ſui coniugij & prolis ſpem, deo creatori & redemptori ſuo, intra ſeſe
perpetuam deuouit virginitatem, quam quidem ſponſionem, vſq; ad ſuam adultam
ætatem ſecretam apud ſe continuit. Demum ætate adulta, quum quid egiſſet, matu=
ra diſcuſſione animaduerteret: veluti adoleſcentula probatis iam moribus, & ingenti
honeſtate imbuta, ſciens omnino vtilem rerum ſecularium eſſe cõtemptum: ſuis pa=
rentibus ſanum ſui optimi propoſiti, infracto animo aperuit conſilium: conteſtãs ac
affirmans, ſe omnino præſentia decreuiſſe futuris commutare velle, ac affirmans & vo
lens eſſe quod non erat: profitebatur ex tunc omnino negare quod eſſet. O pudicitiæ
iam inuiolatæ decus, O virginitatis infractę venerandum æternumq; ſpecimen, Ca=
tharina: in te velim ingererent oculos, virgines ſanctimoniales, & potiſſimum noſtri
temporis: tuum robur inſpicerent, te, ſi poſſent, tota mente conſiderarẽt. Nam poſt q̃
ſui propoſiti votum ſuis parentibus aperuiſſet: mox ſuſcepto pœnitẽtiæ prædicato=
rum ordinis habitu, intra cubiculum domus paternæ ſe incluſit, & ipſum tanq̃ gurgu
ſtiolum pauperis, in primis pace plenum, ſecuritate validum & omni ſolicitudine va
cuum cupidiſſime incoluit: in quo pene quoad vixit, ſemper orationis, & quietis ſibi
locum eſſe voluit. Moxq; ab ipſius religionis habitus ſuſceptione, corpuſculũ ſuum
hæc virgo, multis ieiunijs, vigilijs, verberibus, alijſq; huiuſmodi ſupplicijs, vehemen
ter afflixit. Eius lectus perſæpe nuda humus erat. Ciliciumq; & ſaccum pro camiſia
induebatur, Atq; circulo ferreo ſępius ad carnẽ vtebatur: quibus ſuam carnem arden=
tiſſime macerabat. Tanta erat eius orationis inſtantia & frequentia, vt eius genua,
camelorum duritiem præ ſe ferrent. Spinoſis chordulis & ferreis diſciplinis carnem
ſuam lacerabat. Cumq; per omne tempus ter aut quater in hebdomoda ieiunaret: in
quadrageſima vero pene omnes hebdomodas læto vultu coniũgebat. Nichil enim
eius ſeueritate iucundius, nichilq; ſua iucunditate ſeuerius. Cum diabolo ſæpe lucta=
batur, a quo nonnullas perſæpe pertulit tentationes. Tanta enim paſſionis Chriſti,
eius fuit iugis memoria, vt etiam ſtigmatũ ipſius pũcturas in corpore ſenſiſſe nõnulli
aſſerunt. Nec propterea tantis laboribus, tantiſq; vexationibus, vnq̃ vel in modico
a propoſito ſancto deſtitit, nec charitatis, ſeu obedientiæ parentum opera prætermi=

ſit. Suiſq; manibus quotidie operabatur: ſciens ſcriptum eſſe. Qui non laborat non manducet. Sponſo autẽ ſuo, aut orans, aut pſallens perſæpe loquebatur. Omne quippe eius tempus, aut laborando, aut orando, aut contemplãdo, aut infirmos viſitando conterebat. Peccatores cuiuſcumq; ſexus, aut ætatis, aut ordinis, maximeq; ſchiſmaticos tunc inſolentes, acriter arguebat: quos etiam ſæpiſſime dulcibus verbis ad pœnitentiam reuocabat, quibus & ſalutis præcepta inceſſanter dabat. In ea quoq; prophetiæ ſpiritus erat, & multa eam prædixiſſe anteq̃ fierẽt, compertũ eſt. Ad eam nõnulli quoq; malignis vexati ſpiritibus, multiq; languentes ducti, curati referũtur. Sed poſtea q̃ eius ſanctiſſimus cœlo receptus eſt ſpiritus: orationes & ſupplicationes, ac multorum vota, a quibuſcumq; oblatas, benigniſſime audiuit. Eius præterea ſermo breuis ſemper & grauis, omniq; ædificatione conditus: inceſſuſq; idem ſemper erat. In hoc itaq; viuendi ordine Catharina virgo Senenſis, vſq; ad trigeſimum vitæ ſuæ annum ita peruenit, vt eius cutis nullum vnq̃ cõtraxerit fœtorem: immo ea defuncta, tanq̃ omnium vnguentorum delibutum corpus ſuauiſſimos reſperſit odores. Ac ſic in his virtutibus Catharina hęc virgo, poſt conſummatum ſuæ modicæ vitæ tẽpus victrix triumphatrixq; migrauit ad gloriam. Quãobrem Pius pontifex eius nominis ſecundus, ipſius ſanctiſſimæ virginis cõterraneus: de cõſilio fratrum Cardinaliũ, eam merito in cœtu ſanctarũ virginum, eccleſiaſtico more aggregauit: in anno videlicet ſalutis noſtræ milleſimo quadringenteſimo, ſexageſimo quarto, calendis Maij. Cuius vitam ſanctiſſimam hic inter claras mulieres, ad ædificationẽ multorum ponendam breui ſermone ſtatuimus: vt eam virgines & viduæ imitẽtur, maritatęq; colant, noxię quoq; pertimeſcant: ac deniq; omnes chriſticolę, eius virtutũ & patientiæ exempla ſuſcipiãt. Et his potiſſimum, quibus difficillimum videtur, ſpem periculis emere, dãnoq; rerum pręſentium, futuræ locum mercari ætatis & vitæ.

¶De Paula Gonzaga, illuſtri & ſancta fœmina. Cap. CLV.

PAula, eius nominis inter claras huius noſtri operis mulieres ſecũda, prudentiæ & pudicitiæ dux egregia, atq; ſanctiſſimũ vetuſtę conſtantiæ & patientię decus, Ioãni Franciſci Gõzagę Mantuaní principis vxor: anno a natali chriſtiano milleſimo quadringenteſimo nono & quadrageſimo: apud Mantuã inſignem Galliæ ciſalpinę vrbem, cum magno ſui nominis fulgore, mortem obijt. Hæc quidem illuſtris fœmina patrem habuit Malateſtã: ex illuſtri vetuſtiſſimaq; gente Malateſtarum Piſauri Flammineæ prouinciæ vrbis principem. Quæ plane fœmina inter alias ſui ſeculi mulieres venuſtiſſima & pulcherrima fuit. In cuius vultu quædam gratia præcipua, & grauis quidem aſpectus erat. Qui ſane habitus præcipuus eſt, ad eliciendum populorum beniuolentiam: quæ eſt regnorum monimentum pręcipuum atq; firmiſſimum. Plane hæc excellebat inter alias ſui ſexus & cui fœminas, ſingulari eloquentia: inſuper & tam humilibus q̃ magnis viris affabilis, & in miſeros atq; in omni ope deſtituos, ſupra modum fuit liberalis. Atq; alienis malis magnopere commouebatur: quibus & pro ratione perſonarũ impigre opem ferebat, illiq; maxime ad illius opem confugiebant. Quibus tam præclaris artibus, ſupra q̃ dici poteſt, omnibus populis ſuis fuit acceptiſſima. Eius quippe conſilio longe prudentiſſimo, plurimum ſemper tribuebãt omnes. Platonis illud dictũ ſępius vſurpabat: Nos non ſolum nobis, ſed toti humano generi natos eſſe, animaduertere debemus: ortus autem noſtri partem patria, partem amici vendicare debent. His virtutibus inter cętera adductus vir eius princeps Ioannes Franciſcus, tali coniuge mirifice delectabatur: q tam prudens, tam iuſta, tã benefica in omnes eſſet. Ad extremum vero ipſe bellicis rebus deditus, vniuerſam ſuæ ciuitatis adminiſtrationẽ (illius conſilio & prudentia maxime fretus) credendam illi putauit. Cui non ſolum curæ fuit optima ciuium ſuorũ diſciplina, qua informaretur ad vrbanos optimoſq;

mores,ad optimaq́ inſtituta bene moratarũ vrbiũ:ſed vt qui ea in vrbe atq́ in agro ſuo religioſi viri eſſent,minus videlicet religioſe viuentes,ad laudabiliorem vitæ cultum transferrerentur.itaq́ fundatis ea in vrbe ſua multis tẽplis & monaſteriis tã fœminarum q̃ virorum,in quibus viri religioſi, religioſæq́ mulieres ſeorſum viuentes, rebus diuinis operarẽtur,omni ſanctitate morũ,& integritate vitę,quæ optimę partes ſunt ad cœleſtẽ vitã comparandã,& ad id admodũ neceſſarię.Quæ quidẽ ſana ac mirifica diſciplina,a ſpiritu ſancto emanauit: in hodiernũ vſq́ diem incorrupta per q̃ optime ea in vrbe cuſtoditur.Quæ cum incredibiliter & ipſa rebus diuinis dedita eſſet,nihilq́ ab ea prętermitteretur quod etiam ad religionem fouendam pertineret:ſuis ipſa bonis & facultatibus plęraq́ religioſorũ & fœminarũ monaſteria collapſa reſtituit,integrauit,atq́ mirifice dotauit & exornauit. Quam nihilo minus laudatiſſimã mulierẽ omnibus virtutibus decoratã,dominus deus vt ſibi chariorẽ faceret,deniq́ grauiſſimo morbo paſſus eſt tẽtari:& id ſane in eius florẽti ætate,quo ipſius excellentes virtutes magis magiſq́ probare videretur: Nã & duplici gibbo mox percuſſa fuit,vna videlicet in pectore,altera vero in tergo.quibus extẽplo ita ſtrumoſa,atq́ ita deformis effecta fuit,vt geſtare caput videretur ad pect⁹.atq́ ita in omnibus mẽbris debilitata.Inſuper & doloribus iliũ,atq́ podagra,vt nõ poſſet nec manum quidẽ ori admouere. Attamẽ tanta fuit eius patiẽtiæ & cõſtantiæ virtus, vt ne minima quidẽ querularũ vox,dolorisve vllius,vel impatiẽtiæ vnq̃ fuerit ex eius ore audita.Sed de his omnibus corporis malis,quibus indeſinẽter cruciabatur: Deo ſemper gratias agẽs,cũ propheta dicebat.Bonũ mihi,quia humiliaſti me domine,vt diſcam iuſtificationes tuas: pro quibus certe Paula mulierũ ſapiẽtiſſima, tandẽ exitũ admirabilẽ ſortiri promeruit. Quib⁹ quidẽ malis,melius cũ Paula ex gibbo deformoſiſſima q̃ cũ Lucretia fœminarũ pulcherrima Romana, Virgineaq́ Auli Virginei plebei actũ eſt: quæ quidẽ ob earũ ingentẽ pulchritudinẽ,turpẽ exitum habuere. vnde ad hoc in teſtimoniũ aduocari quidẽ poſſumus Iuuenalis illud ſatyricum.

Formam optat modico pueris,maiore puellis
Murmure,cum Veneris fanum videt anxia mater.
Sed vetat optari faciem Lucretia,qualem
Ipſa habuit.cuperet Rutilæ Virginea gibbum
Accipere,atque ſuam Rutilæ dare.

Sunt qui exiſtimẽt hãc gibboſitatis & ſtrumoſitatis deformitatẽ,ex ea vſq́ in poſteros eius fuiſſe tranſlatã & trãſfuſam.Igitur Paula illuſtris tam valitudinaria,tãq́ toto corpore debilitata,religioni ſe adiecit,& locum ſibi fabricare cõſtituit,nõ procul a quodam illorum,quæ extruenda locauerat.Vbi vt chriſtianũ decet, in omni probato vitę inſtituto tandem & vitæ finem fecit: idq́ quatuor annos poſt viri mortẽ,ipſa annos ſexaginta nata.Hic optimus vitæ finis,& egregia virtus:nomen ſanctiſſimę mulieri huic peperit clariſſimum. Extitit præterea in ea perpetua liberalitas tam in viros q̃ in fœminas,qui eius beneficentia indiguiſſent : nec clauſa benignitas in eos, qui virtute & bonis moribus præditi eſſent. Nec facile poſſent hoc loco ipſius ieiunia recenſeri,aut abſtinentiæ explicari, ad cupiditates corporis noxias omnes reprimẽdas,aut continentes eius ad deum immortalẽ orationes,pro ſua ſuorũq́ ſalute,ab eadem etiam cum lachrymis aliquando fuſas : quæ omnia in ea illuſtri muliere excelluere in primis.Dicam equidem hoc in loco Paulam matronã optimam, ſuis meritis & precibus deum rerum omnium factorem ſic benignum feciſſe, vt adaperto ſuæ munificẽtiæ ſinu,in illã in morte pariter & poſt mortẽ,gratias plurimas effũderet.Ex hac itaq́ tã præſtãti fœmina,Ioãnem Franciſcum eius maritum,ſex liberos ſuſcepiſſe cõſtat:mares quatuor,fœminaſq́ duas.Quorũ primus Ludouicus fuit,qui patri in imperio ſucceſſit,princeps ſui ſeculi,famę nõ mediocris:literis eruditus, & rebus militaribus exercitatus.ſecundus,Carolus,fortiſſimus bellator:cui pauci proceritate corporis,aut certe virib⁹ pares fuere:ſed nec liberalis diſciplinę ſeu doctrinę

ſane expers. Huic ſucceſſit Ioanes Lucidus valitudinarius admodum, atq; in primis deformis, qui paucos annos paternæ morti ſuperſtes fuit. Quartus illi genitus Alexander, eadem gibboſitate & ſtrumoſitate qua & mater deformis: vir admodum religioſiſſimus, qui totam ferme vitam cum religioſis viris, in dei laudibus conſumpſit. Ex fœminis autem, maxima illi fuit Margarita, quæ Leonello principi Eſtenſi matrimonio collocata fuit. Secunda: Cæcilia dicta, quæ poſt q̄ principi Vrbinati pacta fuiſſet, diuinitus inſpirata, cœtui virginum ſe dedicauit: quæ quidem & ſanctitate vitę, ac morum diſciplina vſque ad extremum vitæ finem, pie religioſeq; vixit. Talis igitur huius inclytæ mulieris Paulę Gonzagę, vitæ ductus fuit: eaq; cōſtantia, vt probitate morum & viuendi diſciplina, inter clariſſimas ſui ordinis, a nobis referri meruerit fœminas. Cuius decora hoc loco paucis perſtrinxiſſe contentus, cætera lectoris iudicio permittēda duxi: vt cū cognouerit quę de illa carptim tradita ſunt, ad illius virtutem celebrandā, talis imitationis exēplum ſibi, & cæteris, boniſq; mulieribus conſectandum eſſe arbitretur.

¶De Vrſina Guidi Torrelli vxore. CAP. CLVI.

VRſina principis Guidi Torrelli Parmēſis, qui multis potiebatur caſtellis vxor, & ipſa æuo eodem, in vniuerſa ciſalpina Gallia, maxime propter ipſius præclariſſima facinora, tam diuina q̄ humana a ſe ſtrenue & mirifice geſta, miris laudibus celebranda venit. Hæc itaq; in primis ex illuſtri clariſſimaq; vicecomitū familia (qui Mediolano imperabat) originem duxit. Mulier ſane pręſtans & forma pulchritudinis ijs non inferior quæ his in locis venuſtatis admirādæ gloriam ſint conſecutæ. Cuius nuptiæ: pro fortuna illius principis in primis cum multa magnificentia & celebritate atq; ſplendore celebratæ fuere, ex more illius gētis Torrellæ familiæ ſatis illuſtris. Fuit itaq; hæc Vrſina virago illuſtris tam verbis q̄ operibus, & ſatis facilis, ſatiſq; humana, benignaq; atq; ſupra q̄ dici poteſt permagnifica: quæ multum marito probabatur, cum illius ingenium, ſuo fuiſſet admodum conſimile, & more apprime conuenirent. Erat liberalis præcipue quantum eius facultas patiebatur. In virgines præſertim, quæ inopia rerum nubere non poſſent, omnia pietatis officia impigre exhibebat. Aderat frequēter & deuote per ſingulos dies diuinis myſterijs, quæ nunq̄ intermittebat. Orabat continue dominum redemptorem noſtrum: hoc ſibi inter cætera prętare dignaretur, vt ſuos populos, cum ſumma mariti pace & laude, regere & gubernare poſſet. Lnxurioſas mulieres, & fœneratores viros, pene videre non poterat. Maximeq; ſceleratos perditoſq; blaſphematores dei & ſanctorum deteſtabatur, quos etiam præ zelo, ſi facultas eidem data fuiſſet, dentibus diſcerpſiſſet. Erat nihilo minus facilis & magni animi ad ignoſcendū. Erat prætereа reifamiliaris adminiſtrandæ non ignara, cum diuinis, tum humanis exēplis: & his adducta exemplis, propterea ſe in optima ſemper exiſtimatione, bonaq; fama cuſtodiuit. Omnib9 ſubditis & amicis ſuis, ſed marito in primis ſemper acceptiſſima fuit, Quibus rebus in tota ciſalpina Gallia clariſſimum adepta eſt nomē. De hac ſtrenua muliere, cōplurima & quaſi incredibilia ſcribi poſſēt præclara facinora a ſe geſta: quę quidē hoc loco tacenda mihi minime videntur: quæ in tuēda re ſua, Mediolanenſiq; principatu ſeu regno ſtrenue Vrſina geſſit. Nam quū aliquādo maximū bellū inter Venetos ducēq; Mediolani Philippū Mariā ortū fuiſſet: claſſis Veneta p Eridanū fluuiū ſurſum venit, & Brixellū notiſſimū mariti caſtellū expugnauit & cepit: quo capto, mox cū magno fragore profecta eſt Caſtellū itidē maritimū oppidū in ripa Eridani cōſtitutū, vbi & caſtra ſunt cōſtituta: quod vbi Vrſina accepit, quæ tū a Caſtello per decē paſſuū milia aberat: Cōfeſtim (tanq̄ Martis filia) oēs copias ſuas quaſcūq; habere potuit iſtruxit. Toracēq; cū omni eqtis armatura ſibi induit, & equū aīoſiſſime cōſcēdēs, ſuis cōmilitonibus ait. Eia cōmilitones nr̄i fortes eſtote, & præſtāti

robore eamus:quia nec ſtatui arma hæc quibus induta ſum prius deponere,quouſq; hi hoſtes noſtri,a nobis fuſi fuerint atq; fugati.Quibus dictis,nō minore ſane animi magnitudine,ad ſoluēdam Caſtelli ſui obſidionem profecta eſt,q̄ Semyramis Aſſyriorum regina contra Babylonios feciſſe legatur. Cui vbi allatum eſt Babyloniorum ciuitatem ſuo ab imperio defeciſſe:ſtatim ſicut erat inculta,cū forte comā diſcriminaret,eo in habitu non prius bello finem fecit,donec rebellem vrbem magna virtute ſibi recuperauerit. Sic & Vrſina hæc illuſtris virago, claſſem Venetam tāta ope,tantiſq; viribus eſt adorta:vt intra breue tēporis ſpatium totā profligauerit:quo in prçlio plus q̄ quingenti Illyrij ſunt deſiderati: quæ quidem ſibi nihilo minus incruenta aliqualiter fuit,cum quoſdam ex ſuis amiſerit.Aderat hçc mulier in pugna,impigre diſcurrens huc atq; illuc prçcipua adhortatrix:integros feſſis ſubrogans in aciē contra hoſtes.Sūt qui affirmēt plures ab illa,manu illius fuiſſe occiſos,q; eius arma multo ſanguine eſſent cruentata.Qua re bene geſta,non ſolum Caſtellum ſed & Brixellum receptum eſt.Quç victoria cum marito,atq; Philippo duci Mediolanum fuiſſet allata,ingens gaudiū, ingēſq; lçtitia per totū illius principatū, ab omnibus vrbibus, caſtellis & oppidis eſt agitata. Cuius mulieris virtute motus Philippus tantū ei tribuiſſe dicitur:vt nulla res male geſta poſt talem victoriam ei eſſet imputāda.Multa præterea alia huius mulieris præclara geſta atq; facinora,nec ab hoc quidem diſſimilia hic a nobis commemorari poſſent:quç breuitati ſtudens, de induſtria prætermitto. Tres marito edidit liberos:Chriſtophorum videlicet natu maiorem , & Petrū, in armis excellentes,virtute corporis & peritia rerum inſignes.Fœminam autē Antoniam,quæ poſtmodum Petro Mariæ Rubeo nupſit , nequaq̄ animi magnitudine a matre degenerē. Nam cum aliquādo Parma ciuitas quorūdam facinoroſorum infeſtationibus agitata,a Franciſco Sfortia Mediolanenſiū duce deſciſſet, & libertate adepta,per populum gubernaretur: ipſa permota,ſuo ex principatu cum multis armatis illuc profecta,vrbem cum magno tumultu introgreſſa,ipſam mox recipit,validoq; præſidio in eadem impoſito : receptam Franciſco Sfortiæ reſtituit . Hæc itaq; illuſtris virago Vrſina,in adeundis ſemper magnis rebus ſtrenua,ſemperq; muliebri decore cuſtodito, vſq; ad extremum ſenectutis diem,cum maximo ſui præclariſſimi nominis fulgore,ac ſua maxima,ſuorumq; omnium gloria peruenit. Defungēs itaq; vita,in anno ſalutis noſtræ milleſimo quadringenteſimo,& quinquageſimo primo, chriſtianiſſime mori curauit:ex animo de commiſſis pœnitentia ducta, videlicet de omni culpa qua deū omnipotentē lçſiſſet in tota vita ſua confeſſa eſt,& cætera quçq; eccleſię catholicę ſacramēta deuotiſſime ſuſcepit:pro quibus pie credendū eſt,ipſam pientiſſimum habuiſſe propitiatorem dominū noſtrum Ieſum Chriſtum.

¶De Ianna Gallica Pulcella,optima iuuencula. Cap. CLVII.

IAnna virgo Gallica natione Lothoringenſis:circa annum ſalutis noſtræ. M. quadringenteſimum, octauum & quadrageſimum : in puellari adoleſcentulaq; ætate diuinitus (vt creditur) ad multa facinora obeunda preelecta:in metropoli Remenſis ciuitatis, cum quartū & vigeſimum tantummodo ageret annum , in ſumma caſtitate deceſſit,igne cremata.Hæc itaq; in primis obſcuris & humilibus parētibus cū procreata eſſet,nihilo minus in tota vita inuicti animi princeps extitit victorioſa.Cum a principio magnā ætatis ſuæ partem inter pecora egiſſet:vbi cū ſuis ſodalibus,cum quibus paſcendo pecora obuerſabatur,ſçpius curſum exercebat:& modo huc atq; illuc illi frequens curſus erat:& aliquādo currendo haſtam vt fortis eques manu capiebat , & arborum truncos validiſſimis vulneribus percutiebat. plerunque etiam aliquam ex equabus quç in grege paſcebatur,viriliter aſcendebat,& haſta brachio ſuppoſita currendo ictus validos inferebat : & qui illam inſpectabant , magna animi voluptate & admiratione afficiebantur. Per huiuſmodi autem exercitationes

mulier euaſit fortiſſima. Erat breui quidem ſtatura, ruſticanaꝙ facie, & nigro capillo, ſed toto corpore prçualida: quæ per omnem vitam ſuam, illibatam ſeruauit virginitatem, & religionis apprime cuſtos extitit. Eius ſermo ſatis ex more fœminarum illius patriæ lenis erat: quem ſani eius mores plurimum honeſtabant. Tam rectus illi ſenſus, tamꝙ integer, vt ibi educata, ibive enutrita crederetur: vbi ſumma prudētia, & omnis conſilij ratio vigere videretur. Ea igitur tempeſtate Henricus Anglorum rex, atrox bellum Carolo eius nominis ſeptimo Francorum regi intulerat, idemꝙ maiorem regni ſui partem ademerat: & iam Aurelianam primariam ſui regni vrbem ſumma vi oppugnabat: & eius vrbis quotidie grauiſſima erat oppugnatio, eo ꝙ vndiꝙ circunſeſſa erat, nec aditus oſtendebatur quo poſſet talis obſeſſio ſolui: in ea quippe omnis regni ſpes vertebatur. qua quidem amiſſa, de toto regno Galliæ actum eſſe videbatur. In hac itaꝙ difficultate rex conſtitutus, & angore animi incertus angebatur: nec quod conſilium ſequeretur, rationem vllam inire poterat. Tum hanc virginem, dum hęc agerentur, contigit paſcendo pecora in ſacello quodam viliſſimo, ad declinādam pluuiam obdormire: quo in tempore viſa eſt ſe in ſomnis a deo qui ſe illi oſtenderat admoneri. tumꝙ ſextum & decimum tantummodo agebat annum. Qua admonitione permota, confeſtim grege omiſſo quem paſcebat: in caſtra ad regem eſt profecta. Quæ cum ad eius tentorium perueniſſet: præfata eſt velle ſe de rebus maximis cum rege loqui, ꝙ prædicaret ſe diuinitus a deo miſſam. Primores & cubicularij aſpernabantur puellam, ꝙ cultu & corporis habitu vna ex agreſtibus eſſe, ſicut erat, videretur: vnde eam caſtigabant & duris verbis atꝙ aſpere increpabant, ꝙ tam audax, tamꝙ petulans & temeraria eſſet: vt tantum regem ſtulta & ſubruſtica adire & alloqui præſumeret. Illa nihilo minus a deo confortata & impulſa, in propoſito perſeuerans, inſtanter expoſtulabat ad regem ingredi licere, quum ſe magna ſibi afferre diceret ac ſeria, non vtiꝙ leuia aut minime ludicra. Quibus ex rebus permoti aulici, eam demum ad regem introduxere. Introducta autem ad regem Pulcella Iana, quum ad ipſius genua procidiſſet: maieſtatem regiam ex more, omni cum reuerentia ſalutauit. Salutatoꝙ rege, primoribus cunctis palam audiētibus: ſic locuta eſt. Glorioſiſſime rex: ego ancilla tua minima, omiſſa mei gregis cuſtodia, cui tanꝗ vna ex agreſtibus preeram, omnipotentis dei imperio, ad opem tibi ferendam, qua regnum tuum amiſſum recuperes, huc impigre acceſſi: diuinoꝙ iuſſu, ducem totius tui exercitus, moneo me declarari iubeas. nec mireris ꝙ puella inops & agreſtis, & huiuſce viliſſimæ ſortis huc prodierim, auſaꝙ fuerim tantum imperium ſuſcipere: quia omnipotenti deo ſic viſum eſt, infirma & cōtemptibilia eligere, vt fortia confundat. At rex horum verborum grauitatem ſecum reuoluens, illico tacitus & mirabundus ad primarios ſuos ſuſtulit oculos. Eademꝙ admiratio cæteros obſtupefecit proceres, ſubmiſſa voce dictitantes: hoc certe diuinum, non humanum eſſe conſilium. Rex autem inquit: Pulcella, ingenue profiteris te a deo mihi omnino in auxilium miſſam eſſe. Sed qua ratione? Tu fœmina es admodum adoleſcentula, rerum omniū inexperta: & quomodo prçſumis tibi tāti muneris, tantiꝙ exercitus aſſumere adminiſtrationē? Hoc vtiꝙ nō eſt tui officij & ætatis tenellæ mun⁹, ſed iure militari periſſimorū, exercitatiſſimorūꝙ virorū. Itaꝙ moneo ſemel atꝙ iterum, vt videas etiā atque etiam quę afferas & quæ apportes. Conſtanti vultu & intrepido confeſtim reſpondit. Maxime rex obſecro, ne plura percunctari pergas. Deus a quo miſſa ſum, huic tuæ neceſſitati conſulet, nec pero teras vltra tempus ſi chara tibi eſt tui regni incolumitas. Et vt verum intelligas, accipe quæ ſubmotis arbitris tibi dicam. Poſtꝗ vero cum rege locuta eſt, Rex prope ſtupefactus, & incertus quid reſponderet. E veſtigio illam totius ſui exercitus ducem enunciauit, cunctis primoribus acclamantibus. Res prope incredibilis & inaudita, & maximo ſpectaculo digna, ſi animaduerteris tot principes, regemque ipſum in bellis exercitatiſſimos, ſeſe imperio adoleſcentulæ ſedecim annos natæ ſubijcere, quæ ex ouium & ſuum vel porcorum gregis ex=

cepta fuerat: videre eam virilibus indumentis & armis indutam Gallicas ducere acies. Igitur poſtq̃ Ianna hæc virago, totius regij exercitus declarata eſt imperatrix: mandauit rex, coruſcantia arma neceſſaria eidem ſtatim dari, equumq; fortiſſimum admoueri, faleris, alijſque ornamentis mirifice coopertum: quem cum aſcendiſſet, etiam galea ſuo capiti ſuperinduta, capilli capitis ſui per humeros diſperſi dependebant. Cumq; taliter indutam & armatam omnis ſpectaret exercitus, & equo intrepide inſedentem: viſa eſt omnibus eques quidam e cœlo demiſſus. Quæ cum parte copiarum terreſtri itinere equo inuecta, contendit ad Aurelianã vrbem obſidione ſoluendam: Rex vero cum omnibus alijs copijs, ſuiſque primoribus principibus ſtrenuiſſimis: ad Rhodanum flumem caſtra caſtris oppoſuit, Ipſa autem cum ad hoſtem perueniſſet, extemplo manum ſumma vi conſeruit. In quo quidem conflictu & prælio, dux totius hoſtilis exercitus cum decem milibus Anglorum e veſtigio fuit interfectus, Et trium horarũ ſpatio, tria hoſtilia recepit munitiſſima propugnacula. Quo viſo: Rex omnem ſuum exercitum validiſſimum ad liberandam vrbem admouit. Atq; ita intra quatriduum ipſa ciuitas (hoſte pulſo) cum maxima huius adoleſcentulæ gloria, obſidione liberata eſt: quod potius diuinum q̃ humanum factum omnes reputarunt & crediderunt. Hanc quidem rem geſtam quidam optimus & locuples teſtis, vir clariſſimus, nomine Guilielmus Guaſchus ſerio mihi expoſuit: tunc regius aulicus, prout audierat & viderat. Poſtq̃ hoc per octo annos continuos, tricies cum hoſte iuſto prælio conflixit. Ex quibus ſemper ſuperior glorioſa diſceſſit: capto, maxima cum ipſius gloria atq; triumpho, Anglorum ſtrenuiſſimo imperatore, quẽ ſuo regi vinctum tradidit. Quibus geſtis, regem ipſum Carolum ouantẽ in Aurelianam introducens, ex more a ſuis proceribus inunctus & conſecratus eſt Rex: quod antea minus facere poterat. Inunctus itaq; rex atq; ex more corona donatus, cum maxima omnium lætitia, ſuiq; gloria atq; triumpho: in templo ea aſſociante eſt præſentatus. Vetere enim lege non licet Francorũ regem alibi, q̃ ea in vrbe conſecrari. Cum omnia Gallorum regum inſignia, ibidem poſita reſeruentur, quæ videlicet adhibentur rege coronãdo: in primiſq; ſacra vnctio, e cœlo demiſſa. Hęc igitur Ianna Pulcella virgo, cum magnã gloriam in armis eſſet adepta, & regnum Francorum magna ex parte deperditum, e manibus Anglorum pugnando eripuiſſet, in ſua florenti ætate conſtituta: non ſolum ſe morituram, ſed & genus ſuæ mortis cunctis prædixit. Nam ab ipſis Anglis tandem in pręlio capta, & ad Remenſem vrbem violenter perducta: ibidem ab ipſis & ipſorum rege, veneficij & artis magicæ vitio incuſata, ſæuiſſima ignis morte demum dãnata eſt. Et hic tantæ virginis vitę finis fuit: quo quidẽ atrociſſimo ſupplicio, hæc tam inauditæ virtutis mulier indigne occiſa eſt. Poſt multos autem annos, Carolus ipſe optimus ſane Rex, Remenſium vrbe recepta, eo in loco vbi atrociter concrementa fuerat Ianna Pulcella, pro monumento & titulo puellaris decoris, crucem æneam & quidem eminentiſſimam inauratamq; poni iuſſit. Ludouicus autem rex poſtea patri ſuccedens, ægre admodum ferens mortem tam indignam tantæ viraginis, a Pio pontifice Romano eius nominis ſecũdo impetraſſe fertur: vt duos iuriſperitos in Galliam mitteret: qui iterato diligentius illius cauſam & vitã cognoſcerẽt. Qui vbi in Galliam demũ perueniſſent, illico duos ex falſis conſiliarijs & iudicibus ſuperſtites ad ſe citarunt. Qui poſtquam cauſam huiuſmodi accurate diligenterque omnem cognouiſſent: deprehenderunt plane mulierem innocẽtiſſimam falſo fuiſſe damnatam, ac omnia conficta contra ipſam extitiſſe: quæ videlicet de veneficio aut arte magica aduerſus illam crimina dicta fuerant. Quinimmo omnem eius vitam, tam præclaris geſtis ita æqualiter conſenſiſſe, nec quidpiam ab ea vnquam admiſſum, quod religionem vlla ex parte violare potuiſſet. Quas ob res vtroſque eodem mortis ſupplicio affecerunt: quo ipſi ininocentiſſimam virginem diu ante promulgauerunt atq; damnarunt. Atque huic damnationi additum eſt, vt duorum aliorum iudicum mortuorum oſſa, e ſepulchris effoſſa, igni ſimiliter cre=

marentur. Eoq; loci, vbi hæc virago extiterat concremata, templum poneretur, & ex reliquis prædictorum bonis quæ publicata fuerãt, ibidem ad dei ſummi honorem ipſiuſq; defunctę propitiationem: quotidianum ſacrificium inſtitutum eſt. Itaq; hoc modo huic admirabili fœminæ decus omne recuperatum eſt. Quibus quidam meritis & inauditis facinoribus, Iãna hæc Pulcella, merito a nobis claris mulieribus venit hic applicanda.

¶De Iſabella regina, Renati regis vxore. Cap. CLVIII.

ISabella illuſtriſſima, ac (vt ita dixerim) ſancta regina, Renati Andegauenſis inclyti ac optimi regis coniunx, anno a natali chriſtiano nono & quadrageſimo, ſupra milleſimum & quadringẽteſimum, Neapoli maximo cum ſui nominis præconio deceſſit. Quæ certe inter omnes ſui ſeculi mulieres in primis formoſiſſima fuit fœmina, nec minus ingenio præſtans, q̃ animi magnitudine, iuſta, clemenſque, & omnibus munifica, affabilisve, ac rerum diuinarum admodum ſtudioſiſſima: & eloquens in primis. Cuius tanta erat verecundia, vt inauditum prope videretur: eratq; tanto pudore exornata, & aſpectu cõſpicua, ac venerabilis: vt magis a multis diceretur mulier diuina q̃ humana. Et cum alijs multis bonis artibus & animi dotibus mirabiliter eſſet decorata, ſingulari prudentia longe ornatiſſima dicebatur inſignita. Maximeq; in Parthenopeo regno adipiſcendo, eodemq; adminiſtrando: ex quo certe immortalem gloriam inter cætera eſt conſecuta. Scire hoc in loco nos oportet, ꝙ cum idem regnum Neapolitanũ, Ludouico & Ioãna regibus caruiſſet, e veſtigio primates regni in Galliam miſere, qui huius mulieris virum Renatum regem, Ludouici regis defuncti germanum, in id accerſirent: exiſtimantes, regni titulum legitimo iure, ad ipſum pertinere. Rex autem Alfonſus Aragonenſis, de Ioannæ reginæ morte certior factus: ſtatuerat hoc regno potiri, & per adoptionem ipſius defunctæ reginæ hæres fuerat inſtitutus, non autem priuatus. Qui vt aſſequi poſſet quod magnopere optabat, in primis Philippum Belgarum principem, per literas admodum precibus defatigare cœpit (cum eſſet illi propinquitate ſanguinis coniunctus) vt ad ſe vocaret Renatum ipſum, qui iam diu captiuus illi fuerat, vtpote iam multos annos ab ipſo captus, quenq; ſub militaris fidei liberum dimiſerat, vt quoties a ſe acerſiretur, nulla interpoſita mora ad ſe veniret. Eo quippe tempore quo Renatus ipſe ab eodem Philippo Burgundiorum duce euocatus, veniebat: eodem fere a legatis primorum Neapolitanorum ſolicitabatur, vt ipſius Parthenopei regni titulum, qui ſibi deferebatur, Neapolim accepturum veniret. Sed optimus rex maluit principi fidem ſeruare datam, q̃ oblatum regnum adipiſci. Statimq; ad ipſum ducem Burgundiorum Renatus rex profectus, ab eodem aliquandiu (Alfonſi regis intuitu) honeſto in carcere ſeruatus eſt. Quod cum intellexiſſet Iſabella regina, maximi animi mulier: confeſtim cum Ioanne vnico filio aſſociata, multiſq; Gallis principibus & nobilioribus comitata: Neapolim cum magna claſſe breui peruenit. Vbi extemplo maxima omnium lætitia & conſenſu Neapolitanorum regina eſt declarata, atq; totius ipſius regni omnimoda gubernatrix. Tanti itaq; regni hoc modo Iſabella hæc prudentiſſima, titulo & poſſeſſione adeptis, cum conſilio plurimum valeret: haud honeſtum ſibi videbatur, id tantum regnum ſe ſolam fœminã adminiſtrare. Quam ob rem decreuit ex multorum nobilium conſilio: ſenatum ſibi deligere, & id quidem in primis honeſtiſſimorũ regni primorum, qui eidem in adminiſtratione regni (donec Renatus adueniret rex) ſibi ſemper aſſiſterent. Res non ſolum commendanda, ſed certe plurimum admiranda: Pollebat equidem in hac muliere quidam incredibilis humanitas, ſingulariſq; facilitas, ac inexplicabilis comitas, quam in audiẽtia eximia nimium ſemper exhibebat: Colendo q̃ maxime, ac maiorem in modum obſeruando

ſenatum quem ipſa ſibi delegerat: cum quo de omnibus conſultabat, de quibus dicēdum fuerat. Preterea & in omni fortuna, tam bona q̃ mala, ſemper cum maxima modeſtia eam vixiſſe compertū fuit atq; in ſumma religione, tam in rebus, q̃ in verbis. Nequaq̃ eiuſdem fortunæ nonnullas imitata mulieres, quæ luxu atq; corrupta laſciuia, a nulla didicerūt petulantia aut procacitate in ſimilibus abſtinere, Exiſtimantes ſibi omnia in tali fortuna licere. Claruit itaq; hæc Iſabella regina in omnibus tanq̃ memorabile omnis perfectionis exemplum, & regale documētum. Igitur Alphōſus rex certior factus, Renatum regem in carceribus ſeruari, Iſabellam vero hanc Neapolitanorum reginam conſtitutā: cum pulcherrima claſſe mare ingreſſus, ſtatim cœpit regnum omne bello aſperrimo infeſtare. Quibus rebus Iſabella regina coacta, & ipſa infracto animo claſſem nō modicam contra hoſtem oppoſuit. Gerebat itaq; bellum hæc virago Iſabella tāq̃ in armis ſemper obuerſata, & in pugnis cōfectis perſæpe ſuperior effulſit. Verū ad extremum (vt humana ſemper fuere incerta) cū Alphōſus rex Apuliam omnem ſibi ademiſſet cum tota Lucania, quam Baſilicatam hodie appellare conſueuimus: non modicum animo conſternata, omnes Gallos principes pro marito ſuo rege Renato obteſtari cœpit, vt apud Philippum Burgūdiorum ducē ageret vt carceribus liberaretur. Quorum precibus tandem permotus Philippus, e carceribus eum liberū dimiſit. Qui nichil cunctatus, illico Neapolim cum exercitu contendit. Vbi & vxoris ſuæ reginæ dilectiſſimæ præſentia, diutius illi frui non licuit. Quę cum paulo poſt deceſſiſſet, omnibus his vſa eſt quę tali tēpore chriſtiane moriētibus faciēda ſunt: cum maximo luctu, & ampliſſimo funere eſt elata, Cum ſumma gloria toti ſuo regno Neapolitano vtiliſſima..

¶De Helena beata Vtinenſi, ordinis eremitarum. CAP. CLIX.

HElena Vtinenſis, noſtri ordinis eremitarum diui Auguſtini de pœnitētia religioſiſſima ſoror, anno a natali chriſtiano octauo & quinquageſimo, ſupra M. quadringenteſimum apud idem ſui ortus oppidum, plurimis illuſtrata virtutibus atq; miraculis, non ambigua fide abiit in cœlum, cœleſtium ſpirituum aſcripta agminibus. Eſt autem id oppidum Vtini, ex quo ſancta hęc mulier Helena originem duxit, admodum præſtans, ditiſſimum, ac frequentatiſſimū in Italia inque regione Iapedia ſeu Foroliuiano: quod, vt vulgo fertur, ab Auſtrię ducibus conditum fuit. In hoc itaq; oppido inſigni, Helena hæc religioſiſſima matrona ex nobiliſſimis parentibus & ortum, & totius vitæ fomentum, ac demum (vt ita loquar) vitæ beatiſſimæ prēmium percepit. Cuius generoſi optimiq; parentes, Valentinus. ſ. & Helizabeth cum puellam ad annum vſq; quintumdecimum, omni cum diligentia domi enutriſſent: atq; ipſa, vt erat animo ingenua, optimā eorum formam & rationem viuendi, vtpote religionem, fidem, pietatem, honeſtatem, & omnimodā integritatem atq; modeſtiam percepiſſet, eſſetq; ſpectatę formoſitatis puella, eam iā maturā viro nupſerunt Antonio Caualcāti, Vtinēſi ciui, viro certe nulla virtute aut fortuna indigno: quem quidem conſortem Antoniū, mox hæc ſponſa Helena, cum bonitate & prudentia ſingulari, tū optimis moribus, ingenitaq; modeſtia & comitate præcipua, quoad vixit, ad ſe amandum mirum in modum allexit, deoq; ac cunctis parētibus & amicis peramabilis & chariſſima ſemper exiſtens. Nec vlla inter eos vnq̃ fuiſſe iurgia, aut diſcordias vllas cōſtat: ſed ſumma pax, & perpetuus cōiugalis amor. cumq; illum dominus e medio per mortē ſuſtuliſſet: ita ipſum & lachrymis & eiulatibus indoluit, vt parum affuerit, quin & ipſa non moreretur. reputabat quippe ipſam eius amiſſionem, omnium fore acerbiſſimam, & ideo illi acerbiſſimo fuit ſupplicio (Difficile nanq; eſt mulieribus, gratos amittere viros ſine magno dolore, atq; ipſum dolorem perferre, ſi non conſolationem egregiam adhibeant aliquam) Ipſo itaq; defuncto Helena digniſſima conſors propoſuit atq; ſpopōdit deo ſibi gratiam

conferenti, deinceps ſuam vitam caſte, pie, ſanctecꝫ agere, atcꝫ ſuos liberos omni cum diligentia educare & informare. Demum poſt aliquot annos, audiens ſolicite ſancta concionatorum documenta, & maxime ea quę ad religionis incitamentũ ſolent vſurpari adeandem, tanq̃ ab aculeis compuncta & feruefacta fœmina ardẽtis fidei & deuotionis, contra omnem vanitatem mox ſe erexit, e veſtigiocꝫ firmauit: virtutibus in primis diuinis ſepta, & Chriſti ac religionis dulcedine aliquãtulum deguſtata. Maritum ſe per mortẽ præmiſiſſe exultabat atcꝫ geſtiebat. Quam ob rem, matura deliberatiõe cõfirmata, religionis noſtræ habitum in æde ſanctæ Luciæ ſuo in oppido, ordini eremitarum diui Aurelij Auguſtini dicata, humiliter ac religioſiſſime ſuſcepit. Eocꝫ ſuſcepto (quoniam virtutibus nullis magis q̃ charitate & humilitate pręſtabat) quantum proximor deo, habitu ſancto & bonis operibus accedebat, eo longius ſe abeſſe a virtutibus, a meritis, a venia, & gratia diuina exiſtimabat. hinc ſacro dei concionatori Angelo, ex ſancti Seuerini oppido in Piceno oriundo, patri ſuo ſpirituali potiſſimum, ac cæteris vtriuſcꝫ ſexus religioſis ſe ſubſternebat: eorumcꝫ preces humilis ſupplexcꝫ efflagitabat. Et quantum poterat de ſuis facultatibus per eleemoſynas, dei miſericordiam in ſe expoſtulabat. Vnde in primis ſua omnia iocalia, in auro & argento, veſtibus tum ſericis tum auratis, quarum ſibi libera erat facultas, ſui ordinis ædem mirifice exornauit. Infirmorum deinde & pauperum, atcꝫ aliorum egeſtate oppreſſorum, præcipuam curam ſuſcepit, eoſque pro magnitudine facultatis ſuę iugiter ſuſtẽtabat, atcꝫ eiſdem cum opus eſſet ſeruiebat, pulmenta & cibos conficiendo, quibus omnibus ſemper blanda & affabilis, facillima ac liberalis erat nec in nullo quidem quaſi domina vnq̃, ſed quaſi miniſtra ſe exponebat. In tota vita ſua tantã ſemper & oris & orationis modeſtiam tenuit, vt nunq̃ verbum improuida fecerit vel emiſerit. Et q̃q̃ ſemper paruo, vilicꝫ cibo contenta fuerit: poſt ſuſceptum habitũ & emiſſam profeſſionis regulam, adeo incredibili abſtinentia ſe caſtigauit, vt annos ſex continue carnibus, ouis, caſeo, vino, oleo, abſtinuerit: pleroſcꝫ dies ieiunium agebat, pane & aqua contenta. Nonnunq̃ herbarum radicibus ſuſtentabatur. Etiam ſæpenumero ſuis cibis, aut terram, aut cinerem, aut certe aquam frigidã immiſcebat. Cumcꝫ in veſperum vt plurimum ieiunaret: aduentante nocte, pomum crudum pro lautitio cibo comedebat, Acetum autem cum felle mixtum: ex conſideratione potus Ieſu Chriſti potabat. Cumcꝫ ex ea, cur tam aſpero, ne dicam crudeli vitæ genere vteretur a nonnullis quęſitum fuit, Reſpondiſſe fertur: Se ſub ea conditione religionem adijſſe, vt quę perpetrauerat peccata, pœnitentia, ieiunijs, eleemoſynarum erogatione, atque iugi oratione aboleret. Iugis nanq̃ memoria paſſionis Chriſti apud eam perſeuerabat. Vnde & pro monilibus & faſcijs pectoralibus, reliquocꝫ muliebri mundo: domini charitatem qua dilexit nos, eiuſcꝫ laſſitudinem, ieiunium, calumniã, flagella, ſpinas, & aſperam crucem contemplari non deſinebat. Quorum memoria impellebatur, vt corpus ſuum ſingulis diebus diſciplinis ferreis crudeliter cæderet. Noctecꝫ interdum coronam ex acubus confectã, in capite geſtaret: & nequid ex paſſione ſibi deeſſet: mandabat ancillæ ſuæ vt ipſam manibus poſt terga ligatis, collocꝫ fune inſerto, per vniuerſam domum ad inſtar Iudæorum traheret. Sciens præterea ad vitæ ſanctitatẽ, cæteracꝫ omnia recte obeunda: vim maximã habere orationem: eidẽ hęc ſancta Helena quotidie peculiariter intẽta, & aſſidua cum lachrymis erat. Per illã ſe ipſam inſpiciebat, ac veluti in ſpeculo contẽplabatur. Cum ea hoſtẽ diabolũ perſequebatur, & carnem ſubigebat ſpiritui. Quid autẽ virium habuerint eius ardẽtiſſimæ orationes, & quid laudis eius ingentia facinora atcꝫ celeberrima: miracula declararũt. Nam ſæpiſſime ab ipſa inuict9 & præpotens deus: ſe vinci ac cogi paſſus fuit. Ipſam nempe excellentem orationis virtutem potiſſimum ſuo ſemper in ſinu beata Helena habebat: quæ ab humanis quaſi abſtrahens illam, vehebat in cœlũ, ferebatcꝫ per ſpecioſum omne ſublime. pro quo perſæpe maximis replebatur gaudijs, & ipſis tam ampliſſimis, vt quandoque in ea nulli ſenſus ineſſe viderentur. Eius vero cubile

plerunq; erat nuda humus. Nullus vnq̃ interceſſit dies quin viaticum ſalutis ſumeret: & id ſemper cum lachrymis,quo ſumpto,vnam horam ex more in luctu & lachrymis conſumebat. Sciens quoq; beatum Hieronymum præcepiſſe: orationi lectio, lectioni ſuccedat oratio. ea quidem veluti quotidiano animi pabulo vtebatur: verũ nec ipſa omnifaria ei quippe erat, ſed ea duntaxat quæ animum eius ſpirituali dulcedine paſceret, illuſtraret, & incenderet: libri autem quos legebat, duo potiſſimũ erant. alter quem crucis ſpeculum vocant: alter vero de humilitate inſcriptus eſt. Euangeliũ autem Chriſti tanq̃ Cæcilia virgo geſtabat iugiter ſuo in pectore: pro quo ſingulis diebus diuinis colloquijs vacabat. Erant ei lachrymæ maximæ ex conſideratione beneficiorum dei ac paſſionis Ieſu Chriſti, tanq̃ nectar die ac nocte, dum diceretur ipſi: vbi eſt deus tuus. Ex quibus certe illabebantur ei facies ſpiritus ſancti: per quem veluti adoptionis filia dilectiſſima iugiter clamabat. Abba pater. Deniq; rebus in omnibus ſolitudinem & ſecretum magnopere amabat. Et quocunq; vertebatur ſola, ibidem hoſtiam cordis ſui viuam offerendo, ſemper clamabat atq; dicebat. Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum: cõcupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Pſallebat mente, pſallebat & ſpiritu. Et paſſim ſuo in ore reſonabat canticum nouum, quod cantari fas non eſt: niſi ijs qui empti ſunt de terris primitiæ deo & agno. De eius frugalitate & incredibili victus abſtinentia, deq; tolerantia vigiliarum atq; laborum: de cæteris quoq; pluribus diuinis ſuis virtutibus, pro modulo meæ ignorãtiæ, ſatis iam dictum eſt. Nunc autem operæpretium eſt, exponere ipſius promptam obedientiam: quæ talium religioſarum profeſſionis votum protendit. In ea quippe, beata hæc fœmina, ſuarum omnium virtutum fundamẽta iecit. Nouerat enim diuino ſpiritu inflãmata, eam viuam, & vere dignam eſſe hoſtiam, atq; ſacrificium omni theſauro pretioſius, in quo ipſa hominis voluntas litatur. Nouerat q; dominũ Ieſum Chriſtum cũ in forma dei eſſet, ſe vere exinaniſſe, vt ſuo exemplo chriſtiani omnes, imitatores & ipſi intrepide id factitarent: animas ſcilicet ſuas, ſub obedientiæ iugo cum gaudio caſtigarent. Hãc igitur quam dicimus obedientiæ virtutẽ, optima Chriſti ancilla, principio vſq; in finem vitæ ſuæ, ſemper tanq̃ Neophita Chriſti pure & ſimpliciter obſeruauit. Patris ſui ſpiritualis aliorumq; maiorum vocem audiendo, præſto adeſſe, nullum vnq̃ diſcrimen inter præcepta eorum faciendo. Nihil de iniunctis graue vnq̃ duxit. Sciẽs ſi præpoſito ſibi patri pareret, & ſaluatori ſuo ſe paruiſſe, qui dixit: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit: exiſtimans certe, ſine illa, inanem eſſe religioſorum vitam, inanemq; religionem ipſam. Et ideo in omnibus, ſemper ipſam obediẽtiam anteponebat: quod vt & cæteri facerent, omnes admonebat, ſemperq; rogabat. Affirmabat quoq; hoc, ꝙ quicunq; maiorũ ſuorum pręcepta accurate, ad vnguemq; ſeruaſſet, intelligeret ſe non modo nõ poſſe interire, ſed nec vllos ſibi diaboli laqueos, aut vlla tela nocitura. Diabolicas tentationes & perſecutiones innumeras hæc ſancta matrona Helena in finem vſq; pertulit: cum quibus etiam ſæpiſſime luctabatur, & a quibus multis etiam verberibus affecta fuit. Nam vt Helenam veterator hoſtis in perniciem deduceret: cum aliquando in oratorio ſuo, noctu oraret: tectum domus illius magno ſtrepitu conſcendit, & horrendam adeo vocem emiſit, vt tectum diruere videretur. Sed illa ob hoc nullo terrore perculſa fuit. Sed cum inſtantius in orationibus perſiſteret, ex quo pauorem eidem incutere nequiuiſſet, eam flagellis duriſſime verberauit. Eoq; factum eſt vt ſe beata Helena in fugã verterit, & ipſe eam veſtigijs inſequebatur. Aliquãdo etiam ipſe antiquus hoſtis ipſam infeſtare cœpit, vt ſe aut ex feneſtra præcipitem daret, aut laqueo ſibi mortẽ conſciret. Sed ſaluatoris ſigni impreſſione: mox in fugã ipſum vertit. Sæpius etiam callidus hoſtis: eam, in angeli ſpecie, conatus eſt in ſuam ſententiã traducere. Erat huic ſanctæ mulieri optimus mos, vt antelucano tẽpore ad Luciæ ſanctæ templum ſemper proficiſceretur. Amniſq; quidam, qui oppidum præterfluit, eidem ponte tranſeũdus erat: ad quem cum aliquãdo perueniſſet, ab hoſte maligno in aquam præcipitata

eſt,& haud multum abfuit quin ab aquis ſancta abſorberetur. Verū Chriſti beneficio, ad ripam tota madefacta delata eſt. In hūcq; modum ad templum ipſum quo miſſarum ſolennibus adeſſet, conceſſit. Quoties virgis ab eo cæſa, quoties ſaxo eliſa, quoties eius oſſa confracta: vt membro prorſus vllo aliquando ſe adiuuare nequiret. Sed deus omnipotens, & pius, pro quo hæc inuicto animo tolerabat, nullum eam iuuandi prætermittebat locum. Denique cum Paulus dicat: Virtus in infirmitate perficitur, vt illam deus beatiorem per infirmitates corporales efficeret, atq; eam in ipſis perſeueranti, opem tanq̄ filię chariſſimę ferret, quemadmodum in pſalmo pollicetur. Cū ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum. Per tres annos grauiſſimo morbo vexari voluit: quem nihilo minus Helena ſancta æquiſſimo ſemper pertulit animo, deum ob hoc ſummis proſequens laudibus. Et cū multi pietate permoti eam conſolari adniterentur. Id conſolationis genus ſuperuacaneum fore reſpōdebat. Statutum ſibi erat, ea quæ Chriſtus vellet: conſtantiſſime quidem perpeti. Iam Helena glorioſa de aduerſario, deq; cunctis malis victoriam reportauerat, vt ei ampliſſimus poſſet decerni triūphus, a domino ampliſſimo munere fuerit donata: Quod ſcilicet ei in oratione perſiſtēti ſeſe Chriſtus cū ſanctiſſima matre virgine, & beato patre Auguſtino, atq; Nicolao Tolētinate feſtiuus totus obtulerit, eidemq; maximam atq; incredibilem voluptatem contulerit. Triēnio igitur, cū dominus eam maximo infirmitatis igne atq; incude probaſſet, vt ſcilicet veluti aurū mundiſſimū flaueſceret & rutilaret, in cœleſte vas vtiq; formanda: omni prorſus rubigine expulſa, ipſa beata fœmina, omne vitæ ſuæ tēpus in omni opere bono elaboraſſet, & tanq̄ bonus Chriſti miles cōſtanter ipſa ſupradicta facinora (quæ omnibus ante oculos hic poſui) tenuiſſet, ſtrenueq; geſſiſſet, Cū decurſo iam ſtadio, vt ſuum ad quē ſemper optabat vt perueniret triūphū: accerſito Priore monaſterij ſanctæ Luciæ ordinis ſui, tanq̄ gremio ſanctę matris eccleſiæ ſemper enutrita atq; fota, vt in fide Chriſti ſe emigraturā conteſtaretur, Confeſſionē, & viaticum & reliquā rem ſacrā ex more, rite & religioſiſſime aſtātibus fratribus ab ipſo ſuſcepit: quibus accincta præſidijs, tutius emigrare poſſet. Demū cū ſecūdum & ſexageſimū vitæ ſuę exceſſiſſet annū, ſuper nudā humū iacens, quarto nonas Aprilis anni ſalutis noſtræ M.ccccl viij. ex præſenti hac moribunda vita, maliſq; omnibus profecto, ſuā innocentiſſimā, decorā atq; gratam animā, e corpore elapſam, tanq̄ ex mortali caligine ad eū miſit, quē ſemper & fide & charitate coluit & dilexit dominū noſtrū Ieſum Chriſtū: Vbi nūc vere viuit, viuetq; in ſeculū ea vita, quæ mortem neſcit vllā. Ipſum itaq; dominū Ieſum Chriſtū deprecor, qui hanc beatā matronam Helenā, tantis virtutū gradibus ſublimauit: vt & mihi indigno ſeruo ſuo peccatori, dignetur eius intercedētibus maximis meritis concedere, vt liceat eius extrema ſubire veſtigia. Egreſſa autē ex eius corpore anima, cū mulieres de lauādo eo conſiliū accepiſſent: confeſtim ipſum maxime vlceratum inſpiciūt, & ea quidē de cauſa acciſiſſe, q tot annis humi iacuerat. Cūq; illud in feretrū ex more collocaſſent, & crucifixum ſupra pectus poſuiſſent: ſubito Helena caput illi extulit adeo, vt deinceps vnq̄ demitti nō potuerit. Itaq; ſi eius ingentes virtutes, vtpote prudentiā, ingenium, diuinam eruditionē, promptiſſimā linguā, comitatem, amabilitatē, humilitatem, deuotionem, & diuinorū guſtū, integritatē pudicitiæ, abſtinentiā præcipuā, & abiectionē, repetere voluerimus, negotiū inextricabile profecto aſſumeremus. Inuitata igitur beata hæc noſtra Helena, immo & excepta ad religionis ſanctæ nuptias; vbi nouæ ſpōſæ agni epitalamia quotidie celebrātur, veſte ſcilicet nuptiali inſignita cōfeſtim ī humiliore loco ſedere voluit, iuxta ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti documētum. Qui dixit: Cū inuitatus fueris ad nuptias, nouiſſimo diſcūbe loco, vt veniēs q te inuitauit. Amice, dicat, aſcēde ſuperi9. Et propterea in finē a magiſtro triclinij, domino noſtro Ieſu Chriſto iuſſa eſt aſcēdere ſuperius, vbi facta eſt ex eorū nūero: quibus dicitur per prophetam. Surgite poſtq̄ ſederitis, qui māducatis panē doloris. Ad nos itaq; ex huius viraginis ſanctę exemplū manaſſe putandum eſt, illud diuini oris oraculum. Regnum

cœlorũ vim patitur,& violenti rapiunt illud. Quod vt ipſe qui hanc huius beatę edi di vitam,deſyderio quærere,opereq; attingere dei miſeratione poſſim,ipſi eius regni maximo conditori genua flecto,atq; huic quæ cum eo iamiam triumphum agit,& re= gnat, regnabitq; in ſecula ſeculorum. Amen. Multa ſunt ſigna atq; miracula & ante & poſt mortem ab ea perpetrata:quæ me in hanc ſententiam impellunt,vt ipſam cũ ſponſo eius Chriſto domino noſtro,& ſanctorum aſcriptam agminibus minime du= bitem. Ex quibus duo complectar. Ea enim ciuem quandam Vtinenſem,cui Heleno Calcereto nomen erat:cum a comitiali morbo grauiſſime teneretur oppreſſus,priſti næ ſanitati ſuis interceſſionibus reſtituit. Beneuenuta quædã Vtinenſis,cum per an= nos tres nullos ſui coniugij dediſſet fructus,a viro deſpectui habebatur vapulabatq;. Quod ęgre ferens ad ſuos confugit:& eis quid cauſæ ſubeſſet expoſuit,dicens ſe a vi= ro aufugiſſe q; de ipſa male mereretur. Poſteaq̃ illi nupſerit, nullam vnq̃ ſibi felicem diem affuiſſe,ſeq; maiori dolore affici,q; ſine culpa afficeretur & cæderetur, Affirma batq; ſe nunq̃ ad illum reuerſuram. Quam ob rem q̃plurimæ matronæ honeſtiſſimæ ad Beneuenutam conuenerunt: commonentes & obſecrantes vt ſibi caueret, nec ſe deſpiciendam & infamandam exponeret. Quarum cõſilia cum Beneuenuta non ad= mitteret: beata Helena eam ad ſe accerſiri iuſſit. Nulla inquit filia mea te dubitatio teneat,ex te vir tuus liberos indubitato ſuſcipiet. Redi cũ eo in gratiam,In deo ſpem fidemq; indubitatam collocato. Optatis equidem veſtris ille reſpõdit. Vix annus in= terceſſit,cum puellam ediderit:quod orationibus Helenę factum fuit.

¶ De Angela Nugarola eruditiſſima. CAP. CLX.

ANgela Nugarola, Veronę oriũda, fœmina apprime doctiſſima, ęuo quo Pius eius nominis ſecundus pontifex Romanus in cathedra Pe= tri præſidebat, & apud Veronam ortus ſui ciuitatem inſignem cæ= teraſq; Ciſalpinę Gallię ciuitates,& magna virtutum gloria,& poe tica oratoriaq; arte multum inſignis ac clariſſima mulierum eſt habi ta. Hæc quippe in primis generoſi viri Antonij Nugarolæ ſplendi diſſimi equitiſaurati filia,& præſtantis Antonij,qui Arco pugnaciſ ſimo oppido imperabat,coniunx fuit. Mulier ſane venuſtiſſimo & eleganti corpore, quam plane formam,ipſa ſua celebris doctrina apud omnes clariorem reddebat:fœ= mina equidem in primis humana,facilis,optimiſq; moribus,ac pudicitiæ gloria ad= modum probatiſſima. Cuius ſermo ſuauiſſimus,pulcherrimis ſemper abundabat ex= emplis,& auditoribus q̃ maxime iucundus. Diuinæ literæ magnopere hãc mulierem delectabant: quas & perſæpe verſibus condebat, idq; in omni genere carminis: quod quidem in muliere videri poterat admirabilius. Quæ inter cætera ſuæ doctrinæ mo= nimenta æclogas nonnullas tanto artificio confecit,vt ſine iniuria cum Cornificiæ ſu praſcriptæ Romanæ doctiſſimę,in cœleſtibus literis a ſe ſcriptis cõferri poſſent,quæ Centonas confecit,vt dictum eſt. Et cum nobiliſſima familia eſſet edita,etiam ma= ximum vſum præ ſe ferebat in curanda refamiliari ſua, q; ordine ſuo cuncta admini= ſtraret cum optimo viuendi exemplo:prudenter etenim,ac ſummo conſilio ſemper omnia gerebat. Et cum in magnis diuitijs obuerſaretur, etiam honorifice & liberali= ter,ſumma cum omnium beneuolẽtia,cum vicinorum,tum etiam propinquarum his omnibus vſa memoratur. Rebus quoq; diuinis æque ſemper intenta, clemens, bene= fica,ac pia admodum exiſtimata. In primis quidem modeſta, pudica, atq; nimium moderata. Quibus plane virtutibus & gratijs hoc etiam adiecit:q; per totam vitam ſuam,ſemper mariti beneuolentiam quoad vixit, ad extremum vſq; vitæ ſuæ finem, incolumem,inuiolatamq; optime ſeruauit: ſemper cum ſumma deuotione viuens. Poſtremo cum vitæ ſuæ vltimus adueniſſet finis,eo morbo quo fere alij omnes ſolẽt, eam mortem obiiſſe feliciter conſtat. Cum de ſe non paruæ doctrinæ monimenta & aliarum plurimarum virtutum documenta poſteris tradidiſſet plurima.

De Maria illuſtri fœmina, Marchioniſſa Montiſferrati. CAP.CLXI.

MAria, eius nominis noſtro hoc in opere ſecunda, illuſtris Guilielmi Mõtiſferrati Marchionis vxore, anno a natali chriſtiano milleſimo quadringenteſimo, tertio & ſexageſimo admodum adoleſcẽtula in ciſalpina Gallia, apud Caſale ſancti Enuaſi vrbem ſuam, maximo cum populorum luctu parturiendo defecit. Cuius quidẽ decora tanta fuere, vt inter claras mulieres a nobis non immerito ſit annumerãda. Hæc in primis Caroli Fuſenſis principis Nauariæ regis nepotis filia fuit. Quam ferunt tantæ virtutis, tantæq́ præſtantię, ac liberalitatis fuiſſe fœminam, vt facile explicari non poſſet ſermone. Quę quidem artes in principibus tam viris q̃ mulieribus magnopere deſyderantur. Apprime etenim literarum ſtudium attigit, quarum ſane voluptate incredibiliter afficiebatur: ſed præcipue cœleſtiũ literarum lectio illi cordi erat. Quibus ex documentis in omni geſtu & ſermone, quandam religionem & ſanctimoniam præ ſe ferre didicerat. Tam humana, tam comis, tam clemens, tam deniq́ liberalis: vt ab ineunte fere ætate, per totam Galliam honorificus & frequens de illa ſermo erat, in omni re perliberalis admodum: ſatiſq́ ei ſuppeditabatur, vnde benignitate vti poſſet. Tantaq́ morum eius erat ſuauitas, ſic quoq́ affabilis, vt omnes ſibi, tum fratrum, tum ſororum loco haberet. Eius conſuetudo donec tẽpus nuptiarum adueniſſet ſemper cum alijs mulieribus fuit: & ipſa quidem tam humana, & tam facilis, vt non iam certe tanti principis filia, ſed gregarij hominis videretur mancipium. Vbi vero ex trãſalpina Gallia in Italiam tãdem profecta eſt: quum duceretur ad maritum, plurimi illam in modum prope triumphi proſequebãtur: vnde & toto illo ſuo itinere, celebris & conſpicua ſemper fuit habita. Dici certe nõ poſſet, nec id quidem ſine multis lachrymis, quãtum eius populi indoluerint, præſertim pauperes ſua profectione, Dolentes etenim ſucclamabant, atq́ dicebant. O miſerrimi nos, omne refugium noſtrum, omneq́ patrociniũ, nunc nũc nos omnes deſerit. Quis nobis nũc & deinceps rebus in difficillimis, ac noſtris in neceſſitatibus opem afferet? quis in arduis auxiliabitur? quis iacentes nos in calamitatibus ſubleuabit? Cui nos deſeris vnica ſpes noſtra? Poſtq̃ autem Italiam noſtram attigit, celebrataeq́ fuiſſent eius magnificentiſſimæ nuptiæ in Alba ſua vrbe: quæ eius fuerat animi magnitudo atq́ magnificentia mirifice declarauit. Dimiſſura enim omnes qui illam comitati fuerant cum duceretur ad maritum, & iam ad ſuos eſſent domum regreſſuri, numero videlicet ſupra quadringentos, cum principum, tum etiam nobilium, atq́ aliorum qui inferiori loco nati fuerãt: pro ratione perſonarum, ad vnum omnes magnificentiſſima liberalitate eſt proſecuta: gemmis videlicet, & alijs pretioſiſſimis quibuſcunq́. Nec ſibiipſi quidq̃ reliquit: præter tenuiſſimam catenulam auream, quam decoris cauſa collo geſtabat: nequem a ſe indonatum dimitteret. Hæc tam inaudita magnificẽtia, & in Mõteferrato, & in Gallia vſq́ in hodiernum diem, cum ingenti celebritate memoratur. Apud maritum vero & eius principatum omnem, non minorem gloriam ac laudem, q̃ apud patrem eſt aſſecuta. Nam in omnes æque ſe comem, facilemq́ ac perhumanam præſtabat, ſed in pauperes in primis: quos omnes & verbo & opere cõfouebat: his erat patrocinio, hoſq́ tuebatur. quę virtutes iccirco in ea commendabiliores eſſe debent: ꝙ paucæ talium natalium, huius ingenij, huiuſq́ naturæ, hodie inueniuntur. Huiuſmodi itaq́ ornamentis hoc quoq́ acceſſit: cũ oppida, caſtella, vicoſq́ ſui principatus adiret: hæc illi præcipua conſuetudo erat, ſiqua forte ſupplicatio vltro eidem offerreretur, quæ pauperem oſtẽderet aliqua ope indigere, oblatam aut manu ſemper geſtabat, aut ſuo in ſinu certe collocabat, Neq́ quenq̃ a ſe vnq̃ dimittere volebat, donec implorantis auxilium neceſſitati proſpexiſſet. Illud quoq́ perẽni laude dignum in ea excelluit, ꝙ nunq̃ vllis voluptatibus tam delinita fuit, vt ſuorum ſubditorum potuerit obliuiſci. Semper etenim ſua in ſocietate cœtus fœminarũ ha-

bere volebat,cum nobiles,tum etiam honeſtiſſimas matronas,ac ancillas virgines:cũ quibus ea ſe gerebat modeſtia & morum ſuauitate,vt ex eius ore nunq̃ exiuerit verbum quod merito reprehendi poſſet.Tanta præterea fuit ipſius prudentia,tantumq; familiaris conſuetudinis cum omnibus ancillis,ſubditiſq; ſuis:vt nulla vnq̃ coniecturare potuerit,quæ animo illius eſſet charior aut certe gratior. Nam cum omnibus ipſa tam æqualiter ſe gerebat:vt nulla vnq̃ aut gloriari,aut conqueri potuerit,ſe illi gratiorem eſſe,aut e contra minus amari.Tres tãtummodo hæc tam cordata,tamq; optima adoleſcentula cum marito vixit annos,ex cuius coniugio duas edidit filias. Quarum altera Margarita nomine Ludouico Salutiarum Marchioni nupſit: quæ adhuc viuere dicitur.Sed in alterius puellæ partu,prohdolor e vita migrauit.Quæ mors certe ſummus mœror,ac ſummus dolor non modo marito,ſed etiam omnibus ſuis aulicis ac vniuerſis populis fuit: qui infinitis prope lachrymis & triſtitia, ac pietate eam tanq̃ omnium parentem diutius luxere.

¶ De Genebria Gambarę erudita fœmina. CAP.CLXII.

GEnebria clariſſima fœmina,natione Veronẽſis,clariſſimi Brunori Gambarę ex primoribus ciuibus Brixianis:tempeſtate Pij pontificis Romani,eius nominis ſecũdi,ſua egregia eruditione ac alijs plurimis bonis artibus, immortale nomen atq; gloriam ea in potentiſſima vrbe Brixiana alijſq; locis ciſalpinę Galliæ adepta eſt. Quæ quidẽ præſtans mulier in primis Leonardi Nugarolę equitiſaurati filia fuit:quæ & forma,prudentia,religioneq;,ac liberalitate multum excelluit,facilis præterea ac omnibus admodũ affabilis.In qua etiam quædam incredibilis dexteritas cum omnibus vigebat,ac morum ſingularis lenitas in omni geſtu,vrbana in primis,quæ omnia eam perq̃ maxime honeſtabant. Decorabat inſuper illam quædam maieſtas in vultu,mirabiliſq; aſpectus,omnino diſſimilis ab illis mulieribus,quæ ſummam ſuperbiam plane demonſtrant: cum ſalutantur,dedignantur quãdoq; alios reſalutare. Excellebat in ea inter cætera etiam præcipua bonarum literarum diſciplina,a doctiſſimis & eloquẽtiſſimis viris apprime egregie inſtituta:quam ob rem in omni genere literarum, maximã de ſe opinionem apud omnes concitabat. Argumẽto ſunt epiſtolæ eius luculentę,& cum maxima doctrina ſcriptæ. Cuius oratio tum modeſta,tum etiam magnifica fuerat exiſtimata.Geſtus præterea,& omnes corporis ſui motus,nunq̃ ab his diſſentire videbantur. Mores inſuper admodum pudici,qui cum quadam grauitate coniuncti eſſent, illam non parum ornabant. Eluceſcebat item in ea quidam coniugalis pudor atq; fides. Diligentiſſima quoq; erat omnis honoris & decoris tam mariti q̃ etiam ſui:& id non minus q̃ Æmylia tertia ſupradicta,ſuperioris Africani vxor:cui non ſolum domi,ſed etiam vbique maxima cura fuit pacis,& coniugalis concordiæ amoris, vt ex monumentis clariſſimorum ingeniorum,ad nos vſq; manaſſe cernimus.Tanti igitur momenti & autoritatis & exiſtimationis erat habita hæc matrona inſignis Genebria. In ſubditos enim ſuos ſumma præſtabat humanitate,& iccirco plurimum lætabatur quando eorũ poſſet extinguere diſcordias,ſi forte inter illos aliquãdo fuiſſent exortæ.Viſitabat ægrotos cum ingenti ſtudio atq; amore,quos tum rebus,tum etiam verbis dulciter conſolabatur.Hoc & amplius in ea mirandum fuit:quia vbi ratio vel neceſſitas expoſtulabat,familiarem,humanam,facilem,& piam ſeſe exhibebat.Tam erat in ſuos propẽſo ſtudio,vt & æqualis & ſoror vere poſſet appellari,nõ quæ poſſet eis imperare.Sæpe etiam hoc verbum illi vſurpabatur: Sapientes viros, ſapienteſque fœminas,apud multitudinem ab omni ambitione vacuos eſſe debere:e contra autem operam dare, vt ij placerent qui vera laude digni exiſterent.Memor q̃ maxime erat beneficiorum, & grata in illos qui in ſe aliquid contuliſſent vel re,vel opere. Conſtanter iuſticiam coluit,& innocentiam cuſtodiuit.Fœcunda liberis præcipue maribus,quinq; etenim

peperit. Quorum primus Mafeus appellatus, vir præſtanti quadã corporis dignitate. Secundus Petrus, excellẽti ingenio vir, eximiaq; virtute, ac magnificentia: qui pro merito ſuarum virtutum a pontifice maximo, Paulo eius nominis ſecundo, eximia affectus fuit dignitate, vna cum fratribus & poſteris ſuis. cuius quidem pietas nunq̃ poſſet ſatis pro dignitate laudari. Tertius Ioannes Franciſcus in armis ſatis exercitatus, validus & ſummi conſilij vir. Quartus Nicolaus in primis perhumanus. Quintus poſtremo Marſilius protonotarius, & iuris pontificij decore ornatus. Quorum omnium virtus, clarumq; nomen, non tantum matri ornamento fuere, ſed etiã prope toti Ciſalpinæ Galliæ gloriam immortalem attulere. Hæc itaq; tam clara fœmina diuitijs, ſcientia & virtutibus, ac liberis tam fortunata, non tanq̃ Niobes Amphyonis Thebanorum regis filia, fortuna luſa, inſipiens fecerat: quæ ſuperbiendo non gratias egerat, ſed ex innumerabili prole diuinos ſibi quæſierat honores, quo nomen ſuum in multis ſeculis ſibi fecerat exoſum: ſed ipſa clara Genebria de omnibus ſibi conceſſis cum gratias immortales deo egiſſet: ad extremum adhuc in iuuenili admodum ætate, modum vitæ ſuæ poſuit. Cuius mortem innumerabiles prope populi, non ſecus ac ſi parentem collachrymarunt. Elataq; fuit magnificentiſſimo funere, pro dignitate & ſplendore ſuorum, vt clara mulier merito requirebat.

De Iſota virgine Nugarola Veronenſe erudita. CAP. CLXIII.

ISota virgo Nugarola, prædictæ Genebriæ ſoror, fœmina in primis doctiſſima: anno a natali chriſtiano milleſimo quadringẽteſimo ſexageſimo ſexto, apud Veronam vrbem ſuam, cum in cœlibatu totã egiſſet vitã, extincta eſt. Hæc quippe amore virginitatis ducta, a matrimonio coniugali prorſus aliena eſſe voluit: etſi indeſinenter a pleriſq; magnis viris ad matrimonium ſolicitata fuiſſet. Sed neq; ab vllis ſuis propinquis aut affinibus, vel amicis eam ab hoc ſuo laudabili propoſito vnq̃ potuit amoueri. Et vt omnẽ nuptiarum moleſtiam & otium (quo nihil pernicioſius mihi videtur) a ſe poſſet arceri: ad ſtudia literarum ſe omnibus modis contulit. In quibus certe tantum excelluit, vt in ea plane reuixiſſe videretur priſca illa virginum antiquitas & dignitas, quas illuſtres ſempiterno præconio decorauerat vetuſtas. Et iccirco omnes ſui temporis mulieres in vario literarum genere ante ire dicebatur. Eius enim ingenium, eiuſq; doctrinam, ac ſplendorem intacti corporis ſui, necnon & abſtinentiam, frugalitatem, orationes, cæteraſq; eius virtutes: omnes venerabantur. Celebrata erat maxime grauis, vt & doctrina cum veteribus mulieribus eruditis merito poſſet comparari. Quod confirmãt eius luculentiſſimæ orationes, quas maximis pontificibus Romanis aliquot deſtinauerat. Nicolao videlicet quinto, & Pio ſecundo: præcipueq; in eo conuentu quem Mantuæ egiſſe eum conſtat. Suadebat nanq; & hortabatur validiſſimis argumentis & probationibus, non ſine maxima exemplorum copia, tum pontificem, tum Reuerendiſſimos ſanctæ eccleſiæ Cardinales, & chriſtianorum principes in bellum aduerſus Turcum, qui chriſtianum nomen, & chriſtianam religionem conabatur euertere. Quæ quidem oratio, tantam præſe ferebat doctrinam, tantumq; nitorem & eloquentiam, quantũ quis certe verbis vix explicare poſſet. Cui fœminæ propter eam doctrinam & optimum dicendi modũ, non poſſet dici quantum laudis, quantumq; ornamenti eidem acceſſerit. Nicenus etenim Cardinalis græcus, vtraq; lingua excellens, & qui in diuinis doctrinis maximum etiã vſum habebat: ea oratione audita, ſtatim quadam admiratione permotus, vt coram agnoſceret, quã abſentẽ, admirabilẽ ex ratione dicẽdi cognouerat, Veronãq; viſendi gratia cõtendere voluiſſet. Vix quippe credibile videbatur, ſuorum temporũ fœminam vllam inueniri: quæ tanta eruditione, tantaq; eloquentia præſtaret. Qua viſa, & audita: cœleſte potius, q̃ humanum factum iudicauit: vnde eam in ipſis virtutibus, & ipſas in ſe, ad magnam dei laudem, ſuiq; ædificationem admiratus eſt. Hæc plane nõ ſolum ſtudia humanitatis, ſed & philoſophiam attigit, nec etiam Theologiæ ſacræ

ignara fuit. Confecit inter cætera altercationem quandam, id eſt dialogum, cum vrbis ſuæ præfecto Aluiſio Foſcaro patritio Veneto, viro egregie literis culto: quo quærebat, vtrum Adam protoplaſtus noſter plus peccauerit q̃ Eua, mandatum domini tranſgrediendo. In quo quidem ipſa: Euam, ille Adam tuetur. Quod peregregiū ſane opus pluribus admodum placet: ꝙ maxime cum quadam noua theologia, cultum & eloquentiam in eo iunxerit. In veteri, nouoꝗ teſtamento admodum fuit exercitatiſſima: vnde & bibliam ferme totam, eam didiciſſe conſtat. Operum præterea quatuor doctorum atꝗ aliorum æque fuit ſtudioſa. Nihil ferme ab ea dicebatur, quod patris Auguſtini teſtimonio non ſtatim comprobaretur. Diuum etiam Hieronymum ſemper in manibus tenebat: vel propter eloquentiam ſuam, quæ eam delectabat, vel ꝙ plura q̃ cæteri doctores ad ſanctas ſcriberet virgines. Non poſſet equidem enarrari, q̃ abſolutæ, quamꝗ conſummatæ doctrinæ fuiſſet hæc Iſota virgo, peregregia mulier. Præſtabat quoꝗ inenarrabili corporis dignitate, optimis moribus prædita. Habitus autem eius corporis, ſemper quaſi ad viduæ cultum accedebat: quem in tota vita cuſtodiuit & geſtauit. Nata igitur octo & triginta ānos, ſumma māſuetudine, ſummaꝗ gratia in omni parte vitæ claruit: & non tantum apud hos illuſtris quibus erat coram nota, ſed etiam illos quibus nunq̃ fuiſſet viſa: tantum valuit, tantumq̃ potuit fama, & nomen optimarū virtutū in hac virgine. Atꝗ tādem hunc cōſummatiſſimæ vitæ finē nacta eſt Iſota, virgo eruditiſſima & omni prope laude etiā cumulatiſſima.

¶De Iſabella Ferdinandi Regis vxore. CAP. CLXIIII.

ISabella Regina Neapolitana, eius nominis ſecunda, excellentiſſimi regis Ferdinandi pudiciſſima coniunx: anno qui eſt quintus & ſexageſimus ſalutis noſtræ, ſupra milleſimum & quadringenteſimum, apud Neapolim regiam ſuam quartodecimo calendas Aprilis, cum maximo miſerorum incommodo deceſſit, & regio funere elata, in diui Petri martyris templo eſt tumulata. Mulier ſane conſpicua ac innumerabilibus virtutibus inſignita. Quæ in primis Tarētini principis neptis fuit: quem quidem Alfonſus Rex filij nuptijs iungēdam omni ſtudio idcirco contendit, vt regnum filio magis magiſꝗ firmaret: præſertim pulchritudine illius & virtutibus maxime adductus. Excellebat etenim ea in primis eximia forma: Nam regalis illi ex ingenio aſpectus, vt vel ſolo aſpectu, regina facile poſſet ab omnibus iudicari. Erat maxime eloquens, maximaꝗ orationis ſuauitate prædita, affabilis in primis, pudici eius erant mores, ac omnis pudoris pleni. Delectabatur magnopere viris doctis, beneꝗ moratis. Probæ mulieres, probiꝗ ingenij fœminæ illi maxime cordi erant: & gratia apud illam plurimum valebant. Ex regia autem ſua impuros homines & minimi ſenſus, prudenter ſubmouebat: quos vero didicerat ingenio præſtare & grauitate: omni ſtudio & impēſa ad ſe accerſiri faciebat: quos certe charos gratoſꝗ habebat. Nec minus vocabat ad ſe mulieres & virgines iā viro maturas, quæ illi in primis non modicum charæ erant. Dabatꝗ operam vt in rebus diuinis & humanis peregregie inſtituerentur: cum quibus & perſæpe ſuas laxabat curas honeſtiſſimis animi remiſſionibus. quam quidem viuendi rationem optimam, multi cernentes & intelligentes, non iam regiam eius domum, ſed potius religionis locum eſſe aſtruebant. Habitus eius & corporis cultus: ſummæ modeſtiæ indices erāt. Hæc itaꝗ prius q̃ Reginæ nomen adipiſceretur, Calabriæ cum Ferdinando marito ſuo imperauit. poſtea vero q̃ Reginæ nomen inuenit: maiore diligentia & ſtudio id tueri contendit. idque ſeruare in maioribus opibus conſtituta, quod ante inſtituerat, & hoc religione duce ac alijs pluribus præclaris artibus: ſic vt ea admirabilis adeo prædicaretur, ac ſi e cœlo ad homines foret diuinitus demiſſa. Poſt Alfonſi autem regis mortem, Ioannes Renati filius, ex Gallia tranſalpina cum exercitu in regnum venit, vt id regnum paternum ſibi recuperaret. Secumꝗ ſui exercitus imperatorem Iacobum Picininum,

admodum ſtrenuum, & rei militaris peritiſſimum adduxerat. Quo audito:e veſtigio Ferdinandus rex, Neapolitanę vrbis cuſtodiam huic ſuę vxori reginæ omnem cõmendans:ipſe aſſumpto valido exercitu rebus omnibus ornato,vt caſtra caſtris opponeret,contra hoſtem profectus eſt. Quæ ciuitatis adminiſtratione ſuſcepta, ſex prope annis,eã magno conſilio,maximaq́ prudentia adminiſtrauit,atq́ in ſumma quiete & pace,amoreq́ ciuium conſeruauit. Quandiu autem vrbi præfuit,multa iuſticiæ exempla edidit,& id aduerſus nocentes magno quidem & excelſo animo. Nõnunq̃ ad maritum miſit:dicens,q́ ipſe nulla afficeretur moleſtia:neq́ quidpiam timeret de rebus ſuis,donec ipſa preeſſet. Nunq̃ in tantis occupationibus regni ſui occupata,voluit res diuinas omittere,aut preces,aut ieiunia negligere,atq́ alia huiuſce bona,quę ad placandam cœleſtem iram pertinerent. Et ob id etiam vtebatur magna liberalitate,& frequenti in pauperes:cum eſſet mulier optima,& religionis diligens cuſtos. Continentibus etenim precibus ad deum agebat,vt regnum illud ſibi tueretur:ſi ad ſalutem animarum ſuarum eſſet futurum. Cumq́ rex aliquãdo in ſumma verſaretur triſtitia,& quaſi iam animo cõcidiſſet,eius exercitu ab hoſte fuſo: neq́ ei eſſet aliqua pecunię ſpes,qua bellum reſtaurare poſſet.ipſa prudentiſſima ſic cũ ſuis ciuibus egit, vt regi opem ferrent,eidemq́ ſubuenirent,vt ſatis pro ratione temporis magna contracta pecunia: eam omnem ad maritum miſerit reſarciendum. Simul exhortans, ſimul etiam conſolans,nihil timeret,nihilq́ vereretur:potius ſpem omnem in deo collocaret: foreq́ vt breui omnis triſtitia animi,omníſq́ alia ægritudo,maximũ in gaudium & lætitiam commutarentur. Ita intra paucos dies factum eſt, etiam patrui ſui opera videlicet Tarentini principis,qui dudũ Ioannis prædicti Andegauenſis rebus maxime ſtudebat,adductus huius neptis ſuæ precibus, repente res Ferdinando meliore loco eſſe cœpit,redacto ſcilicet in meliorem & tranquilliorẽ ſtatum rerum Neapolitano regno:nam deinceps maiore cum gloria regnauit: Quod Pius eius nominis ſecundus pontifex,Ferdinandum regem diademate impoſito confirmauerit. Regno igitur hoc modo pacato:Iſabella diſſimilis nunq̃ ſui eſſe voluit,per decem reliquos annos quos poſtea in regno eodem egit,Regina certe magnæ virtutis,etiã hodie vſq́ per totum regnum illud magno celebratur præconio:frequẽtiſſimuſq́ de illa ſermo, cum ſumma plane teſtificatione virtutis & beneuolentiæ in illam omniũ:quanti hæc regina virtute præſtiterit,non paruum certe eſt argumentũ. Tam chara tamq́ accepta marito fuit,vt illam prope diuinam fœminam eſſe cõteſtaretur:qui vt ſuo ſtudio ſatiſfaceret,quo dũ viueret affici maximo perſpexerat:iuſſit templum beati Petri martyris magnificẽtiſſime reſtaurari,idq́ cum maximo ſumptu:in eo quippe pluſq̃ octo millia aureorum regem conſtat impendiſſe. Quæ quidem pecuniæ ſumma,collocata fuit in omni genere veſtis,qua magnificentiſſime templa exornari ſolent, auro & aliis pretioſiſſimis rebus intexta. Audiebat cum maxima animi iucunditate theologos de ſacris literis differentes,a ſanctarum literarum lectione nequaq̃ aliena. Innumerabilibus itaque virtutibus hæc regina mirifice prædita, cum annum primum & quadrageſimum attigiſſet:febri correpta,in quãdam incidit ægritudinem:quam nunq̃ pudoris cauſa,medicis detegere ſuſtinuit. Cuius morbi vi ſubacta,cum obiuiſſet omnia quæ chriſtianum decet hominem, Ieſu Chriſti nomen ſemper in ore habens,ſanctam cœlo reddidit animã. Cuius mors tãto dolori,tantoq́ mœrori & ægritudini,viro eius regi fuit,toti deniq́ regno:vt nunq̃ maior luctus fuerit auditus,aut certe viſus,ſed neq́ maiores gemitus,quam in huius optimę & præclariſſimę reginę morte. Sepulchro magnificentiſſimo a rege eſt decorata. poſt cuius mortem inuenta eſt capſella quædam,in qua cum exiſtimarẽtur quædam pretioſa eſſe repoſita,deprehẽſum eſt illico cilicium aſperrimum cũ flagello, quo deuotiſſima regina corpus ſuũ affligebat,vt gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti poſſet promereri. Quinq́ filios viro ſuo regi Ferdinando ſuperſtites reliquit, Mares tres,& fœminas duas. Quorũ primus natu Alfonſus rex:poſtea a Carolo Francorum rege,regno pulſus,& apud Sici-

liam nuperrime vita functus. Secundus illi dictus Theodoricus adhuc ſuperſtes, nunc regnum adminiſtrans. Poſtremus Ioannes appellatus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ ampliſſimus cardinalis, iam & ipſe defunctus. Altera ex filiabus maior natu Leonora dicebatur, Herculis ampliſſimi Ferrariæ ducis vxor: & ipſa omni exemplo virtutis huius Iſabellæ extitit merito filia. minor ætate, Beatrix Pannoniorum regina prudentiſſima, & ipſa virtutum multarum ac rerum diuinarum appetentiſſima, vt ſupra in prologo huius operis diffuſe conteſtati ſumus. Cuius quidem virtutes, & bonas artes reginæ excellentiſſimæ, hic contexere volui: prout tenue ingenium meum conceſſit. Vt quanta mulier, quantaque regina fuerit Iſabella Parthenopea: poſteri omnes ediſcere valeant.

¶De Bona, Lombarda, in armis ſtrenua muliere. CAP. CLXV.

BOna, Lombarda in valle Tellina, agri Nouocomēſis vrbis apud Larium lacum ſitæ nata, quę videlicet in ciſalpina Gallia Mediolanenſi imperio paret: anno ſalutis noſtræ milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octauo, poſtq̄ in militari gloria multis claruerit facinoribus, in Metone Peloponeſi oppido, ex ventris profluuio chriſtianiſſime vita deceſſit. Mulier obſcuris & ignobilibus edita parentibus, prout infra explicabitur. Hæc igitur clara fœmina prius pellicis loco, poſtea legitimo matrimonio iuncta eſt Petro Brunoro Parmenſi, periciſſimo rei militaris duci. Quam cum vidiſſet, ducens copias ſuas per vallem illam Tellinam (quam veteres Rheticam appellabant) adoleſcentulam admodum in campis greges paſcentem, plurimum deformem, nigro videlicet colore, breuiq; ſtatura, ſed valde ſtrenuam, cum alijs ſuis ſodalibus puellis, quæ etiam greges paſcebant, ludentem, per vim rapuit, & eam ſecum adduci præcepit. Quam quidem recreationis loco, perſæpe mutato habitu, modo muliebri, modo virili veſte exornari præcipiebat. Etiam nonnunq̄, in illa ſua adoleſcenti ętati, illam mulis & canibus ſuis venatricibus præficiebat. Veruntamen etſi cōtemptu illam per omnem modum habere videretur: nihilo minus incredibili ipſius Petri Brunori amore & ſtudio tenebatur, & eam ob rem omnes labores, & neceſſitates, atq; ærumnas: æquo ſemper animo tolerabat. Et idcirco in omni itinere cum ipſo ſuo Petro Brunoro, domino ſuo ſe indefeſſam comitem exhibuit: pro quo etiam cum ipſo tandem ad Alfonſum regem Neapolim vſq; eſt profecta. Per idem igitur tempus, idem Petrus Brunorus cum Franciſco Sfortia tum comite aduerſus regem Alfonſum ſtipendia faciebat. Tunc rex ipſe Alfonſus egit: vt Petrus Brunorus a Franciſco deficiens ad ſe tranſmigraret. Qui rurſus cōſilio mutato, ſtatuit ad eum redire. quam fugam cum rex parari animaduertiſſet, hominem clam comprehendi curauit, & in vincula conijci præcepit: vbi & diutius ſine vlla libertatis ſpe cuſtodiri eum voluit. At Bona: ſui amantis fortuna tam miſera, tamque calamitoſa, miſeratione & pietate commota, quum illum ardentiſſimo ſtudio & beneuolentia quadam coniugali, tanq̄ Ipſicretea olim Ponti regina Mithridatis coniunx, ipſum proſequeretur. Statuit illum quoquomodo ex vinculis regijs eripere: quod vt efficeret, omnes difficultates, omnes labores, & quæq; aſperrima voluit adire. Vnde in primis eam ob rem, ad omnes Italiæ principes & potentatus, atq; Gallorum regem & Burgundiorum principem Philippum, ſine vlla ſui requie acceſſit, & ab eiſdem, maximeq; a ſenatu Veneto ad hanc rem obtinendam, literas impetrauit. Pro quorum rogatu rex tandem delinitus: Petrum Brunorum a carceribus exemit, eumque huic viragini Bonæ concubinæ demum liberum condonauit. Illoq; tanta cum difficultate libertate donato, Bona, vt ſua in eam cumulaſſe videretur beneficia, etiam curauit vt cum Venetis ſtipendia faceret ampliſſima videlicet pluſq̄ viginti milia aureorum: quo poſſet copias ſuas reſarcire, & omnem apparatum inſtruere.

Quibus quidem beneficijs perq̃ maximis idem Petrus Brunorus adductus,& ſua ſingulari fide atque virtute permotus.cum vſque ad id tempus ipſam tanq̃ vile mancipium abieciſſet,ſemperq; contempſiſſet,ne ingratiſſimus videretur,neve meritorum maximorum immemor: illam ſtatuit ſibi legitimis nuptijs copulare & coniungere, nec eam pellicis loco amplius habere.ex quo mox mares duos,fœminamq; vnam ſuſcepit.His ex ſententia geſtis ex illo igitur tempore ipſe Brunorus,eidem Bonæ non ſolum omnia ſua,ſed & ſeipſum credidit, negotiaque quæq; ſua mandauit,nihil ſine eius conſilio agere præſumens.Ex his ſuis perq̃ maximis conſilijs ipſe Brunorus non paruam autoritatem apud Venetos adeptus eſt. Nec quidem ſine magna ſui vtilitate & cõmodo.Etſi ſubruſticis parentibus nata extiterit hęc Bona,nihilo minus poſtea rebus diuinis dedita,ac in pauperes Chriſti admodum liberalis eſt habita. Induebatur equidem cultu inſigni ſemper ac expedito. Si pedibus iter facere contingeret, ſemper armis & veſtibus decori milites illi educebantur. Exiguo enim cibo ſemper contenta erat,perq; omnem vitam ſuam ſemper vino abſtinuit,quod illi fuerat a natura inſitum.Erat animo & ingenio præſtantiſſimo.In oppugnandis oppidis & caſtellis ſemper armata inter primos verſabatur,primaque ſubibat ad muros.In re autem militari longe exercitatiſſima:quod cum in multis,ſpecialiter in bello quod inter Venetos & Franciſcum Sfortiam tum Mediolani ducem gerebatur oſtendit.tum præcipue cum amiſſo caſtello Pauono agri Brixienſis,tanta eius enituit virtus,vt omnes ſtupore mirarentur.Arrepto enim leuo brachio ſcuto,enſeque ſtricto, ducem ſe cunctis præbuit:ad æmulandum decus recepti caſtelli,armis omnibus inſtructa caſtellum deperditum recuperauit. Quæ res prorſus fuit inaudita, & egregijs monimentis celebranda,tãtam in muliercul æ paruæ corpore virtutem bellicam extitiſſe.Eoſdemque tempore & timebatur,& admodum amabatur ab omnibus tam equitibus q̃ peditibus,& id quidem ſupra q̃ dici aut excogitari poſſet.In omni itaque negotio & prudentiſſima ſemper & ſapientiſſima ferebatur.In altero quoque conſimili virtutis negotio,non minus excelluit,quod minime reticendum puto.Declaratus enim Paſchalis Maripetrus Venetorum dux:ad inſinuandam vniuerſis nouam erga ſuum principem lætitiam,ædificatum fuit in foro ſancti Marci ex ſenatus decreto ligneum caſtellum, & id quippe validum valde, quod fortium militum præſidio firmari iuſſerunt:qui quidem milites caſtellum tuerentur,proculq; bellatores ſubmouerent. Hæc nanque Bona mulier a patribus depopoſcit ſibi id caſtellum expugnandum concedi. Quæ inſtructa acie ex militari diſciplina,ſeruãdo ordines,toto corpore armata,cum clypeo & ſtricto enſe, inaudita moliri viſa ẽſt. Nec vnq̃ viſa ad huius caſtelli expugnationem,nec alio in prȩlio,quanq̃ aſpero & acri,defatigari:ſic vt omnes principes qui ad id ſpectaculum conſcenderant,prȩ ſtupore prope amantes fierent,tantam virtutis conſtantiam in tam parua fœmina proſpiciẽtes. Poſtremo ſenatus Venetus,qui iam multum ſpei in Petro Brunoro,& hac celebri fœmina collocaret:ad muniẽdam & cuſtodiendam Euboiam,contra Turcos,vtroſque miſit. Quandiu autem ibidem præfuere in primis vrbem illam validiſſimis præſidijs firmauere,in quo plane negotio ita ſe geſſere,& ita operam nauarunt,vt Turcus ipſis viuentibus nunq̃ auſus ſit ipſam Euboiam expugnatione aggredi. Demum ipſius viro chariſſimo Brunoro, in Chalcide vrbe defuncto, & ab ipſa ſua fideliſſima coniuge Bona magnificentiſſimo exequiarum cultu ibidem ſepulto, Et ipſa haud multo poſt ex dyſſenteria valitudinaria effecta.quem quidem morbum ex longo ſuo itinere contraxerat:cum in animo haberet Venetias repetere,vt ſtipendium patris filijs continuaretur.Metonem Peloponeſi vrbem tandem peruenit,Vbi & in terram ingraueſcente morbo exponi ſe iuſſit:Ibidemque cum in dies grauius laboraret:duos religioſos valde deuotos ad ſe acerſiri iuſſit:quibus tanq̃ vera chriſtiana, omnem animæ ſuæ curam credidit. A quibus ſacramentis omnibus deuotiſſime ſuſceptis, etiam teſtamentum cum omni integritate mentis condere voluit: & ante omnia in remiſſionem peccatorum ſuorum

trecentos ducatos in pauperes Chriſti, manibus ſuis liberaliter erogauit: Sepulchrūque ſibi conſtrui fecit. quod extructum, vt erat animo excelſo, ſuis proprijs oculis intueri voluit. Poſtremo etiam ex maiore chriſtiano inuncta: quum de rebus diuinis indefeſſe loqueretur, placida morte extremum emiſit ſpiritum. Cuius magnifice fœminæ virtutem tam admirabilem, inter decora aliarum clararum fœminarum, quæ memorandæ fuerant, hic coniungendam eſſe putaui. Quamuis humili loco & obſcuris parentibus fuerit nata: vt aliæ mulieres quæ magno genere præſtant, & natalibus accendantur & inflammentur, ad æmulanda ornamenta virtutum: ex quibus omnis honos, omniſque vera laus proficiſcitur.

¶De Blancha Maria Mediolani duciſſa. CAP. CLXVI.

BLancha Maria, mulierum noſtri æui optima fœmina, Franciſci Sfortiæ Inſubrium ducis vxor, Philippiq; Mariæ item ducis vnica filia: per omnia clariſſima & indulgentiſſima, & ipſa eodem anno quo & prædicta Bona, videlicet anno ſalutis noſtræ milleſimo quadringenteſimo octauo & ſexageſimo, in oppido ſuo Maregnani, agri Mediolanenſis, anno ætatis ſuæ quarto & quadrageſimo chriſtianiſſime vitam finiuit. Fœmina certe ex omni parte perfectiſſima, cuius tantæ profecto erant diuinæ humanæq; virtutes, vt non morte ſolum, ſed & mortis omni carere debuerat ſuſpitione. Quippe huius viraginis tanta erat probitas, & morum omnium integritas, pudicitia, innocentia, fides, pietas, ſanctimoniaque: vt patriç fulgor, & parentum claritudo, merito ab omnibus confiteretur, cenſeretur & appellaretur. In primis quippe erat mulier admodum formoſiſſima ac corpore elato, decora, venuſtaque facie, omni niue candidior, cum nitidis roſeiſq; genis, ac quadam præſtanti & ſingulari gratia, vt deam quiſquis inſpiceret, & non mortalem facile crederet. Eius oculi grandes erant & nigri cum quodam micanti fulgore ac ſplendore. Suuſq; inceſſus, ſtatus quoque ac habitus omni fulgebat decore & honeſtate. Suus præterea ſermo grauiſſimus, & mira ſuauitate videbatur conditus. Erat inſuper & re & nomine vtique Blancha, omni muliebri ſexu & dignitate præſtantior ac candore pulchrior. Nam tanta erant ipſius animi pudicitia, vt nemo diſcerneret maior ne eſſet eadem, an caſtitas impolluti illius corporis, quam ſemper venerati nimiſq; admirati omnes. Verba illius non ſolum pudica, ſed & omni verecundia plena. Veruntamen in eiſdem vtebatur quandoque ſalibus & cauillis, ſed ſine alicuius offenſione, cum delectatione quoruncunque audientium. Tanta vero erat ipſius humanitas & clementia, vt anteiret quaſcūq; ſuperiores reginas & fœminas. Vniuerſam etenim naturæ bonitatem, & animi magnitudinem in vniuerſa illius vita, ſemper complecti videre viſa eſt: ita vt nedum iniurias omnes obliuioni penitus traderet, immo etiam ijs benefaceret, a quibus iniuriā accepiſſet, obſeruatrix plane ſaluatoris noſtri precepti: qui ait. Mihi vindictam & ego retribuam. Omnia nempe pro modulo fragilitatis ſuæ tanq̄ chriſtianiſſima, ſemper ad creatorem ſuum referebat, quem nouerat ſupra hominum merita munificētiſſime retribuere. Erat inſuper ita placida ac mitis, vt ſine cuiuſcūq; interceſſione ſe adire volentem, intempeſtiuum duceret neminem. Quinimmo omnes ea attentione atq; lenitate audiebat, vt obſequētiſſimi numinis benignitatem repręſentaret. Eius fide nihil erat ſanctius: quicquid enim ſemel promiſiſſet, emori mallet q̄ minus effectui mādare. Neq; enim (vt ſolent fere omnes mulieres) erat cōparandæ vel cōgregādæ pecuniç cupida, immo liberaliſſima, immo piētiſſima, & munificētiſſima: ita vt nullū ſibi vnq̄ ſeruare voluerit peculium, ſed omnia quç ex ampliſſimis ſuis prouētibus cōſequebatur bona: ea cūcta q̄ liberaliſſime, & pro dignitate merētiū diſtribueret. Infinitas propemodū ingenuas puellas, quæ ob dotis inopiam periſſent forte, ſuis pecuniis, viris legitime collocauit. Monaſteria plurima tā mulierū q̄ virorū, & Mediolani & alibi, aut reſtituit, aut āplificauit, & exornauit atq; locupletauit.

Vnde nec inuolui debet ſilentio: quod cum in prædam Placentia militibus traderetur diripienda: huius intuitu & prece monaſteria ſanctimonialium ſeruata fuere, in quibus virgines q̃plurimæ in pudicitia illibata remanſerunt. Neq; enim quempiam ſeruorum dei ſuæ beneficentiæ immunem vnq̃ eſſe voluit. Plurimam item curam gerebat pro pauperibus defunctis, atq; præcipue propinquis & amicis ſuis, pro quibus ſine intermiſſione ſingulis annis anniuerſaria plurima celebrare faciebat. Vna equidem viſa eſt hæc virago Blancha, quæ ad communem bonorum omnium nata fuiſſe iudicari potuiſſet, vel potius ad miſerorum conſolationem cœlitus demiſſa. Neq; multo minor eius iuſticiæ obſeruantia erga homines, q̃ pietatis erga deũ. Aiunt enim quum diem obitus ſui animaduerteret haud procul abeſſe: eam dixiſſe, ob eam rem duntaxat vitæ fila ſibi tantiſper protrahi cupere, donec æri alieno ſatiſfaceret. Nam ob donandi & erogandi pauperibus propter deum magnificentiam, alienum æs, non mediocre in pios vſus cõflauerat & cõtraxerat: id tamen vt ſolueretur, accuratiſſimo cauit teſtamento. Omnia tamen eius iuſticiæ munera hic in medium referre non eſt opus: quum non modo illã omni iniuria ac maleficio ſemper abſtinuiſſe, ſed ita operam atque induſtriam omnem ſemper adhibuiſſe, vt nullus ſibi locus propulſandæ ab alijs iniuriæ relinqueretur. Quam ob cauſam, mortuo eius viro Franciſco Sfortia duce, Veneti etſi quandam honeſtam cauſam viderentur habere iuſti belli aduerſus regnum eius, ob non abſurdas quaſdam ſuſpitiones: tamen ob eius amorem, ab omni bello prorſus abſtinuere. Quinpotius eam perbenigne hortati fuere, vt bene de ſeſe ſperaret, cum nihil omnino prætermittere decreuiſſent, quod eius regno profuturum intelligerent. Quam Venetorum mentem cum finitimi cæteri cognouiſſent, longe facilius ſunt adducti, vt omnino quieſcerent, nec in hanc clariſſimam virginem tentare aliquid auderent: quam ij etiam præ virtutis magnitudine verebantur, quos hoſtili in eam animo eſſe cenſebant. Habebat cum iuſticiæ operibus coniunctam hæc Blancha non ſolum ingenij acrimoniam: quo, dicto citius res ſingulas diſcernebat, ſed & quandam prudentiam ſupra hominis naturam, vt ſuo falli raro poſſet iudicio. Hanc quippe muniebat, corroborabatq; validius adminiculis temperantiæ: qua exiſtimatio potiſſimum ſeruatur omnis. Nam & cibo erat moderatiſſimo, & vino dilutiſſimo vtebatur, atque aqua mera nonnunq̃, quum diuinis ieiunijs indulgeret, quod eius rei gratia ſæpiſſime faciebat. Quanta præterea in ea erat dicendi grauitas, quantuſque lepos, quantave ſuauitas: etiam plurimi nunc qui loquentem eam audierunt, locupletiſſimi teſtes ſunt. Loquebatur etenim ornatiſſime, immo potius eloquebatur quum opus foret: & rurſus tacebat, quum locus tempuſque requireret. Et cum noſſet in perpollita caſtigataq; oratione, vim maximam ineſſe ad omnes animi motus vel concitandos vel ſedandos: curauit aſſidue vt liberi ſui omnes tam fœminæ q̃ mares, cum ſapientiæ ſtudio eloquentiæ cõiugerent maieſtatem. Nouerat etenim ſapientiſſima virago: plurimum decere principem, ſi apparate imperioſeque quicq̃ eſſet dicturus, neceſſe fore eum vti oratione ornatiſſima atq; grauiſſima. Tradunt Corneliam Africani filiam permultum filijs ad eloquentiam profuiſſe, quoniam latinitatem perpulchre calleret, eſſetque diſertiſſima. Et cum huic optimæ mulieri eſſet vniuerſa eius vita, omnis honeſtatis plena: ita vt quotidianus ſermo mirificam quandam dulcedinem omni melle ſuauiorem, grauitatemque redoleret, videlicet ſententiarum crebritate atque acumine redundans. Delectabatur hæc Blancha vbi diuinis officijs, cæteriſq; rebus neceſſarijs functa eſſet, q; nõ otioſa voluit eſſe, ſed ſemper aliquid lectitare, quo & ſibi prodeſſet, & meliores redderet ſuos liberos. longe tamẽ maiore ſtudio curabat vt filij ſui, quantum humanum patiebatur ingeniũ, vt nihil ignorarent, & quod didiciſſent loquerentur & decore & appoſite: vt quos parentum diligentia tam opulento, tamq; florenti imperio muniſſet, hi quoq; doctrina & eloquentia ornarentur. Huiuſmodi enim ſtudio eos præditos longe apud omnes fore admirabiliores arbitrabatur. Id vero quantam præ ſe tulerit vtilitatem, exempliũ, omni=

bus perſpicuum reddidere tam fœminæ eius filiæ,q̃ mares. Denique cum a gubernatione tanti imperij,tamque difficilis liberata fuiſſet hæc virago: aiunt in ſomnis ſibi apparuiſſe maritum ſuum iam diu defunctum,Iſq; in hæc verba eam adiiſſe,ſibi dormienti viſus eſt. Blancha Maria mihi chariſſima coniunx: ſcito quia quieſcendi tibi iam tempus aduenit: Non poſt multum tempus vna futuri ſumus in cœleſti patria: vbi omnia tranquillitatis plena ſunt atque quietis: tuæ de me pientiſſimæ orationes apud deum clementiſſimum meruerunt exaudiri. Multaq; eidem dediſſe ſalutis documēta,ſicut ipſamet poſtea retulit. Quibus dictis cito diſparuit,& ipſa ſtatim ſomno eſt ſoluta. Secum igitur ipſa conſyderans & animaduertens quæ eidem dormienti apparuerant: poſt non multos dies in langorem mortis decidit. Cumque primum ægrotare cœpit, nouum aſtrum exortum eſt: quod antea nunq̃ illiuſmodi nec viſum nec auditum,magnum atq; obſtupendum,quid portenderet viſum fuit. Nam vt multorum ferebat opinio,cometes fuerat. ac ſi deus oſtendere voluiſſet ipſo ſplendidiſſimo ſidere,futuram ipſius poſt mortem beatitudinem, vt ſicut in terra omnium virtutum lumine præluxerat, eodem denique illuſtraretur in cœlo. Quo factum (mirabiliter omnes viderunt) q; vna cum ſuo obitu ipſum ſidus occidens,continuo ex oculis hominum euanuerit. Ac ſic ſui æui optima parens,pientiſſimaque: cunctis abſterſa humanis ſordibus,& omni terreſtri cœno purgata,corporeiſque ſoluta vinculis & libera omnino: demum leuiſſimo quodam volatu in cœlum fuit mirabiliter euecta,& in terris perpetuo tanq̃ clariſſima fœmina omnibus præconijs celebrata. Neque vlla omnino eſt in hoc mundo tanta, vel leuitas vel celeritas, quæ cum animæ beatorum leuitate aut celeritate conferatur. Et hæc carptim dicta hic ſufficiant: quæ de tam illuſtri & præfulgida muliere monimentis perpetuis mandanda ſunt.

¶De Conſtantia erudita fœmina, Alexandri Sfortiæ vxore. CAP. CLXVII.

Conſtantia,eius nominis inter claras mulieres huius noſtri operis ſecunda, Mulier ſane eruditiſſima, Alexandri Sfortiæ Piſauri Flamineç prouinciç vrbis principis vxor, Cameriniq; itidem principis ex Helizabeth vxore filia, anno ſalutis noſtræ M.ccccl x. apud Piſaurum vrbem ſuam, cum magno ſui populi incommodo, quadragenaria ſuum diem feliciſſime clauſit extremum. Fœmina certe omniū mulierum ſui ſeculi decus atq; prudentiſſima, ac (vt ita loquar) conſtans ſtipes ſui regni,& ſolidum patriæ firmamentū. Cui ab ineunte ætate tanta fuit optima indoles & prudentia,tantuſque animi vigor & facundia: inſuper pietas,iuſticia,pudicitia,eximia pulchritudo,diuinarum,humanarumq; rerum cognitio: atq; deniq; omnes dotes,quæ de quacunque matrona prædicari poſſent. Cum eius menti ab ipſa ſua adoleſcentia vſque in diem mortis ſuæ, ineſſet quædam vis ac diuinus prope ſpiritus infuſus,ad omnia maxima obeunda,& ingentia de ſe præſtanda. A primæuo etenim ſuæ pueritiæ ita omnibus diſciplinis operam dedit,ac in earum ſtudijs ita valuit,vt ſiue præmonita,ſiue de improuiſo loqueretur,ſiue poetice,ſiue oratorie,ſiue philoſophice, ſeu de rebus diuinis interrogaretur, aut loqueretur: ipſa non didiciſſe quæ diceret, ſed potius compoſuiſſe arbitraretur. Eius quippe in manibus quotidie inerant Aurelij patris Auguſtini,diuorumq; Hieronymi, Ambroſij,Gregorij,& Senecæ ac Ciceronis & Lactantij opuſcula. Quantum autem valeret proſa, aut certe metro q̃ eſſet admiranda,verbo quidem explicari non poſſet. Plurimas elegantiſſimas,eaſq; perdoctas edidit orationes & epiſtolas, quas ad diuerſos dedit. Et cum eſſet ingenij admodū prōptiſſimi atq; verſatilis,vt illico intelligeret & exequeretur,etiā imitando quicquid aliquē dicentē aut facientem vidiſſet. Perſpicaciter adeo verſus tū diſpares,tūq; heroicos cōpoſuit,vt ex eorū artificio,cultu,ſuauitate,nitore ac elegātia,in admirationem traheret qui eoſdē lectitaſſet. Quam ſane poeticā diſci-

plinam nullo (vt aiunt) tradente, ſibi metipſa vendicaſſe fertur. Et quanq̃ hæc literarum cognitio vix in mulieribus apparere conſueuerit, vt permagnum ſibi viuenti tulit, ſic denicꝫ & mortuæ, eius filia maius attulit decus, de qua mox nobis erit ſermo. Eius præterea fides atque coniugalis charitas in virum, ſingularis profecto extitit ſemper: ꝙ merito in his cæteriſque virtutibus, potuiſſet cum Penelopis conſtantia erga Vlyſſem maritum ſuum, aliarumcꝫ vetuſtiſſimarum matronarum, de amore matrimoniali facile contendere: ꝙ nullo modo eiſdem virtutibus impar aut inferior viſa fuiſſet. Tanta equidem eius ab omnibus ferebatur pudicitia, humanitas, ac reuera ipſa Conſtantia, necnon & ingentes aliæ virtutes, vt neſciam quis poeta, aut certe egregius orator: ipſa omnia poſſet ſermone congruo explicare. Erat inſuper ipſius in omnes, etiam infimos facilitas & miſericordia tanta, vt conſtet neminem vnq̃ ab ea diſceſſiſſe niſi lætum, & bene ab ipſa perſuaſum. Denicꝫ moritura, anteq̃ ex hac vita demigraret, hoc eam dixiſſe ferunt: Nihil vnq̃ ſeſe effeciſſe, cuius pœnitentiam merito ſubire deberet: præter vnum quod tamen non prodidit. Hac igitur via incedens Conſtantia hæc, mulierum ſane optima, & matrem Helizabeth, ac Baptiſtam illam auiam ſuam, de qua nobis ſuperius fuit ſermo, in omni re, & virtute, ac diſciplina, præmonſtraſſe certe videre viſa eſt. Itaque eiuſcemodi indole hæc Conſtantia fulgens, ac diuinis prædita virtutibus, tot tantiſque circumornata dotibus: feliciſſime ex hac vita demigrauit, relictis ſuperſtitibus filio Conſtantio, qui patri in regno poſtea ſucceſſit, & Baptiſta filia inclyta & illuſtris, matri q̃ ſimillima, ex Alexandro Sfortia marito ſuo editis.

¶De Baptiſta Vrbini ducis vxore. CAP. CLXVIII.

BAptiſta eiuſdem nominis ſecunda, præclara fœmina, prædictę Conſtantiæ illuſtris filia, ex Alexandro Sfortia edita, Fœdericicꝫ Vrbinatis ducis inclyta coniunx, ac ſuperioris Baptiſtæ erudititiſſimæ fœminæ proneptis, anno a natali chriſtiano milleſimo quadringenteſimo, & ſeptuageſimo, apud Vgubium Vmbriæ prouinciæ vrbem ſuam, iuuencula admodum mortem obijt. Hanc quippe mulierem inſignem, a primis annis Conſtantia eius matre decedente, eius pater Alexander ingenue & liberaliter enutrire & educare fecit. Vnde & in ſtudijs literarum bonarum q̃ optime inſtituta, in ipſis atcꝫ alijs permultis virtutibus clariſſima tandem effulſit. Nam & ab initio ſuæ (vt ita dixerim) pueritiæ: ea orationes pronuntiare voluit, quas tanta grauitate & gratia pronuntiabat, vt omnes ſumma admiratione muliebris virtutis obſtupeſcerent. Vbi vero adoleuit, tanta profecit doctrina, tantumcꝫ in eloquentia accepit incrementum, vt admodum teneræ ætatis adhuc puella exiſtens, nullus ad domum patris diuertebat, aut orator vel princeps, aut aliquis eccleſię cuiuſcũcꝫ generis prælatus: quin coram ſine vlla trepidatione orationem haberet, cum multa ipſius commendatione. Erat mediocri corporis ſtatura, ſed ſatis venuſta atque formoſa, cuius quidem inceſſus, non ſine quadam maieſtate erat. Perliberalis in omnibus ſuis officijs. Doctos literatoſcꝫ viros magnopere colebat, illiſque non parum ſtudens: nec minus illos certe, quos cognouerat probo & acri ingenio fore. Poſtq̃ autem a marito ducta fuit, fere ſemper mariti ipſius regnum adminiſtrauit: quia maritus ipſe minus propter ſtipendia, domi eſſe poterat. At illi ſic mariti rem ea iuſticia mirifice curabat: vt inauditũ prope omnibus videretur. Aliquando etenim cum Romam acceſſiſſet, pontificem maximum Pium eius nominis ſecundum, virum erudititiſſimum, eloquẽtiſſimũcꝫ ſalutare voluit: apud quem orationem tam ſuauem, tantacꝫ cum eloquentia habuit: vt pontifex ipſe ſermone eius nõ minime delectatus, circunſtantibus diceret. Ego domini mei ſic mihi perſuadeo: nullam in Italia mulierem eſſe, quę ſit cum hac, vel doctrina, vel eloquentia comparanda. Erat nihilo minus

Baptiſta hæc, admodum humilis & timorata: & eam ob rem perſæpe templa ſalu-tabat, & loca ſacra adibat. præcipueque virginum religioſarum vtebatur conſuetu-dine, & proborum religioſorum, atque doctorum. Exercebat q̃maxime liberalita-tem in pauperes, quos maxime mēdicare prohibebat pudor, legitimiſq; nuptijs vir-gines pauperes collocando. Erat acri ingenio & celeri, præſtantiq; acumine. Inter a-lia vero eius decora, vereq; ſanctimoniæ indicia, hoc maximum & memoria dignum fuit: q tanq̃ diua illa Cæcilia Chriſti martyr & virgo, ſub auratis veſtibus in abſen-tia mariti cilicium ad membra domanda geſtabat. Quando autem virũ eius ex bel-lo confecto domum redire contingeret, ordinem & ſeriem rerum concernēs, quem il-la adhibuerat in digerendo: quaſi mirabundum dixiſſe aiunt. Non iam domum ſe, ſed certe religioſorum virorum conuentum ingredi. Ad extremum cum febris acu-tiſſima tandem eam inuaſiſſet: quo quidem morbo intelligens omnino ſe moriturã, neq; vllis remedijs fieri poſſe, vt ægritudo illa ſuperaretur: quippe quæ prudentis & magni animi eſſet, ſtatuit æquo animo morti ſubeſſe, & illam venientem excipere, quamuis nondum ſextum & vigeſimum exceſſiſſet annum, & florenti ætate excelle-ret. Vnde mox tanq̃ mulier religioſiſſima, & chriſtianæ religioni deditiſſima, chri-ſtianos ritus omnes obiuit. Poſtremo maritum ſuum ad ſe conuocans, dixit. Quæſo mi chariſſime princeps, miq; dulciſſime vir, ſi vnq̃ te in aliquo lęſi, aut tibi minus mo rigera fui: vt mihi pientiſſime ignoſcere digneris. Deinde ſubijciens, ait: Commen-do tibi obnixe animam meam, atq; communes liberos. Attollens demum oculos ac manus, omnes proſecuta eſt benedictione vt melius potuit. Quibus plane verbis, tam pium animum declarantibus: tota regio, princepſq; ipſe maritus ad magnos fletus, miſerabiles lachrymas, ſingultuſq; ac gemitus mox incitati fuere. Interpoſito autem paruo tēporis ſpatio, mortua eſt, magnificentiſſimoq; funere a marito eſt elata. Poſt aliquot autem dies exequiarum illius, nouo & inaudito decoris genere, ipſe illuſtris maritus mortuam eſt proſecutus. In quo edita fuerunt omnia, quæ placando deo per religioſos adhiberi ſolent. Ad quem quidem honorem tam nouum, tamq; inaudi-tum talis funeris, conueneruut legati ex vniuerſa ferme Italia, ad huiuſmodi hone-ſtandas exequias, equi prope quadringenti. Quos inter Reuerendus Ioannes Anto-nius, Campanus Epiſcopus, a Sixto quarto pontifice maximo tranſmiſſus. Qui de laudibus & vita admirandæ virtutis huius fœminæ: funebrem orationem, & ipſam elegantiſſimam cunctis aſtantibus habuit.

¶De Margarita illuſtriſſima Anglorum Regina. CAP. CLXIX.

MArgarita illuſtriſſima Henrici Britanniæ ſeu Anglorum regis con-iunx, Renatiq; olim Neapolitanorũ regis ſoror, pręter cæteras mu-lieres, origine, potentia, magnanimitate & moribus ſuo æuo præcla riſſima fœmina, Pio pontifice Romæ in cathedra Petri præſidente, plena dierum, ſuum diem cum maximo ſui nominis fulgore clauſit extremũ. Regina in primis certe forma ſpectabilis, & inuicti amoris in regem virum ſuum, adeoq; commendanda, vt ex eo ſui nominis fulgorem meruerit perpetuum. Quæ quidem (præter ſchemata quæ mortalibus quã-doq; aliquid fulgoris afferre ſolent) & manſuetudine benignitateq;, liberalitate, mu nificentia, religione, fidelitate, alijſq; nōnullis virtutibus plurimum inſignis fuit, ſed animi magnitudine ac armorum ſtrenuitate multo magis: De quibus vnũ dixiſſe ſa-tis erit. Quippe cum aliquãdo audiſſet maritum regem iu bello ſuperatum & captũ, raptim copijs plurimis collectis, celeri curſu verſus Eboracum vrbem aduolauit: ibi-demq; apud fractũ pontem Eboracenſem collatis ſignis, acriter cum hoſte cōflixit, & de hoſtibus nō incruentã victoriã reportauit: captũq; Edoardi regis ducem ſtrenuiſ-ſimum, cōfeſtim in vltionem captiuitatis mariti, ſecuri percuſſum vitã finire coegit.

Proſecuta deinde hoſtes,qui captiuum abducebāt maritum:itinere vnius diei à Lon= dino vicit & profligauit:eorumꝗ plurimis interfectis, tandem chariſſimum conſor= tem incolumē recepit.vnde & ingentes ſano ſuo in pectore coniugalis amoris ſe oſtē dit habuiſſe vires.nulla illi certe formido obfuit,nullaꝗ fœminei ſexus erubeſcētia, nulla temporum qualitatis extimatio potuit Margaritam hanc reginam vtiꝗ viragi nem, pro vita & conſeruatione decoris viri retrahere:quin ipſa omnia facili labore ſubiret,quam nedum fœminę,ſed robuſtiſſimi ac bellicoſiſſimi viri timuiſſent aggre di. Verum haud multo poſt iterato apud Eboracum cum Edoardo qui ſe eiuſdem regni,& ipſe Regem gerebat,inſimul cōgreſſi,videlicet Hēricus & Edoardus:vterꝗ diu obſtinatis animis decertarunt, & cum pugna per duodecim ferme horas protra= cta fuiſſet:Tandē Henrico victo,eiuſꝗ exercitu profligato,ipſe Henricus cum Mar= garita vxore ſe hoſti fuga eripuere.Verum quum Hēricus ipſe in quoddam monaſte= rium diuertiſſet,& agnitus fuiſſet ab Edoardo:captus & interfectus fuit.Regina au= tem Narbonam ad Renatum germanum confugiens, illæſa tandem euaſit.Eo enim in prælio cæſa fuere,hominum triginta milia:in quo omnis ferme Anglorum nobi= litas cecidit. Ego quidem reor, quanq̄ nobis longe conſtitutis incognita ſint, longe alijs facinoribus ſpectabilem fuiſſe Margaritam.

¶ De Eliſa magni Sfortiæ filia,Robertiꝗ Seuerinatis matre. CAP.CLXX.

ELiſa magni Sfortiæ Attenduli filia,Franciſciꝗ Sfortiæ Inſubrium ducis germana,ac Leonelli Seuerinatis principis vxor,viduarū om nium ſacratiſſimum ſpecimē atꝗ optimum exēplum, anno ſalutis noſtræ tertio & ſeptuageſimo ſupra milleſimum quadringenteſimū Bononiæ moritur, & in diui Franciſci templo ingenti exequiarum pompa ſepelitur. Mulier in primis quidē forma corporis pulcherri= ma,quam probi mores atque pudici mirifice honeſtare videbantur. Erat prompto ingenio fœmina,promptaꝗ lingua,nec minoris certe habita erat ani mi.Quę quum nupſiſſet:quindecim annorū erat ætatis,& in decimo ſeptimo graui= da,virum amiſit.Igitur filio edito,eū ex nomine Robertum nuncupauit:quē & pro= prio lacte alere omnino voluit:quāuis nutrix illi adeſſet bona & bene morata. Neꝗ poſtea ſuſtinuit tanq̄ altera Antonia Romana viduitatis optimū exemplum(de qua ſupra nobis fuit ſermo) ſecūdo matrimonio aut nuptijs cuiꝗ iungi:rata ſatis honeſtæ mulieri nupſiſſe ſemel.ſed omne reliquum ætatis ſuæ tempus,cum ſumma pudicitia & pudore,ac eximia laude pertrāſire curauit.Curauitꝗ ipſum filiū ſuum pro poſſe, optimis moribus informare:quoaduſꝗ per ætatē licuit arma geſtare.Et cū eſſet mu= lier rerum diuinarū admodū ſtudioſiſſima,ac religionis certe amātiſſima, iugiter & obnixe deū immortalem exorabat,vt liceret hunc ſuum gnatum,in omni morū pro= bitate educatum,vſꝗ ad adultam ſuā ætatē videre.Et iccirco bonis omnibus ac ma= terna benedictione,quantū in ſe erat,ſemper illū proſequebatur.Vtiꝗ in hoc credens parētū benedictionē erga filios maximā vim habere.Præſtitit itaꝗ hæc ſedula mater in filio educādo,quæ pia mulier nullo faſtu elata potuit exhibere:nihil omnino indi gnata vilibus etiā miniſteriis,quę educationē filiorū ſequuntur.Hoc autē poſtmodū clariſſimo imperatore effecto,plures cū filij ſapientes,tū omni honore præſtātes ſunt ſuſcepti:qui magnis etiā opibus & honoribus celebres hodie apud eorū cōſanguineū Inſubriū principē primū locū dignitatis obtinēt.Viguit in hac tā clara,tāꝗ præſtās fœmina,incredibilis humanitas,ſumma facilitas,ac inaudita prope comitas. Nihil vnq̄ ſibi aſſumpſit,nihilꝗ arrogauit,ꝙ mater tā clari imperatoris vocaretur,aut cer= te tam magnorū virorum filia,ſoror,& vxor foret.Lōge equidē ingenio & moribus Attaliæ Iudæorū reginæ ſupradictæ diſſimilis:quę inflata propinquis,& regni cupi= ditate,cū & ipſa eſſet regis filia,vxor,& ſoror: omnes illos qui filios aliqua neceſſitu dine attingerēt interficiēdos curauit,præter Iorā qui clā a matertera ex manibus ſæ= uiſſimę fœminę ereptus eſt.Quā quidē Attaliā,cū in factionibus perſeueraret,ad ex=

tremũ crudeliſſimo mortis genere interfectã fuiſſe cõmemorauimus: lacerata etenim crudeliter, & in fruſta cæſa, canibuſq; abſumenda obiecta fuit. Nõ huiuſmodi naturæ fuit hæc Eliſa mulier cõſpicua, immo mitis ingenij, mitiſq; naturæ extitit: nec ſibi quidquam aſſumpſit, niſi ſemper chriſtianiſſime viuere. Erat ei frequens in ore oratio, quam diuus pater Auguſtinus in laudem diuæ virginis Mariæ matris dei diſertiſſime compoſuit: illamq; præcipue triginta illos dies celebrauit, qui mortis illius finitimi fuere. Quare Ficinum profecta, vt templum diuæ Mariꝫ de Laureto ex voto inuiſeret & ſalutaret. quum Bononiam vrbem attigiſſet: ibi vnicus ei filius illuſtris Robertus occurrit: quem ante mortem ſuam admodũ videre optauerat. Quod cum ei contigiſſet: maximo gaudio, maximaq; lætitia ab eo excepta & viſa eſt. Ibidemq; aliquandiu ſubſiſtens, intra illud tempus grauiſſima ægritudine correpta, hũc vitæ finem habuiſſe proditur deo ſemper dilectiſſima. quã filius imperator ſtrenuus, ſingularis pietatis, ſingulariſq; amoris quo in matrem afficiebatur, ampliſſimo funere & pompa extulit, cum magna ciuium Bononienſium frequentia.

❡De Richarda Nicolai Eſtenſis Marchionis vxore. Cap. CLXXI.

RIcharda inclyta mulier, Nicolai Eſtenſis nobiliſſimi Ferrariꝫ Marchionis vxor, Thomæq; Salutiani principis filia: hoc anno, qui eſt quartus & ſeptuageſimus ſupra milleſimum & quadringẽteſimum, a natali chriſtiano annus: admodum ſenex, Ferrariæ viuendi finem fecit. Fuit hæc mulier ab adoleſcentia vſq; in ſenium admodum venuſta, decoraq; facie, ſermone raro & prudẽti ſane, atq; decẽti (prout & eius filius princeps Hercules nunc habetur) qui certe index eſt ſingularis prudentiæ, tam in viro q̃ in fœmina, eratq; ingenij præſtantis, vt mulierem decebat & vxorem principis tanti. Religionis chriſtianæ maxima cultrix, nec ſine magna liberalitate. Et in omnibus rebus ſiue actionibus, ſe nitebatur timentem dei probare ac vere chriſtianam eſſe. Amabat præcipue omnes quos ſciebat excellenti eſſe virtute præditos, quibus & multum ac plurimum tribuebat, humanaq; & facilis erga eos fuit. Quandiu vixit maritus, omni honore & gratia fuit culta a ciuibus ſuis & plurimum commendata. Virum ſuum poſt deum ſemper maxime excoluit. Eratq; lenis, & facilis, ac in omnibus admodum patiens: & q̃q̃ noſſet legem coniugalis fœderis ab eo ſꝫpe eſſe violatam, eiuſmodi iniuriam nihilo minus prudenter perferebat: immo tãq̃ Tertia Æmylia Africani vxor, in nulla re ſuſtinuit vnq̃ oſtendere talia ſibi diſplicere, etſi ægre ferret, magnoq; eo facto afficeretur dolore. Hæc duos, marito ſuo Nicolao tantummodo edidit mares, Herculem ſcilicet & Sigiſmũdum adhuc ſuperſtites, magnæ potentiæ & virtutis viros: qui decedẽte patre, a regno pueri admodum ſubmoti per Leonellum fratrem maiorem illegittimum, illico Neapolim ſunt miſſi. Quꝫ mater magnanima cum videret regnum paternum penes filios nõ eſſe, plurimũ indignata: Salutium ad patrẽ e Ferraria eſt profecta. Ibidemq; tam diu apud patrem eſſe ſtatuit, donec filios rerum potitos eſſe cognoſceret. Manſit itaq; hæc tam clara fœmina apud patrem prope ad extremum vitæ ſuæ tempus, quod fuit ſpatium triginta duorum annorum, cuſtodita pudicitia, & omni decore, cum ſumma eorum populorum gratia. Nam cum eſſet elegantis ſpecie iuuenis, admodumq; formoſa, conſecuta eſt viduitatis perẽnem gloriã, ſic vt magnis antiquis Romanis matronis omni præſtantia, & excellentia merito comparari poteſt: de quibus ſupra multis in locis meminimus, quæ florenti ætate viros amiſerunt ſuos. Hæ quippe matrimonium ſuum expetentibus, hoc reſponſo nuptias reſpuebant, viros ſcilicet ſuos adhuc ſibi ſuperſtites eſſe dictitãtes. Sic & hæc præſtantiſſima Richarda, quum multi principes & quidem clariſſimi ac potentiſſimi illi nuptijs coniungi vellent: omnibus reſpondebat, ſatis ſibi eſſe ꝙ ſemel nupſiſſet. In domo patris vitam agebat cœlibẽ: omnibus grata, omnibuſq; chara. Cũ omnẽ ſpem ſuam in vno deo, & eius filio Ieſu Chri-

ſto collocaſſet: annos itaq; duos & triginta (vt præmiſſum eſt) apud patrem egit, donec Hercules eius filius natu maior patrium principatum adeptus eſt. Quę cum iam vergeret in extremum pene ſenium, maximo gaudio eſt affecta, gratulataq; eſt deo omnipotenti, tam ſingularibus in filios meritis collatis. Statimq; magno comitatu a Sigiſmundo eius filio minore eſt Ferrariam perducta: Vbi & a filio Hercule principe cum maximo gaudio atque lętitia eſt excepta: hac gratulante, q; tandem imperaret, illo etiam non paruam lætitiam declarãte, q; ex tãto interuallo eam ſibi videre nunq̃ contigiſſet. Mutua igitur inter eos fuit gratulatio, mutuaq; lætitia. Poſt hoc breue temporis ſpatium quod læta egit cum chariſſimis filijs, alia nõ minor acceſſit exultatio. Quod Hercules princeps, Leonoram Ferdinãdi regis Parthenopei filiam duxerit vxorem. Cum qua haud multum vixit, ſemper tamen in mutua ſatis beneuolentia, mutuoq; amore coniugali. Poſtq̃ autem finis vitæ tam eximiæ fœminę Richardę aduenit: multa ætate cõfecta febri graui oppreſſa, omnia ea ſolicite obiuit, quæ in morte chriſtiana traditione ſeruantur, pretioſam veſtem ſuam omnem per templa diſtribuens. Et toto pectore & animo in deum viuum conuerſa, extremũ reddidit ſpiritum. Cuius obitu filij magnificentiſſimo funere eam extulerunt. Cuiuſq; tam præſtantis mulieris virtutem, honeſtatem, cõſtãtiam, deniq; hic attigimus: Documentum ſtatuentes multis, quæ in ferẽdis malis minus conſtãtes exiſtũt. Quæ ſane pręcipua cauſa fuit, vt tantam mulierem ac tanta virtute præſtantem inter claras annumerarem: quæ hac ætate clarum nomen ſunt aſſecutæ.

¶De Margarita Scotiæ optima Regina. Cap. CLXXII.

MArgarita Chriſtenis, inclyti ac chriſtianiſſimi Dacorum regis filia, Iacobiq; Scotiæ principis vxor: tempeſtate hac noſtra, Sixto ſcilicet pontifice quarto præſulante, in Scotia inſula, ſingulari prudẽtia, ingenioq; ac ſanctimonia in pretio fuit non modico. quo autem tempore ſit extincta, nobis compertum non eſt, Admirabili in primis forma & caſtitate excelluit. Viſaq; fuit multarum virtutũ decus ſecũ attuliſſe quum in hanc lucem edita extitit, nec minimum gloriæ ſplendorem ſecum cõtulit. Inter alias mulieres occidẽtales clemẽs fuit, & incredibilis religionis: deo & domino noſtro Ieſu Chriſto tota dedita. In pauperes vero & inopes ſumme liberalis. viros etiam religioſos multis in officijs excedens. In ſubditos ſuos quibus imperabat admodum facilis & comis: quos plus prudentia & moderatione, q̃ iuſticia curabat. Obſeruabatur autem ipſa longe magis a ſuis populis, q̃ maritus ipſe ſuus, q; in adminiſtrando regno aptior eſſet. At ipſe maritus vtpote inſolentior, vxoris virtutem ſemper contemnebat. Quæ quidem contumelia, eius mentem nõ parum cruciabat. & cum prudens admodum ac religioſa haberetur, omnia ſingulari patientia atq; æquo animo perferre ſtudebat, neq; intermittebat ſuauitatem verborum ac morum comitatem, quo minus illum ex animo amaret. Sæpius monens, mallet cum virtute q̃ cum vitijs vitam agere. At ille præter modum inſolens, mulierem aſpernabatur, mulieriſq; ſana monita reſpuebat: quibus reb⁹ fiebat, vt omnis regni pars in pręceps iret. Quod cum maxime populis ſuis diſpliceret: conſenſu germani illius atq; reginæ, in vincula eſt coniectus: donec regnum male affectum, in priſtinum rerum ſtatũ reſtitueretur. Ipſe quoq; rex, exuta & depoſita omni inſolẽtia & beſtiali feritate, melioribus artibus regnum deinceps adminiſtraret. In illa tamẽ cuſtodia, ſemper regio cultu ſeruatus eſt, ac ſub eius titulo vniuerſa regni negotia diſponebantur. Vbi cum aliquandiu ſtetiſſet, exiſtimantes q; priſtina illa inſolentia depoſita, ad ſanitatem redire debuiſſet: in libertatem a fratre reſtitutus eſt. Quod cum factum fuiſſet, maiore odio Reginam, q̃ antea inſectatus, a ſe expulſam, in loco qui ab illo aberat triginta paſſuum milia collocari iuſſit: ſic vt neq; dum viueret, neq; etiam poſt mortem, eam videre voluerit. Quam quidem calamitatem per trienniũ cum incredibili patientia,

& animi tranquillitate ſapientiſſima regina pertulit. Quod ſane tempus, totum in rebus diuinis expendebat, neq; quidq̃, q̃ de deo, rebuſq; diuinis cogitabat. Incredibilis quoq; fuit caſtitatis mulier: quę, vt rumor erat, cum marito rem nunq̃ habuit (tã q̃ altera Zenobia Palmirenorum regina (vt ſupra dictum eſt) niſi ſobolis procreandæ cauſa. Vbi vero compertum habebat ſe eſſe grauidam, nũq̃ poſtea, niſi poſt partum, cum ipſo marito coire ſuſtinebat. Eodẽ itaq; modo tres mares marito edidit: quos vſq; ad mortem ſecum habere voluit, & magna cum diſciplina morum eos educare curauit, & q̃ maxime Iacobum, eius nominis quartũ, qui illi natu maior erat, in omni virtutum genere inſtruere fecit: vt quum rex eſſet, ſe prius, poſtea alios regere ſciret, atq; alijs imperare. Deniq; poſt triẽnium acri febre appetita, teſtamẽtum de licentia mariti confecit. Et morte ſuperueniente: filios ad ſe vocari iuſſit, & ad virtutem omnes æqualiter hortata, maiorem natu Iacobum, in primis hunc in modũ eſt affata. Mortem propinquam fili mi Iacobe per ſingulos dies, perq; ſingulas horas mihi adeſſe concerno. Rogo te per obedientiam filialem, vt ante omnia deum verearis, & illius volũtati ſemper ſis obediẽs: nec vnq̃ defatigeris in omnibus bonis actionibus, fratreſq; tuos ſic ames, ſic colas, quãtum teipſum deniq; complecteris. Vbi autem patri tuo in regnum ſucceſſeris, ſubditos tuos ex animo amabis, & in vniuerſos iuſte, clementer, liberaliterq; te habebis. In audiẽdo autẽ eris facilis & perhumanus. Dabis quoq; operam, in ſumma eos concordia continere, ac regnum omne maximo in otio cõſeruare, & ab omnibus tuis iuſtis iudicijs pręſertim exulet auaritia. Cultor præterea eſto omnis bonæ æſtimationis, Nullum tempus fruſtra amiſeris, eiuſq; potius auarus eris. Non pateant aures tuę delatoribus, qui faciles ſunt ad ferendam diſcordiã: ſed tanq̃ pernicioſum immo pernicioſiſſimum & execrabile venenũ abhorreas, formideſq;, & a te repellas. Non minor eſt gloria iuſte & modeſte regna gubernare & adminiſtrare, q̃ illa feliciter acquirere. Hæc atq; alia huiuſcemodi quũ filijs præcepiſſet monimẽta ſua: ne quid prætermitteret, etiam benedictione, & omni alio bono documento verborum, eos eſt proſecuta. Nec poſt multum temporis ſpatium, tota mente & animo, & cogitatione in deum cõuerſa: animam ſanctam deo redemptori ſuo reddidit. Creditum eſt veneno petitã, & per vim deceſſiſſe. Quam ob rẽ a filijs, & tota familia, magno luctu & lachrymis decorata, regali comitatu & põpa eſt elata, tanq̃ regina ſancta, omni gloria & honore vtiq; digna.

De Heliſabeth Hiſpaniarum inclyta Regina. CAP. CLXXIII.

HEliſabeth Hiſpaniarum chriſtianiſſima, optimaq; Regina, Henrici regis ex ſuperiore Margarita cõiuge vnica filia ſuſcepta: anno milleſimo quadringenteſimo, ſeptuageſimo quinto, nupſit Fernando inclyto Aragonię regis filio: quæ quidem vna cum marito ipſo nũc vſq; in regnis patris & mariti, cum ſuo maximo nominis fulgore regnauit annis duobus & viginti. Quæ certe non ſolum ob regiã maieſtatem, ſed ob multarum virtutum præſtantiam, in vniuerſo orbe chriſtiano nunc plurimum inſignis & inclyta habita eſt fœmina. Propter quod non modo Hiſpanis, ſed & vniuerſę chriſtianę religioni, vt ita loquar, ſanctiſſimũ numẽ, ac quidem venerabile eſt cenſenda. Quę etſi fortuna ampliſſima, & ſummis honoribus, ac naturæ gratiæ muneribus plurimũ decorata videatur, tamẽ ex rebus ſtrenue geſtis, eam ab immortali deo quodam certe peculiari beneficio procreatam eſſe cenſuerim. Eo quia eſt eximijs meritis incomparabiliter inſignita, admirabile eximiaq; ac incredibili virtute decorata: animo videlicet conſtãtiſſimo, pudicitia, ſeueritate, animi virtute atq; magnitudine, deinde grauitate, religione, ſanctimonia, pietate, ac erga deum & orthodoxã fidem nimia deuotione ſuccenſa. Quibus ex rebus, vt & ipſa vna cum viro prædicto in æternum vniuerſo innoteſcat mundo, laudibus exquiſitis in cœlum vſq; extollendam puto. Et ideo ſi in cõmemorandis ipſius ſingulis ex-

cellentiſſimis facinoribus longius forte digreſſus fuero,indulgendum vtiq; mihi eſt. Cũ laudandi & conſcribendi materia adſit ampla,& ea in primis pulcherrima. Hæc itaq; virago Heliſabeth poſt patris interitum,cum paternum & auitum Caſtellę regnum magno obtinuiſſet labore:in primis expulſis omnibus domeſticis & finitimis hoſtibus,ac de omnibus parta victoria,mox id regnum ſuum in omnem pacem redigere curauit,atq; eam ob rem omnibus perpercit. Quam ob cauſam,illico omnes eã ac virum eius propter eorum incredibilem clementiam ac humanitatem: tanq̃ proprios parentes,& amare,& venerari cœperunt. Quibus feliciſſime & ſanctiſſime ex ſententia geſtis,vt erat chriſtianæ religionis amãtiſſima: iniquo perferens animo, q; Mauri Maometani, eam Hiſpaniæ partem tenerent occupatam , quam Bethicam ſeu Granatenſem nouiſſimi vocant:ſecum cogitare cœpit,quonam pacto eam tandẽ poſt ſexcentos ſeptuaginta quinq; annos ab eiſdem poſſeſſam,liberare poſſet, Et cũ marito ſuo Rege Fernando ac aliis regni ſui principibus conſilo habito:tandem decretum fuit, vt omnino ipſa Bethicæ pars apprehenderetur. & non id tantum ad ampliandum regnum ſuum,ſed ad propagandam chriſtiani nominis veram fidem,atq; ad ſtabilimentum diuini cultus fieret. Vnde & innumerabilibus exercitibus tam maritimis q̃ terreſtribus comparatis,in primis beatiſſimi Iacobi apoſtoli Hiſpaniarum patroni præmonita oraculo,mox in Almaſam mediterraneam vrbem munitiſſimã mouit: & illam haud multo poſt expugnatam cepit. Qua capta,confeſtim ibidẽ baſilicas & tẽpla permulta,ad ſacrificia celebranda inſtaurauit & erexit:quibus & multa donaria & munera obtulit pretioſa. Eaq; victoria tam feliciſſime confecta:extemplo alio præualido exercitu congregato, vniuerſum regni Granatæ agrum depopulare , & aduſq; ipſius vrbis Granatę confines, omnia igni ferroq; vaſtare præcepit. Quo terrore,plurimas vrbes munitiſſimas partim armis,partimq; voluntaria deditione cõprehẽdit. Quas interfuere Alora,Sentenillũ, Cochinũ,Romda,Marbelia, Chartania,Carazabonella,inde Loxia,Veelſmalachia,inſigni portu clariſſima,atq; cõpulrimę alię. Nec nõ & Mochillinũ, Frigidũq; mõtẽ, Illorã,Cãbilũ,Columerã, atq; alia munitiſſima oppida,quæ longũ enarrare foret,victorioſiſſime cepit. In quibus etiã e veſtigio tẽpla erigi & conſecrari mandauit. Hiſq; feliciter geſtis,in anno a natali chriſtiano. M.cccclxxxviij. quum ipſa præſtantiſſima mulier atq; eius maritus Fernandus reſciuiſſent: Mauros,omnẽ ſui exercitus florẽ in Malacha vrbe, poſt Granatenſem regiam primaria ciuitate videlicet omnibus cõmercijs feliciſſima conſtituiſſe,atq; ipſam vrbem,terra mariq; omni tormentorum generibus communiſſe: denuo collecto ingenti exercitu,maritimo pariter & terreſtri,cum validiſſima claſſe quadringentorum videlicet triremium & nauium,atq; aliorum lemborum paruorũ pene innumerabilium. Eiuſq; in exercitu terreſtri aderant quindecim milia equitũ, & ſexaginta milia pedites,cum octo milibus curruum pro tormẽtis alijſq; ad bellum conficiendum neceſſarijs deuehendis,ad ipſam vrbem obſidendam & expugnãdam præſtanti conceſſit animo. Quam etſi primo impetu capere potuiſſent:attamen per tres continuos menſes,illam duriſſima obſidione cõprimere voluerũt. Ita vt Mauri ipſi,vltima inedia tabefacti,etiam immunda omnia,pro ſummis pene delitiis comederent. Qui quum vidiſſent omnia in vrbe conſumpta fuiſſe,viderentq; arma bellica & omnis externi auxilij ſpem ſibi deeſſe:vrbis deditionẽ Regibus prædictis chriſtianiſſimis,coacti fecere. Itaq; Malacha ipſa tam inſigni vrbe capta,bonorum videlicet omnium opulentiſſima,vniuerſos Mauros qui in ea inuẽti ſunt,qui ſcilicet chriſtianitatis nomen acceptare recuſarũt,omnes pro ſeruis haberi, & ſub iugo perpetuę ſeruitutis vęnundari præcepit:quos ad triginta millia fuiſſe referuntur. Indeq; anteq̃ ipſi Reges vrbem ingrederẽtur,vt Chriſto domino noſtro omnis victoria aſcriberetur:per religioſos & ſacerdotes deuotiſſimos , tropheum ſanctiſſimæ crucis per vniuerſam vrbem cum hymnis & canticis ſpiritualibus , ac omni genere muſicorum inſtrumẽtorum circunduci,&in altiſſimam arcis turrim collocari mãdarunt. Sequenti

poſtmodum die,ambo triumphatores & ouantes: cum ingenti aliorum principum & militum, ac omnifario religioſorum comitatu, lætabundi omnes & Chriſto domino noſtro immenſas laudes exoluentes,introgreſſi ſunt. Quibus introgeſſis:confeſtim Regina chriſtiana proceſſiones per plures dies,in ipſa q̃maxime, atq; in alijs ſubactis vrbibus quotidie fieri inſtituit.vbi etiam ipſamet cum cæteris,vniuerſas ipſius vrbis eccleſias,a Mauris diu prophanatas, ſuis pedibus inuiſit & perluſtrauit,ac ſacras veſtes ſerico & auro contextas,& vaſa aurea atq; argentea, cæteraq; omnia,ad templa conſecranda neceſſaria,affluentiſſime miniſtrauit. Eſt autem hæc Malacha ciuitas vetuſtiſſima,martyrioq; plurimorũ ſanctorum, & potiſſimũ Cyriaci & Paulæ virginis ibidem coronatorum,non mediocriter inſignita. Nam ijdẽ martyres ea in vrbe poſt multa tormentorũ genera lapidibus obruti, animas cœlo reddiderunt. Nec tamen victorioſiſſimi regis,propter ipſas victorias contenti eſſe voluere,donec & ipſam regiam,& toto orbe admirabilem Granatenſem vrbem,diu obſeſſam & laceratam,per voluntariam eiuſce gentis regis deditionem obtinuerũt. Nam in anno ſalutis noſtræ M.ccccxcj.rege & barbaris deuictis,populoſiſſima Granata ciuitas,fame & armis domita,duriſſima obſidione ab ipſis Regibus obtenta fuit. Quibus certe regibus chriſtianiſſimis,ſi verũ ſine inuidia fateri licet:plus debetur vniuerſa chriſtiana religio,propter inuictam eorum virtutẽ, q̃ vili certe hominum generi. Nam cum reliqui omnes chriſtiani reges atq; populi, quodam ignauo animi torpore elangueſcere viderentur:ſoli hi Hiſpalenſes & Aragonenſes Reges: nunc nuncq; inuenti ſunt,qui ingenti & excelſo animo, vniuerſam occiduam Barbariam repreſſerint & oppreſſerint,atq; fuderint,& e finibus fugauerint. Quiq; & in omni chriſtianorum numero ſoli auſi ſunt,chriſtianæ dignitati & vtilitati conſulere,Huius præterea chriſtianiſſimæ mulieris præcipua laus in duobus q̃maxime conſiſtit: Quod contemplatiuã pariter & actiuam vitas magnopere complecti videtur. Nam & quotidie in vſus pauperum ex condicto,centum aureos diſtribuere fecit, præter ſecretas eleemoſynas,quas ipſa proprijs manibus contribuit. Inſuper & in exercitibus ſuis quadringentos currus conſtituit:in quibus omnia neceſſaria pro quibuſcunq; ægrotis in acie vulneratis,aut alia de cauſa in exercitu infirmantibus, quod hoſpitale reginæ nuncupabatur.in quibus plane omnia aromatica & medicamina, pro medica & chyrurgica,neceſſaria inueniuntur. Conſtituit quoq; circa illud hoſpitale ſuum & medicos peritiſſimos,ac q̃plurimas matronas & illas in primis honeſtiſſimas,qui & quæ infirmantibus magna cum diligentia deſeruiant,atque miniſtrent: ne ſcilicet aliquid deeſſe huic ſuo ſancto propoſito videatur. In ſuo item exercitu q̃plurimos religioſos deuotiſſimos,doctiſſimoſq; conſtituit:qui diuina ſacrificia quotidie celebrent,ac ſermones & exhortationes de lege dei militãtibus faciant. In ſuo autem exercitu nulli lenones,nullaq; ſcorta,nullæ ve blaſphemiæ ſeu periurium,ſed nec ludi mali inueniuntur:ita vt dicere auſim,exercitum illum ſuum,potius religionem q̃ militiã fore. Eſt & inſuper tantæ ſanctimoniæ,tantæq; deuotionis mulier,vt diuinũ officium, religioſorum more quotidie exoluat. Habet inter cætera oratorium quoddam per q̃maximum, & quidem pulcherrimum,in quo conſiſtunt centum deuotiſſimæ matronæ:quæ die noctuq; pro felici huius reginæ exitu,continuas orationes & obſecrationes ad deum fundũt. Quas inter & ipſa chriſtianiſſima fœmina,quibuſdam diebus (alijs poſthabitis curis) perſæpe locum tenere dicitur. Quotidie quoq; ſexdecim de diuerſis ſanctis miſſas,vna tantum hora celebratas,audire decernit. In quibus tanta cum deuotione intereſt, vt etiam lachrymas ex recordatione beneficiorum dei, & paſſionis Ieſu Chriſti perſæpe effundat. Quid plura? tantę eſt humilitatis & mãſuetudinis,vt nullam prorſus, aut in ornamentis aut veſtimentis de ſe iactantiam, præ ſe ferre videatur.

¶De Barbara inclyta muliere,principis Mãtuani coniuge. Cap. CLXXIII.

BArbara, natione Germana, Illuſtris Ludouici Gonzagæ Mãtuæ principis vxor, & Ioannis Burdinbũdi ęque principis filia: qui Ioannes tãta dignitate excellit, vt vnus ex illis ſit, qui Romanum deligat Imperatorem: hoc anno, qui eſt ſecũdus & octogeſimus ſupra milleſimum quadringenteſimum, a natali chriſtiano annus, apud Mantuã inſignẽ vrbem ſuã, vitam cum morte mutauit. Forma huius illuſtris mulieris in primis fuit præſtans, venerabiliſq; aſpectu, ingenio vegeto & acri. Sermo eius & prudens & grauis, ſemper quadam comitate conditus. Præſtabat in ea continẽs vita, incredibilis pudicitia, ac memorabilis quædã liberalitas. Pacis ſtudioſa, nulli labori parcens, dum omnem rixam, omnemq; diſcordiam tollere poſſet. Præſtantiam quandam ingenij, conſilium eximium præ ſe ferebat. In adminiſtratione regiæ ſuæ lauta & ſplendida ſupra q̃ dici poſſet. Rebus ſuis ſemper vtilis atq; opportuna. Auaritiam inſectabatur vt peſſimũ venenum. In eius cœtu & comitatu numerabãtur cum virgines, tum etiam matronæ claro genere natę, nec minus honeſtate morũ & omni pudicitia præditæ: quarum conſuetudine plurimum delectabatur. In omnibus exercitationibus ſuis more ſacrarum virginum, crebro religioſorum templa ac monaſteria ſalutabat: conferens in eos multa liberaliter. Exemplo erat ſuis populis in omnibus actionibus ſane laudabilibus. nec intermittebat optare cum abſtinentia: daret ſibi deus oſtenderetq;, quã ſibi proponeret recte adminiſtrãdi rationẽ. Exiſtimata eſt benigna in audiendo & perliberalis, Nec, quantum in ſe erat, patiebatur a ſe quenq̃ dimittere niſi lætum & voti compotem. Tanti præterea faciebat omnes honeſtis moribus & virtute præditos, quantum bonis & grauibus viris tribuendum iure optimo eſt. quos aduenientes ad ſe cum vidiſſet, ſtatim prior vrbaniſſime illis occurrebat, & manibus attollebat. Nec patiebatur quenq̃ ſine tegumento capitis ſecum loqui: nũc illum, alium nunc manu apprehendens: magni recte amoris indicio illud celebrans, & in ore frequẽter habens: quamuis dignitate ipſa præſtaret, ortu tamen omnes fratres vtiq; ſe habere. Mirum in modum cunctis affabilis, neminem reſpuens, neminem aſpernans. Victus eius in primis ſobrius Maxima afficiebatur voluptate, ſi honeſtis moribus mulierem nacta fuiſſet. e contrario nõ modicum indignabatur, ſi impudicã aut minus honeſtam inueniſſet. cumq; eſſet mulier fœcundiſſima, quinq; mares marito peperit: quorum primus Fœdericus nomine, qui patri in regno ſucceſſit. Secundus Ioãnes Franciſcus, dignitate corporis excellens, nec minori in omni re prudentia & in armis cum magna ſui gloria verſatus. Tertius Franciſcus Cardinalis diaconus apoſtolicuſq; ſenator. Quartũ fudit Rodolphum, in armis ſtrenuiſſimũ, qui in anno ſalutis noſtræ M.ccccxcv. apud Parmam in acerrimo cõflictu & pugna contra Carolum ſeptimum ſuſcepta, inuicto animo obtruncatus eſt. Quintum enixa eſt Ludouicum, Mantuæ epiſcopum, paſtorem & principem certe liberaliſſimum. Ex fœminis autem prima, Suſanna dicta, quæ propter gibboſitatẽ religioni ſe dedicauit. Secũda Dorothea formoſiſſima, quæ ſponſa deceſſit. Tertia Cæcilia inter religioſas ſacras computata. Quarta Barbara, quæ in Germania nupſit. Quinta & poſtrema Paula itidem in Germania Curitiæ principi matrimonio copulata. A quibus omnibus eſt omni pietate & amore filiali optime culta. Poſt autẽ mariti deceſſum per triẽnium ſuperſtes fuit: quod ſane temporis in ſumma exiſtimatione, & illius principatus vtilitate (vt erat mulier clariſſima) ab ea peractum eſt.

¶De Hippolyta vicecomite, Alphonſi regis cõiuge. CAP. CLXXV.

HIppolyta Alphonſi, eius nominis ſecundi, Neapolitanorum regis vxor, & Franciſci Sfortiæ Inſubrium ducis optima filia: anno ſalutis noſtræ octauo & octogeſimo ſupra milleſimum & quadringẽteſimum. Neapoli cum magno ſui nominis pręconio deceſſit. Quam certe inter claras heroidas fœminas computandã merito putamus, q; præſtãtiſſimam eam fuiſſe conſtat: quoniã permultis claruit vir-

tutibus,omni prope vitæ ſplēdore,tantis parentibus ornata,tātoq; marito decorata, Educata nāq; fuit domeſtica illa diſciplina illuſtriſſimæ illius viraginis Blāchę Mariæ matris:quæ(vt prædictum eſt)ſummū pudorem, ſummāq; pudicitiam rebus in omnibus ſemper haud dubie præ ſe tulit, præter alia optimas artes quibus præſtitit tam præclara mulier. Inſtituta autem a puero fuit liberalibus ſtudijs: in quibus tantum profecit,quātum ſatis pertineret ad eius futuram magnitudinē & regni maieſtatem. Cōſpicua deinde forma fuit,quam plane ſingularis grauitas in primis honeſtabat, & quædā imperij maieſtas,& manſuetudo & gratia. Erat ſatis eloquens,& tam humanis q̃ diuinis literis erudita. Et cum miti admodū eſſet ingenio, nō mediocriter miſerebatur illas mulieres quæ minus honeſte viuerēt:quas ſemper leni quodam ſermone cōmonere nō dedignabatur. Odia & ſimultates, ſi quæ inter ſuos orta fuiſſent,extemplo conabatur extinguere,cōcordiam ingerens,eāq; optimā eſſe dicebat, diſcordiam rurſus pernicioſiſſimam. Rerum diuinarū ſemper maxima illi cura fuit: & eam ob rem panis & aqua,inter cætera ſuæ ſanctimonię indicia, illi frequēs cibus & potus erāt. Religioſorū vitam & ieiunijs & orationibus,cōtinuiſq; precibus,ſummo ſtudio imitabatur. Loca ſacra,diuorūq; templa perſæpe viſebat. In pauperes & miſeros frequens eius erat liberalitas, præcipueq; in collocādis pauperculis virginibus maritis:ſed propēſioris ſtudii cum omnibus ſuæ ſortis fuit in eos quos anguſtijs reifamiliaris mēdicare pudebat.qui ex honeſtioribus diuitijs & fortuna,in miſeriorē eſſent deiecti tam miſericors,tam humana,tamq; alienis malis dolens fuit,quaſi paupertatis mala omnia & miſerias experta fuiſſet: in quibus pietatis officijs cum magna animi iocunditate vitam agebat. In deo omnibus ſuis cogitationibus collocatis omnino atq; repoſitis. Munificentiſſima in deum & homines ſupra q̃ dici aut excogitari poſſet. Vnde & quæcunque pretioſiſſima quæ ſecum e domo paterna ad maritum detulerat, quæ ſummam pluſq̃ quinquaginta milium aureorū excedebat: omnia fere eas ob res in pauperes cōtulit. Naturali autem prudētia quadā excellebat in omnibus negotijs:nec ignara omnis pene hiſtoriæ latinæ. Notaq; præterea ei erat omnis regnorū ratio,& quemadmodum cuſtodiri regna deberēt. Inſuper & res vrbanas callebat,atq; in agricultura magnum vſum habere videbatur. Sed neq; vllum genus vitæ muliebris ignotū erat ei. Varias artes cuiuſq; generis hominum ita ingenio fuerat complexa,vt earum cōmemoratione qui aderāt mirarentur. Aſpernabatur,& animo & corpore a ſe auertebat maledicos delatores,atq; alias huiuſmodi peſtes. Neminēq; patiebatur vnq̃ a ſe abire niſi lætum,ac ſui voti cōpotem. Duos mares & vnā fœminam tātum,marito tum Calabrorum duci peperit: quorū alter decidit anteq̃ illa obiret:alter vero Ferdinandus vocatus, poſtea rex eius nominis eo in regno ſecundus. Fila vero Iſabella appellata,nunc vidua,olim Ioannis Galeazij Inſubrium ducis vxor,matri & auiæ per omnia in quocūq; virtutum genere ſimillima,memoratuq; multo digniſſima:cuius patientia atq; animi fortitudo,& religio tales ac tantæ ſunt,vt cęteras in eiſdē(pace omniū dicā)præſtare videatur. Filius autē Ferdinādus poſtmodū rex,aliquādo ad oſtentandam virium ſui corporis magnitudinem adhuc adoleſcētulus,ſubitis calcaribus dum cogeret equū magnū & ferocē, ſaltu magnum loci ſpatiū metiri:quod cū vltra vires illi⁹ eſſet,in terram decidēs, ab eodē pene oppreſſus eſt:ſic vt quaſi exanimis iacuerit per plures dies. Quo caſu mater(eo viſo) iudicauit penitus moriturū. Verū vt fœmina multæ fidei & deuotionis,mox ad opē diuinam confugit,adijt quoq; omniū pene religioſorū preces,qui in toto eius regno erant:in quorū precibus multā fidem habebat repoſitā. Ad extremum cum corpori filij incumberet,nec vlla ſalutis ſpes oſtēderetur,immo multa mortis argumenta:ne morientem ipſa cerneret, multis cum lachrymis ab eo diſceſſit, ſeq; in cubiculum ſuū ſolam recluſit. reſolutiſq; crinibus,ad effigiē beatę & glorioſiſſimæ virginis proſtrata,lachrymoſis vocibus expoſtulabat,orabat & obſecrabat:vt ſibi filiū ſuum,ſanum ipſa miſericorditer condonare dignaretur. Atq; tādiu ibi lacerato pectore proſtrata

permanſit,quandiu ſpiritus eius (vt ita loquar) rurſus in corpus rediret: quod quidē miraculum perq̄ maximum videntes qui circa eum cum luminibus aſtabant,ſtupefa= cti prægaudio,multi ad cubiculum matris renuntiaturi cucurrerūt,& ſic prope cubi= culi ipſius hoſtium effregerunt. Quibus nuntijs religioſa mater euocata, ad filiū ad= uolans,eū dulciſſimis oſculis & pientiſſimis lachrymis complexa eſt.hoc tanto tāꝗ inæſtimabili beneficio affecta,aſtantes ſibi a lachrymis ſe cōtinere non potuerūt:hoc tam inopinato matris gaudio & bono commoti. Ex illo poſtea q̄diu vixit,beatiſſi= mæ virgini ingētes gratias egit. Poſt hæc haud multo poſt apoſtemate in capite cor repta eſt:Cuius tanta fuit vis,vt finem illi vitæ ſtatueret cū duos & quadraginta æta= tis haberet annos. Quæ,vt mulierem decuit chriſtianam,omnibus officijs chriſtianæ religionis functa memoratur. Regioꝗ funere eſt elata, vt tantam decuit matronam, taliſꝗ pudicitiæ decus. Cuius decora,inter alias mulieres maxime memorandas,vi= ſum eſt hoc in loco recenſere:vt pro documento omnibus ſtatuātur,qui diuinarum humanarumꝗ virtutum ſtudioſi & amatores eſſe voluerint.

¶De Catharina Foroliuienſe, Imolæ comitiſſima. CAP.CLXXVI.

CAtharina, Hieronymi Riarij Comitis vxor,Galeatijꝗ Inſubrium ducis filia:hoc anno qui eſt octauus & octogeſimus ſupra milleſimū & quadringenteſimum ſalutis noſtræ: marito eius Hieronymo in Foroliuio vrbe ſua,decimo octauo calendas Maias turpiter obtrū= cato, virorum conſtantiam & animi magnanimitatem præ ſe fe= rēs,nō ſine magna animi ſui virtute,eidem ſuo marito (præter mul= torum opinionem) in regno Foroliuij & Imolæ ſucceſſit: & nunc vſꝗ,tanq̄ Semyramis Aſſyriorum regina,prꝭſtantiſſime regnauit. Nam quum ſedi= tioſi quidam & proditores, ex inſperato ſuum virum in propria ſui pallatij aula in= numeris pene vulneribus confodiſſent,obtruncaſſent ac dilaceraſſent:eumꝗ ſpolia= tum per feneſtrę cancellos pallatij nudū in plateam turpiter proieciſſent,ac eius vni= uerſam domum in prædam expoſuiſſent:etiā maximis clamoribus, ſub prætextu li= bertatis,omnem populum in tumultum & ſeditionem concitaſſent:ipſam tum ado= leſcentulam cum quinꝗ paruulis filijs comprehendentes, cum maximo tumultu ad coniuratorum domum perduxerunt. Vbi cūm ſe omni auxilio,fauore & conſilio de= ſtitutam cerneret: mox in magnam animi triſtitiam decidit,& totam noctem illam in lachrymis cōſumpſit. Maneꝗ facto:ſceleris autores illam ad ſe militibus immixtā conuocantes,terroribus & minis exaſperantes:dixerunt. Nolumus te regnare ſuper nos,ſed volumus vt protinus & arcē & alia omnia vrbis ꝓpugnacula nobis reſignes: alioqui & te, & genus tuum omne e terra delebimus. Quæ ſe videns inter diſſonos clamores, & diſcurrentia pene tela conſtitutam,animaduertenſque furorem & ſæui= tiam inſani populi,vt ſemper fuit fœmina animo callida,e veſtigio magnū & ſingu lare ſuæ prudentiæ,ſuæꝗ conſtantiæ documentum vniuerſo demonſtrauit orbi. Vn= de & omnia ſe pro viribus ſpopondit effecturā,modo ſibi,filijſꝗ ſuis nil mali infer= rent. At illi ſperantes votum ſuum protinus conſequi (filijs ſuis vniuerſis in primis retentis) illam in arcem munitiſſimam introire permiſere. Quæ introgreſſa:vt ſe e manibus ipſorum liberatā animaduertit, muliebres lachrymas pro virili ſua a ſe re= iecit,& ſuam prudentiam,ſuamꝗ animi magnitudinem, contra inſanum furētemꝗ populum demonſtrare curauit Et idcirco extemplo,& Mediolanum & Bononiā, ac ad alia loca, vbi aliqua auxilij & ſubſidij ſpes eſſet,celeres dedit literas. Deinde infracto animo:vniuerſam arcem,& tormentis,viriſque fortiſſimis,ad defenſionē & alijs neceſſarijs communiri præcepit. Idꝗ non ſolum ad arcem ipſam contuendam, verum etiam ad vniuerſam delēdam ciuitatem quum opus foret. Niſi populus ipſe, aut conquiſceret,aut certe natos incolumes reſtitueret. At proditores furibundi,li=

cet illius ad vnum vſq; laqueis enecaturi filios demonſtrarent: nunq̃ tamẽ ipſius mulieris animum, in ſuam adducere potuerũt ſententiam. Quinimmo illa conſtanti & infracto animo, vniuerſæ ciuitati vltimam deſolationem (niſi gnatos ipſos reſtituerent) non deſtitit cõminari. Atq; ita ab inſenſato populo animus huius puellæ, nullis minis, nulliſve terroribus, ſeu alio quouis modo, vſq; ad aduẽtum auxiliarij præſidij per duodecim dies immutari potuit. Coniuratores autem & ſceleris rei, deniq; quũ armatorum militiã eidem in auxilium aduenire præſenſiſſent, rebus ſuis cõſulturi, ſalutẽ ſibi fuga quæſierũt. Mira profecto res, & auditu incredibilis, vidiſſe puellam quatuor & viginti annorũ, in delitijs ſemper enutritã, tumultuũq; ignarã, eo loci conſtitiſſe in quo etiã magnanimes tremere cõſueuerant: & hinc inde diſſonis clamoribus imperitæ multitudinis, inter gladios ſicaſq; carnificum agitari & minitari, nũq̃ aut ſuperari aut immutari potuiſſe, immo magno ſemper & excelſo animo in ſua perſtitiſſe ſententia. Tantus nanque facinoroſorum hominum horror & trepidatio erat: vt etiã robuſtiſſimos magnanimeſq; ſtrauiſſet equites. Igitur hoc modo præſtãtiſſima hæc virago, ſuæ, filiorũq; ſuorum ſaluti, non modo ſapiẽter, ſed tanq̃ Triaria Romana Lucij Vitellij, ſapientiſſime cõſuluit. Neq; ædepol recuperato pacatoq; regno, pro ſua iuſtitia paſſa eſt ſceleſtos & læſæ maieſtatis noxios quoſcũq; apprehendere potuit fore inultos. Sed & inter cæteros quendam vrbis primarium nonagenarium, patrem videlicet duorum necis autorum, captum in fruſta cædere fecit, atq; ſuperbiſſimam eius domum ad fundamenta vſq; diruere & euertere præcepit: ipſiuſq; vniuerſa bona in diuerſos diſtribuens. De huiuſmodi autẽ regno, profecto actũ erat, niſi eius ſapiẽtia, eius prudẽtia, eius deniq; animi magnitudo eodẽ modo obſtitiſſet Et propterea hoc in loco, de ea tãq̃ de muliere magnanima atq; pręclara, ſub cõpendio tanq̃ facinus præclarum, literis mandaſſe non indignum fuit. vt tantæ præſtantiæ: filij ſui, omneſque poſteri memores, pro tanto facinore, & animi eius conſtantia, apud deum optimũ immortales gratias iugiter peragere queãt. Adepto itaq; regno, rebuſque ſuis omnibus ex ſententia compoſitis, cum haberet Octauianum primogenitum puerulum filium, ipſa more Semyramidis Aſſyriorum reginę, non extimãs tutum fore: dominum vrbium ſuarum tenello commitere filio, de conſilio amicorũ, illud ad ætatem eius vſque virilem regere & gubernare conſtituit: quod & nunc vſq; pro libito ſuæ ſapientiæ, per omnia factitatũ eſt. Eſt quippe hęc Catharina inter mulieres noſtri ſeculi formoſiſſima, & eleganti aſpectu, & per omnes corporis artus mirifice decorata: eſtq; & ad fœcunditatem aptiſſima, quia iam in adoleſcentia ſua, octo ex viro ſuo edidit partus. Floret quoq; & miro dicendi modo, cum ſit promptiſſimi animi ac tenaciſſimæ memoriæ fœmina. Multa pręterea de hac ipſa viragine referũtur clariſſime geſta: quæ ſilentio haud præterire debeo, cũ ſint etiam memoratu digna. Et primo de clementia qua in Foroliuienſes ſuos, læſæ maieſtatis criminis obnoxios vſa fuit: quorũ ciuitatẽ cum armati milites in prędã exponere cõſtituiſſent: ipſa innocẽtum cõmiſeratiõe permota, omnino fieri prohibuit: quod ſane facinus, magnę clemẽtię indiciũ extitit. Aliud inſuper præconiũ de hac muliere fertur: quia cũ iuſtitię cultrix & amatrix habeatur: vniuerſis iudicibus ſuis ſummopere iuſticiã ſemper cõmẽdat, mãdatq; vt illã indiſtincte vnicuiq; ſubminiſtrẽt. Quãta poſtremo ſit eius in erudiẽdis inſtituẽdiſq; filijs diligentia, vel ex hoc perſpicue elicere poſſumus, q̃ doctiſſimos viros, ſacręq; theologię magiſtros pręclariſſimos, apud ſe magna cum impenſa ſemper habere voluerit: qui Octauianum principem & reliquos puerulos, non ſolum de humanis, verum etiam de diuinis inſtruant diſciplinis. Et cum ſit inter cætera ingentis animi fœmina, eſt & promiſſi adeo fideliſſima, vt nullis blandimentis, nullis muneribus, nulliſve pollicitationibus, ſeu precibus vel terroribus a promiſſa fide diſtrahi poſſit: quod permultis, maximeque ſuperiori anno, qui fuit quintus & nonageſimus ſupra milleſimũ & quadringenteſimum a natali chriſtiano, informidabili certe bello Caroli Gallorum regis cõtra Ferdinandũ Parthenopei re=

gem argumento mirifice oſtendit. Quippe cum ab pontifice Romano Ferdinãdoq;
rege ac Florentinis colligatis,ſocialia ſtipendia ſuſcepiſſet,fidemque ſpopondiſſet:
ita integram illibatamque ſeruauit, vt ab Gallo hoſte vniuerſa commoda maluerit
perpeti,q̃ promiſſam fidem infringere:quę res cum a mulieribus vtplurimum ſerua=
ri minime cõſuetum ſit:ſi ſatis inſpiciatur,maximi etiam miraculi claritatem eidem
afferre videtur. Et quod longe mirabilius eſt,ſufficit illi ad imperium animus ꝙ tã
perlucidam genitoris ſeruet indolem. Adeo nanq; in virtute ſurrexit valida,vt popu
los ſuos qui præcedentes regulos paruipendebant , nunc poſita ceruice veteri, iratæ
mulieris faciem perhorreſcunt:ꝙ maxime ipſam oculatam animaduerterunt fœmi=
nam,quæ fraude potius q̃ ingenio decipi poſſit. Et cum ſit conſtans & longanimis,
ſuum propoſitum a quodam leuiter flecti poteſt:quod pluries monſtrauere inſultus
ſæuientis in eam fortunæ:quibus perſępe acri concuſſa motu,& vario turbine eſt agi
tata atq; circundata.quæ quidem cum plurima ſint, & pleriſq; nota:ea ſilentio præ=
terire duxi. Eſt deniq; hæc virago honoris & glorię appetentiſſima:vt quotieſcunq;
de honore agitur,pecuniarum ſit profuſiſſima,nec pro ſplendore dignitatis pati ve=
lit ſuperiorem. Vnde & eius aulæ amplitudo,magnorum principum aulas æquatur.
Beneficiorum & maleficiorum æque memor eſt. & pro noxa infandos homines,ingẽ
ti animo ſupplicijs affici non veretur.

❡De Leonora, Herculis Ferrariæ ducis vxore. CAP.CLXXVII.

LEonora Aragona , Herculis Ferrariæ ducis vxor,Ferdinandique
Parthenopei regis filia,ex diua illa Iſabella ſuperiori vxore ſuſce
pta,hoc anno qui eſt tertius & nonageſimus ſupra milleſimũ qua
dringenteſimum,a natali chriſtiano annus:apud Ferrariam vrbẽ
ſuã,quinto idus Octobres, quarto & quadrageſimo ætatis ſuæ an=
no,cũ magna(vt ita loquar) populi ſui iactura beato fine quieuit.
Mulier ſane ob innatam prudentiam & animi magnitudinẽ,atq;
religionem inter claras huius noſtri æui mulieres merito computanda:ꝙ cæteras ma
tronas huiuſce tempeſtatis,omnium pene virtutum laudibus æquauerit,ac etiam cũ
omni vetuſtate haud iniuria comparanda veniat. Cuius quidem mors,adeo vniuerſi
populi ſui animos incredibili triſtitia opprimere viſa eſt:vt parentem omnium obi=
iſſe diceres. Quæ certe nequaq̃ prudentia,clementia,religioneq;,ac animi magnitu=
dine a matre Iſabella degener fuit:immo per omnia ei q̃ ſimillima,atq; in his ad ex=
tremum vſq; vitæ ſuæ indeſinenter peruenit,cum multa ſua,ſuorumq; omnium lau=
de. Fuit in primis hæc Leonora virago mediocri corporis ſtatura, ſed venuſta ſatis,
atq; membris omnibus formoſa:cuius quidẽ inceſſus,ſtatus & habitus,non ſine qua=
dam præſtantiſſima ſui maieſtate erat. Poſtq̃ vero cum incredibili pompa a marito
fuit ducta:ipſe maritus cognita adoleſcentulæ admirabili prudentia,& celebri inge=
nio:mox eidem vniuerſam pene ſui regni adminiſtrationẽ,illius fide & conſilio ma
xime fretus , credidit: quod & ad vltimum vitæ ſuæ vſque pro maiori parte admi=
niſtrauit. ꝙ maritus ipſe, in armis exercitatiſſimus, minus propter ſtipendia atque
alia maiora regni negotia domi eſſe poterat. At illa ſic mariti rem ſemper curare ſtu=
duit ea iuſtitia & manſuetudine , vt prope inauditum fuerit . Erat plane in audien=
do ſupra modum benigniſſima, perliberaliſque. Nec, quantum in ſe erat,patieba=
tur a ſe quenq̃ niſi lætum, & voti ſui compotem abire. Tanti præterea faciebat om=
nes honeſtis moribus & virtute præditos , quantum bonis , & grauibus viris tribu=
endum iure optimo eſt: quos ad ſe aduentantes quum videret,ſtatim quaſi prior il=
lis occurrebat,& multa cum vultus hilaritate manibus excipiebat. Et nunc iſtũ,nunc
illum (& q̃maxime oratores) manu apprehendebat,magno ſane charitatis indicio il=
lud celebrans. Erat profecto mirum in modum cunctis affabilis,neminem reſpuens,

neminemq; aſpernans. Eratq; acri ingenio, celebri quoq; ac præſtante acumine, nec non admodum timorata. Et vbi ratio vel neceſſitas expoſtulabat, ſe familiarem, humanam, facilem, ac piam exhibebat. Memor q̃maxime beneficiorum, & gratiſſima in illos, qui in ſe aliquid contuliſſent, vel re, vel opere. Conſtanter iuſticiam coluit, & innocentiam plurimũ amauit. Leberalitatẽ ſummopere in pauperes exercebat, & maxime quos medicare pudor prohibebat: legitimis nuptijs virgines ſæpe collocãdo. Auaritiam magnopere vt peſſimum inſectabatur venenum. Fateor equidem, ac deum meum teſtor, quia nihil in hac viragine laudare intendo, niſi quod ſui propriũ fuerat. Et vt breuibus concludã: hæc pudiciſſima & ſapientiſſima mulier, tantę gratiæ atq; ſapientiæ fuit, vt in regimine tanti regni, inter maledicos huius tempeſtatis populos: nullum aduerſus proximos obſcœni rumoris, prorſus vnq̃ accepiſſe dicatur opprobrium. Perſæpe etenim illud euangelij documentum ſua obuerſabatur in mẽte. Eſto ait beneficus & beneuolus cum aduerſario tuo dum es in via cum illo: ne forte ponat ſcandalum animæ tuæ. Et idcirco de ipſa nunq̃ quidpiam auditum fuit diſplicibile. Tanta etenim pudicitia & honeſtate erat decorata, vt nullum vnq̃ in ampla domo & populorum frequentia alloqui voluerit, vel audire abſq; teſte. Semper ſuo in comitatu matronas graues habere voluit: ſciens ex laſciuia puellarum, ſæpe de dominarum moribus iudicari, & qualis quæq; ſit, talium conſortio delectari. victus eius in primis parcus, nec hoc in loco facile poſſent eius ieiunia recenſeri, aut certe ipſius abſtinentiæ explicari, atq; alia huiuſmodi eius decora, & veræ ſanctimoniæ indicia. Et inter cætera hoc maximum, & memoria dignum in ea extitit, q; tanq̃ Cæcilia Romana virgo ſanctiſſima, ſub mollibus veſtimentis (ſicut & eius diua genitrix efficere compertum fuerat) aſperrimas veſtes eam ad carnem detuliſſe perſæpe deprehenſum fuit. Et id, ad cupiditates corporis, omneſq; eius noxas reprimendas. Sed neq; ipſius cõtinentes ad deum immortalem orationes, quas pro ſua, ſuorũq; ſalute offerebat: & quę omnia in hac muliere in primis excelluere, enarrare ſufficimus. Et eas ob res perſæpe frequentabat loca ſacra, diuorũq; templa ſæpius viſebat. Eius ſumma voluptas maxime cum grauiſſimis optimiſq; viris, ac eruditis concionatoribus erat. Diuinorum eloquiorum illi etiam incredibilis ardor ineſſe videbatur, & eã ob rem monaſteria non ſolum fœminarum ſed & virorum ſæpius adire volebat. Vbi & de ſcripturis ſanctis, prout eius patiebatur ingenium, doctos interrogabat: nec ſtatim acquieſcebat, ſed e contrario quæſtiones mouebat: non vt cõtenderet, ſed vt quęrendo, earum ſolutiones diſceret. Neq; ſolum huic viragini curæ fuit optima ciuium ſuorum diſciplina, qua omnes tam mulieres q̃ viri informarentur ad optimos mores, optimaq; inſtituta bene moratarum vrbium: ſed etiam vt qui ibi religioſi viri ac mulieres eſſent, minus videlicet religioſe viuentes, ad laudabiliorem vitæ cultũ trãſferrerentur. Inſtauratis itaq; hoc modo ſua in vrbe ab illa multis monaſterijs, in quibus Chriſti ſerui ſeorſum viuerẽt, diuinaq; in omni ſanctitate morum & integritate vitæ operarẽtur: etiam talis diſciplina perq̃optime incorrupta, nunc vſq; ſuis in vrbibus perſeuerat. Quæ cum incredibiliter rebus diuinis dedita eſſet, vt etiam nihil ab ea prætermitteretur quod ad religionem confouendam pertineret: multas religioſas virgines ſuis bonis & facultatibus iugiter ſuſtentabat. Maxima inſuper illi cura fuit ſuorum filiorum educandorum: quos in omni morum diſciplina educare & inſtruere curauit, & q̃maxime (quãtum in ſe fuit) Alphonſum, qui illi natu maior eſt, in omni virtutum genere inſtituere fecit: vt quum princeps eſſet, ſciret poſtea alios regere, atque eiſdem imperare. Et licet Leonora hæc illuſtris, rebus in omnibus inauditæ virtutis fuerit mulier, etiam in tota vita ſua habita fuit excelſi & inuicti animi princeps, quod in illo perq̃maximo & periculoſiſſimo Venetorũ bello, cõtra maritum terra aquaque ſuſcepto, mirifice demonſtraſſe compertum eſt. Nam cum Veneti ipſi innumerabiles exercitus contra Herculem coegiſſent, & plurima eius cepiſſent caſtella, ſuoque adieciſſent imperio, atq; ob hoc vniuerſum Ferrariẽſem agrum,

terroribus,incendijs,vaſtationibus,& direptionibus cōpleſſent:ita vt ex hoc,& propter principis valitudinem, maxima per totam vrbem exorta fuit trepidatio. ipſa, vt erat animo excelſo,nihil ex hoc territa eſt: Sed primum ad omnipotentis dei opē confugere curauit,& eam ob rem omnia pietatis officia (quo ſibi diuinum auxilium imploraret) exercuit,ac ſe & principem ſuum,omniū orationibus humiliter cōmendauit. Poſtmodum conuocatis ad concionem cum ſumma fide ciuibus ſuis primoribus:breuē & artificioſam apud illos talem habuit orationē:qua admonuit memores eſſent ſuorum illuſtrium Eſtēſium principum, & q̄ maxime excellētiſſimi viri ſui,quātum videlicet culti ab eo fuerint,quātoq; ſtudio & obſeruatione habiti ſemper ſint,Idq; nō tātum verbis,ſed & reipſa experti eſſent. Cuius infirmitatem multo ſibi grauiorem fore,niſi perſpiceret ipſum,ſeq;, ac filios omnes,in primis amari, Eos iuxta ſecum videre,totū regnum maximo in diſcrimine eſſe, his potentiſſimis Venetorum exercitibus:vt nos, voſq; omnes, peſſima ſeruitute & tyrānide opprimant:niſi etiam a vobis huic cōmuni infelicitati proſpectum fuerit: Nec ſe præterea oblitam ſui ſexus,cum excelſo principe eorum ægroto,& paruis ſuis liberis prouide tali tēpore meminiſſent:ciues fide illorū & virtutibus,poſtremo & bonis omnibus,ad tuendam rem Ferrariēſem,ſi vnq̄ alias ſibi opus eſſe:indignum ſane,ac miſerabile omnibus futurum eſſe: ſi hoc regnum ad alias nationes q̄ ad Eſtēſes transferretur. Rogareq; ſe eos & obteſtari,ſumerent arma, forteſq; eſſent & conſtantes ad tuitionē ciuitatis & regni,atq; hoc animo inuicto,cum res communis omniū hoc bellum in diſcrimē veniret maximū. Eapropter ſe cēſere,vt omnes ciuitatis primores,mediocreſq;,atq; infimi in vnū conuenirēt, vt audaciæ inimicorū contūdantur: alias etenim grauiſſimā omnibus Ferrariēſibus,& intolerabilē ſeruitutē fore ſubeūdam. Hac autē oratione ſapiētiſſimę mulieris moti ciues vniuerſi:cum vidiſſent ſuū principē in lectulo febribus iacētem,vno omniū cōſenſu omnes acclamare cœperūt, ſe alacri animo paratos eſſe quoquo modo illi opem ferre:nec bonorum ſuorū, aut liberorū,aut etiam ſuæ ſalutis,pro vrbis defenſione,proq; illius incolumitate rationem vllam habituros. Itaq; hoc modo inter ſeſe coadunati ciues,decretū eſt,quauis ratione exercitus Venetorum,e confinibus ſubmouere ſuis: q; cōtumelia etiā verborum Ferrarienſes magnanimes aſpernarētur. Contracti igitur hoc modo in vnum ciues:mox & imperator,& procōſul Venetorū aliquātulum ab vrbe diſceſſere,& Ferrarienſiū res prudētia & magnanimitate huius viraginis in trāquilliorem ſtatū haud multo poſt redacta eſt. Multa præterea alia præclara geſta huius mulieris referri, & monimentis mandari poſſent,quæ breuitati ſtudentes prætermittimus. Hæc nempe nunq̄ in voluptate,nunq̄ in diuitijs,nunq̄ in honoribus,neq; in bonis corporis,ſummum bonum putauit conſtituendū: cum ſapientiſſime animaduerteret omnia eſſe caduca & fragila,ſed in vera ſapiētia quæ quidē deum optime nouit,atq; in ea mentem ſuam iugiter erigebat & attollere curabat. Eius deniq; & ſermo, & habitus,ac inceſſus:doctrina virtutū per omnia erat. Sex liberos præſtantis ingenij marito edidit. Mares quatuor & fœminas duas. Quorum primus Alphōſus futurus princeps. Secundus Ferdinandus Caroli chriſtianiſſimi Gallorum Regis conſiliarius: & Cāberlanus magni ſpiritus iuuenis. Tertius Hippolytus, Strigonēſis in Pānonia archiepiſcopus,ſanctęq; Ro. eccleſiæ cardinalis diaconus ampliſſimus. Quartus minimus Sigiſmundus,apud patrem dilectiſſimus. Ex fœminis autem maxima natu illi Iſabella,quæ Franciſco Mantuæ principi matrimonio honorificētiſſime copulata eſt. Secunda Beatrix dicta,quæ & ipſa feliciſſime Ludouico Sforttiæ magno ſapientiſſimoq; Inſubrium Duci in vxorem data eſt. Sed in hoc ipſa genitrice ſua fortunatior extitit,quod filios ac filias omnes in maximis honoribus & dignitatibus illuſtres vidit. Filias vero excelſis principibus matrimonio collocatas: Quibus quidē muneribus omnino eiꝰ genitricē caruiſſe cōſtat. Deniq; acri febre appetita,quā vidimus ipſis ardoribus per.xxxv.dies iugiter æſtuaſſe: vt ſciret reijciendas corporis delitias,

quod paulopoſt vermibus erodēdum erat: morteq́ ſuperueniente, filios ac nurū Annam nomine, in primis ad ſe vocauit, & omnes ad virtutē hortata. Maiorem natu in primis in hūc modum eſt affata. Propinquā, fili mi Alphōſe, per ſingulas horas mihi adeſſe mortem cōcerno: Rogo te per obediētiam filialē, vt ante omnia deum verearis, ac illuſtriſſimū genitorem tuum: illorūq́ voluntati ſis obediēs, nec vnq̄ defatigeris in bonis actionibus. Quum patri tuo in regnū ſucceſſeris: ſubditos tuos ex animo amabis, & in vniuerſis iuſte, clementer & liberaliter (ad imitationē patris) te habebis. In audiendo eris facilis & liberalis: dabiſq́ operā eos in ſumma cōcordia continere. Et ab omnib9 iuſtis tuis iudicijs ſemper exulet auaritia. Cultor eris omnis bonæ exiſtimationis. Hæc & alia huiuſcemodi cum filio & nurui, atq́ ſuis omnibus neceſſarijs præcepiſſet monumēta ſui: ne quid prętermitteret, etiā benedictione, & omni bono verborum documēto eos proſecuta eſt. Nec poſt multū temporis ſpatium, tota mēte & animo, ac cogitatione in deum cōuerſa: animā deo reddidit. Quā ob rē abſente marito a filijs, & a tota familia: magno luctu & lachrymis decorata eſt. De funere autē eius nihil omnino pōpæ ex ipſius prǽſcripto celebratū eſt, quemadmodū ipſa moriēs mandauerat. Sed in habitu tantū ſanctimoniali apud moniales minorū tumulata eſt, ſolis ipſis minoribus illā comitātibus. Talis igitur huius mulieris Leonoræ Eſtenſis vitæ ductus & exitus fuit. Cuius quidē virtutem inter decora aliarum quæ memorādę fuerāt hic nouiſſimo pene huius noſtri operis loco cōiungēdam merito eſſe putaui: vt aliæ mulieres accendantur & inflāmētur ad æmulanda ornamēta virtutum, ex quibus omnis honos, omniſq́ vera laus perficitur.

¶De Blancha Mirandulana. CAP. CLXXVIII.

Blancha Galeoti Mirādulę principis vxor, & Herculis inclyti Ferrariæ Ducis ſoror, hoc noſtro æuo, & ipſa ætate admodum prouecta: tāto virtutum omnium fulgore eſt inſignita, & tam inflāmato ſtudio eſt ſuccēſa, vt nulli ſui ordinis mulieri ſeu heroi veniat poſtponēda, morum potiſſimum omnium probitate: quorum quidem dignitate, omnibus præteritarum clararum matronarum eximijs virtutibus inſeruire videtur, ac ſi quodam vehementiſſimo ſtimulo eius regius animus hoc in ſenio vrgeretur ac impelleretur. & (vt ita pace omnium dixerim) inter cæteras noſtri ſeculi heroas præſtantiſſimas, effulget q̄maxime pręclara. Magno quippe animo in primis ſingula quę ei ſunt agenda aggreditur, nihil laboris nihil curæ, ſtudijve prætermittendo: vt quanto potētia, tanto certe virtute & induſtria cæteros omnes anteeat. Quicquid enim agit vel certe dicit, a virtute deducere videtur. nec laudis humanę vento, ad vlla mouetur obeunda: pluris ſemper dei q̄ hominum oculos faciens. Cuius inter cætera hoc præconium eſt, vt non ſuam vnq̄ ſalutem, nec ſuorum claritatem aut commoda, ſeu quoruncunq́ preces & lachrymas anteponendas, grauitati, fidei, iuſticiæ, ac animi conſtantiæ cenſeat. Quæcunq́ enim in dies agenda ſibi occurrunt (vt fama eſt) omnia ad communem animarum ſalutem, communemq́ ſuorum ſubditorum vtilitatem efficere videtur: ita vt rempu. ſuam ex parua iam amplā effecerit. In quacunq́ enim re actura vel deliberatura eſt, non ſegnis certe ſed diligentiſſima habetur: ita vt in diſponendis, gerendiſque negotijs, non ſolum prudentia ſed & diligentia ipſo ſuo marito & cæteris præſtet. Sūma quippe alacritate atque inſtantia ſuæ in primis ſalutis, ſuorūq́ cultrix eſt habita. In ſe primum, & cæteris noxas cupiditates refrenans, malitias extirpans, & in omnibus iuſticiam excolens. Cui plane non paruę curæ eſt Chriſtiana religio, adeo vt ſuo exemplo eius filij tam mares q̄ fœminæ (vt infra dicetur) potius inter optimos Chriſti ſeruos, q̄ nobiles aulicos veniant computandi. Et quanq̄ multarum literarum haud inſignita

habeatur,vel erudita:nihilo minus cum ſit eminẽtiſſimi ingenij fœmina,eius oratio cum loquitur ſemper eſt compoſita,licet vernacula loquatur lingua,atq; cultiſſimus ſermo,ita vt in admirationem audientes perſæpe vertantur. Eloquium quidem eidẽ eſt mite,cum quadam grauiſſima facũdia,& ea omnibus familiariſſima. Ineſt eidem præterea quædam incredibilis pietas circa Chriſti ſeruos atq; ancillas, quos omnes tam vultus hilaritate,ſuo in ſinu quaſi colligit, fouetq; ac veneratur,ac ſi ipſe dei filius adeſſet. Eas ob res iam duo ſuo in oppido fundauit,erexitq; monaſteria,atq; alia inſtaurauit, & ornamentis eccleſiaſticis aureis & argẽteis exornauit. In quibus haud paruã certe iugiter ſuſcipit voluptatem. Cuius ingenuam prudẽtiam Galeotus princeps maritus ſuus cum exploratã diu haberet,quodq; rebus in omnibus tam occultã animaduerteret,ꝙ fraude potius,q̃ vllo ingenio a quoq̃ decipi poſſet: eidem totius ſui principatus vniuerſalem commiſit curam:aſſeuerans atq; conteſtans,ipſam prudẽtius,rectiuſq; ſe adminiſtraturã,potiſſimum ꝙ memorabilis ſit iuſticię atq; clemẽtiæ. Eſt præterea mulier lõganimis & admodum conſtans, quod fortunarum multarum inſultus ſatis monſtrauere:in quibus cum perſæpe conſtet fuiſſe agitatã,ſemper omnia forti pertulerit pectore:ac nõ modo ea inuicto animo, ſed & ſeipſam pro gloria adipiſcẽda ſuperauit:ſciẽs ſcriptũ eſſe. Qui vult venire poſt me:abneget ſemetipſum, & ſequatur me. Plana equidem eſt huius virginis vita bonorum exemplorũ, quæ certe compellunt homines ad bene beateq; viuẽdum. Nam omnia hæc inferiora bona,quæ mortales falſa oblectatione demulcere cõſueuerunt,vtpote diuitias,honores,potentias,ſenſuum voluptates,prauas gloriæ illecebras,floccipẽdere iamiam videtur. Genuit hæc Galeoto principi marito ſuo,cum fuerit fœcũditate inſignis,plures filios & filias: quibus omnibus tam fœmellis q̃ maribus,eam viuẽdi rationẽ atq; formam,non modo ſermone,ſed exemplo præſcripſit, vt domi habere profecto viderentur, quod reliqui ex varijs ſanctorum doctorum libris,aut apud quoſcumq; magiſtros capeſſere ſolent. In ea pietatem,religionem,pudicitiã,fidem,integritatem,liberalitatem,munificẽtiam,miſericordiam,ciuilitatẽ, & in omni fortuna perpetuam animi conſtantiam atq; modeſtiam licet intueri,vnde & filiæ eius quædam ætate florentes, a calcare & ſtimulo huiuſmodi probitatis vehementius actæ,ſpretis huius ſeculi pompis:ad Chriſti vexillum per religionis ingreſſum ardentiſſimo ſtudio euolarunt. Ioannes Frãciſcus autem eius filius natu maior,philoſophus & orator diſertiſſimus,ac rerum multarum eruditiſſimus,cum ſit ætate,& corpore florentiſſimus,adeo ſtimulis & exemplo huius optimæ parentis punctus eſt:vt in hac peregrinatione ſolo corpore conſtituus,iamiam vna cum Ioãna vxore,& cogitatione & auiditate multa,in æterna patria conuerſari videntur. Qui (vt ita dixerim) huic mundo pene mortui,quicquid de hac vita laborant,ad illam transferunt vitã ſempiternã. & ipſe quaſi bonus ratiocinator velut ad centuplum manum porrigens, ſemper de ſiniſtra ad dexteram tranſmittere videtur. Cuius cum plurima ſint virtutum documenta & facinora:etiam ſuæ inclytę genitrici non modicum fulgoris adijcit:ſi matribus fulgor ſit,eruditos & bonos,atq; præſtãtes habere filios.

¶De Beatrice Sfortia. CAP. CLXXIX.

Beatrix item prædictæ Blanchæ ex eiſdem parẽtibus germana,natu maior,illuſtris quondam Triſtani Sfortiæ dilectiſſima coniunx, & ipſa hac noſtra tempeſtate ſuptuagenaria,licet ſemper infœcunda, ſorori prædictæ profecto (cum fuerit mulier ſemper honeſta,morigera,deoq; admodum deuota,virtutibus dedita,ac perhumana) ſuo fulgore inferior nõ eſt. Hęc ſemper vſq; in hãc ſenectã formoſa fuit mulier,pudiciſſimaq;:nihil publicũ vnq̃ curãs, vitam honorificã ac quaſi priuatam egit omnẽ,& quodam in otio præclaro,cum literarũ, tum deuotionis,pie, religioſeq; verſatur. Diligit admodum dei ſeruos,atq; potiſſimum Chriſti ancillas præcipua familiaritate omnes complectens,vt conueſci,& coniocari,atq; religionis officia

exequi,cum animo remiſſionem indulget,ſæpe ſoleat, & id quidem ſancte,amice & libere. Eſt igitur & hæc incredibilis fidei mulier, & eximię pietatis,ac in rebus diuinis incenſi amoris ardore ſemper prædita.

ℭ De Genebria Sfortia, Ioannis Bētiuoli Bononiēſis vxore. CAP. CLXXX.

Genebria autem clariſſimi equitiſaurati Ioannis Bētiuoli Bononienſium principis vxor ampliſſima, Alexandriq; Sfortiæ Piſauri domini filia: hac noſtra tēpeſtate cum multis reſplendeat virtutibus, inter claras mulieres recenſenda videtur. Nam & multum ornamenti hæc ipſa Bononiæ ſtudiorū matri afferre videtur, ſuarum virtutum claritate, quæ potiſſimum in ea elucefcunt. Eſt in primis celebris, elegantiſſima forma, geſtu & motu corporis admodum decorata, cum quodā ſemper compoſito & regali inceſſu. Hæc autem priore marito amiſſo, cum ſecundo huic nupſiſſet, ſtatim fœcundiſſima euaſit: vnde & liberos ſedecim iam proſpero edidit partu, prolem certe honeſtam, tam mares q̃ fœminas. Ineſt huic gratia quædam in vultu præcipua, nec minor etiam grauitas: prudētia tamē & ingenio longe maiore excellit: omni pulchritudine morum æque ſemper ornatur. Cuius ſermo ſummā probitatem & pudorem præ ſe fert. In omni actione, ſtans, incedens, & ſedens: ſummam dexteritatem & maieſtatē demonſtrat. Nec acceptorum beneficiorum immemor, ſed grata, & liberalis, ac ſermone ſuauis. In recipiēdis vero amicis atq; propinquis, multū affabilis, & comis, ac perhumana. Viget apud iſtam ſummopere quædā modeſta domeſtica, & incorrupta diſciplina. Solitudinem plus amat & colit q̃ celebritatem: domi plerunq; incluſa manet, religioſorum exemplo: vbi rebus diuinis etiam dat operam, nec ſcripta ſecularium literarū aſpernatur. Gaudet frequenti mentione earum mulierum, quæ in hac vita recēſentur optima opinione virtutis. Turpia autem verba, turpeſq; ſermones, & odit & aſpernatur. Deum in hoc potiſſimū colere videtur, ꝙ libenter loca religioſa viſitat ac perſæpe ſalutat. Pia in primis tam in Chriſti ſeruos, q̃ pauperes, nec minime auara. in precib9 & orationibus ad deū, & alios ſanctos frequēs verſatur. Non ſine ardentiſſimo ſtudio diuinum verbū audit, illudq; ante omnia illi ſemper cordi eſt: ſic vt quæ videāt illā mulieres cæteræ, exemplū illius facile imitentur, ac eius veſtigia colant. abſtinet ſe multum a cibo, abſtinetq; a potu, nec ſumptuoſe veſtitur. Lætatur conſuetudine earum perſonarum quæ modeſtia exornantur. Ad extremum in omni negotio ſuo hæc ampliſſima fœmina eam indolem pręfert, quę in principe deſyderari ab omnibus ſolet. Quæ certe non minoris excellentiæ eſt habita, earum quas ſupra defunctas cōmemorauimus. Quare idcirco tam eminentes ipſius virtutes legendas proponimus, vt quęlibet decoris auida mulier, nominis & diuinæ gratiæ ſtudioſa hæc legens, non recuſat aut renuat tam præclara eius documenta, quibus & vita iucundior agitur, & immortalis vtiq; efficitur.

ℭ De Caſſandra Fideli, Veneta virgine, oratrice & philoſopho. CA. CLXXXI.

Caſſandra Angeli Fidelis filia, Veneta, adhuc ætate nubilis hac noſtra tempeſtate, tanq̃ muſarum decus in primis facundiam, & omne dicendi genus quaſi & mulieribus extinctum excitauit, & quadā componēdi facilitate, ac pronuntiandi aptitudine: Hortēſiam, cæteraſq; illas veteres Romanas eloquētiſſimas, omni ex parte attingere voluit: adeo vt eius non humanam ſed diuinam potius eloquētiam omnes arbitrarentur. pleriq; etenim quum eius aptos pronuntiationi corporis motus, & concinnos verborū ornatus mente reuoluunt: quid de ea proferant, penitus

ignorant::niſi ꝙ de eadem Maronis illud verbum in medium adducũt:ipſam videlicet fore deorum genus.nec id abſq; ratione afferre videtur.Eſt clara philoſophię ac theologiæ ſtudijs:acutis enim & prõptiſſimis diſputatiõibus, generi muliebri & orbi Veneto magnum affert decus.Et idcirco a multis pręſtantiſſimis,& verſibus atq; epiſtolis ſalutatur,hac opinione virtutis,qua maxime celebratur.Hęc namq; cum ſit adoleſcens optimis moribus pręđita,honeſtaq; forma decorata,non ignaraq; aut expers(vt præmiſſum eſt)romani ſermonis, qui videlicet omnibus diſciplinis nõ paruum decus afferre videtur.omnes mirãtur,magnãq; ex tanta puellę literatura voluptatem capiunt.Eſt & illi ſermo perhumanus & facilis,ac omni grauitate modeſtiæ excellẽs.Quæ plane artes hũc ſexũ maxime ornant.prudenſq; ac verecũda exiſtit.Si quisenim vel dialectices ænigmata,vel muſarum fontes vberrimos,vel etiam ſummam oratoriæ artis prouinciam,mortali cuiuſq̃ pectore delibatam fuiſſe vnq̃ exiſtimet:id ſibi diuinitus traditum cenſet.Tam laudabilis eius virtus,multis ſermonibus equidem frequentatur,& apud Auguſtinum Barbadicum,ſapientiſſimum Venetorum principem:qui aliquando cum ex more ſuo,biduum feſtum in natali chriſtiano impẽderet oratoribus cunctis qui Venetijs aderãt,atq; patritijs primoribus ſuis tam fœminis q̃ viris,tertium etiam adiecit celebriorem:ad declarandam huius puellę doctrinam & eruditionem,quantũq; ingenio præſtaret vt exploratum haberet,ad cõuiuium diei feſti inuitãdam curauit: ad quod etiam multos philoſophos & theologos qui in eadem vrbe Veneta eſſent inuitauit. Ad id itaq; feſtum hæc puella Caſſandra decenti veſte ornata venit,incredibilem pudorẽ præ ſe ferens.Ibiq; e veſtigio in magno patritiorum & eruditorum virorum numero,principis prædicti iuſſu,in eminẽtiorem conſcendit locum: atq; ibidem animo forti & intrepido lepidam orationem habuit,magnæ cum eloquentię,tum etiam eruditionis indicẽ:quam egit eomotu,geſtuq; corporis,ſuauitate deniq; vocis,vt ſumma voluptate qui aderant omnes afficerentur,maximeq; commendaretur.Affuit & Fidelis eius genitor, tanta filiæ virtute delectatus.Diſputauit poſtmodum propoſitis quæſtionibus, cum in philoſophia,tũ etiam in theologia,cum illis eruditiſſimis viris quos commemorauimus illuc conueniſſe.Taceo ſubtilitatem & argutiam argumentorum,cum in probando,tum in refellendo,quibus in differendo vſa eſt.confectaq; diſputatione,rurſus ſe principi præſentauit,tanto decore quantũ poſſet quis orãtione lõga explicare.Vernacula etenim lingua eſt illi habita oratio ad principem: ab omnibus qui ibidem aderant aſtantibus plurimum celebrata.Habuit & perſæpe orationem in gymnaſio publico Patauino,cũ maximo ſui præconio.in quibus certe tale dicendi flumen de ſe oſtendit,quale nec priſca,nec noſtra vnq̃ viderit ætas.Ex quo tanq̃ clariſſimę puellæ eius nomen ſumma cum obſeruantia celebratum eſt. Confirmant præterea huius adoleſcentulæ ornatiſſimæ epiſtolæ,ad diuerſos præſtantes viros,ingenti dignitate & doctrina ſcriptæ,ſuauem in dicendo exhibentes præſtantiam. Artis quoq; muſicæ(vt fertur)nequaq̃ expers habetur:quas quidem artes tam præclaras conſumat & perficit,ſummę virginitatis gloria.Verum & quemadmodũ in literis latinis,liberalibus artibus hęc noſtra Caſſandra diu multumq; operam dedit,ita(cum ſit ingenii admodũ diuini) etiam græcis operam nauauit accuratiſſimam. Atq; vt eius cœptus literarum amor ſtudiumq; magis magiſq; proficiat: diligenti partitione (tanq̃ prudentiſſima) tempora ſibi ipſi diuiſit,videlicet vt non ſolum legendo & docendo ſibi ſtudia literarum voluptati & ornatui ſint,ſed etiam ſcribẽdo alijs,vt proficere videatur,elaborare incœpit.Vnde & ex ingenii ſui magnitudine,quoddam opuſculum præclarum de ordine ſcientiarum cudere orſa eſt.In quo & ſectas multorum philoſophorum eleganter commemorat.Igitur huiuſmodi eſt Caſſandræ fidelis ingenium, de quo ex multis hæc pauca decerpſimus,quæ quidem,vt totius mundi fama celebretur,hic exponenda duximus.

¶De Geiſilla,chrſtianiſſima Hungariæ regina. Cap. CLXXXII.

GEiſilla ſeu Galla,illuſtriſſima chriſtianiſſimaque regina,Othonis Saxoniæ ducis filia,& Henrici primum ducis,deinde eius nominis primi imperatoris & Auguſti ſoror,ac Stephani primi,Hungarorum regis vxor,atq; Adalberti viri ſanctiſſimi Pragenſis epiſcopi filia in Chriſto obſeruandiſſima: circa annū ſalutis noſtræ octogeſimum ſupra noningenteſimum,apud Pannonios ſeu Hungaros ſuos,innocentia,benignitate,gratia,& hoſpitalitate,ac religione, plurimum clara & inſignis eſt habita. Cuius quidem multa egregia facinora memoriæ prodita ſunt:inter quæ illud præclariſſimum,ꝙ Stephanum regem maritum ſuum in primis,cum vniuerſo regno,auxilio etiam Adalberti Pragenſis epiſcopi optimi viri & concionatoris præſtantiſſimi,ad Chriſti fidem tandem conuertit. Cuiuſq; hiſtoria,licet multo verſetur in errore,nihilo minus i ea enitemur eos ſequi, vel qui probatiſſimis argumentis vtuntur,quæ de hac chriſtianiſſima muliere perſcripta ſunt in medium afferre. Erat itaq; Geiſilla hæc regina,ad inſtar Henrici Auguſti germani ſui viri ſanctiſſimi inter cętera adeo ingenij mitis,vt etiam perſæpe propter Chriſtum:faſtum regię poteſtatis remitteret,ſemperq; ſuos populos optimis exemplis & beneficijs alliciens,ac multitudini gratificans. Quæ cum eſſet ſapientiſſima ac ſpectatiſſima,non ſolum apud ipſum Stephanum regē maritum ſuum,verū & apud primores regni regulos & ciues omnes,magno in pretio fuit. Vnde & plures eſſe cœpere,qui ob virtutem eius maximam ſibi auſcultarēt,& alacres imperata exequerentur. Iāiam etenim q̄plurimi eius religione maxime delectati, ipſorum ingenia ſenſim demulcebantur,& ab erronea priſcorum ſuorū religione (ſi tamen religionē dici licet) rerum chriſtianarum ſtudijs abſueſcebant. Quam ob rem illa quodā modo demum ſuis elegantiſſimis documētis,mirificiſq; exemplis,& ipſum maritum regem, ac vniuerſos Hungaros Chriſti inſtitutis attraxit. Atq; ita fidei chriſtianæ,per ſacrū baptiſma,opere ſancti Adalberti epiſcopi,mira dexteritate aggregauit. Pro quibus quoad vixit hæc ardentiſſima mulier:hāc orationem optimam inter cæteras ad deū optimum ipſam effudiſſe indeſinenter dignoſcitur. Deus qui eccleſiam tuam nouo fœtu ſemper multiplicas:concede his famulis tuis,vt ſacramentum viuendo teneant,quod fide perceperunt: per Chriſtum dominum noſtrum. Inerat præterea huic diuæ reginæ diuinum quoddam ingenium, ac quædam incomparabilis vis,qua homines alliceret,ac præſtantiores redderet. Verum neq; circunſtantibus populis,iſtius viraginis præſentia minus deſyderabatur:quin omnes ſperabant,ea præſente populares minus ſeſe ad iniuriam & contumeliam latum iri. At Stephanus ipſe rex iam chriſtianiſſimus effectus,poſtq̄ ſacratiſſimum fidei noſtræ titulum aſſumpſiſſet (cum regnum maiorum ſuorum non admodum latum, immo tenue haberet) nonnullas barbaras nationes bello ſibi ſubdidit: & earum ciuitates pene innumeras in deditionem ſuam redegit, deq; regibus, ac ducibus necnon regulis quaſi innumeris triumphauit. Ex quorum ſpolijs & eccleſias plurimas hinc inde,& inter cætera inſignia cœnobia ac ſuperbiſſima in honorem beati Petri apoſtoli in ciuitate Buda,ac Albenſi vrbe ædificari præcepit. Indeq; plures nationes, ex vxoris ſuæ ſanctiſſimæ conſilio in vnū copulauit,inuicemq; admiſcuit:ac rebus futuræ potentiæ fontem atq; originem ipſa præbuit. Adeo nanq; hi optimi reges ſcilicet Stephanus & Geiſilla ſuæ gentis imperium,poſt adeptum baptiſmi ſacramentū auxere,vt multo maiores efficerentur eius termini,q̄ ipſa hactenus habuerit Hungaria. Nam Danubium tranſgreſſi,& Sclauos & Boſnenſes,& Seruios ſeu Raſianos qui Tribali ſeu Miſij dudum dicebantur, necnon & Valachos,quos partim Gethas,partimq; Tranſyluanos appellant,vſq; ad Polonos,ſuo adiecerunt imperio. Id quoq; in hac muliere magnum & diuinum profecto fuit: ꝙ peregrina in reginam a barbaris accerſita,omnia ſuadendo, tam cito,tāq; magnifice,ac ſancte potuerit immutare. Inter cæteros autem filios ſuos, hæc virago Emericum ſanctum regem, qui patri ipſi in regno & virtutibus per omnia ſucceſſit,

genuit filium:qui & ipſe chriſtianā religionē non mediocriter auxit.Poſt dormitionem vero Stephani regis viri ſui,qui ſeptē & triginta annos regnaſſe dicitur:ipſa diu vſq; ad vltimū ſenium ſuperuixit:quod plane tēpus in ſumma ſanctitate & illius populi vtilitate peregiſſe ipſam conſtat.Obijt igitur hæc ſanctiſſima regina,non celeri, neq; repētino obitu,ſed ſenſim,ac leni quodā deficiēs morbo.Qua defuncta,vniuerſi populi oſtenderūt in eius ſepultura,vitæ ipſius deſyderiū,ac ſanctimoniā.Nam e veſtigio totius regni populi,propter ipſius admirāda miracula,publicis ſimul concurſibus & votis ad inferias cōuenere:tum religioſi cuiuſcūq; ſtatus ac dignitatis feretrum ſuſtulerunt,quibus deniq; reliqua turba mixtis fœminis,ac pueris:non vt magnæ reginæ exequijs aſſiſtentes, ſed veluti omnium parenti cum eiulatu & fletibus ſequebantur.Atq; ita ipſam cum viro ſuo rege Stephano,eodem ſepulchro in Albenſi baſilica,quam in honore beatiſſimæ dei genitricis conſtruxerant, condigno honore ſepeliere:vbi ambo crebris miraculis diu claruere.Vnde & poſt obitum eius(vt plerūque iuſtis euenire ſolet)maior laus ei ſecuta eſt. Præterea illius gloriam: reginarum quarundam poſteriorum calamitates,clariorem,illuſtrioremq; fecere.

¶ De ſancta Semigūda virgine,imperatrice Hērici imperatoris vxore. Cap.clxxxiij

SEmigūda, ſeu(vt alijs placet) Chunegunda,imperatrix,primi Henrici Cæſaris viri ſanctiſſimi,æque ſancta cōiunx, prædictæq; reginæ Geiſillæ cognata,& ipſa eodem æuo iuſte & caſte,ac pie viuēs,plurimo apud Germanos,& Bohemos,Saxoneſq;,ac deniq; Italos omnes fuit in pretio:eo ꝙ præter religionē maximam,facilis atq; perhumana eſſet fœmina:ad quā certe indigentibus ſemper facilis erat aditus, cuiuſq; aula quotidie aperta:aures, omniū ſermonibus & iniuriam patientibus patebāt:vt nec vnq̄ cuiuſq̄ colloquiū aut neceſſitatem repudiaret. Cuius rei gratia,in ſe etiam plurimū vulgi atq; aliorum quorumcūq; hominū ſtudia incenderat:vt ſibi per omnia in omni re cū voluptate vltro ſe eidem ſubmitterent, eiuſq; dictis, imperioq; libentiſſime ſemper parerent. Huius autem genitor,Sigifredus maximus Rheni Comes,ex familia Caroli Magni originē ducēs,fuit,mater vero Mathildis optima fœmina.Quam virgunculā egregia forma præſtantē,eidem Henrico tum Saxoniæ inclyto duci parentes nupſere, apud quē quoad-vixit ſemper illibatam caſtitatē ſeruauit:atq; apud illum nullum tēpus omiſit,quod religioſe nō coluerit.nullum ſine deo oblectamentū,nullumq; ſolatium capere voluerit.Quin in ipſa iuuēta,primoq; ætatis flore,in omni matronali munere & cura cōiugij, aſſidueq; inſuper imperij gubernacula:quod tam feliciter geſſit,vt Henricus ipſe Cæſar,rem illa gerēte,in eius prouidētia admirabili & præſens & abſens tuto cōquieſceret:ieiunia, vigilias, canonicas laudes,reliquaſq; ſacras ceremonias rite ac deuotiſſime celebrans.Erat illi inter imperiales delitias pro ſummis delitijs, non aurum certe,non gēmæ,non aliquis mundus muliebris,ſed religio ſancta & immaculata,deuotio,pietas,pſalmi atq; hymni.Dies vero feſtos ſanctorūq; ſolennia,non minore deuotione & gaudio,q̄ fide admirabili celebrabat.Tum viſitare baſilicas,prędicationes ſanctas audire,ſacra colere,de virtutibus cū marito ſuo eiuſdē propoſiti loqui,meditari,orare,& tanq̄ vere cœleſtis fœmina,cœleſtia indeſinenter cōtemplari cōſueuerat.Neq; enim eius conſtantiā,fortitudinem illius,atq; inuictum animi robur, vllis poſſem cōſequi verbis.Cui etſi aliquādo fortuna aduerſata fuiſſet:nihil tamē ei intulit mali:ꝙ nunq̄ aduerſitas virtute potētior ſit.Itaq; diabolo inſtigāte imperatorē maritū:eandē aliquando de milite ſuſpectam habere cœpit.Quam ob rem ad purgandā eius labem,præcepit illam ſuper candentes prunas quindecim paſſibus nudis pedibus incedere.Quam quidem purgationem eccleſia poſtmodum reprobauit,tanq̄ dei potius tentamentū, q̄ licitam purgationem.vt extra.de purgatione vulgari per totum.At illa tandem fiducialiter ſuper eas aſcendente:ait.Sicut me o bone Ieſu ab Henrico ſponſo meo,atq; omnibus alijs

impollutam omnino noſti,ita me in hac hora miſericorditer adiuua. Cui repēte vox cœlitus facta eſt. Virgo Maria,te virginē protinus liberabit. Indeq; ſtatim totā illam candentē maſſam,infracto animo illæſa percurrit. Tandē poſt mariti ſui obitū, hæc ſancta & immaculata virgo Regina,cū ſummæ virtutis gloriā in primis flagraret,& ſempiternæ omnino immortalitatis cupiditate ſemper moueretur, regnoq; nō terreno,ſed dei ſummi,ac cœleſtibus bonis ſtuderet aliquādo potiri: Hoc vnum ſibi perſuadere operæpretiū putauit,vt in primis de Babylonia ſeculi huius effugeret, ac de abominabili ipſa fornicationum matre Babylonia,ſe in religionis ſacræ arcem reciperet: quæ quidē nullos formidat incurſus. Hoc nempe ſuo ſæpe voluebat in animo, q; ſanctus Dauid canebat in pſalmis. Q̃ dilecta tabernacula tua domine virtutū:concupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Cor meū,& caro mea exultauerunt in deum viuum. Beati qui habitāt in domo tua: in ſecula ſeculorum laudabūt te. Et his alio in loco carminibus. Elegi abiectus eſſe in domo domini magis, q̃ habitare in tabernaculis peccatorū. Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis,ſuper milia. Et cū eidem omnis in ſeculo mora iam grauis videretur: monaſteriū per q̃ maximū atq; ſuperbiſſimum in Haſſia Germaniæ prouinciæ ædificauit: in quo religionis habitu ſuſcepto, quindecim annis in omni ſanctitate vitæ,& virtutibus diuinis,præter omnium exiſtimationem vixit. Eſt autē prouincia ipſa Haſſia tota mōtana & frigida,inter Veſtfalos & Frācones cōſtituta,a Rheno flumine in ſeptentrionē porrecta,Thuringiæ prouinciæ ſe coniungēs. Idem autē monaſteriū adeo noſtro æuo (vt aiunt) prouētibus eſt opulētiſſimū,vt multi principes Germanorū ad illud aſpirare videātur. In illo itaq; cœnobio hæc ſācta virgo Semigūda quoad vixit,illibatoq; corpore tāq̃ angelus ſemper viſa eſt. Semperq; viliore & agreſtiore cibo contentā,ac cultu deformi,& ſtratis operimentiſq; abiectiſſimis vſam fuiſſe cōſtat. Quantū in ſe fuit,ſemper humillima inter humiles ſeſe exhibuit: & ſe totā indefeſſe ad publica ſuæ matris ſāctæ religionis & altricis cōmoda conuertit. Demum vitæ huius naufragio ſuperato,vt ſtatutū eſt omnibus hominibus, quum in omnibus vitæ ſuæ partibus integerrime ſanctiſſimeq; vixiſſet,e vita hac diſceſſit. Populi autem quum eius in monaſterio dormitionē accepiſſent,velut ſi nihil in eā vnq̃ pro dignitate cōtuliſſent dū viueret, ſed omnē ei gratiam deberent: publicū honorem funeri decreuerūt. Illud igitur cum ingenti pompa & religione ad eccleſiam Bambergenſem in Franconia orietali delatū,ad latus Henrici viri ſui chriſtianiſſimi ſepeliere. Ipſa quippe Bambergenſis ciuitas apud Germanos clariſſima,ad amnem Regnitium ſita eſt, Cuius cathedralem eccleſiam,eius maritus Henricus imperator fundauerat,plura obtinet loca: quem idcirco Cæſarem accolæ religioſe colunt,& vt ſanctum habent. Abijt itaq; hæc regina tertia Martij die ad cœli fulgorem,vbi cum angelis eius,municipatū tenet matris noſtræ quæ ſurſum eſt Hieruſalem. quam poſtmodum Innocentius eius nominis quartus pontifex: propter crebra eius miracula,in ſanctorū cathalogū aggregauit. Cuius feſtū ipſo defunctionis ipſius die,videlicet quinto nonas Martij,celebre apud Germanos habetur.

¶De Damiſella Triulcia virguncula Mediolanenſe. CAP. VLTIMVM.

DAmiſella virguncula Mediolanenſis,ex vetuſta nobiliſſimaq; Triulciana familia progenita,hoc noſtro ſenili æuo,quartum & decimum ætatis agens annū: veluti altera Hortenſia oratrix Romana, eximia exiſtens indole,amore literarū, & ſtudiorum dulcedine coaleſcēs,& fandi iam elegantia,ac incredibili quadā oris ſuauitate adeo illi populoſiſſimę ciuitati eniteſcere incipit,vt potius prodigium q̃ fœmina exiſtimetur. A materna quippe auia Damiſella mulierum optima: ſic eſt appellata. Cuius quidē facundiſſimū ingenium & acumen,& ad ſtudia ardor atq; amor, ab ipſis cunabulis (vt ita loquar) extitit, vt etiā aliam quandā futuram generoſitatis ſapientiā ſuis generoſis parētibus polliceatur. Ioannē nāq; equeſtris dignitatis ac ſenatorij muneris,necnon & bonarum literarum inſignitum,habet patrem: matrem vero

Angelam æque nobiliſſimam, ex prępotenti Martinengorum Brixiana familia pro=pagatam, & ipſam literarum non expertem. Qui parentes a muſis primum enutriti, & ipſi hanc in ſeptimo ſuæ ætatis anno: muſis deuouere, ac tradidere alendã. Quæ ad magiſtros diſciplinaſq; delata, mox ea ſua in infantia, ita ardẽti animo prima elemẽ=ta, & grãmaticalia excoluit ſtudia, vt breui quid admirabile in tenella ætate, ac certe incredibile appareret. Quod ſi dabatur ei liber vt legeret, ita e veſtigio illum recte & appoſite legebat, ac ſi dictionẽ quãlibet ſigillatim docte & examinatim edidiciſſet, vt audientes in admirationẽ, ſtuporẽq; verteret: pleriq; eorum dicerẽt, hãc quãdo pe=perit mater, profecto in puerperio affuere Muſæ, quę eius labia terſere. Eo quippe in=genio ſunt omnes illius familiæ progeniti. Et idcirco puto hanc hæreditatẽ in iſtam puellã perueniſſe. vnde in hoc vſu venit, quod Propertius verſiculo quodã lepide ca=nit. Naturæ ſequitur ſemina quiſq; ſuę. Neq; iſti puellulę cõtingit vnq̃ quod pleriſq; cõſuetũ eſt, etiã eruditis: quibus cũ datur perpetua habenda lectio, quandoq; vel vacil lent, vel certe delirare videntur. A teneris igitur annis præter omnium expectationẽ, quantum ſua patitur & exigat cõſuetudo, bonã oſtendit oratricem. Cum eius oratio=nis genus (meo iudicio) iam fuſum videatur, & emẽdatum in primis, Luculẽtumq; ac graue quidẽ necnon & apertum, quandã exprimens maximi ingenij vim. Pręter vero eruditionem eius nõ modicam, quam certe nõ mendicatã, aut mutuatam (vt pleriq;) ſed vere ſuam, ac profecto peculiarem, & a puero gradatim ex vberibus pædagogorũ & autorum hauſtam poſſidet: quæ res non modicã frugẽ atq; laudem ſuis cõfert ora=tionibus. Eſt autẽ tanta eius orandi gratia, vt inſtar quorundã pictorũ, videatur ſuo=rum oculorũ venuſtatẽ, oriſq; leporem, & intuitu & lingua ſemper exprimere. adeoq; ſuauiſſimo eſt eloquio atq; admirabili, vt audientiũ videatur euellere animas, vt illã etiam, non tam fœminã q̃ angelum prædicent, cũ etiam ſpecioſæ admodum ſit for=mæ. Quod ſi tenuerit ea quæ ingreſſa eſt virtutis & laudis veſtigia, erit omnium iu=dicio habenda ſtatua digna: quæ adhuc nulli cõceſſa eſt. In duodecimo autem ætatis ſuæ anno cũ orſa fuerit orare, & impræſentiarũ vſq;, cõplurimas coram nõnullis præ=ſtantiſſimis & grauiſſimis viris, & eiſdẽ quidem aut eccleſiæ põtificibus aut cõciona=toribus aut magnorum principum oratoribus habuit orationes. Quos inter fuere in primis M. Epiſcopus Loſanus, maximus Allobrogũ ducis orator. A. Cumenſis põ=tifex, eius patruus. Marianus Genezanenſis, ordinis noſtri theologus, ac declamator noſtri ſeculi facile princeps. & Frãciſcus Triulcius ordinis minorũ famoſiſſimus con cionator, & ipſius ſimiliter patruus: atque alij tam fœminæ q̃ mares plurimi. Apud quos quum aliquãdo ex maiorum præcepto eſſet oratura: ipſam aſtantes omnes in=tuebãtur, ipſamq; perinde ac in amœniſſimo quodã diuerſorio cõquieſcere videban tur. Vnde plurimi eorũ ipſius ingeniũ, orationes elegantes, atq; interpretationes mi=rificis laudibus proſequẽtes: dixere. Si huic adoleſcentulæ vita comes fuerit: expecta=tionem de ea noſtrã, profecto non æquabit modo atq; cõplebit, ſed lõge edepol euin=cet ac ſuperabit. Aliud præterea nõ paruum ſuæ vrbi ſuæq; preclariſſimæ familię Da miſella hæc affert ornamentũ, q; iãiam grãmatica & oratrix inſignis, tãta viget tena=ciſſima memoria, vt Themiſtocli & Senecæ philoſophorum, atq; Petri Rauẽnatis, a memoria cognominati, inſtar, nihil eidẽ excidat, quod aut addiſcere, aut eã attentius legere vel audire contingat. Quippe hoc de ipſa in duodecimo ſuæ ætatis certiſſimo experimẽto cõprobatũ eſt, vt diſertiſſimũ cõcionatorẽ aliquando audiens, ita ad vn guẽ omnia memoriæ cõmẽdauit: vt domũ reuerſa, parẽtibus ad verbũ recitaret. Ver=ſus etiã pene innumerabiles vno die didicit, & magiſtro ſuo, quodã incredibili ordi=ne recitauit. Sed neq; eidẽ euenit quod pleriſq;, & maxime fœminis ĩgenio celeri eue=nire ſolet, vt nõ multũ memoria valeãt: quæ vero cũ labore percipiũt, tenaciores eua=dũt. Neq; enim tantũ latinarũ literarũ cõtenta videtur, niſi & græcarũ breui tẽpore acquiſiuerit non vulgarẽ notitiam: adeo vt iam concinne græcum proferat ſermonẽ. Vidimus & nos ipſius familiares epiſtolas: quæ certe perſpicaciſſimũ adoleſcentulæ

ingenium,ac vberrimam quandā doctrinam redolebant. Sed nec ſolum eam parentes
literis fulgentē mundo reddere annitūtur,quinetiam in omnigena morū & vitæ inſti
tutione,ac religione iamiam illuſtrem habent. Præterea exiſtimata eſt (vt fertur) tan-
tæ puritatis & innocētiæ,vt in quo reprehendi liceat pene nō inueniatur. Veruntamē
tantam ſapientiā præ ſe fert,vt cum aliquando contingat eidem,a quibus ius eſt,fie-
ri increpationes vel admonitiones:non fortiter modo,ſed & cū gaudio omnia tole-
rare videtur,ac in lucro ducere parentū increpationibus plecti. Vnde id nomen Da-
miſellę,a materna auia optima matrona eam diuinitus aſſecutam reor:nec ab eadem
penitus degenerare,quinimmo totam ipſius vitę integritatē per omnia repręſentat.
quæ quidem mihi præ cæteris quadam viuaci & altiſſima fide ſemper extitit agnita.
Cuius & felix memoria,quaſi pręſens ſemper mihi mēte defixa manet,tanq̄ in omni
genere laudis probatiſſima. Nunq̄ etenim cū de clariſſimis mulieribus,iiſdēq; opti-
mis cogito,quin de eadē,deq; eius ſingulari & prope diuina virtute,religione,pieta-
te,caſtimonia,moribus,aliiſq; plurimis eius dotibus ſemper incidit mentio:quæ om
nia certe in ea non ſumma modo,ſed profecto nimiū incredibilia eſſe videntur & ad-
mirāda. Erat quippe (vt verum fatear) multarum ſimul quoddam virtutū ſpecimen,
& redolens exemplar. Quam ob rem,eius vitam aliqua ex parte conſtitui hoc in lo
co in propatulo eſſe. Sic enim ſui honeſtiſſimi mores,ſuaq; pudiciſſima & innocens
vita:ſuum quoq; aſſiduū erga me ſtudiū,ſua deniq; ſanctimonia atq; religio,ita me
ſibi deuinxere,vt nihil minus poſſim q̄ ſuæ probitatis laudes immortalitati cōmen-
dare. Sed in eiſdem explicandis,non verborum pompa,ſed noſtro agreſti ſtylo vtar.
Fuit itaq; Damiſella de qua nobis nunc eſt ſermo,Matthæi de ſancto Angelo,viri in
armis exercitatiſſimi, ac generalis peditum exercitus Venetorū imperatoris filia, &
Auguſtini Martinengi pulcherrimi,optimiq; adoleſcentis, ac impigerrimi rei mili-
taris viri vxor, ex quo cū quatuor ediddiſſet partus,tres videlicet fœmellas,& Cæſarē
filium. quo viro viginti annorū adoleſcentula orbata remanſit. Et cū nimius in ipſum
præclariſſimum adoleſcentem virum eius eſſet amor,nimiaq; pietas,atq; fides: trien-
nio nihil quietis inuenit,nihilve conſolationis accepit:ſed quotidie lachrymæ,quoti
die ſingultus,atq; profunda cordis ſuſpiria:putans ſibi plus abreptū fuiſſe q̄ vllis vnq̄
mortalibus. Eius autē mœſtitia talis,per illud triennii tēpus extitit,qualis (vt ita di-
xerim) in funere extiterat:adeo vt obduratas aures ſemper tenuerit ad cuiuſcūq; ami-
ci remedium,atq; ſolatium:donec eius affinis Vrſina, magni imperatoris Venetorū
Bartholomei Colleoni filia,immatura morte obierit:aut inexpectato ei9 funere ex-
territa,aut a morſibus conſcientię laniari cœpta: Tunc in ſemetipſam reuerſa,ſibi ip-
ſi (vt poſtmodū mihi referebat) dicere cœpit. Expergiſcere Damiſella,expergiſcere,
& iam tandem reſipiſce,in craſtinū & tu forſitan morieris. Incerta quippe es,an & ti
bi mors immineat. His ſtimulis agitata,ad me tum Brixiæ cōmorātem,qui fuit an-
nus a natali chriſtiano ſexageſimus.octauus ſupra milleſimum quadringenteſimū ad-
uenit,& tanq̄ chriſtianiſſima mulier ſuā conſciētiam ſaluberrima generalis cōfeſſio-
nis medicina multis cum lachrymis abſterſit. At ipſe poſt collatum ſibi abſolutionis
beneficiū:eius tyrocinum,quoad potuit inſtituēs,in primis ad puritatē,innocentiā,
deuotionē:primos virtutū gradus,tanq̄ manu data ipſam direxi. Moxq; in illā tan-
ta diuini amoris ſuauitas eſt illata,quantam dominus apud Ezechielem pollicetur.
Cum ſanctificatus in vobis fuero, tollam vos de gentibus & cōgregabo vos mihi: &
effundam ſuper vos aquam, & mundabimini. Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritum
nouum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum, & dabo cor carneum. Mox
quidem tanq̄ Bleſilla diuę Paulę Romanę filia viro orbata,crucis vexillum arripuit,
ſeq; protinus regi deo optima fide,pio,altoque animo quaſi deuouit,& me qui meo
ſuaſu meiſq; adhortationibus ad humanorum contēptum eam perduxerā,deinceps
pro ſua incredibili quidē bonitate,ſuarum cogitationū,ſuorumq; cōſiliorū,ſemper
& præſentē & abſentē participē & conſcium habere voluit. At ipſe eius virtutes,&

ſanctimoniam maiorem in modum venerari cœpi. Quæ res etiam immortali gaudio impleuit aures matronarũ totius Brixianæ ciuitatis, & ad ſui imitationẽ inflãmauit multarum eius vrbis mẽtes: ita vt ad ſui exemplũ, temperatiſſimis, breuiſſimiſq; veſtium caudis vterentur. Cæteris autem ſuis virtutibus, vtpote religione, pietate, humilitate, & aliis permultis, nulla laus profecto digna inueniri poſſet. Cõmunicabat ſe nõ ſemel, ſed nouies aut decies ad minus in anno: & id ſemper ſingulari humilitate, & quantũ agnoſci poterat: deuota quidem mente atq; erecta, cum lachrymis ſemper in deum. Canonicas horas (prȩter cȩteras priuatas orationes) quotidie religioſorum more exoluebat. Sui autẽ omnes, cum vitam ſecularem ſæpe agerent in ludis, & cæteris lȩtiſſimis ſpectaculis: ipſa tanq̃ abſtracta ab omnibus mũdanis illecebris, nihil ſibi relinquere volebat, quod a propoſito recto, beateq; viuendi eam ſubmouere poſſet. Enimvero nihil vel honeſtius, aut iucundius ſibi ducere volebat, q̃ poſt tractatam rem ſacrã quotidianã, aliquod honeſtũ manibus operari. Sed quid de eius conſtãtia, & inaudita quidem in aduerſis tolerandis fortitudine dicemus? quã maxime in obitu Cæſaris vnici filii oſtendit: in qua vniuerſa certe Brixiana obſtupuit ciuitas. Quȩ tãta equidem extitit: vt (pace omniũ dixerim) potuiſſet cum ſancta Melania Ro. diui Hieronymi diſcipula, de admirabili fortitudine, deq; ingenti patientia contendere. Erat itaq; huic optimȩ Damiſellæ, vnicus filius ſibi luce charior: eximiæ quidem indolis, & ingẽtis animi atq; ingenii adoleſcẽtulus, plane moriger, perhumanus, & virtutibus deditus: quẽ tanq̃ animæ ſuæ perfugiũ atq; ſolatium vnice diligebat. Is autẽ cum quintũdecimum ætatis attigiſſet annum: mortalitati, cui natus erat, pie concedens, in domino quieuit. In cuius interitu adeo ciuitas plangoribus cõſternata fuit, ac ſi q̃plurima præclara ornamenta ex humanis ſimul ablata fuiſſent. Quam ob rem ad celebrandũ eius funus, frequens virorum ac matronarũ factus eſt concurſus. Aderat & Seuerinus pater ſuus ſpiritualis, vir religioſiſſimus, locupletiſſimus teſtis, aderant & alii q̃plurimi graues religioſi, atq; alii nõnulli ex primoribus vrbis: qui vt leniendo eius mœrorem, poſſent ei firmiſſima adhibere remedia: aut ſi opus eſſet, eius fletibus modum imponerent, Quanq̃ & ipſi omnes præ nimia pietate nõ valerent ſe a lachrymis cõtinere. At illa ne videretur nullum cũ virtute habere cõmercium, nihilq; cum ratione cõmune: ingenti fide ſuffulta, cõplicatis manibus, & luminibus ſiccis in cœlum erectis, animo infracto: hæc verba vniuerſo aſtãte & audiẽte populo, eo in funere ad deum ait. Domine deus meus, qui me miſellã creaſti, & cuſtodiſti, quiq; amorem ſeculi a me abſtuliſti, mihiq; patientiæ virtutẽ contuliſti: te humiliter deprecor, mihi in hac hora tua cõferas beneficia, atq; ſolatia ſuauis: deinde vt tibi domine Ieſu Chriſte viuat hic filius meus dilectiſſimus, per quẽ beatæ omnes in æternũ viuunt animæ. Quieſcat obſecro in te tandẽ liber, tandẽ ſecurus, tandẽq; æternus. Ne reminiſcaris oro domine deus peccata eius, ſed ſuæ pueritiæ & ignorantiȩ ignoſce. Excipe illũ precor ex hoc humili domicilio, in tuã tutiſſimam requiẽ: vt tãdem te in ſplẽdoribus ſanctorũ tuorũ ſempiterno viuat æuo. Hunc quippe egregiũ pietatis ſimul & grauitatis habitũ noſtra hæc Damiſella, eo in actu præ ſe tulit & declarauit. Atvero, quoniã iam ſatis de eius religione, cæteriſq; virtutibus, atq; patiẽtiæ & fortitudinis præſtãtia dictũ eſt: Nunc demũ de ipſius mirifico habitu, ac dormitione dicẽdũ eſt. Erat igitur in primis Damiſella Martinẽga inſigni forma, & liberali, mediocriq; ſtatura: molli carne, prout eius filia ſuperſtes repræſentat Angela: venuſta & alacri ſemper facie, decenti colore interſperſa: nigris oculis, & aureis capillis. Et quanq̃ ſuo viuẽte viro admodũ fuerit fœcũda: poſtmodũ tamen tanti fecit caſtimoniã, vt & naturæ corporis, atq; exterioribus cunctis, ſua virtute nõ modo reſiſteret: ſed & viri tum amantiſſimi interitum quaſi optaſſe viſa fuerit. Vnde & pro certo hoc haud dubito, eam maluiſſe mori q̃ nubere: quanq̃ a pluribus proceribus in cõiugiũ inſtanter poſtularetur. Poſtremo hæc fœminarũ optima, in anno ſalutis noſtræ milleſimo quadringẽteſimo, & ſeptuageſimo nono, cũ quartum & trigeſimũ vitæ attigiſſet annũ (prout eſt

fragilis hominũ ſtatus ac cita ad interitum vita) vnius pene hebdomadæ langore, in
Quintili menſe extincta eſt. Pro qua quidem emigratione, optima mulier crebra hu-
ius vitæ effugit naufragia: fortunæq; vices, ac ipſas frequẽtes ſui corpuſculi anguſtias:
& vt indubitato teneo, expedita & libera, ad ſublimia cœleſtis regionis acceſſit gau-
dia. Hæc quippe ſunt: quæ ex deſyderio integerrimi animi optimæ mulieris, dilectiſ-
ſimæ noſtræ, mente verſauimus: quæ & præſentibus atq; futuris omnibus hoc in volu
minis calce, quaſi epitaphium ſuccincte perſtrinximus: vt omnibus eius ſanctimonia
atq; virtutes fierẽt notæ. Cuius beatam memoriam, nulla mihi vnq̃ abripient tempo
ra, aut certe delebit obliuio, vt non mihi indigno patri ſuo viuat. Sed neq; hoc in lo-
co & ipſe ſubueritus ſum, diuum imitari Hieronymum: qui dum ſuam Paulam Ro.
matronam ſanctiſſimam, in filiæ Bleſillæ dormitione conſolaretur: his verbis vti
non extimuit. Dum ſpiritus hos reget artus: illam mea lingua perſonabit, Illi meum
deſudabit ingenium: Nulla erit pagina, quæ Bleſillam non reſonet. Reminiſci illam
certe nequeo, niſi ſemper cum gaudio ſingulari, & ſummi dei noſtri immenſa laude:
a quo bonum omne ſemper affluit. Noueram etenim quid in ſe honeſtatis, quid mo-
deſtiæ, quid religionis, quidve prudentiæ vigeret. Meum autem hoc propoſitum eſt,
vt laudata virtus in auia: excitet neptem hanc, ad facinora ſectanda præclara. Cum
nullæ maiores arbitrer animorum concitationes, q̃ commemorare maiorum ſuorum
laudes: quæ res hoc in ſe habet vtilitatis, vt ſtudioſos incendat ad eas ſuperandum, &
ignauos ad eaſdẽ imitandũ. Hanc igitur auiam Damiſellam tam pudicam, tam reli-
gioſam atq; magnificã, cuius illuſtre nomẽ hæc neptis hæreditauit, haud dubito quin
ad vnguem ſit imitatura, immo longe præclarius anteceſſura, Quibus quidem virtu-
tibus inſignita, ac cœleſtibus armis vndiq; protecta & illuſtrata, familias etiam paren
tum ſuorum clariores reddet. His præterea natura muneribus eximijs illuſtrata puel-
la, non modicum ſuæ genitricis documenta atq; exemplaria (cuius ſermo, inceſſus &
habitus: doctrina eſt) adiumento erunt. Nam & quotidie ad exemplum ſuæ genitri-
cis, horas canonicas Romano more imprætermiſſe exoluit. Et tanq̃ Sibylla deum
mente gerens: quotidie ſingulares ad deum effundit cum lachrymis oratiunculas. Et
quanq̃ literarum diſciplinis acerrimo ingenio videatur dedita: non tamen eidem
profecto euenit quod quibuſdam, qui in vna tantum arte vel in quibuſdam ſolum ex-
cellere videntur: ſed adeo verſatilis ad omnia muliebria exercitia obeunda ſe exhi-
bet, vt nil videat quod mirifice non aggrediatur: ita vt neſciatur prorſus ad quem pri
mum ingenii vſum eam natura genuerit. De multis etiam ipſius donis atque gratijs
multa poſſent ſcripto mandari, ſed potiora tantum ex more collegimus, & ea quidẽ
quæ magis ad ipſius illuſtrandũ nomen neceſſaria fore arbitrati ſumus. Ob hoc enim
viuet omnibus ſeculis, omnigeniſq; tolletur linguis, etiam ignorantia æmula inuita.
Aliarum autem matronarum, quanq̃ magnarum, ignauia torpentium: vix diurna re-
cordatio erit, peritura certe illarum vita cũ nomine. Fuit hæc mitiſſimi ingenij puel-
la, atq; amabilis in primis: de qua tota eius propinquitas, tanq̃ de rutilanti Roſa ec-
cleſiæ plurimum congaudet. Eas ob res quidam eximius ex noſtris poeta non me-
diocriter exhilaratus: lepide hæc cecinit carmina, dicens.

Quid facis in terris Damiſella Triulcia? cœlum
Ingenijs debet talibus eſſe domus.
At ſcio quid facias, flores cum coniunge Ditis.
Non legis, ad Stygios vt capiare lacus.
Cura tua eſt virtus: & iter meditaris ad aſtra.
Nam virtus comites tollit ad aſtra ſuos.

IACOBI BERGOMENSIS DE CLARIS MV-
LIERIBVS LIBRI: FINIS.

¶AD LIBELLVM SVVM, IN QVO DIVÆ CATHARInæ Senenſis vitam narrat, Ioannis Pini Toloſani Carmen.

PArue liber, foribus poteras ſubſiſtere noſtris
 Tutius: & laribus delituiſſe meis.
Sat fuerat mecum potius tineas, cariemq́,
 Pulpitaq́ exeſum puluerulenta pati.
Quã piperi & ſcombris viles feciſſe cucullos,
 Tegmen & hirſutis tortile gauſapinis.
Iam fugis & medias temerarius irruis vndas:
 Nec te quæ maneant dura pericla vides.
Heu fugis, & tenues deſpectas improbe ciſtas:
 Teq́ pudet noſtræ continuiſſe domi.
Sed fuge quo libeat: fuge perdite, non moror vltra:
 I, modo dum Latijs finibus exul eas.
His tibi nec tutus locus eſt: ſed inhoſpita cuncta
 Offendes, miſeris dilacerande modis.
Barbaraq́ Latijs audes miſcere camœnis
 Verba: peregrinis verba notata modis.
Proin fuge, adhuc reſtas moriture? nec otius vrges!
 I fuge, & Auſonijs ſedibus exul abi.
Te melius rapido capiet vicina Garumnæ
 Turba: fluentinis non ſatis apta ſonis.
Illic te pueri faciles, Iuueneſq́ ſeneſq́:
 Te leget in molli caſta puella thoro.
Illic nil metuens, quacunq́ licentior inſta.
 Et neq́ naſutum rhinocerota time.

AD R. ET AMPLISSIMVM ANTISTITEM D. Dominum Ludoicum de Ambaiſia, Albienſem epiſcopum: Ioannis Pini Toloſani Epiſtola.

MIrabere ſat ſcio digniſſime pontifex id, quod tecum vna quoq́ complusculos facile miraturos exiſtimo: me externum & peregrinũ hominem, nullis nec literis, nec bonarũ artium diſciplinis imbutum: nulla vi, nullo dicendi genere exercitum, ineruditũ, rudem, incultũ, eo audaciæ ac temeritatis eſſe prolapſum: vt in hoc famatiſſimo ac celeberrimo terrarum orbis gymnaſio, in hoc publico ac pene communi bonarum omnium artium emporio ac domicilio ſcribere aliquid, idq́ quicquid erat in publicũ dare auſus fuerim. Verum nihil eſt quod tu, nihil quod illi magnopere nimis admirentur: multorum id nos exemplo facimus, nec exterorum modo (minor enim peccandi licentia eſſet) nec tam facilis veniæ daretur occaſio, ſed indigenarum quoq́ nonnullorum, quorum tametſi & acre & elimatum ingenium, tametſi ampla & exquiſita rerum eruditio, ac vehemens quædam dicendi facultas & copia videri nobis ſoleat: tamẽ nihil vſq̃ eſt viſum, quapropter ipſi, licet rebus omnibus longe inferiores & impares, eorum metu ſubſiſtere cogeremur: nam (ſi non plane ridicula comparatio videbitur) neq́ Platonem Socrates, nec Ariſtotelem Plato, nec Ariſtoteles Theophraſtum (quem vnum ſcholę ſucceſſorem elegerat) neq́ hic quoq́, licet admirãda quadam & pene diuina facundia præditus (abs qua ei quoq́ nomen inuentum eſt) aut Phaleræum Demetrium, aut poſteros omnes ab philoſophãdi atq́ dicendi ſtudijs abſterruit: neq́ (vt noſtros interim ſileam) Herodotus qui tri-

centeſimo decimo vrbis Romæ anno hiſtoriam ſuã ſcripſit, Thucydidem illum, qui (quod fere olim Romæ optimo cuiq; contigit) ab ingrata ciuitate pulſus in exilium, Lacedæmone conſcripſit hiſtoriam: neq; hic Phyliſtum Syracuſium, Dionyſij tyrãni familiariſſimum: neq; Phyliſtus, Lyſiam, aut Iſocratem præclarum illum dicendi magiſtrum, ex cuius ludo tanq̃ ex equo Troiano innumeri principes exierunt: neq; hic rurſus Theopompum aut Ephorum, quorũ huic calcar, illi frenos adhibere conſueuerat, ab ſcribẽdi ſtudio reuocauit. Quã ob rem nil cuiq̃ mirum videri debet: ſi neq; hi noſtri, nos multos licet inferiores & impares, a ſcribendo terruerint: quos ſi nõ æquamus, ſi non eodem adhuc ordine conſiſtimus: minime tamen pudet horum affectari veſtigia. neq; enim nos, noſtraq; tanti facimus, nec ſane eo adhuc temeritatis ac impudentiæ venimus: vt non eos quoq; vel quãlibet magno ſubſequi interuallo pulchrum nobis putemus. In eorum itaq; hominum ordinẽ redigi nos ac cogi facile patiemur: quorum ſi nos prima repudiet nec ſatis dignos eſſe putabit: ſecunda ſaltem aut tertia forte claſſis non inuita recipiet, quod ſi neq; hoc ſatis aſſequemur: minime ſane moleſtum erit (tantum enim abeſt ne his velut puerilibus noſtris ineptijs aut laceſſere quenq̃ aut prouocare cupierimus) vt has puſilli ſane temporis vigiliolas noſtras, ſatis abunde felices duxerim, ſi horum cenſuram atq; iudicia ſatis ferre potuerint, vel ſi horum quoq; obeliſcis fodi, ſi aſteriſcis notari meruerint: quod id erit ſignum, id facile indicium, reliquis ſaltem partibus placuiſſe. q; ſi nulla forte placuerint: parque & vna omnium ſors atq; conditio futura videatur: quare minus id mihi liceat, quod & Lucio Lucilio illi veteri olim? poſthacque Tullio Ciceroni, homini vni extra omnium ingeniorum aleam poſito ac nato, demumq; Plinio ſecũdo licuiſſe cognouimus? qui ſi omnes humanarum ac pene diuinarum omnium rerum eruditione conſummatiſſimi, Lælios quoſdam & ſemidoctos ex vili turba homines, ſuorum operum iudices ac lectores eſſe voluerint: Perſios autem & acrioris ingenij viros palam exceperint. quãto magis id homunculo mihi & omnium rerum imperitiſſimo, & quãto liberius liceat? vt non modo Perſios illos, & nimis acuti naſi homines: ſed & Lælios, & in media turba ſemidoctos quoſlibet excipiam: eoſque ab his rudibus ingenioli noſtri primitijs, velut ab acerbis adhuc & immaturis frugibus tanq̃ fulgura & tempeſtates amoliar. plebi enim & rudioribus turbis, non doctorum coronis & conuenticulis, has pluſculas noctes elucubrauimus: horum iudicia cenſuramque refugimus, illis grati eſſe, illis placere cupimus: abs quibus ſi nec admittimur, ſi deijcimur, & velut indigni de limine explodimur, minime ſane laboramus, neque enim hæc flocci facimus: quin vt vilia, vt abiecta ſub aleam & fortunæ periculum mittimus: ingrata ſane pluribus, ſed & grata forte nonnullis erũt. nam & peſſima quæq; ſæpe ſuos autores, ſæpe ſuos fautores & cultores inueniunt, præſertim cum nullum neque tam turpe vſq̃ neq; tam impudens dici mendacium ſoleat, quod ſua fide & teſte caruerit. Quod ſi qui erunt qui maiorem in nobis eloquentiæ vim, cultamque magis & accuratam dicendi rationem poſtulent: ſane hi duriuſcule mecum acturi videbuntur, & longe aliud a nobis (q̃ ipſi profitemur) officium expoſcere: aliud enim poetæ, aliud hiſtorico, aliud oratori, aliud narratori officium datur: atque hunc quidem vltimum, cuius nos officio, ſi modo recte, fungimur: ſatis eſſe videtur inculte, licet & incompoſite, pręſtare quod in ſe ſuſceperit: fruſtraque maius quicq̃ ab eo & grauius expoſcitur. illos vero in ſuo quenq; genere, vagari liberius & velut ampliſſimo & patentiſſimo campo, conceptis congeſtiſque vndique verborum ac rerum floſculis fuſius ſpatiari conueniet: id quod eo his fore facilius videtur, quo hi ſæpenumero magis amplas & vberes materias tractant: in quibus ſæpe vel inuitis & conniuentibus, magna rerum vbertas & copia, ornatum omnem, cultumque ſuppeditet: reſque & verba quæ ex his frequenter oriuntur, velut ad os & manum offerat. quod longe ſecus euenit his, qui ſimplici & nudæ rerum narrationi vacãtes, velut in arcta, ſtrictaq; & nimis anguſta ſemita demorantur: quibus vix ſatis vnq̃ ne tranſuerſo quidem vngue (quod aiunt) extra præ-

ſcriptum, & velut quoſdam quaſi cancellos egredi vſq̃ liceat: ſed nuda illa & inani, ac ſæpe nimis ieiuna rerum inopia ſterileſcere, & ſæpe numero inuiti obmutere cogãtur: quod cum ſæpe alias vel tum maxime vſu venire ſolet, ſiquid quiſq̃ vnq̃ ſacrarũ id genus rerum & diuinarum attigerit: velut in his humanum ingenium (ſæpe quidem debile nimis & imbecillum) quodam quaſi natiuo & nimio rerum pondere preſſum in dicendo fatiſcat, & velut inſolito cuidam oneri laſſum feſſumque ſuccumbat. Quare facili nuper & domeſtico caſu periculum fecimus, falſo a quibuſdam accuſari Hieronymum, ꝙ ſæpe non eãdem in ſacris quam in prophanis rebus eloquentiam præſtet: quodque non ſe pariter in omnibus elaboratum & emunctum exhibeat: id quod tametſi facile præſtare potuiſſet, neque enim tanti & tam exculti ingenij viro tam inepte diffidimus: & licet is nobis non tam non potuiſſe q̃ noluiſſe videri ſoleat (ſi nonnunquam id non ſatis aſſequitur) tamen neſcio ſane quo pacto velut natura comparatum videtur: vt ſacræ illæ atque diuinæ literæ: ornatum omnem cultumque latinum, non ſecus ac mollem quendam muliebremque & fœmineum mundum refugere videantur: ſatiſque ſua illa ingenita, natiuaq; pulchritudine ac bonitate contentæ, fucos omnes cincinnos & veneres: omnia denique nimis accurati & velut calamiſtrati ſermonis lenocinia reſpuant: & vt probæ illæ & honeſtæ matronæ, tum ſibi caſtæ atque pudicæ videri ſolent: ſi ſe nec cæruſatas neque fucatas ſenſerint: eoque melius olere ſi nihil oleant. ſic & hæ quoque tum ſe integras magis & incorruptas exiſtimant: ſi neq; cultæ aut compoſitæ, nec quibuſdam quaſi calamiſtris velut ſtigmaticis notis inuſtæ fuerint. Quare multo mecum præclarius agitur, ꝙ eo minus mihi negotium, ingenijq; & famæ periculum ſubeundum fuerit: alioqui impudentiæ plenum & arrogantiæ futurum videbatur id me conari vel aggredi, quod nunq̃ ſatis aſſequi potuiſſem: tametſi non ſic quidem adhuc ſum aſſecutus, vt parte vlla abunde mihi ſatiſfaciam: quin vt me oderim potius vt mihi ipſe diſpliceam: ſatiſque verear ne qui me adhuc audaciæ & inconſultæ temeritatis inſimulent. Cæterum vbi te cogito, vbi te ampliſſime antiſtes mecum ipſe memoria repeto, vbi facilitatis, humanitatis, continentiæ, pudicitiæ, vitæ, morumque puritatis, & innocentiæ memoria ſubit: vbi denique reliquæ tuæ virtutes, corporiſque & animi dotes innumeræ nobis in mentem veniunt: timorem omnem metumque deponimus, tuncq; nulli hominum inuidiæ, nullique aut famæ aut ingenij periculo cedimus. ſatis id vnum nobis ſuperq; futurum eſt: ſi tibi vni, hic qualiſcunque ingenij noſtri labor non ingratus aut iniucundus fuerit: etenim vel a puero quoq; ſemper te tanti fecimus: vt ſi tu mecum ſentias, cæteri quid obmurmurent, non magnopere nobis laborandum putemus. Vale digniſſime Antiſtes. Bononiæ nono calendas Octobris.

DIVAE CATHARINÆ SENENSIS VITA, AD R. In CHRISTO patrem, & D. Dominum Ludoicum Ambaiſianum, Albienſem Epiſcopum: per Ioannem Pinum Toloſanum edita.

CAtharina Senenſis (cui a ſolo natali patrium cognomẽ inditum eſt) plebeis quidẽ ac modicis, verum optimæ, ac honeſtiſſimæ vitæ parentibus orta eſt: horum Iacobo alteri, alteri vero Lappæ nomen fuiſſe proditur. miramq; horum in ea ſorte vitę frugalitatem, ac innocentiam fuiſſe commemorant: patriſq; tantam mentis & animi tranquillitatem ac fortitudinem: vt nulla vnq̃ hominum iniuria, nullo conuitio, nulloq; vel aduerſæ, vel proſperæ fortunæ metu, aut gaudio moueri vnq̃, aut conturbari potuerit. His parentibus felix adoleſcentula, Senis, vetere & nobili Thuſcorum vrbe naſcitur, anno ſalutis humanæ, milleſimo tricenteſimo quadrageſimo ſeptimo: quæ vixdũ ſextũ ætatis annũ attigerat, cũ ea iam diuini amoris igniculo ſuccendi, ac inflãmari cœpta eſt: tantaq; & tam ingẽti veneratione, puerilibus adhuc in annis, deiparam virginẽ adorare, vt quãdocũq; paternæ domi ſcalas vltro citroq; cõſcenderet, ſingulis pene gradibus ei ſubinde præſens eſſe cõſueuerit, qua tũ forma fuiſſe proditur, cũ ad eam felicis futuri partus, nuncius allatus eſt. Hæc quoq; olim (vt memorãt) forte a ſororis ædibus, paternã domũ repetens, cũ diu fixos humi oculos ſurſum paulisper erigeret: in ſummo templi faſtigio, quod in ea vrbe diuo Dominico ſacrũ eſt: Chriſtum põtificali habitu, in ſolio ſedentẽ aſpexit: qui ſubridenti ſimilis, attonitæ nouo miraculo, & in primis ſtupidæ virgunculæ, vitalis crucis ſignaculũ feciſſe viſus eſt. Inde iam poſthac felix adoleſcẽtula, velut igni, & diuino quodam ſpiritu afflata: ſpretis atq; contẽptis, rebus humanis omnibus, diuina tantũ atq; cæleſtia impendio magis contẽplari cœpit: felicemq; illam vitã atq; perpetuã, ſolicita mẽte ſecum aſſidue reputãs: quærenſq; ſedulo ac diligenter, quænã illuc via tutiſſime duceret: ſanctorum patrum veſtigia, vitãq; & mores imitari conſtituit: quos prioribus ſeculis, durã in primis, atq; aſperã vitam vixiſſe cognouerat: non his mollibus, fluxiſq;, & purpuratis veſtibus indutos: nõ amplis, ſumptuoſiſq; nimiũ, ac pene inſanis ſubſtructionibus, non vndiq; auro, argentoq; lucẽtibus tectis habitãtes: nõ ſexcentis ciborũ exquiſitorum ferculis, non opiparis illis, ac ganealibus epulis, non adicialibus & ſaliaribus cœnis ingurgitantes animũ: non deniq; cibo, ac vino nimio heſternam adhuc crapulã eructantes: verum palmarũ, reliquarũq; arborum folio contextos: quiq; melotis, pellibus, vilibuſq; centonibus adoperti: aſperis montiũ labris, ac crepidinibus tecti: duriſq; tegetibus decubantes, fagina aut querna glande, ſemiuiua corpuſcula nutriebãt. In eorum hominũ mores, accurate cõponit animũ: In eã vitę felicitatem, tenerã licet adhuc & fragilẽ adoleſcentiã accõmodat: idq; tum lõge magis, q̃ cui q̃ alteri per ætatem liceret, feliciter & abũde cõſequitur. Primoq; rata: ventris & gulę ingluuiẽ, optimis quibuſq; moribus, maxime peſtilẽtem & noxiã: potus, cibiq; parcitate, voluntariaq; ac pertinaci quadã inedia, tenellũ adhuc corpuſculũ macerat: potiſſimam ferme tẽporis partẽ, diuinis rebus impartiẽs: illic cõuiuia, illic comeſationes ac prãdia collocat. iãq; ſermonis, & animi lenitate, ea velut publica fama, palã prorepſerat: vt cõſpirãte vicinia tota, quę iam puellæ in primis mirabili vita, vehemẽter ſtupere cœperat: euphroſynes, velut letitię cognomẽtũ acceperit. Paſta itaq; & abũdãtiſſime ſaginata diuino illo atq; cœleſti pabulo: eũ iã vitæ modũ induxerat, vt ei terrenũ nihil, aut humanũ ſatis ſapere videretur. Hoc ſãcto vitę inſtituto, parẽtes maxime ac domeſticos oẽs, incredibili quadã admiratione perculerat: q quo puellę vitę frequẽtiores aderãt, eo quoq; his i dies, miraculũ maius & grãdiꝰ videbatur: obſeruata eñ diligẽter & accurate puella quid ageret: ſæpe ab imo ſcalarũ gradu, ad ſummũ (vbi deiparæ virgi-

nis imago picta erat) ſublimis ferri cõſpecta eſt. ſic enim iam diuinis cœleſtibuſq; my-
ſterijs puerilem imbuerat animũ: ſic ab hac fluxa, terreſtriq; rerum humanarũ mole,
ad æternam illam, ſtabilẽq; & cæleſtem vitã erexerat: vt quãuis mortalis ea quidẽ, &
adhuc adoleſcentula, tamẽ mortale nihil vnq̃, aut puerile quid ageret: verũ humanæ
huius, imbecillæq; ſortis prodiga contẽptrix, ſupernis ſemper ſedibus immorãs: cor-
pore quidem terras, mente vero iam cœlum colere videbatur. iamq; tum pulſa, deter
ſaq; mortalitatis fæce, perpetuo ac ſancto pudicitiæ voto, cælitũ vitam ſubarrãdo pa
ciſcitur: ſtatimq; ſibi, tenellum atq; felicem induxit animũ, diui Dominici ſectari ve-
ſtigia: ꝙ eius ordinis viros ac candidatos omnes, ſummopere ſemper reuereri cõſueue
rat. ibi tum iam puellæ mater, cum pene diuinis virgunculæ moribus, tum natura ipſa
duce: miro quodã in eã amore ſuccẽſa eſt, cœpitq; ſolicite & curioſe agere: vt patrio
ritu, puella: venuſta, cõptaq; incederet: magiſq; popularis auræ, fluxæq; laudis huius,
q̃ æternę vitæ ſolicita. capillum in primis ſtudioſe curabat: ꝙ in eo dos vna, atq; præ-
cipua muliebris formæ cõſiſteret. vixq; dum ſatis puella pubeſcere cœperat: cum pa-
rẽtes ambo iam nuptias, & hymeneũ domi, iam nouã nuptã & generũ cogitant. ma-
treq; lõge magis ea cura ſolicitat, quæ tametſi votæ pudicitiæ ignara: tamẽ multis iã
ſignis ac varijs coniecturis ambigua: Iãq;, id quod erat facile ſuſpicata: puellã, ad filiã
alteram, Catharinæ ſororẽ iam matrimonio collocatam, mittit: illicq; apud eam cõ-
pluſculos dies verſari iubet. filiæ vero iam nuptæ clanculũ mandat: puellã ſciſcitetur
ac diligenter interroget, deq; eius mente & animo toto, ſeſe q̃primum certiorem fa-
ciat: hortetur ad nuptias, matrimoniũ laudet, coniugalis vitæ cõmoda, & fructũ effe-
rat: demũ quibuſlibet modis, tenellũ adhuc pubeſcẽtis virguncule animũ, ad genialẽ
thori voluptatem alliciat. Filia vero Catharinę ſoror (ꝙ & ea forſan a materno ſenſu
non parũ aberat) ſedulo, ſibi mãdato officio fungitur, matriſq; voto ſatagẽs, vias om
nes & modos diuertẽdi puellæ animi, diligẽter inquirit. verũ id tũ fruſtra conata eſt.
ſic enim iam ſibi firma atq; fidelia pudicitiæ fundamẽta puella iecerat: ſic iam diuino
amore & cultu, velut tenaci glutino, animi ſepta clauſtraq; munierat, vt nullo cuiuſq̃
aſtu vel inſidijs, nulla vi, nullo impetu, facile loco moueri poſſet. Paulopoſt vero vita
functa ſorore: parẽtes tantũ aberat ne filiæ luctu ſententiã flecterẽt, vt eo magis, velut
nouo quodã & impotẽti deſiderio ſuccẽſi, Catharinã in demortuæ locũ ſubſtitui cu-
perẽt: periturã exiſtimãtes, ſeq; ita orbos futuros, ſi matrimonio contẽpto, cœlibatũ
eligeret. quare virũ quẽdã religione, vitæq; & morũ ſanctitate cõſpicuũ: puellæq; ipſi
ſatis abunde cognitũ, mittunt: qui cœptũ iam ab ſorore, ſed nõ feliciter actũ negotiũ
expleret. is tametſi religione & vitæ inſtituto prohiberi ſe diceret: tamẽ parentũ la-
chrymas, ſqualloreq; & luctum miſeratus: operam lubens pollicetur. ſimul ac vero ſa
crum puellæ cubiculũ ſubijt, cũ multa diligenter & accurate, in matrimonij laudem
exquiſita diſſereret: incredibilẽ puellæ conſtantiam, & animi firmitudinem admira-
tus: repente cõmutata ſententia, ex diſſuaſore, vehemens quoq; conſultor & admo-
nitor factus eſt. collaudatoq; puellæ cõſilio: hortatur ne id poſthac ſimulanter agat,
ne ſe quæ ſit occultet. palam Chriſto mancipata proſiliat: neu iam poſthac mœſtos
iam ſatis, atq; ſuſpenſos parentum animos, ſpe falſa & inani ſupplãtet: tantiſper dum
ſe cælauerit, id genus mille periculis futuram obnoxiam: proinde ſe (vt iam tacito fe-
cerit) ſic poſthac aperto, & manifeſto voto moleſtis hominum incurſibus liberet. ve-
rum id anteq̃ ſe facturam, parentibus prodat: flauum illum capillum & aureũ, quem
velut peſtilens adhuc humanæ ſortis contagiũ retinebat, iubet abijcere: ne inde parẽ-
tes maiorẽ inquietãdi cauſam, & anſam caperẽt. tõſo enim, ſublatoq; molli blãdimẽ
to & vxorio, nõ tantopere pertinaces futuros: iucũda grataq; prouidi ſenis admoni-
tio, adoleſcẽti puellæ facta eſt: ſeq; ita facturam pollicita, eo paulo mox abeunte cõ-
pleuit. mater vero re cognita: ira, metuq; ſimul & odio, muliebrem animũ ſtimulan-
te: graui cõuicio puellam inſequitur, vixq; id ferre ſatis æquanimiter poterat: mulie-
briq; & imbecillo more proclamitãs, velut furore cõcita ferebatur. at pater id diuinũ

magis q̃ humanũ opus agnoſcẽs:modeſtius longe & æquanimius tulit. Pauloq; poſt mater,quæ nullis precibus,nullo cuiuſq̃ ductu pacari poterat:puellæ capiti niueã columbam inſidentem aſpiciens,ſupplex,pronaq; venerata eſt:caſu tum id quoq; patre rimoſis cubiculi foribus ſpectante:repente ex oculis colũba diſparuit. quærente autẽ ſolicite patre, quænam hæc auis? aut vnde in eum locũ veniſſet? quem vndiq; ſeptũ, nec parte vlla ſatis peruium videbat:puella ſe neſcire,ac rei huius quã peteret,prorſus ignaram eſſe reſpondit.itaq; nouo rei miraculo ſtupidus parens:adoleſcentulam diuino ſpiritu afflatam,facile ſibi perſuaſit. Sub id fere tẽpus,eadem pene hora:diuinitus adoleſcentula cõmonetur, cælatum adhuc apud ſe & tacitum pudicitiæ votũ efferret,palãq; & manifeſtum faceret:ne vlla eam poſthac importuna parentũ ſolicitudo premeret.quare id agẽti ſolicite,& diuinum ad hoc auxiliũ flagitãti,diuus Dominicus adeſſe viſus eſt:cuius ſupra,puellã ab ineunte ætate ſemper ſtudioſam fuiſſe diximus.is altera manu lilium candidũ perpetim ardens,altera vero ſui ordinis felicem habitũ geſtans:attonitam nouo viſu puellam alloquitur. Cõfide inquit Catharina:hoc habitu,ſub cõmuni omniũ principe,militiã haud pœnitendã facies. eo diſparente,Catharina diuino illo caſtoq; ſuffuſa ac plena gaudio:deo immortali,ſuperiſq; omnibus gratias ingẽtes agens, q; ſe ex imbecilla ac meticuloſa:iam fortem ac plane confirmatã eſſe cognoſceret,nihil ſibi agendum prius rata:parẽtes ſpe adhuc metuq; inter vtrunq; ſuſpẽſos,ac ſuæ in primis vitæ ſolicitos,conuenire ſtatuit: idq; eam pudica ac verecunda oratiuncula exequutam accepimus. Puto vos ſane parentes chariſſimi,pro ingenita veſtra prudentia,multis ſæpe ſignis ac coniecturis,facile meũ totum hunc animum, ac vitæ modum potuiſſe cognoſcere: tametſi id vobis antehac nunq̃ verbis,aut oratione prædixerim:id enim ſæpe cogitans,pudore ſimul & parentali timore prohibita:nunq̃ id mihi ſatis inducere potui:iam vero reſumptis viribus,reuocatoq; paulum animo,& vos, falſa ſpe veſtra(qua iam tandiu ſuſpenſos eſſe conſpicio) & me iugi,& aſſidua cum veſtra,tũ aliena moleſtia liberare cõſtitui. Scitote itaq; me infantulam adhuc,& vix dum bene crepundijs,ac nutritia cura ſolutam,perpetuæ corporis pudicitiæ votum feciſſe ſuperis:quam ſic integram,ſic inter humanos immaculatam ſeruare cõſtitui,vt nihil huius rei cauſa non facile vobis,nihil non in primis optabile videatur:nullæ hominũ minæ,nulli terrores,nulla tormenta,nulla deniq; vel quãlibet dura mortis pericula diuertent animum:turbari potius,confundiq; naturæ miracula,ſaxa molleſcere,liqueſcere lapides,durari aquas,ſpiſſari aerẽ,cæteraq; id genus prouido naturæ cõſilio diſtincta,cõmixtum iri poſſe confidimus: q̃ hæc mea pudica,ac deo immortali iam vota caſtitas:pretio cuiuſq̃,precibuſq;,aut imperio fatiſcat.proinde vos,purũ hoc meum,caſtũq; conſilium:hanc meam mentẽ,integram eſſe ſinite:fauete nobis & adeſte beneuoli,ac nos iã poſthac terrena cura,& hoc caduco,mortaliq; cõiugio ſolicitare deſinite.id veſtro mihi cõſenſu,ac voluntate liceat,quod vel inuitis quoq; (quod nolim) factũ iri conſpicietis. ſic enim nobis iampridem induximus:longe ſatius ac naturæ decẽtius videri:immortali deo, cõmuni omnium & æterno parenti, q̃ veſtro imperio,veſtriſq; nõ admodũ ſanis cõſilijs obſequi: quibus humanæ huius & imbecillæ ſortis,fragilis & incerta cõditio: q̃ animarũ ſalus & immortalitas curæ maiori ſit. Hac puellę oratiũcula ſtupẽtibus cũctis & attonitis, quod & ſupra tenellæ adhuc ætatis captũ erat:& vox illa caſtiſſima,firmaq; adeo & immobilis puellæ cõſtantia,audientiũ animos altius percellere videbatur: cũ nullus ſibi ſatis fidẽs reſpõſum faceret:verũ vndiq; paſſim fluẽtibus,ac ſtillãtib9 lachrymis: ſtupore ſimul omnes,atq; ſilẽtio præcluſi torperẽt:pater ad ſeſe rediẽs,in hæc verba reſpõdit. Nos neq; poſſumus (chariſſima filia) neq; debemus, ſanctũ hoc tuũ conſiliũ, atq; pudicũ vitæ inſtitutum auertere,nec votæ deo pudicitiæ aduerſari:quando id tibi diuina prouidentia,ac bonitate conceſſum eſt:vt tuam iſtam,tam caſtam & tam pudicam vitam inter humanos viueres: quare age vtlibet in poſterum, ſecura ſatis & libera ſuperis famulare:nemo noſtrũ poſthac tuæ iſti caſtimoniæ ac ſanctitati ne-

gotium faciet.coactamq; illico,atq; conuentã familiam totam,pater obſequi puellæ
votis imperat:iubetq;,nequis poſthac Catharinã aut de matrimonio,aut alia quauis
humana cura interpellare audeat:interminatus nemini impune futurum,ſiquid ad ſe
de quoq̃ allatum fuerit. Hoc facili atq; benigno parentum reſponſo habito: Catha-
rina ingentem animo voluptatẽ accipiens: Deo immortali,ac ſuperis omnibus,ingẽ-
tes & immortales gratias agit.ac facile poſthac (quod ſæpe antea fruſtra tentauerat) a
parẽtibus impetrauit:vt in abditis ædium penetralibus,ſecretum aliquod,ac puſillũ
tricliniũ darẽt:vbi domeſtica turba tota,ac familiari tumultu ſepoſito, cæleſtẽ diſci-
plinã,ſummo ſtudio,ſummiſq; nocturnis atq; diurnis vigilijs exerceret:mira tum ibi
puellæ contẽplatio,mirum & incredibile diuinę rei ſtudiũ: Chriſti optimi,maximi,
communiſq; omnium parentis,duros & aſperos cruciatus,tormẽta ſæuiſſima,acutos
clauos & ferreos,mortiferũ ſpiculum,demumq; fœdum illum & acerbum interitũ,
quem pro cõmuni omnium gentiũ ſalute,pati vltro ac tolerare voluit, aſſidue cogi-
tabat: quemadmodũ deus ipſe optimus, maximus:cuius nutu ac imperio, mortalia
omnia ac immortalia,cœli,aer,ignis,terra,flumina, ac elemẽta omnia ſapientiſſime
regebãtur:ſeſe hominẽ,noſtra cauſa naſci,ac more mortaliũ,inter parentũ vlnas,va-
gire infantulũ voluit:neq; ad id molles ac delicatas cunas,nõ picta,vel aurata crepun-
dia:ſed vile ac triſte præſepiũ legit. queãdmodũ inter impios pijſſimus, inter flagi-
tioſos innocẽtiſſimus vixerit:demũq;,vt omniũ rerũ dominus ac parens,a viliſſimo
hominũ genere,fœdiſſimiſq; ſeruitijs,cõuicia,contumelias,opprobria,plagas,verbe
ra,fœdã deniq; & aſperã mortẽ libere pati voluerat:quãtaq; tum ibi virtus ac fortitu
do:inter vulnera, cruces,tormẽta,ĩterq; impijſſimos illos,ac crudeliſſimos carnifices
affuit:vbi triſte nihil,aut miſerabile: luctuoſum nihil,aut querulũ: nihil vnq̃ abiectũ
aut fractũ auditũ eſt:tametſi enim vt homo, crudele illud & inauditũ mortis genus,
facile paueſcere poterat:tamẽ q; ſe ipſe,velut ſpõtaneam & immaculatã victimã,pa
tri optimo,maximo,pro cõmuni omniũ ſalute vouerat:ne totũ hoc miſerũ & infe-
lix humanũ genus periret:facile ipſe vnus,omnium loco mori ſuſtinuit. Hæc erat pia
puellę ſedulitas:hæc cõtinens quædã,& aſſidua mentis cogitatio,hęc illius ſecreti,ac
caſti cubiculi cura: Hic labor,hæc opera,in qua diuinũ illud verbũ,identidẽ vſurpa-
re ſolitam memorant:qui vult venire poſt me,abneget ſemetipſum,tollat crucẽ ſuã,
& ſequatur me. Hoc cœleſti ac in primis mirabili vitæ inſtituto Catharina ſuccẽſa:
arctius lõge ac ſolito diligentius,Chriſti optimi,maximi viã, iam multorũ veſtigijs
tritam: ſectari cõſtituit.primũq; pudicũ illud,ac fragile corpuſculũ macerãs:puſillũ
ac tenuem cibum,quo frugaliſſime paſci ante conſueuerat: mira parcitate cohibuit.
omni enim carnis edulio abſtinens:vini quoq; vſum omnẽ abiecit,viceq; huius,ama-
rum quendam herbarũ ſuccum in potionẽ adhibuit. poſthacq;,iam longa inedia ma-
cerato,aſſuefactoq; corpore,panis & aquę tantum duro cibatu paſcebatur:ſæpeq; diẽ
totum,ac noctẽ,continenti ieiunio ac peruigilio tolerans:nihil nec cibi,nec ſomni ca
piebat.neq; hoc ſibi ſatis ad humanæ vitæ caſtigationem viſum eſt:cruciatũ quoq; &
tormentũ adhibuit,duroq; in primis & aſpero quodam cilicio induta,flagellis aſſi-
duis,ferreiſq; cathenis ac vinculis,fractũ nimio labore, ac iam langueſcẽs corpuſculũ
macerabat.veſtimenta nullo vnq̃ tempore,ne ſomni quidem cauſa ponebat:quem &
ipſum parciſſime ſemper capere conſueuerat:niſi ſemel in anno tantũ: quo tẽporum
vicem variaret.nec hæc quidẽ vnq̃,ſomnum captura,culcitram mollem,aut plumeã,
ſed duram & aſperã tabulã adhibuit:nec pro ceruicali puluinus,verũ immane quod-
dam,& durũ ſaxum erat.ſummopere enim ac diligẽter ſedula adoleſcentula, ſomnũ
vincere cupiebat:quo ne illa victa,preſſaq;:nimium diuini operis curã intermitteret.
etenim ſemper vigilãti,diuinũ aliquid in ore verſabatur.Iãq; verbo,iam opere (qui-
buſcum agebat) ſalutiferã & æternã vitã mõſtrabat:ac ſicubi forſan diuina myſteria
ageret,vix ſatis vnq̃ loquẽdo ſatiari poterat,tum ſummam quandam in vultu læti-
tiam præferens.verũ vbi terrenũ forte aliquid,aut caducum inter loquendum inci-

derat: ſic paucorum repente verborũ erat, vt pene muta, atq; hæſitãti ſimilis perſiſteret. fractis itaq; & cõculcatis humanæ huius & imbecillæ naturæ vitijs, cum iam nihil, felix adoleſcentula apud ſe terrenæ labis, & humani contagij reliquiſſet: verũ dies totos ac noctes ſecum diuinũ ſemper aliquid ſolicite cogitãs: ad æterna illa atq; perpetua, mentẽ vehementer attolleret, In hiſq; iam fixa ac velut cæleſti quodã lumine ſuccẽſa: nihil vnq̃ magis, q̃ bene beateq; viuẽdi rationẽ poſceret. & quo id aſſequi poſſet facili9: diui Dominici habitũ parẽtes poſtulauit. graue tũ id in primis matri, ac permoleſtũ viſum eſt: quę, q; puellã vehemẽter amabat, nihil vnq̃ magis timere viſa eſt, q̃ ne hæc a ſe, priuatę ac monaſticę vitę cauſa diuerteret. quare ptinax in hac re & immobilis fœmina, ſolicite rurſus agere conſtituit: Idq; in primis dare operã curat, quibuſlibet modis tenellũ adhuc, ſed iam firmũ ſatis ac plane conſtitutũ, puellæ animũ molliat: captoq; ſuper hac re cõſilio, factu optimũ cẽſuit: puellã ſecũ in balnea ducere, tẽtatura nunquid aquarum natiua voluptate molleſceret animus. iuſſa itaq; puella ſubſequi matrẽ: non ſecus ac peſtilẽs, præſenſq; morũ & vitæ periculũ adijt. verũ neq; ipſa ſuæ ſortis immemor: militiæ cæleſtis ſecũ arma tulit: nihil enim (ne inter exquiſita quoq; naturæ blãdimẽta, aſcitaſq;, & miro quodã humani ingenij portẽto, voluptates adhibitas) niſi cęleſte & diuinũ aliquid cogitabat. ſimul ac vero iã in balnea vẽtum eſt, iuſſa & ipſa ſe abluere, modũ quo voluptatem abijceret, reperit. paulo enim plus q̃ cæteri balneis immorans (id quod ſe mitigandi corporis cauſa facere ſimulabat) cũ ſe illic ſolã eſſe cõſpiceret: torrida atq; feruẽti aqua, mẽbra ſimul & corpus totũ adurebat: ſicq; tenello ingenio, falſa atq; deluſa mater, puellæ voluptatẽ paratam: graue & ingẽs ſuppliciũ dederat. Rogãti autẽ ab ea parẽti, quæ tũ id forte conſpexerat, quonã id modo, tantũ & tã ingẽs ſuppliciũ pati poſſet: reſpõdit, ſe ſuo illo volũtario leuiq; ſupplicio: immania nocentium animarũ tormenta reuoluere, miſerãq; harum atq; perpetuam infelicitatẽ, ſecum animo reputare: ſicq; vtrinq; collata, facile iudicare, q̃ his noſtris grauiſſimis: illa vel leuiſſima quæq; facile præponderent. ſic itaq; puellæ ingenio falſa, & ſpe ſua pene certiſſima fruſtrata mater, in vrbẽ redijt. vbi cum eã aſſiduis, ac pene quotidianis efflagitationibus Catharina rogaret: pateretur priuatã vitã, atq; monaſticã agere. neq; ad id pertinax & immobilis mulieris animus flecti poſſet: tantã repente puella animo, & tam ingẽtem ægritudinẽ cœpit: vt iam in dies magis affectum corpus langueſcere, ac pene totũ ſenſim viribus deficere videretur, denuoq; parẽti ſupplicãs: ſe niſi voti cõpotẽ faciat, breui moriturã aſſeruit. ibi tum mater, mortis metu magis, q̃ puellæ precibus victa: honeſtiſſimis ac iã ſæpe cupitis puellæ votis annuit: ſicq; habitũ conſecuta, velut præſenti quodã medicamento, febre, ſimulq; omni corporis lãgore ſoluta eſt. Libet habitus huius formam paucis, naturãq; deſcribere: pulli enim albiq; coloris varietate diſtinguitur albicãte ſimplicẽ, purũ, caſtũ, pullo autẽ ſecretũ, ac tacitũ in ſe, ſibiq; ipſi bene conſciũ animũ, deſignari commemorant. atq; ita cõmixto vtroq; atq; compoſito: purum ac innocentem animũ, ſimulq; harũ rerũ mortaliũ, & humanarum ſpretum, atq; cõtemptum ſignificari autumant. quæ res vna omnium maxime: diuæ Catharinæ felicitati cõgruere videbatur: in qua nec labes vlla animi, nec fœda ſordes inerat: quæq; iam ſe, ſua ſponte hac fragili rerũ hamanarũ ſorte, ac conditione priuauerat: ad eãq; vitę ſeueritatem, miram quandam verborum, ac linguæ parcitatem adiecerat: q; nõ erat neſcia in quanta & q̃ manifeſta, ſæpe morum ac vitæ pericula, peſtilens linguæ lubricitas offerat: quãq; nõ corporis ſolũ, ſed animi quoq; ac mentis pudicitiam attẽtet profuſa nimis, præcepſq; verborũ inſolẽtia: quæ ſicut improbos, ac iam vetere & diutina turpitudine inueteratos oblectat: ſic improuidos adhuc ſimpliceſq; & incautos animos fallit, & i immania ſæpe vitiorũ abrupta præcipitat. Id itaq; prouidẽs & ſagax adoleſcẽtula, ſanctũ illud ſalubreq;, & vetus Pythagoræ inſtitutũ ſecuta, ac in ſeipſam magiſtra ſeuerior facta, triennale ſibi ſilentiũ indixit: ſpretoq; omni mortalium cœtu atq; cõſortio, ſeſe intra illud caſtum, pudicumq; cubiculum, nunq̃ aut raro prodiens, cella ſecreta conti-

nuit. illicꝗ caducum nihil, mortale nihil aut fragile cogitans: verum illa cæleſtia, im mortalia, perpetua, æternaꝗ volutās animo. diuino ſemper amore paſcebatur: corporiſꝗ tum cibos & alimenta, nullo mortaliū vſu, ſed diuino tantum, cæleſtiꝗ miniſterio capiebat, in eoꝗ deum optimum, maximum, nullo nec nuntio nec adminiſtro, ſed ſua ipſius opera vſum eſſe cōmemorant, qui feliciſſimam illam animā, priuato quoꝗ colloquio, ſæpe dignam exiſtimans: vbi hæc naufragia, has tempeſtates, hæc immēſa proceloſæ vitæ pericula, ſatis abunde mōſtrauerat. ſic pietatem, fortitudinem, continentiam, religionem: ſic omne deniꝗ virtutum genus piam puellam edocuit, ſic ſanctum ſuum illud vitæ inſtitutū ſtabiliuit ac fixit: vt iam nihil ardentius cupere, nihil magis optare videretur, q̃ vt hoc vili corporis ergaſtulo liberata, felicem illam ac beatam vitam aſcēderet, q̃ vt hac caduca, terrenaꝗ mole ſoluta: Chriſtum optimum maximum, leuis & expedita comes ſequeretur. hoc crebro frequentiꝗ dei maximi commercio, puella, tametſi ingentem animo voluptatem caperet, tamen haud parum anxia, atꝗ ſolicita erat, ꝙ verebatur ne maleuolus & callidus hoſtis, collocatis inſidijs, incautam, & ſæpe minimo quoꝗ ſucceſſu tumeſcentem humanā mentem falleret, cōpertum enim habebat: eū dei iuſſu ſæpe vel angelicā vel humanam perſonā induere ſolitum, quo promptius fragili ſatis & imbecillo generi humano impoſturam faciat. gratiſſimus hic puellæ timor immortali deo factus eſt: quem tum demū vere timebimus, ſi & amabimus: tum demum amabimus, ſi & timere cœperimus. vt enim ſine timore amor: ſic neꝗ ſine amore, timor vllus putandus eſt. itaꝗ deus, optimus, maximus, optimo cuiꝗ timeri ſimul, & amari debet, ſic tamē vt impendio magis amor timorē ſuperet: minus enim ille beatus, ac felix, quē ſine amore, timor ab errore cohibuit. Hoc ergo timore ſimul & amore diuino: puella ſolicita facta, deum magnopere rogat, precat, obſecrat, vtriuſꝗ, boni ſcilicet, maliꝗ dęmonis, ſigna ſibi ac diſcrimina denotet, quibus alterutrius aduētū ad ſe facile recognoſcat: ne ſe ille malus ac noxius, boni ſpecie & imagine ſimulata ludificetur: ne incautā & improuidā fallat. hiſce pijs puellę precibus, diuina clementia haud difficulter annuit: ſicꝗ ab ſe paucis cōuentam admonet. Acceſſus meus ad te chariſſima filia (ſi eum quādoꝗ dari cōtigerit) principio tibi pauorē, atꝗ terrorē afferret: ſed eū paulo mox, ſubita ac repentina ſecuritas ſequitur: contra vero cacodæmonas illos, & imbecilli huius humani generis hoſtes, ſi quandoꝗ ad te ſimulata, fictaꝗ imagine venire continget: primo introitu, gaudium quoddā, ac immodicā pene lætitiā afferent, verū poſtea, iucundū illū acceſſum, triſti mœſtoꝗ variātes abſceſſu, immani quodā timore omnia, & incredibili pauore miſcebūt: ſicꝗ filia chariſſima, vtrūꝗ ab altero, hoc facili & infallibili ſigno diſpicies: nec te vnq̃ peſſimi hoſtis, importuna calliditas incautam aut imparatā offendet. quare (ſi me amas) virtutis viā ſequere: quę tāetſi primo in veſtibulo, aſpera, dura, arcta, difficiliſꝗ eſſe videatur: primoꝗ introitu, anfractus multos, & offendicula præferat: tamen ſimul ac paulomagis intro peruentū eſt, mira tum ibi ſuauitas, atꝗ iucūditas, miraꝗ & incredibilis rerū omniū voluptas capitur: ibiꝗ nō ſolū mēbra, diutino feſſa labore cōquieſcunt: non ſolū artus, imbecilliꝗ corporis partes reliquæ vegetātur, ſed & mēs tota, & animus miro quodā, & inuſitato cibatu paſcitur. ibi tū ſe humana vita felicē, ibi tum ſe vere beatā prædicat: cōtra vero, vitiorū via decliuis ea quidē, ac facilis ingreſſu primo viſitur: nullus neꝗ labor in frōte, neꝗ ſudor immanis territat: omnia ficta intus adſcitaꝗ, & dulcorata voluptate cælātur: verū poſthac, aſpera, duraꝗ omnia, ſalebroſaꝗ nimis & abrupta circūſtant: falſoſꝗ, vana & inani voluptate, miſeros mortales ſerotina pœnitētia, grauiꝗ & ingēti cruciatu dilacerant: cū ſe vndiꝗ velut vitiorū ſeptis, & clauſtris, cōſtipatos ac circūfertos aſpiciūt: neꝗ vllū inde profugiū, nullus euadēdi locus datur: proinde contēptis, ſpretiſꝗ hiſce vitiorū allectamentis, mortiferiſꝗ & funeſtis illecebris: quibus fragiles ſæpe & lubricas hominū mentes, calidiſſimus hoſtis, in præſens vitæ periculū adigit: priorem illam (vt facis) virtutis viā ſequere: quæ te poſthac beatā, quæ te felicem, ac vere fortunatam faciat. Hæc diuina

præcepta & monita,felix adoleſcentula,memori, fideliq; pectoris armariolo cōdit: breuiq; poſthac, quæcunq; acciderāt Raimundo præceptori, viro cum humanarum, tum diuinarum rerum peritiſſimo narrat:is multarum rerum vſu,atq; periculo cautus ac prudēs,ſimulq; veritus,ne falſum aliquod hoſtis ſtratagema,puellā incautam falleret: q; ab eo fœminā ſæpe velut fragilem magis, cōſilijq; improuidam: circunuentā ac illuſam eſſe cognouerat: ſic temporario,ad triſtitiā vultu compoſito puellam alloquitur. Miſerum me inquit ſenem atq; decrepitū qui iam tot annos, viliter & ignaue,mortalē hanc vitam vixerim:qui rerum omniū luxu & otio fluens,nullā neq; operam frugi vnq̄, neq; fructum fecerim : qui nullum vnq̄ diem , nullam horā recte collocarim:quiq; me hominē moribūdum eſſe,deum autem ipſum immortalē, viuere ſemper,ac noſtrorum ſcelerum vltorem poſthac futurū eſſe non meminerim: quiq; mortalis huius,humanęq; & fluxę laudis cupidus: vaniſſimas ſæpe popularium glorias conflauerim,ſtultoſq; & inanes ſuſurrantis populi rumores ambiuerim: iam ſquallida,& inops,contemptaq; omnibus, atq; deſpecta ſenectus occupat:vix ſe iam ſatis hoc curuo ſcipione,tremula, atq; nutantia membra ſuffulciunt: vix ſe ſatis artuum compago commiſſuraq; continet: ſoluuntur articuli,ac ſuis vltro ſedibus mota,iamq; longa vetuſtate luxata,ſpondylia decidunt:pulpoſi iampridem, toroſique eſſe deſijmus,ſicca nimis & arida macies deturpat effigiem:vix nudis oſſibus,ſcabra laxaq; pellicula hæret:demumq; (vt vides) viriū iam nobis nihil , aut roboris ſupereſt:plenaq; tamen adhuc flagitiorum, ac ſcelerum conſcientia lancinat vehementer, ac diripit animum.quod ſi tamen, in hac tanta ſcelerum ac flagitiorum mole, nobis pœnitētiæ aliquid,melioriſq; impoſterum animi,datum iri conſpicerē:abunde quidem nobis felices,ac perbeati videremur.q; ita pijſſimum,clementiſſimumq;,atq; cōmunem omnium parentem , facile nobis turpiter actæ vitæ veniam condonaturum ſperaremus.proin te filia chariſſima etiā atq; etiam rogo, ſimulq; ſi me antehac vnq̄ parentis loco duxeris (id enim pluſculum in te mihi licebit) iubeo,ſimul & impero: deum optimum, maximum,ac ſuperos,roges mea cauſa vehementer & obſecres; ſaniorem mihi poſthac, mentem,atq; animum,puramq; magis vitam,& integram dare velint:mihiq; id abs te impetratum,certiore aliquo ſigno, manifeſtum faciāt.nil enim tantopere cautus,ac prouidus ſenex quærere videbatur,q̄ vt occulto aliquo voto puellæ ſanctitatis ac vitę periculū faceret. Catharina vero demiſſo illo depreſſoq; animo,quem natura,ſimul & iā diuturni mores induxerant:tametſi ſe minime aptā ad id quod petebatur,neq; idoneā ſatis oſtenderet:tamen hominis de ſe optime meriti, preces ac iuſſa recuſare nefas exiſtimans: ſe quod petebat,facturam eſſe pollicetur:ſtatimq; reuerſa domū,defixis humi genibus, pronaq; ac ſupplex precari deum cœpit: Raimūdum,ſenem,atq; decrepitum,iamq; actæ vitæ pertæſum,honeſtiſſimi voti compotem eſſe ſineret.paulo mox vero (vt in humanis rebus nil firmū ſatis aut tutum eſſe ſolet) ecce puella graui,& ingenti dolore corripitur:ſed qui nihil offecit, quo minus (vt ante ſolebat) præceptorem officioſa reuiſeret.ad quem ſimulac ventū eſt:feſſum ac languidum,pene ægrotanti ſimilem, lectulo decubantem inuenit.is vero iniuncti pridie mandati,iam immemor factus,miratuſq; vehementer adoleſcentulæ aduētum,quam paulo ante grauiter ægrotātem acceperat: rogare ſolicite cœpit: quidnam inopinus ille ad ſe aduentus vellet,aut quid tam temere,languens & ægrota ſe nouo & importuno labore conficeret. paulo mox,hæc locutus, ſe inopino quodam,& inteſtino calore,vultumq; ipſum ac reliquum corpus totum repentino quodam & graui incendio correptum ſentit : veterum ſcilicet rerum atq; actæ vitæ conſciētia& pœnitentia,hominis animū vellicante:profuſis itaq; lachrymis,quas nullomodo ſiſtere,aut cohibere poterat:in fletū quendā immodicū,& pene fœmineū eiulatum erupit,geminiſq; palmis,caput ſimul,pectuſq; contundens,priſtinam vitæ deſidiam & inſignem ignauiam deplorabat:me miſerum inquit quonā ille tenellę ætatulę floſculus? quo forma? quo robur? quonam ille membrorū omnium, & q̄ repēte

ſuccus euanuit? ſic effœta ætas & languida? ſic ne tacita & inopina ſenectus irrepſit?
ſic ne incautum & improuidum occupauit? quis tot annorũ fructus? quę opera? quod
tantæ & tam moleſtæ corporis prouincię commodum? quod huiuſce noſtrę tam pro-
celloſæ & turbulentæ nauigationis compendium extat? reddenda tamẽ eſt ratio, &
locatori, datæ mercedis opera reponenda eſt. quid igitur faciam? quod, vbi, aut vnde
conſilium? quem iam finiundæ vitæ modum inueniam? quo me conuertam? ad quem
confugiam? Tam turpiter hallucinatum, præuaricatumꝗ vehementiſſime pœnitet ac
piget: verum ſerotina quidem nimis (vt video) pœnitentia, tarduſꝗ nobis hic pudor
aderit: quid enim in hac tanta ſcelerum, ac flagitiorum mole, venię nobis ſperandum
eſt? præſertim vbi nos nulla vel quamlibet lenta tardaꝗ voluntas, ſed vltima & vr-
gẽs rerũ neceſſitas pœnitentes facit? quid itaꝗ? de ſumma ne rerum deſperandũ erit?
noſtra ne nobis ſpernenda & abijciẽda ſalus? truculenter ne nobis in nos ſæuiẽdum?
afferendæ ne manus, violentaꝗ nobis ac voluntaria mors conſciſcenda erit? ſic ne hoc
puſillo tẽporis momento: quicquid hactenus vnq̃ in vita laboris exhauſtum eſt, peri-
clitari patiemur? minime ſane. neꝗ enim id ſumma parẽtis noſtri pietas, non id in-
gens & immẽſa clemẽtia poſtulat: qui quãlibet turpes, fœdos, ſceleratos, & quãlibet
nocentes ſeruos ac noxios: facile tamen pœnitentes admittit, facile redeuntes agno-
ſcit, nec priſtinæ noxæ, priſtiniꝗ peccati memor, eos facile ſui cõſortij participes eſſe
patitur: quamlibet aſperos, quãlibet duros, aduerſarios fuerit expertus: modo ne cõ
tumaces nimis, modo ne pertinaces agnouerit: redeũtes ad ſe, nõ deſertores aut trãſ-
fugas, nõ peregrinos aut hoſpites, ſed amicos, ſed beneuolos, ſed domi ſuæ natos exi-
ſtimat. redibo itaꝗ ad te pientiſſime pater, neꝗ verebor ne non eadem nobis apud te
quæ cæteris ſolet, rerum conditio maneat. quicquid itaꝗ nobis dierum, quicquid tẽ-
poris poſthac, quicquid futurę vitę ſupereſt (quod video q̃ ſit puſillũ) te autore, te du
ce & auſpice, viuere conſtituimus. hic ſenilis querelæ finis ac terminus: vixꝗ iam fle-
tu ac lachrymis temperatum erat, cum illico ſenex mandati memor factus eſt, quod
pridie de ſe puellæ dederat, facileꝗ votis huius ac precibus factum eſſe perſpexit, vt
illa tanta, tam ingens, ac tam repẽtina priſtinæ actæ vitæ pœnitentia ſubiret animũ,
grataꝗ deo immortali puellæ vitam ac innocentiam, vel proprio quoꝗ & manife-
ſto periculo didicit: iamꝗ ſatis abũde hoc factus exemplo certior, tametſi id iam cõ-
pertum ſatis habere ac exploratum inciperet: tamen eum adhuc dubium nonnihil &
ancipitem faciebant, innumera & incredibilia quæ frequenter ad ſe puella deferre cõ
ſueuerat: quæ homini ipſi ſeni, iam atꝗ decrepito, ſtupenda magis & admiranda, q̃
fide vel auribus digna videbantur: quo magis anxius in dies curis, atꝗ ſolicitus erat,
ne quod incautæ adoleſcentulæ, ſubdola fraudulenti hoſtis machinatio, periculũ ten
deret: ſemel itaꝗ ſeni dubio adhuc & incredulo, eoꝗ impenſius & accuratius ſolito
puellã explorãti: mirũ quiddã & incredibile eueniſſe cõmemorãt: repẽte enim puel-
lari illo fœmineoꝗ vultu, atꝗ decore poſito: firmius quoddã & inſolitum in fœmi-
na robur, prorſuſꝗ forma & effigies virilis apparuit. quo nouo miraculo ſtupenti &
attonito ſeni, quærentiꝗ quidnam tam repentina formæ mutatio portẽderet: ita re-
ſponſum eſt. ego ſum qui ſum. ſicꝗ continuo robuſto illo, atꝗ virili vultu depoſito,
priſtina puellę forma recepta eſt. hocꝗ tanto & tam ingẽti miraculo ſenex anceps &
incredulus, Catharinæ ſãctitatẽ induxit: ſibiꝗ ipſe facile perſuaſit quæcũꝗ prius mẽ-
tem, animumꝗ cõmouerãt, ſuoꝗ illo proprio, ac domeſtico exẽplo, facile cognouit
nihil vſq̃ deo, optimo, maximo difficile nimis aut arduum videri: qui ſic rudẽ & in-
cultum puellæ animum omni virtutum genere conſperſit: ſic in eã diuinę munus gra
tiæ tranſfudit, vt inter mortales, iã immortalis facta: mortale nihil vnq̃ atꝗ caducũ
ſaperet: quę ſic ſpretis, cõtẽptiſꝗ rebus humanis omnibꝰ ſeſe hac fragili ac imbecilla
vita priuauerat, vt viua, vidẽſꝗ vltro perire videret. graui tũ in certamine puella ver
ſari cœperat: agitãte hinc aĩa, rectãꝗ virtutũ ac vitę viã fideliter admonẽte: cõtraꝗ
illinc corpore, terrenęꝗ labis illecebra retrahẽte, anima ſe (vt eſt) purã caſtã, integrã,

immaculatam, cœleſtē,immortalemq́ eſſe dicebat:ſe diuinarū rerum participem, diuina & cœleſti natam origine: caducum nihil aut fluxum,nihil humanum, fragile aut imbecillum verſare ſolitam,diuino iuſſu corpori velut infirmo cuidam,& inſtru mento vili prępoſitam,ac vel impactam potius vel incluſam:quo ſe,quo ſuam illam cœleſtem,diuinarumq́ rerum participem naturā exerceat , corpore velut triſti quo-dam,duroq́ & immani ergaſtulo contineri: ſe vnam eſſe, quæ pręſentia cognoſcat, præterita recordetur, futura prouideat : ſe vnam,quæ(diuina quoq́ fauente gratia) puellam hactenus caſtam , puram , integram , immaculatamque ſeruarit,quæ ve-lut ſequeſtra, ac internuntia , eam deo optimo maximo gratam, charamque reddi-derit.ſed quid inquit tecum ipſa laboro?quid non per alios potius cauſam meā ago? quaſi vero aut hoc corrupto iam licet impuroq́ ſeculo , nobis aſſertores , ac vindices deſint?aut iampridem priſca illa ſynceraq́ hominum vita ac ætate defuerint?tibi iā in præſentia nonnullos afferam:cæteram tu poſthac innumeram turbam,per te ſi li-bet colligas.Pherecydem itaq́ antiquum illum,& priſcum,eiuſq́ diſcipulum & au-ditorem Pythagoram,Socratem,Platonem,Zenonem, Ariſtotelem,longeq́ horū omnium natu maximum,& antiquiſſimum Trimegiſtum ęgyptiū:ex noſtris quoq́ Varronem, Tullium, Tuberonem,Brutum, Senecam,atq́ id genus mille(ſi libet) interroga,ſciſcitare:quam eorū quiſq́ vtriuſq́ noſtrum ſortem,& cōditionem exiſti met,quid quiſq́ de vtroq́ ſentiat.qui omnes etſi nullis adhuc ſacris,nulloq́ diuino cultu,nulla certa aut vera religione perſpecta:intra illam adhuc tenebroſam morta-lis huius corporis nubem,atq́ fuliginem clauſi:tamen caducum,fragile ac moribū-dum,corpus,animam perpetuam,æternam,ac immortalem eſſe cognouerint: ſi hu-ius ornādæ cauſa tot vbiq́ labores,ærumnas,exilia,tot deniq́ ipſius quoq́ vitæ peri cula,atq́ diſcrimina adeunda putauerint,cum ſe nihil aut parū inde fructus poſt mor tem conſecuturos crederent: vt qui nec verum deum(quem iam fere omnes pręnica-mus,& colimus)nec futuri adhuc,nouiq́ iterum reſurgentis ſeculi admiranda myſte ria cognouerant.quāto id tibi obnixe magis elaborandum eſt:quæ poſt innumeras diuorum martyrū victorias ac palmas,poſt infinita immenſaq́ miracula, quibus vel quanlibet cœca mens & obtuſa facile perſuaderi poſſit.hoc quoq́ dei optimi maxi-mi pietate,atq́ clementia conſecuta es:vt corpus(tametſi cōmuni omnium ſorte ca-ducum & fragile) tamen longe minus mortalibus hiſce blandimētis obnoxium ſub-ires , eoq́ longe minus,vni mihi negotium faceres, nec tantopere fœda hac ſordium humanarum,ac velut putri vitiorum ſentina corrumperes:cuius hoc deniq́ immen-ſa bonitate merueris:vt inter humanos,diuinam pene vitam atq́ cœleſtē viueres: vt infantula adhuc & adoleſcentula,diuinarum pene omnium rerum particeps ac ſocia fieres,& tamen vides in hac tanta & tam incredibili vitæ puritate, ac innocentia,vt te adhuc labes,& humana corruptela ſolicitet:vt te adhuc feliciſſimæ huius vitæ ſor-tis,ambiguam & ancipitem reddat:repugna itaq́ & obnitere quātum potes chariſſi ma filia:vide ne te fallax præcepsq́ mundi huius ac vitiorum tempeſtas eripiat:vide ne fluctus,ne procellæ,ne turbines auferant,in hac tanta vitę felicitate,tantaq́ & tam immēſa diuini muneris amplitudine,impunitati locus nullus relictus eſt,fruſtra diuo rum opem implores: ſi temetipſam in vitiorū abrupta pręcipitari ſiueris:nec te ſpur ciſſimi huius corporis fœda titillatio,palpāſq́ & momētanea voluptas mouerit:quę ſi vt eſt turpis fœdaq́ & peſtilens recto mortalium iudicio putaretur: non ſane poſt-hac in eam tot hominum milia,velut in cæcam voraginem , moribunda corruerent, verum hæc quidem prætenta atq́ prętexta,molli quadam fluxaq́ dulcedine,mortife rum intus toxicum cęlatum continet: quo ſuum ipſa tandem authorem velut ſcele-ratum& noxium,iuſtiſſima vindex,& vltrix enecat.quotus enim quiſq́ eſt:quē non tandem ſpurcæ huius fœdęq́ & voluptarię vitæ ſatietas capiat? quotus quiſq́ quem non paulo mox grauis duraq́ nimis comes pœnitētia ſequatur?ne Diogenem quidē illum,quem ob huius turpitudinem vitę, Cynicum appellatum accepimus:q́ is om

nia voluptate metiri conſueuerat? ſi reuiuiſceret: priſtinæ ſuæ ſententiæ autorē poſthac haud libenter futurum eſſe arbitror, vitamq́ſimul & mores (nedum ſententiam) mutaturum exiſtimo. tametſi non deſint, qui longe ſecus ac vixerit, ſcripſiſſe hominem putent: ſicq́ inter ſe concurſantes & varij, aliam hominis vitam, aliam fuiſſe ſententiam autumant? timere enim nobis, ac formidare videtur, tetræ huius fœdæq́ opinionis ac ſectæ impuritatem ac turpitudinem: ſceluſq́ & nephas exiſtimant clariſſimi, ac perſpicacis ingenij hominem, immani ſententiæ eius, quam ipſe defenderit, & cuius autor fuerit: infamia ac turpitudine maculari? quæ, q̄ honeſta q̄ iuſta q̄ ſancta ſit: tu te ipſa per te (ſi vis) coniecturam facito. cum huius quoq́ propugnatores ac defenſores acerrimos, ab ea (velut a peſtilenti labe) recedere auerſos, atque refugere videas. ſic pro ſe anima: corpus vero vt ſe quoq́ foro & cauſæ parare conſpicit: veritate ſe, non quidem veritate rei (quam ipſa iam libens ampleɛti cœperat) ſed falſis, ſed commenticijs ac vanis argumentis inflecteret, aures obturans, velato capite dicere ac perorare prohibuit, fixaq́ & velut immobilis, ſecum ipſa tacita reputans: quæcunq́ pro ſe anima dixerat, vehementer amplecti cœpit: deoq́ immortali gratias ſedulo & diligenter agens, priſtinæ vitæ modum & inſtitutum feruenter exercuit. ne minimo quidem temporis vel horæ momentulo, ab opere diuinoq́ miniſterio quieſcens. in quo licet duros & aſperos admodum pellectores ac tentatores experta: firmiſſima tamen inductaq́ iam, ac longo vſu inueterata conſtantia ſuperauit. Sic eductam, actâq́ puellæ infantiam inuenio, quæ ſimul ac iam fieri grādiuſcula cœperat: humanā hanc vitam, ſine literis & bonarum artium cultu, mutilam & mancam exiſtimans, ad diſciplinas adiecit animum, in quo id vnum memorabile traditur: q́ ſine vlla præceptoris cura, aut miniſterio, natiua tātum ingenij bonitate freta: per ſe ipſa literas apprime dedicerit. nequis poſthac tēporum & ætatis iniuriam cauſari liberius audeat, neu ſibi quiſquam alienam culpam, propriæ deſidiæ atq́ ſecordiæ prætendat. neq́ enim ſic languida iā & effœta, ac velut vſu longiſſimo exhauſta, ętas noſtra putanda eſt: quin & ipſa quoq́ in dies aliquid vel cum ipſa vetuſtate comparandam effundat. Manlium enim olim: & longe poſt, Auguſtinum Aurelium: duos tantum (quos quidē me legiſſe meminerim) ſine præceptoris officio, literis claros admiratur antiquitas. verum quoq́ tertium huius noſtræ puellæ adijci miraculum poterit, quam & ipſam nulla aliena opera, nullo cuiuſq̄ adminiculo ſic floruiſſe doctrina memorant: vt non humanis tantum contenta literis, diuinas quoq́ & ſacras vehementer appeteret: in hiſq́ præcipuam quādam operam & laborem inſumeret. in quibus ſic intra pluſculos annos vehementer excelluit, vt publicū quoq́ cōcionandi munus, diuino iuſſu impoſitum, magno communiq́ omnium miraculo exercere conſueuerit. Sed iam huius miracula quædam, dictaq́ ac facta compluſcula, memoratu digniſſima referam: quæ (niſi fallor) neminem ſanæ mentis vel ſæpe quoq́ legiſſe pœniteat. Primū itaq́ puellæ huius, immēſæ cuiuſdam pietatis atq́ clementiæ miraculum dicam: quam ſic ſemper inter humanos, accurate, ac diligenter excoluit, vt nulla re magis, caducā hāc noſtram, fragilemq́ naturam vincere, nulla re magis ad deum, optimum, maximum accedere videretur. ſic enim pauperes omnes, mendicos, inopes, egenos, ęgrotos, peregrinos, & hoſpites, ſimul & quotquot duro grauiq́ fortunæ ludibrio conflictatos videbat: mirabili cura, ſtudio, labore, ac diligentia recreabat. vt vnum id tantum agere, id vnum curare, ad idq́ ingenij ſimul & corporis vires omnes, & neruos intendere videretur. forte fortuna ſemel ęgrotans, quendam ſibi narrantem audiuit: in propinqua vicinia, haud procul ab ædibus, viduam quandam pauperculam eſſe, cuius pauloante maritus fato cōceſſerat: huic liberos compluſculos, infantes omnes & imbecillos, nulliuſq́ operæ aut fructus, aut conſilij, copioſam ac numeroſam familiam domi relictam eſſe: quam nō ipſa modo (quæ vix ſibi ſatis manibus diurnum ac tenuem victum ſuppeditare poterat) ſed ne diues quiſq̄ & opulentus aleret. tanta enim paupertas domi, tantaq́ omnium rerum penuria, ac egeſtas erat: vt ſæpe numero infan-

tes diutina fame ac inedia in materno ſinu deficerēt. neq; enim reliquorum more, pane vicatim corrogato, viuere conſueuerat: neq; id honeſte ſatis, prohibente natalium ſorte, poterat: malebatque domi vitam duram atque calamitoſam viuere, q̃ inhoneſta, & ſæpe impudenti corrogatione: familiam totam, ſimul & vita functi mariti maculare memoriā. ibi tum Catharina haud priſtini, ſolitiq; officij immemor: graui quodam opem ferendi deſiderio æſtuans, cum ſe languidam & ęgrotam domi, nec ſe iā ſatis cupiti voti cōpotem fore cognoſceret: deum, optimum, maximum precari ſolicite cœpit: ſe tantiſper ægritudine ac morbo leuari pateretur, dum laboranti ac iam deploratæ familiæ ſubueniſſet. moxq; membrorum officio recepto, priſtinoq; vigore ac valitudine reſtituta: patefactis clanculum foribus, domo intempeſta nocte digrediens: panem, vinum & oleum, atq; id genus pluſcula ſecum ad viduam attulit, ſatiataq; tum parum, ac reſtaurata familia: reuerſa domum, ac vt prius erat ægrota lectum ingreditur. cęlari enim magnopere cupiebat, ſiquid cuiquam vnquam opis tuliſſet: ſoloq; deo teſte contenta, ac recte facti conſcientia, facile vanum populi fauorē contēnebat. ſed neq; tamen id latuit: verū quo ea id curioſe magis cælarat, eo quoq; paulo mox maiore populi fama ac rumore vulgari cœptum eſt. Paulo quoq; poſt tēpore Catharina cum in ſacro diui Dominici templo rem diuinam audiret: ei mendicus quidam & pauper apparuit, eleemoſynam flagitans: cui illa repente cruciculā quandam argenteā, quam oratorij libelli funicillis appenderat, dono dedit. eiq; poſthac oranti, diei eius ſequenti nocte: Chriſtus adeſſe viſus eſt, cruciculam oſtentās, quā mendico donatam puella crediderat: ſicq; puellā alloquitur, filia chariſſima inquit, hæc eſt crucicula quæ abs te heri petenti mihi libere dono data eſt: hanc ego tibi ſeruabo diligēter, faciamq; (ſimul ac vita defuncta eris) ne aut in ingratum, aut in immemorem beneficium collatum exiſtimes. Pluſculos quoq; poſt dies, in eodem templo homo lacer & nudus orantem adijt: cū tamen illic fœminę quoq; nonnullæ aliæ, dites ac opulentæ circunfuſæ ſederent: eam rogat, veſtimenti aliquid largiatur, quo ſe nudum operiat, ac nimis duram frigoris aſperitatē vitet: ibi tum Catharina ſtupēs, ac verita, ne ſi palam dediſſet: oſtentationis id nimiæ ac plenum gloriæ videretur: ſucciſam furtim induſij partem, puſilloq; admodum faſciculo complicatā exhibuit. is tum quoq;, linteolum (ſi quod haberet) puellam poſtulat: tuncq; hunc puella domum redeuntem ſequi ſe iubet: illicq; paternam vnam inuētam interulam, aliaq; nōnulla iacentia linteola donat. ibi tum quoq; mendicus, nondum ſatis ſatiatus ac plenus, veſtimentum quod paulo ante puella ſibi donauerat, truncum & mutilum queritur: dariq; ſibi aliquid rogat, quo, vt reliquum corpus, ſic brachia quoq; ipſa contegeret. puella tametſi nihil haberet: tamen ꝙ hæc multo minus dando q̃ ille petendo ſatiari poterat: læta fronte reſpondit, ſperareq;, ac ſe paululum præſtolari hominem iubet. reuerſaq; domū, diſcuſſis, diſquiſitisq; locis omnibus, cū ſe nihil vſq̃ offerret: forte ſuſpenſum ancillæ veſtimētum aſpexit, illincq; deciſas atq; truncatas manicas, mēdico donatura reuertitur: ad quem ſimul ac venit, ſatis abūde ille inquit, ac nimis abs te mihi collatum eſt filia, maleq; vereor, ne moleſtus apud te, & nimis impudens poſtulator aduenerim: verum me ingens nimis, & vrgens rerum neceſſitas cogit: ſocium inquit æque nudum ac miſerum habeo, quem ſi tu quoq; (vt me) puſillo aliquo veſtimento iuuare poteris: rem ſane mihi gratiſſimam facies, nec meo me magis tibi q̃ illius beneficio obſtrinxeris. ibi tū mœſta puella, & in primis attonita, ꝙ ſibi iam nihil ſupereſſe videbat, quo illum a ſe mēdicum, voti compotem mitteret: neq; enim vnicum illud ſuparum, quod ſibi reliquum factū erat, ſatis honeſte donare poterat: nec ancillæ veſtimentum audebat, ꝙ & parentum iram timebat, & in re aliena minime ſibi fructus ſatis aut gratiæ collocatum iri putabat. ſuſpenſa itaq; & apprime ſolicita, ſecum ipſa reuoluere ac cogitare cœpit: cum ecce mendicus interpellatam alloquitur, deſine inquit ſolicita eſſe chariſſima filia: ſatis ſuperq; tua in nos fides cognita iam nobis, atq; perſpecta eſt: iam ſatis amplum, ſummi tui in nos amoris peri-

culũ fecimus, nihil iam poſthac moleſti erimus: tu vero perge qua ire cœpiſti, & hoc tutum & ſanctum inſtitutũ proſequere: ſicq; repente ex oculis locutus euanuit. poſtridie vero dormienti puellæ, Chriſtus in ſomnis apparens, veſtem mendico datã oſtẽdit: filia inquit chariſſima, tu mihi hãc veſtem dediſti, qua nudũ hoc ac pene frigore confectum corpus obtegerẽ: ego te quoq; alio, nec minus digno donabo munere. ſicq; prolatam ex ſinu veſtem purpuream, Catharinæ circundare videbatur. hęc abs te inquit corporis ſimul & animi labores omnes, atq; moleſtias auferet: nec te frigori vlli aut algori, nulliq; poſthac mortalium periculo patietur obnoxiam. Somnium hoc licet adoleſcentulæ videretur: rei tamen euentu poſthac quidam comprobatum affirmant. ſic enim ſemper inter humanos Catharinam affectam eſſe dum vixit, vt nullam vnq̃ temporis cuiuſq̃ iniuriam neq; moleſtiam ſenſerit, Alterum quoq; huius miraculum. Moris fuiſſe puellæ memorant: vt panis, ciborumq; omnium fragmenta, menſarumq; reliquias, pauperum egeſtati ſubuentura colligeret (hoc enim pater indulſerat) ſimul & vt vini quoq;, quantum opus eſſe cognoſceret, inter eos ſuo arbitrio partiretur: nullo ſcilicet omnium delectu, atq; diſcrimine habito: ibi tum forte in cella vinaria, vini ſaporis ſcitiſſimi, ſuauiſſimiq; vaſculum vnum inerat, illæſum adhuc & integrum: ꝙ ob raram, miramq; huius excellentiam, nondum puellæ pater attigerat: Catharina vero inde largiri pauperibus cœpit. primum quidem furtim & clanculum, ꝙ id a patre tam accurate ſeruatum eſſe conſpiceret: mox vero etiam id palã auſa eſt: quod (vt ſæpe aſſolet) iam conſuetudo & lõgus vſus audaciam fecerat. ſimul ac vero id patri compertum factum eſt: nihil ægre ferens, ſibi quoq; ac toti familiæ commune fieri voluit: facta puellæ poteſtate inde ſumendi quantum opus eſſe videret. grauiter tum id aliquantum atq; moleſte puella tuliſſe viſa eſt: ꝙ in promiſcuo familię vſu, tantillum id vini, breui conſumptũ iri putauerat. menſtruo enim ad ſummum tempore, etiam pitiſſando conſumptum oportuit: tam puſilla vaſis capacitas erat. verum tunc quidem Catharina, diuinam benignitatem abunde ſecum experta eſt. communi enim omnium vſu potuq;, quadrimeſtre amplius tempus expleuit: nouoq; tunc ac recenti miraculo, prius illud adauctum eſt. nam cum iam prope vindemiarum tempus appeteret: vaſa vinaria omnia pater fabro curanda locauerat: is vbi fæcem miſſurus, vaſis caput alterum retexiſſet: ſic & ſiccum, & aridum vas totũ offendit, ac ſi iam multos menſes, nihil intus liquoris fuſum eſſet. Per ea quoq; tempora Senis, fœmina quædam, lepra ac tetra quadam ſanie conſperſa, ſicq; conſpectu ac viſu fœda erat: vt ſæpe magnum omnium oculis terrorem incuteret: hanc Catharina vehementiſſime diligebat: miroq; in eam amore, ac incredibili quodam ſtudio ferebatur: hanc ſæpe numero interdiu, noctuq; inuiſere, cum ea frequens & aſſidua verſari, hancq; humaniſſime conſolari ſolebat: abũdantiſſime in tãta rerum egeſtate atq; penuria, victum cultumq; ſuppeditans. in quo mira quoq; puellæ conſtantia ſpectari facillime poterat: quam nullæ vnq̃ neq; propinquorũ querelæ, neq; parẽtum minæ, nulla neq; fœditas morbi, neq; muliierculæ huius dura morum acerbitas, auocare ab inſtituto potuerit: quæ ſic iam diutini morbi, immenſiq; doloris grauitate, vehemẽter increuerat: vt vel optimo cuiq;, iam impotẽs nimium ac intolerabilis videretur. ſicubi enim Catharina, vel minima quoq; temporis occaſione peccaſſet: ſiquid vnq̃ aut tẽpeſtiuius, aut forte nõnihil ſolito tardius obtuliſſet: ſic omni conuitio, contumelia ac probro puellam fœmina inſectabatur: vt non liberam aut ingenuam, ſed vile, ſed vernaculum, ac domi natum mancipium diceres. verum quo illa durius & aſperius puellam inceſſeret: eo hæc blandius ſemper, ac longe modeſtius agere conſueuerat. facileq; omnem illam indignitatem, ac morum contumaciam, natiua clementia, ac ingenita quadam facilitate vincebat. matrem ſolam in hac re, duram magis & grauem aduerſariam experta eſt: quæ tantam adoleſcentulæ pietatem ac manſuetudinẽ, vix ſatis ęquo animo ferre vnq̃ poterat: falſa ſcilicet, vanaq; & inani gloriola tumeſcentibus humanis animis, ſuis, filiæq; natalibus indignum exiſtimans: vile adeo &

ſordens miniſterium attingere. quare puellam ſi ſe vnq̃ parentem, ſi mollem & indul gentem educatricem putarit: ſiquid vnq̃ in ſe ſe materni iuris eſſe voluerit, tali poſthac officio abſtinere iubet. Ibi tum Catharina quãto maximo poteſt verborum blãdimento: ſtultum ſed vrgens matris conſilium euertit, eamq́, vtcũq́ poterat, placatã ac facilem reddit: neq́ eo minus poſthac iam inſtituto atq́ decreto officio fungitur. in quo dum dies ac noctes accurate magis incumberet, ecce ſuperum voluntate teneræ ac candidulæ puellæ manus, fœdo lepræ contagio reſperſæ ſunt: contractæq́ turpes quædam ac putres maculæ: quæ cuiq́ prorſus ineluibiles viderentur. graui tũ ira, & odio parentes ambo percelli cœperant: maximuſq́, & ingens mœror familiã notam inuaſerat: cum tamen adhuc puella ſemper officioſa perſiſteret, nec minus diligẽter ac ſtudioſe ſuſceptam ſemel prouinciam obiret. nullo enim neq́ parentũ, neq́ domeſticorum luctu, ſegneſcere aut reuocari ab opere poterat: ſperniq́ iam grauiter cõtemniq́ Catharina, iamq́ communi omnium, ac famliari contubernio deplodi cœperat: cum ecce miſella illa ac infelix muliercula, humana vita defungitur: ibi tũ pia puella, ſublatam officij præſtandi occaſionem ægreferẽs, elatum funus, lachrymis ac fletu proſequitur: nec ſe mortuæ minus q̃ viuę olim ſolebat officioſam, atq́ beneuolam exhibet. ſepultoq́ iã ac proprijs puellæ manibus tumulato cadauere, Catharina domum reuerſa; velut iam ſatis expleto officio, aquã manus lotura poſtulat: ablu ta pauliſper, ſic priſtinum decus illico, manus membraq́ omnia recipiunt: vt magnũ & ingens omnibus miraculum eſſet, tantam, & tam putrem ſaniem, tam parua opera abolitam: quam perpetim illic manſuram eſſe putauerant. clarumq́ ſtatim tota vrbe & in primis frequens rei huius miraculum factum eſt. Erat ea quoq́ tempeſtate fœmina Senis, nomine Palmerina Catharinæ collega, ac in religione cõſors, verum inſenſo adeo hoſtiliq́ in eã & inimico animo, vt ſolo quoque puellæ nomine audito, grauiter admodum offendi conſueuerit. id vbi Catharina iam crebro ſatis ſermone ac fama deferri ad ſe videt, graueque iam & ingens fœminæ in ſe odium aperto ſatis periculo noſcit, nihilo facta deterior: Palmerinam vbilibet occurrentem & obuiam beneuole & amice ſalutat: ac ſicubi forſan occaſio dederat, mira quadam ſermonis & orationis ſuauitate conuentam alloquitur. cum ea verſari, hanc deducere & affectari: ac ſi quibus in rebus opus eſſet, curam, operam, ſtudium, laborem, ac diligentiam: libere & abunde polliceri conſueuerat. verum pertinax ac maleuola fœmina piam puellæ ſedulitatem, in partem deteriorem vertere, ſimplexq́ eius ac benignum officium: grauiter & moleſte ferre, Catharinamq́ licet inſontem & innoxiam, nec de ſe tale vnq̃ meritã: conuitiis ac maledictis inceſſere. cõtigit autẽ interim, haud ita multo poſt, Palmerinã graui quodam & ancipiti morbo correptã, opprimi: huius tum ſalus, Catharinæ, curæ maxime fuit: hanc frequens inuiſere, hortari, conſolari, huic frequenter adeſſe, atq́ apud eam libens viliſſimum quodq́ miniſterium obire, nec tamen illi quicq̃ adhuc de peruicacia diminui poterat: maioreq́ in dies odio ac maleuolentia, velut graui quodam incendio æſtuans, ardeſcere videbatur: ſicq́ in puellam aſpera & acerba erat, vt ſemel furiata de cubiculo miniſtrãtẽ repelli iuſſerit. ingraueſcẽte autẽ in dies morbo, ſenſim iam vires deficere, totũq́ iã ſimul mẽbrorũ ac corporis robur extingui cœperat: parũq́ aberat, quin iã apud omnes deplorata mulierculę ſalus eſſet. ibi tũ Catharina, pręſentis periculi, metu ac formidine, anxia: Deũ, optimum, maximũ precari ſolicite cœpit: iamiam moriturã Palmerinã iuuaret, nec miſeram infelicis mulierculæ animã periclitari pateretur. Precanti autem atq́ id genus vota puellæ facienti, vocem auditã memorãt: noli iam poſthac moleſta eſſe filia chariſſima, idq́ precari deſine quod a nobis præſtari indignũ eſt: ſuppliciũ ingens haud veniã meretur, hæc tã inſignis fœminę pertinacitas. cui Catharina: non abeo inquit mitiſſime pater, nec me hinc prius moueo, q̃ duram tuam iſtam & aſperam ſententiam flexeris: ac ni mihi quoq́ ſaluam, futurã mulieris huius animã pollicitus fueris. ſicq́ triduo continẽter orãs, nõ niſi voti compos abſceſſit. prima enim deinde luce ſic

ei reſponſum eſt: precari finem faceret,fore quod tantopere, & tam importune poſcerat:idq́ rei huius ſignum futurum, ſimul ac domum rediiſſet inuenturam iam plane mollitam ac mitigatam fœminæ pertinaciam. quod ſane,rei poſthac euentu facile comprobatum eſt. Paulopoſt enim redeunti Catharinæ domum: Palmerina ſuis ipſa ſubnixa viribus,prona,ſupplexq́ facta,vehementer illachrymans precari veniam cœpit,indignumq́ & iniuſtum odium palã teſtata:ſe miſerã,ſe ream,ſe noxiã & ſontem clamitans,grabatulum rurſus ingreditur:vbi paulo mox priſtina vi morbi premente & vrgente iam grauius,felicem efflauit animam. Alterum quoq́ huius non multum abſimile miraculum memorant. Andream quandam Senis fuiſſe, fœminam procacem atq́ maledicam:huic pectus totum, immani quodam & tetro vlcere computruerat:fœdamq́ intus & mire putentem vomicam induxerat. cuius immanẽ illum fœtorem ac immodicum:nullus pati ſatis,aut ferre poterat:nec facile ad eam, niſi binis vtrinq́ naribus obturatis,cuiquam acceſſus erat. Catharina vero ſimul ac huius calamitatis certior fieri cœpta eſt: inuentis ægrotæ aniculæ ædibus, blando comiq́(vt reliquas) ſermone cõuentam alloquitur, propiusq́ q̃ quiſquam adhuc aſſi det,cõſolatur,ſperareq́ & bono animo eſſe iubet:faſciolas omneis,ac purulenta linteola ſoluit,ſpecillo vulnus explorat,ſaniem exprimit, aqua poſthac repente abluit, medicamina parat,admouet,denuo reſtringit,demumq́ ſeipſam medicam,ac ſedulã curatricem præbet. mirantibus qui aderant tam propinquum pati poſſe fœtorem: quem ipſi ne a cubiculi quidem foribus ac limine,ſatis ſufferre poterant.quare piũ puellæ officium,ab illo tam turpi & fœdo opere,ſæpe reuocare conati ſunt:veriti ne quid,tetrum illud & immane virus,puellæ periculi faceret.verum apud eam ſemper pietas lõge magis,q̃ ſuorum preces,aut cuiuſquã querela valuit.nullo enim vnq̃ neq́ putore,neq́ periculi metu,loco moueri poterat:quin vt omnis reuocãdi occaſio prorſus ſucciſa videretur: palam miſellæ fœminæ pollicetur, non ſe prius deſerturam,q̃ ſalutem & valitudinem priſtinã recepiſſet.id communem humanæ naturæ hoſtem & aduerſarium moliri,puella facile cognouerat:cui quicquid in hac mortalium vita recte,ſanctęq́ geritur,graue id in primis,ac permoleſtum eſſe ſolet. quare quod priore illa via aſſequi non poterat,vt ab officio piam puellam auerteret,id ſibi alia tentandum putauit.ſtimulare enim ægrotam fœminam cœpit:mirumq́ & immodicum ei animi feruorem immittere,eoq́ proteruitatis & impatientiæ deducere: vt non modo alios,ſed ne iam ſemetipſam ſatis ſufferre poſſet: importuneq́ omnes & intemperanter,aduentãtes exciperet.verum ea quidem Catharinæ impendio grauior atq́ moleſtior erat:quæ quod apud eam officij cauſa frequentior aderat,miram fœminę moroſitatem,ac ſæpe contumeliã perpeti cogebatur:neq́ tamẽ priſtinæ curæ & officij ſedulitatem remittebat.ſemel autẽ cum hęc apud eam neſcio quid accuratius ageret,ſic aduerſarij ſtimulis agitata,vehemẽter excãduit:vt & piam puellam, & ſacras aliquot virgines,quæ ſecum illic haud ita procul aderãt: incœſtas,ac impudicas,ore ſacrilego dixerit. qua immani iniuria & inſigni conuitio, virgines omnes grauiter offendi viſæ ſunt,longeq́ omnium maxime, Catharinæ mater:quam ſic iam grauiter puellæ iniuria commouerat,vt & ipſa ægre admodum a vindicta cohiberi potuerit.longe id minus acerbe Catharina tuliſſe viſa eſt: quam tametſi præcipue contumelia cõtingeret,tamen neq́ perculſi, neq́ commoti animi ſignum vllum exhibuit. tamen q́ nõ erat neſcia q̃ & lubrica ſæpe, & facile cuiuis periculo obnoxia, pudicitię fama eſſe conſueuerit:verita ne falſa illa & mendax fœminæ cõtumelia,ſerperet vulgo,atq́ manaret latius,ſemota paululum atq́ ſepoſita,lachrymis fuſis precari deum cœpit,eiuſq́ fidem & opem implorat:ne ſe,ne ſacrum totum ordinem & religionẽ, fœdo & intemperanti fœminæ conuitio periclitari ſineret:eum ſolum conſcium ac teſtem,cum ſuæ tum ſacrorum puritatis ac innocẽtiæ,proinde eum rogat ne turpi & ſcelerato,perfidi hoſtis mendacio ruere,ac labefieri ſibi dicatam pudicitiam ſineret: ne fraudulẽtum & maleuolum hoſtem,tam impune bacchari ac inſultare pateretur.

ſic oranti virgunculæ deum,optimum,maximum: viſum eſſe commemorant ſingu=
lis manibus,ſingulas coronas habentem:dextra, ſenticoſam ac ſpineam: ſiniſtra ve=
ro,fulgidam,prorſusq; gemmatam & auream:ab eo inuitatam adoleſcentulam , da=
tamq; optionem vtram mallet accipiendi.aurea quidem illa:facilem,iucundum,læ=
tũ & hilarem,ſed caducum,ſed breuem , & lapſabundum humanæ vitæ curſum pro=
mittit:altera vero ſpinea:aduerſa & improſpera,omnia ingrata , iniucunda, ærum=
noſa,calamitoſa,cunctaq; periculis & anxietatibus plena:verum poſt obitum,immẽ
ſum quoddam & ingens gaudium,perpetuam,æternamq; voluptatem atq; lætitiam
deſignari dicebat. Ibi tum felix adoleſcentula:ſpreta, contemptaq; aurea : ſentico=
ſam ac ſpineam optans:eam tenello,nudoq; capiti,binis vtrinq; manibus vehemen=
ter implexit.ſicq; promiſſa puellæ de inimico victoria,Chriſtus euanuit. Magno in=
de poſthac dolore capitis,pluſculos annos Catharina laborare ſolebat: pũctimq; tã
tum(velut clauorum fixuris) torquebatur:nec quiſq̃ erat,qui non ex ſpinea illa coro=
na contractam ægritudinem crederet.ſoluto itaq; voto,iamq; orandi fine facto,puel=
la in cubiculum rediens,vbi matrem ſimul & ſorores vna reliquerat,ad intermiſſum
pauliſper officium vertitur.quod ægre ferens mater:iniuriæ adhuc & contumeliç ple
na,necdum ſatis facti conuitij immemor. Pium puellæ propoſitum conatur auertere.
quid tu inquit,quo vadis?quo properas?adhuc ne ſceleratam atq; nefariã,adhuc im=
piam,& ingratam aniculam curas?ſic ne tuæ tuorumq; iniuriæ immemor facta es? fa
teberis ergo ſic tacita & verum eſſe crimen agnoſces?prima ne ergo in tuam familiã
impudicitiæ calũniam transferes?deſine itaq; ſi te huius iniecti criminis neſciam,de=
ſine ſi me ſaluam,& viuam cupis.ad quam ſubridens Catharina: parce,inquit,cha=
riſſima mater,nec tu ipſa,q̃ ſit,grauiorem iniuriam facito.ſiquidem iniuriam,ſi con
tumeliam putas,quod ab hac miſera & infelici muliercula,ſummo dolore,cruciatu,
tormẽto,humanæ vitæ hoſtis expreſſerit.nec tuam noſtramq; pudicitiam lęſam,aut
offenſam exiſtima.nõ enim aliena commendatione,ſed opere,ſed cõſcientia,ſed mo
rum honeſtate:vitę ſanctitas quæritur.eſto ingratam(vt libet)immemorem,ſcelera=
tamq; & maledicam in nos aniculam facito:minime tamen ita repente nobis vltio ac
vindicta quęrenda eſt:haud ita cuiq̃ in ſua cauſa temere iudicare conceditur:id lon=
ge maiori ſubſellio,ac tribunali relictum eſt.quid nos poſthac miſeros mortales ſpe
rare oporteat,ſi vt quiſq; peccarit, continuo pœnam ac ſupplicium expectet ? quid ſi
vt quiſq; veneficus,homicida,ſacrilegus,ſi vt diuinæ maieſtatis reus fuerit,continuo
deus maximus vlciſci ac vindicare paret? male iamprideẽ nobiſcum actũ eſſet pijſſi=
ma mater,ſi tam ſe ille in nos durum & aſperum vindicem præbuiſſet,q̃ tu te in hãc
aniculam hac leui cauſa facis proinde ſi me amas,ſi charam habes,illius exemplo po
tius iram & animum cohibe,impetum frena,huiusq; infeliciſſimę,vitæ miſerere.quę
ſi relinquitur,ſi tuo iuſſu deſeritur,breui morituram agnoſcis.conſultius itaq; facies,
ſi te non immanem homicidam eſſe volueris.crimen hoc autẽ nunq̃ effugies,ſi(quæ
per te ſeruari poterat) tuo iuſſu deſtituta perierit. pari enim pene cauſa & conditio=
ne laborant:qui aut mortem,aut mortis cauſam dederint. nec eſt quod te tantopere
ſeniculæ huius mulierculæ verbis commoueri ſinas,quam nec ipſam apud ſe eſſe,nec
mẽtis ſatis compotem vides.ſubito enim & inconſulto calore locutam aſpicis:quod
(vt ſæpe numero vides) vi morbi nimia vrgente,velut furiata bacchari cogitur.ſimul
ac autem paululum morbo leuari cœperit:futurum ſpero vt ſuum ipſa crimẽ agno=
ſcat,palamq; & vltro mentitam eſſe fateatur. His verbis conuentam matrem, paca=
tam a ſe dimittit:ipſa vero,velut modico interuallo,longe facta recentior:ad priſti=
nũ opus& laborem accingitur,iacentemq; ac pene ſeminecem aniculam adijt,hanc cõ
ſolatur,hanc curat,demumq; omni opera ſtudio ac labore,quibusq; rebus maximis,
minimiſq; ſatiſfacit.vbi hãc vetula tantopere ſolicitã videt,quã prorſus a ſe alienam
factam putauerat:illatæ calumniæ,factique conuicij nõ immemor: illachrymari gra=
uiſſime cœpit,matremq; ſimul & ſacras virgines vocari ad ſe iubet : quas vna omnes

infamia,vna flāma,& velut pari incendio afflauerat,ſe miſeram,ſe infelicem clamitans:falſo calumniatam aſſerit,capillos, ora, genaſq; diſcerpens, veniam ſupplex & prona poſtulat:ſe quæ dixerit,non ſano iudicio rectaq; volūtate ac libera,ſed aduerſario ſtimulante compulſam dicere,proinde veniam mereri: quam ſi non impetret, rei huius pœnitentia magis,q̄ vi vlla morbi,breui moriturā aſſeruit: Catharinam nō modo pudicam & caſtam, ſed diuinum quoddam in terris numen eſſe dicebat : nec temere loqui,ſcire ſe certo quæ diceret, q; ea claro ſatis ac manifeſto periculo nouerat. huius enim acceſſu, miro quodam & repentino fulgore ſuccendi & illuſtrari cubiculum contraq; diſceſſu,obſcurari confeſtim & obfuſcari ſolitum. tunc clareſcere in dies magis & innoteſcere puellæ ſanctitas cœpit: nouumq; prioribus nec minus inſigne miraculum additur. nam cum uanos eſſe conatus, caſſoſq; & irritos labores inimicus aduerteret, nec proſpere ſatis priore via ſibi ſucceſſiſſe videret,qua vehementer puellam oppugnarat:alia ſibi tentandum exiſtimat. ſemel enim aſſidente puella fœminę,curanteq; de more vulnus & vlcera:tantus illinc & tam ingens vapori commixtus fœtor erupit,vt puellæ nares atq; os totum oppleuerit,viq; nimia marcentis humoris ac putridi,caligare oculos fecerit : tantumque inde delicato puellæ ſtomacho faſtidium ac nauſeam mouerit, vt præcluſo intus ac ſtrangulato ſpiritu, vix ſe ſatis aliquot horas refocillare potuerit, iamque nonnichil horrere vlcus ac faſtidire ſuſceptam curam cœperat:parumq; abfuit,quin eam a piiſſimo opere,cautum & impium perfidi hoſtis ſtratagema depulerit: verū paulomox iam ad ſe reuerſa,ſimul ac ſecum ipſa reuoluere, ac cogitare diligentius cœpit: ſubita ac repentina pœnitentia vellicante animum,ſic vehementer obduruit, vt expreſſo terſoque vlcere,collectam calliculo ſaniem,puſq; illud totum emanans,intrepida & cōſtans hauſerit, cuius paulo ante virus tantum & odorem horruerat. ſtupentibus qui aderant,reiq; nouitatē ac indignitatem mirantibus, Raimundus puellæ præceptor,cuius ſupra ſæpe mentionē fecimus,puellam interrogat:quid,aut vnde virium tātum & animi ſumpſerit,vt fœdam illam,putremq; & purulentam ſaniē tam intrepide,haurire ac ſorbere potuerit? ad quem puella:nihil eſt,inquit,q; mirere pater,ego enim neq; dulciorem potū vnq̄ neq; ſuauiorē bibiſſe me memini : longeq; id mihi(quod tu pus & ſaniem nūcupas) nectare omni & mulſo ſapidius viſum eſt. iucūda ea res, grataq; in primis deo maximo facta eſt. quē tum quoq; ſic puellam allocutū memorāt:gratulor,inquit,chariſſima filia,mihiq; ipſe vehemētiſſime gaudeo:id te auſam eſſe mea cauſa,in quo nō cęteros modo ſed te ipſam quoq; ac tuam naturam viceris. quis enim in te vnq̄ id audaciæ,conſtantiæ ac fortitudinis ſperandum eſſe duceret? vt ſuperatis victiſq; delitijs,fractaq; & obtrita huius imbecillæ veſtrę naturæ molliciæ:id tam conſtanter auderes,quod humana mēs horret,ac prorſus refugit:quare ipſe quoq; tibi nouū quodam & inauditum potionis genus elargiar,quo tu quoq; poſthac humanam iſtam veſtram fragilemq; & imbecillem mortalium ſortem & conditionem ſuperes. ſicq; prehenſam adolenſcentulam,patenti ac ſanguinolēto lateri admotam memorāt: poſthacq; ſemper ſic affectam fuiſſe dum vixit,vt omnem cibum,potumq; reſpuerit:quo hęc miſera mortaliū vita,ſemper auidiſſime fruitur. Probata iam ſatis abunde,diuq; ac multum agitata Catharina periculis, caduca hæc atq; mortalia omnia cōtemnere, diuina autem atq; cœleſtia contemplari in dies magis,ac ſecum ipſa reuoluere vehementius cœpit:humanoq; tantum atq; mortali veſtimento tecta, diuino iam ac immortali ſpiritu viuere videbatur. in eam curam intentam ac incumbētem,ſemel deū optimum maximum ſic allocutum memorant. poſteaq̄,inquit, ſumma tua iſta facilitate,humanitate,manſuetudine,pietate,clementia,ſummaq; morum, vitæq; puritate ac innocentia, id a nobis es conſecuta, vt inter humanos non tam humanam q̄ iam cœleſtem ac pene diuinnam vitam viueres:hoc nobis libet, vt te poſthac oblita fœminam,hominū quoq; gregibus & conuenticulis inferas:illicq; nulla cuiuſq̄ ratione habita,contactum iam multis erroribus infectumq;, & lapſabūdum genus huma-

num erigas,vitia caſtiges,ſceleratasq; & flagitioſas hominũ mẽtes ab errore cohibeas,humanas haſce voluptates & illecebras frenes,hæc peſtifera atq; mortalia blandimenta,& illicia reſtinguas,ac ſuæ quenq; ſortis & conditionis admoneas:nec te vani iſti ſuſurri,populive rumores,nõ te vulgo temere iactę voculæ terreãt. ſcio enim cõpluſculos,inuidos & æmulos fore,qui tuã vitam,qui morum ſanctitatẽ ac innocentiã damnent.verum tu conſtans ſemper,ac imperterrita,ſuſceptum ſemel officium tuere:piumq; tuum iſtud & ſanctum vitæ inſtitutum ne deſere : ſic enim facile,vanã ac temerariam populi calũniam viceris.nobisq; abunde gratificata,maximũ ipſa quoq; ac immortalem vitæ fructum facies.his verbis attonita ac ſtupefacta adoleſcentula: tale dediſſe reſponſum dicitur.tu mihi pater,tu mihi deus ac dominus, ego vero ancilla ſum atq; pediſſequa,vileq; & abiectum mancipium tuum : proin tu quod lubet impera,ego quãta maxima cura potero id enitar,id laborabo, ne qua in re vnquã deſugiſſe aut detractaſſe imperium videar.facta itaq; in dies longe alacrior ac prõptior: quo ne momento vllo temporis,a re diuina vacaret,ſimul & ne locus vllus vnq̃ terrenæ labis contagio daretur: ſacroſanctum euchariſtiæ ſacramẽtum ſumere quotidie inſtituit.nec aliud poſthac in vita cibi genus admiſiſſe commemorãt.quo genere vitæ cum pene omnes in ſui admirationem verteret,grauiſſimam quoq; calumniam,ac maleuolorum inuidiam ſubijt : quæ ſic vbiq; iam incenſa flagrare cœperat, ſic longe manarat, vt vnum quoque præceptorem Raimundum , hominem ſibi fidiſſimum,eius inuidiæ virus afflauerit:qui & ipſe quoque nonnihil adhuc puellæ vitam ſuſpectam habens:haud facile ſatis induci poterat,vt quamlibet ampla,magnaq; virtute puella prędita,tam durum & tam aſperum vitæ modum induceret:ſatisq; time bat,ne fraudulentum aliquod intus cacodęmonis ſtratagema lateret:quare tum grauiter ac permoleſte puella tuliſſe viſa eſt , cum eum quem ſuæ vitæ (magis q̃ ſeipſam)conſcium eſſe cognouerat,quemq; iam ſemper a puero,vitę morumq; educatorem habuerat : dubium adhuc, & ſuæ ſortis incertum eſſe cognoſceret. verum ſeipſam tutata virtus(quæ vix vnq̃ latere diu poteſt)in promptũ & apertum extulit : innumeris enim poſthac,infinitiſq; miraculis,deus optimus, maximus,puellę virtutem cognitam cuiq;,ac manifeſtam voluit.ſemel enim Raimundus puellæ præceptor,ea domi ægrota relicta,diui Dominici templum ſacrificaturus acceſſerat : vbi cum rem diuinam faceret,hoſtia repente ſua ſponte trifariam ſciſſa:maximam homini admirationem,ſimul & ingentem moleſtiam attulit.nam cum attonitus,diligenter vbiq; fragmenta,parteſq; diſquireret:duabus ægre compertis, tertia loci nuſquam inuenta eſt.quare maximopere veritus ne populi motum faceret : ea parte inueſtigari deſita,rem diuinam expleuit.poſthacq; triſtis,mœſtuſque deambulans,forte Catharinam aſpexit,quæ & ipſa ægrota licet & languida, tamen in templum venerat : huic rem totam(vti geſta eſt)explicat,vultuq; toto & lachrymis,mœrorem ac triſtitiam oſtendit:vbi tum Catharina ſubridens,ne te macera inquit, pater,ne te crucia, mœſtuſq; iam poſthac ac triſtis eſſe deſine . partem enim quam quæris quamq; amiſſam exiſtimas,ego ipſa recepi:Chriſtus enim optimus maximus eam mihi nuper oranti obtulit. Alterũ quoq; huius miraculũ.diui Agapiti feſto ac natali die: cum ſacroſanctum euchariſtiæ ſacramentum Catharina ſumptura, cõſuetam in ea re ac ſolitã precandi formulam diceret: Domine nõ ſum digna vt intres in corpus meum:clara atq; patenti,ſed incerta voce reſponſum aſſerũt.at ego ſum dignus, in cuius tectum ſubeas . quo miraculo territi qui circumaderant : puellam attoniti ac mirabundi intuebantur.ipſa vero ſic immenſa id genus cibi ſuauitate ac dulcedine affecta eſt,vt velut mẽte ac ſenſibus capta,raptaq; & extra ſe poſita,aliquot tẽpus velut exãgue,& pẽdulum in arte corpus reliquerit:paulo mox vero corpore ſubſidente,mirũ quendam de diuinis ac cœleſtibus rebus ſermonẽ inchoat:quem eo verborũ ornatu,eo lepore, ea ſentẽtiatũ frequẽtia,ac grauitate exequitur:vt turba omnis & populi concio (quæ circũ aderat) vix prę gaudio,fletu ſatis ac lachrymis temperare potuerit mira quoq;

id genus cōpluſcula memorantur,quę partim ipſa videre,partim audire conſueuerit: vt in infantulū mutatam hoſtiam,ſacerdotem ipſum,rem diuinam agētem quodam velut flammeo limbo circumagi,atque altaria tota, repentino quodam incendio ardeſcere:mirifque nonnunquam tibiarum,ac vocum modulationibus, concinentium puellarum choros aſſiſtere:quę nobis vt nō operoſe nimis ac pertinaciter aſtruenda, ſic neq̧ refutāda quoq̧: verum vt a nobis inuenta ſunt, ſic memoriæ proděda duximus. Neq̧ minus id vnum nobis admiratione dignum videri ſolet:quod ſemel orāti puellæ accidiſſe cōmemorant.precari enim cœperat,ſignum aliquod darį quo de Raimundi præceptoris ſalute certior fieri poſſet:tuncq̧ vocatam ac poſtulatā puellam,vt manum intenderet:qua porrecta,perinde grauiter indoluit ac ſi clauis tranſfixa manus eſſet:grauiq̧ tum illo,veroq̧ doloris vrgente ſenſu, clamare puella ac vociferari coacta eſt. plagamq̧ poſthac & vulnus (tametſi videri non poſſet) ſemper tamen in poſterum ſenſiſſe dicitur. Pluſculos quoq̧ poſt dies Piſis in æde Iuſtinæ, cū de more rem diuinā audiret,mira quadā & incredibili cupiditate ſuccēſa eſt:ſe quoq̧ ſupplicij ac cruciatus participem fieri:quem deus optimus,maximus,humani generis cauſa , olim in cruce pertulerat . quare cum id tota mente & animo peteret : ecce Chriſtum miro quodam fulgore conſpicuum , vulnera ac plagas oſtendentem aſpexit. tuncque puella ſpectante populo: taciti ſecum cupitique voti , atq̧ myſterij conſcia:ſuppliciter precari deum cœpit,ne ſibi aperta ac populo toti patentia, ſtigmata immitteret:ſicq̧ repente commutato colore, ſanguinolentiſque radijs in lucidos verſis,pungi grauiter ac fodicari cœpta eſt: nimioq̧ & intolerabili ſuperante dolore,exanimæ ſimilis proſtrata iacuit. Paulopoſt quoq̧ Catharina,nimia quadam diuinarum rerum cogitatione,velut rapta & extra ſe poſita,cum corpus in terram velut moribundum correueret , pluſculas horas tanquam exangue & prorſus exanime iacuit.quo rumore commota,perculſaque ciuitas,tumultuari magnopere cœpit:magnuſq̧ ſtatim & ingens populi concurſus factus eſt:confluentibus vndiq̧ turbis, miroque ſtudio & ardore Catharinæ domum petentibus.inter hos quoq̧ Raimundus Catharinæ præceptor cum aliquot ſui ordinis viris,ad quos iam funerum cura delata fuerat:mœſtos filiæ obitu,& ſquallidos parentes,conſolari magnopere cœpit.ibi tum quidam parentum miſericordia, ſimul & incredibili quodam puellæ deſyderio commotus,flere nimis intemperanter & lachrymari cœperat,nimioque ſingultu ſtrāgulato intus , ac ſuffocato ſpiritu,ſic grauiter & immodice præcordia læſerat,vt parum is quoque abeſſe a periculo videretur : commonitus tamen a circunſtantibus, quos noui periculi metus in ſe commouerat , apprehenſam puellæ manum in collum impoſuit:moxq̧ reciprocāte ſpiritu,graui illo vitæ diſcrimine,ſolutus ac liber factus eſt . Parata iam ſatis & abunde diſpoſita exequiarum ac funerum pompa : nec enim multa , in tanta modeſtia ac rerum tenuitate deſyderari poterant , cum vnuſquiſq̧ certatim pro ſe defunctæ vitam laudibus ferret : ecce repente velut graui ſomno experrecta Catharina ſurrexit,grauiq̧ & ingēti,qui aderant admiratione ſimul & terrore perculſi ſunt. Haud ita multo poſt, Catharinæ pater Iacobus,graui morbo correptus laborare vehementiſſime cœperat:Iamq̧ apud omnes deſperata ſalus hominis erat,ibi tum Catharina,æternæ magis atq̧ perpetuæ,q̄ temporarię huius fluxæq̧ & incertæ vitæ ſolicita:precari deum cœpit,moribūdi parētis ſaluam animam faceret,eāq̧ immani illo inferorum tormēto, ac cruciatu ſolutā ac liberam,recta via cœlos aſcendere pateretur. quod tametſi indignū,nec diuinæ ſatis iuſticiæ conſentaneum ac cōgruum videretur:vt hiſce terrenis humaniſq̧ ſordibus infecta atq̧ polluta anima,impiata adhuc & impurgata,protinus ad cœlos euolet:tamē pijſſimis Catharinæ votis ac precibus,parenti (quod petebat) indultū eſt:ea lege tamē conditioneq̧ impoſita,vt quancūq̧ defuncti parētis anima apud manes pœnam paſſura fuerat,hāc Catharina viuens ferre, patique cogeretur . haud inuita tatam conditionem accipiens, illico domum reuerſa eſt : illicq̧ patrem iam efflantem & agentem animam re-

perit:quo iam defuncto,grauis vbiq; mœror familiã totam inuaſerat,matrẽq; pręſer tim,quę(vt erat implacabili animo)vix ſatis mariti fatũ & obitũ modeſte ferre poterat.Ibi tũ Catharina mœroris nihil triſtitięq; vultu pręferẽs, cũ propinquos cęteros,tum matrẽ in primis,maxime conſternatã ac mœſtam cõſolari cœpit.Indeq; ipſa ſemper in poſterũ,graui ac permoleſto coxendicis morbo laborãs,ſanari nunq̃ potuit.Haud procul a Senis,Andreas quidã cognomẽto Bellãtius,homo diues & opulentus erat,maiorũ familia clara ſatis & nobili genitus,ſed vita:ſcelerũ ac flagitiorũ plena,infamatiſſimus.is iã diutino morbo grauiter ægrotãs,morti propinquus erat, neq; vllam ſalutis & animæ curam,nullam prorſus rationẽ habuerat,paſſimq; omnibus nõ corporis magis q̃ animę ſalus deplorari iam cœperat:tantũ enim aberat,ne ſe ipſe curaret,ne preces,ne vota faceret , vt ſiquos forte nõnũquam ſalutiferũ aliquid admonẽtes vidiſſet,conuitijs ac cõtumelijs onuſtos turpiter a ſe depelleret.accerſit9 itaq; & aduocatus ſacerdos,eũ ſæpe fruſtra cõmonuit:flagitiorũ ac ſcelerum veniam ſuppliciter peteret.qui dũ caſſum vanũq; & irritum laborem eſſe cõſpiceret,Catharinam(eius celebri fama commotus)adijt,eam rogat votis ac precibus:obſtinatam ac pertinacem moribundi hominis mentem flecteret:ne perire animam vellet,quam facile ſeruare poterat. his precibus victa facile Catharina, ſe quod petebat libens facturam pollicetur.quæ tametſi hominem eum cuius cauſa rogata fuerat , neq; cognitum vnquam,neq; notum habuerit:tamen nihilo ſegnius ſuſcepto ſemel officio fungebatur.multiſq; cum diurnis,tum nocturnis vigilijs ac orationibus,multiſque votis ac precibus orare deum cœpit,ne miſeram, illam & infelicem iamiam morituri hominis animam perditum iri vellet : vt actæ iam atq; perfunctæ hominis vitæ parceret,ne opprobria,ne iniurias,ne cõuitia,ne cõtumelias meminiſſe vellet:cui ſic quoq; tum reſponſum factum accepimus:Inofficioſe eam agere,quæ ſic vitij virtutiſq; diſcrimine atq; delectu poſito, nulla nec rerum, nec hominum ratione ſatis habita : ſic vnam omnium ſortem ac conditionem faceret , ſic omnium cauſa promiſcue , vota, preces,ſuppliciaq; funderet:neſcire eam ſatis cui9 cauſa precetur,nec impuriſſimi hominis ſceleratiſſimam ac flagitioſiſſimã vitam cognitam ſatis ac perſpectam habere: latere eam quoq; huius infanda facinora,furta,rapinas,incẽdia,homicidia,raptus inceſtus,ſacrilegia:latere eam quoq; ſpurciſſimam,omniq; flagitiorum genere inquinatiſſimam vitam:cuius immenſus quidam fœtor & immodicus,non terram ſolum ac homines,ſed iam ſydera, iam cœlos, iam ad deum ipſum immortalẽ peruaſerit: Proinde facturam eſſe conſultius, ſi iam ab incœpto deſiſteret , ſi iam orandi ſidem atq; precandi faceret,ac ſi iam tandem aliquando,viliſſimi huius hominis cauſa moleſta eſſe deſineret.fruſtra eam precari poſthac:animam ſimul , corpuſq; periturum, perpetuoq; ac iugi , ſæuoq; arſurum incendio,nec vllum vnq̃ pœnarum finem habiturum.niſi non eum id forte mœreri exiſtimas,inquit:qui vt cætera condonẽtur , tabulã vnam eburneam,publicum monumentum,in quo mea matriſq; meæ imago picta erat,cõtemptim adeo ac petulanter incenderit. Ad quem Catharina:ſi peccata,ſi crimina,ſi miſeræ huius mortalitatis vitia ac errata omnia vindicare volueris mitiſſime pater, quotuſquiſq; erit qui ſe ſaluum fore ſperare audeat? quotuſquiſq; qui nõ ſe potius breui periturũ exiſtimet? tu vero ita ne miſerę huius mortaliũ ſortis,fieri particeps voluiſti? ita ne largo & exundanti ſanguine , ruiturum ac iam pene collapſum genus humanum redimere? vt ſic crudeliter poſthac de vnoquoque ſupplicium ſumeres? hęccine pietas? hæc immenſa clementia? hæc tormẽtis & fœda morte parata gloria,quã te mortalibus nobis velut hæreditariã iam olim daturũ es pollicitus? nihil eſt autẽ quod nobis iuſticiã,at vel ſummũ potius iuris rigorem afferas:neq; enim de iuſticia certatura tecum huc veni,ſed vt tu tua ſumma pietate,clemẽtia,bonitate, fratrẽ vnum mihi chariſſimũ,periclitãtem liberes:vt ab immani illo,iugiq; inferorũ tormẽto,ac incendio ſolutum facias. nulla enim cuiuſq; eſt tãta criminis indignitas, nulla tãta ſcelerũ impietas,quã nõ tu facile ſumma pietate ac mãſuetudine ſuperes.

nec me adhuc oblitā exiſtimes,eius quod pauloāte mihi pollicitus fueris : fore vt in me multorum hominum ſalus,poſita ac conſtituta eſſet:ſimul & vt meo ductu,meo interuentu,mortalium animæ multis ſæpe culpis obnoxiæ:pœnas atq; ſupplicia vitarent.quare nō abeo pijſſime pater,non me hinc prius moueo,q̄ tu me voti compotem feceris.nihil eſt quod mecū queraris,nihil q; me importunā expoſtules: fidē abs te requiro,quā mihi nuper dederis.non intempeſtus videri debet, qui cum maxime opus eſt,debitorem appellat.Hac vehementi ſupplicatione,quā a noctis crepuſculo, in aurorā fere protraxerat,Catharina quod petebat obtinuit.vixq; finē orandi fecerat:cum ecce Bellātius ille quem diximus,obortis repēte lachrymis,grauiter ſemetipſum incuſans,ſuppliciter rogare veniā cœpit:atq; ad ſe cōfeſtim ſacerdotem vocari iubet,illi ſua crimina,illi ſua ſcelera,quæ hactenus ſemper occulta tenuerat, libere & palam aperit: ſeq; ac ſuam ſalutem,lachrymis & fletu cōmendat,graueq; & ingēs quoddam periculum narrat,cui pauloante pene expoſitus fuerit: inuſitatæ magnitudinis viſum a ſe draconem,immenſis apertis faucibus, qui ſe vorare & abſorbere cuperet:id quod omnino futurum videbatur, ni pię puellæ cuiuſdam interuētu fretus, graue ac præſens vitę periculum deuitaſſet.hæc enim rugiens ac furibundum animal inuitum loco cædere coegerat,ſeq; vlnis exceptum,candidoq; palliolo tectum,atque ſublatum extulerat.In eadem vrbe ſemel captiuos duos,criminum ſuſpitione prętor coniecit in carcerē:qui cum agnoſcere crimina recuſarēt,vafraq; & longo vſu verſuta mēte,prætorem ſimul,quęſtoresq; deciperēt: vario tādem tormenti genere adhibito,veritas extorta eſt: lataq; ſententia vt curribus ad ſupplicium tractos,carnifices ignitis forpiculis,corpore mēbriſq; diſcerperent.quo intolerabili cruciatu vexati:cū ſæpe nefarijs ac ſacrilegis vocibus,deum immortalem,ſuperoſq; laceſſerent:Indignitate,ac nouitate rei Catharina cōmota,quę tum forte haud procul ab eo loco aberat quo ſontium vehicula trahebantur:de feneſtra deſpectans,immenſam dæmonum,velut æthiopum turbam,miſeris circumiectam ac circumfuſam aſpicit.partimq; triſti illo ac miſerādo ſpectaculo,partim vero præſenti animarum diſcrimine,atq; periculo territa:ſubito ad preces,votaq; cōuerſa eſt.moxq; depulſis furialibus diris: miſeri ſontes priſtina ac ſana mente recepta,ſeſe nefarios,ſe facinoroſos ac ſceleratos,iamq; tam turpiter actæ vitæ perteſos,palam profeſſi ſunt:ſe cruciatus,ſe tormenta maiora meritos,quę ſi amplius quoq; adaucta fuerint:minime ſe moleſte laturos.fuſiſq; illic ſparſiſq; vbertim lachrymis,populi fidem implorare cœperunt: vt pro ſe quiſq;, ſuam ſalutem deo immortali commēdatam faceret. Ibi tum populus miro quodam gaudio,ac inſolita lętitia geſtiēs, fundere precēs,vota facere,ac paſſim collachrymari cœpit:q; eos integræ ac ſanæ mentis videret, quos pauloante pertinaces ac pene deſperatos eſſe cognouerat:grauiq; tum ductus admiratione,vehemēter ſtupere cœperat, vndenam tanta & tam inopina mentium commutatio facta eſſet. cælatum id pluſculos dies,verum paulomox,Catharinæ votis ac precibus factum eſſe cognoſcitur:quæ ne in exteros tantum & alienos officioſa,in ſuos ingrata videretur:ſequenti exemplo præſtitit.etenim haud ita multo poſt, matrem ſuam nomine Lappā,cuius ſæpe ſupra mentionē fecimus:iā diutino & inueterato morbo cōfectam ac pene mortuam,ab inferis reuocauit: ſicq; eius vitam, longęuam protulit:vt nonagenaria ac iā decrepita moriēs,ſeſe filię beneficio tādiu vixiſſe teſtata fuerit.Id genus multa ac innumera miracula memorātur,quę nos cōſulto prętereūda duximus:ne eadē de re,liber in immēſum excreſceret:pugnas aliquot tantū ac pręlia differā,quæ cum humani generis hoſte,pia virgo conſeruit.Senis in vetere diui Ioānis baptiſtę cœnobio puella quędā octēnis,miti faciliq; ingenio,miraq; & rara morū indole prędita erat: In eam impiiſſimus humani generis hoſtis irruperat, eamq; ſic torquere grauiter ac vexare ſolebat:vt puellæ cura ac cuſtodia, reliquas omnes virgines ſacras , graui labore ac moleſtia opprimeret:quare cōmuni conſenſu mittēdam alio puellā & ablegandā exiſtimāt.ſicq; aduocato parēte,illā eius curæ cōmittunt:mirabile dictu,neq; gram=

maticam,neq; literas vllas vnquã puella didicerat: ſicq; tamẽ facile, ſic prõpte & expedite ſermone latino loquebatur,vt facile quoſq; ſui admiratione traheret,pluſcula quoq; nonnunquam recõdita ac inaudita referebat:ac de qua quiſq; re popoſciſſet: promptum ac facile, & velut ex manu reſponſum dabat. ibi tum pater anxius curis atq; ſolicitus, cum ea peſte mundari puellã cuperet, atq; ea cauſa vbiq; preces, vbiq; vota faceret,nuſquam tamen ſatis idoneum medicum, nuſquam remedium aut præſens ſatis auxilium inuenit.audita vero percelebri Catharinæ fama,quæ iam paſſim ferri atq; vulgari cœperat,& ad quam (velut ad diuinum oraculum) ſuis quiq; perditis,& afflictis rebus,auxilium petituri currebant:ad eam ſe ſupplex contulit,ductáq; ſecum furibũdam adoleſcentulam,ſiſtere coram iuſſit. ibi triſtis ac mœſtus miſeram puellæ ſortem,ac conditionem explicat,fidemq; eius & opem implorat. Catharina vero,ſimul ac in conſpectum puella ducta eſt : pauliſper intuita,continuo ſe in abditum domus cubiculum proripit: ſeq; illic abſtruſam velut occulto latibulo cõtinens, prius nunquam prodire voluit, q̃ id præceptoris imperio iuſſa, facere coacta eſt. hic partim precibus, partim imperio ac iuſſis impetrat, vt in idem cubile, puellam ſecum dormituram admitteret:ibi tota nocte fortiſſime pugnans,manus cum hoſte cõſerit.inter vtrunq; ſtatim ſæuum & anceps bellum exoritur:verum Catharina,puritate ac innocentia vitę,magis q̃ viribus pugnans, ſuperatum ac victum hoſtem profligat,puellæq; corpore expulſum,velut muro deturbat ac deijcit: cuius quia probe naturam nouerat:ſciebatq; vnde depulſus eſſet,eodem ſæpe reuerti ſolitum : puellã apud ſe retinet,neq; pluſculos dies ab ſe vſquam abire patitur. paulopoſt vero,ſemel quo die forte Catharina domo aberat,rurſum puellæ corpus ingreditur. Catharina domum reuerſa,vbi puellam inſanam ac furibundam reperit,grauiter ac permoleſte id ferre viſa eſt:torueq; inſpiciens,vehementer puellam obiurgat,demumq; ad inimicum verſa.quid tu perfidiſſime inquit,ſic ne contemptim,ſic confidenter agis? quouſq; tandem patientia noſtra,quouſq; immani, impia atq; nefaria audacia tua abutẽdum exiſtimas? ſatis ne ſemel tua impuritate, tenellum hoc corpuſculum, fœdaſſe atq; vexaſſe fuerat? nunquam ne ergo nobiſcum,importune verſari deſines? verum ego ſpero te quidem,fauentibus ſuperis, breui pœnas daturum, futurumq; vt huius tui temerarij ac impij conſilij abunde pœniteat. tu vero,ille inquit, vide ſi ſapis, ne dum mihi minaris, ipſa tibi periculum ſtruas: vide ne tuis rebus non ſatis conſulas. nam ſi me hinc pellis,in te locum inueniam,& apud te inuitam diuerſabor. minime, inquit illa,impuriſſime & impijſſime carnifex:dei maximi iniuſſu,tibi id vnq̃ licebit:illi ego iampridem mãcipata, illi dicata, iam multos annos famulari & ancillari ſoleo:ſiquid ille aſperum in me,ſi quid ſæuum & durum ſtatuet,fortiter ac libenter excipiam:tu vero interim abi,tenellumq; hoc puellę corpuſculum,torquere iam poſthac atq; vexare deſine:ſignũq; mihi relinque,quo te diſceſſiſſe cognoſcã:moxq; ille ingenti crepitu edito,foras exiluit, in gutture cicatrice relicta, qua ſe profectum oſtenderet. Iterum quoq; ſemel in oppidulum quoddam Senenſis agri diuertens,vt illic compluſculos dies,de via feſſa requieſceret:forte vilem quãdam,abiectęq; ſortis ac conditionis fœminam ęgrotam reperit:quam cum de more conſolatura inuiſeret (ignorantibus cæteris ægritudinis genus) ſimul ac eſt intuita,facile dæmoniacã agnouit.ibi tũ Catharina,tametſi id belli genus & pugnæ cupidiſſime ſemper, & in primis accurate refugeret:tum tamen ibi,cum aſſiduis rogantium precibus,tum ingenti quoque fœminæ laborantis miſeria commota,graue dimicandi periculum ſubijt: ſuſcepta prouincia, cum ſe iam pugnæ accingeret, ecce nonnulli adueniunt inter oppidanos ſeditionem,grauemque tumultum exortum nunciant: niſi rem vtrinque pacatura feſtinet, niſi diligenter approperet: vix ſine cæde & ſanguine rem abituram eſſe.ſcire ſe ſatis,quanta eius autoritas in vtranque partem futura ſit : quantum & quam ingens apud omnes momentum habitura : ſi prodierit,rem totam ſine periculo fore:oppidanos ſimul ac eam viderint,ab vi & armis facile diſceſſuros. Ca-

tharinam tametſi illinc iam ſuſcepta prouincia teneret, tamen hinc multo grauius, ac iam pene inſtans periculum mouit. quare abſceſſura, vocatum ad ſe dæmoniũ, impe= rat tantiſper a tormento deſinere, dum ipſa redierit, ibi tum mœſtus ac triſtis aduer ſarius virgini ſæpe numero improperans, eiq; frequenter admodum imprecans (ſed cuius tamen nomine ſemper abſtinuit) flebiles ſæpe atq; lugubres eiulatus edere co= gebatur. rogatus autẽ a circũſtantibus, quid ita mœreret? aut cur non abſente Catha= rina diſcederet? reſpondit ſe torqueri grauiter, ac vehementiſſime cruciari, nec ſatis liberum eſſe (ſi vellet) abeundi: q; abſentis virginis iuſſu, velut obſtrictus vinculis te= neretur. paulopoſt tempore, pacato tumultu, ſublato periculo, paceq; inter oppida= nos confecta: Catharina reuerſa domum, furibundam fœminam, exclamantem offen dit. quid me torques inquit? quid me tãtopere crucias? quin abire hinc pateris? quin me hoc tuo tanto & tam graui nexu liberas? tum Catharina: amolire inquit miſerri me, hinc abi, & vide ne vnquã poſthac, in hoc fœminę corpus, tam temere irrumpas. factoq; continuo ingenti immenſoq; ſtrepitu, ille procul euanuit. Ibi tum fœmina ſtu penti ſimilis, turbam circunfuſam intuita, quærere ſolicite cœpit, quidnam tãtus ille hominum conuentus vellet? cui re tota, ab origine expoſita: mirari vehementiſſime cœpit, oblitaq; rerum omniũ: vix ſibi ſatis quę dicebantur perſuadere poterat. Cre= ſcere iam in dies magis, fundiq; latius, & iam vbi Catharinæ nomen ac fama vulgari cœperat: nec apud indigenas magis, q̃ iam apud exteros, eius crebra miracula ferebã= tur. ſic enim plena diuinitatis erat, vt non præterita magis atq; præſentia, q̃ iam futu ra, atque ventura cognoſceret. quare quicquid boni malive ominis, quicquid augurij, quicquid euẽtus futuri diceret: vix temere vnq̃ fallere aut errare conſueuerat. hincq; iam de ſe opinione vulgata, frequens vndique ad eam populi concurſus fiebat: cum quiſq; ſolicita expectatione, ſuarum rerum euentũ peteret. eſt enim ſæpe (multo ma= gis q̃ deceat) futurarũ rerum auida ſemper ac ſtudioſa mortalitas, his Catharina nec paſſim omnibus, nec temere vnquam reſpondens, ſed rerum, ſed perſonarum, tempo rumq; & locorum omnium delectu atq; ratione habita, reſpõſa velut certiſſima quę= dam oracula dabat. Forte ea tempeſtate Gregorius pontifex maximus, populũ Flo= rentinum diuinarum rerum interdicto notauerat: ob quam rem ſolicita ciuitas, cum grauiter in ſe infenſum pontificis animum ſciret, cuperetq; in primis, graui illo & pe riculi pleno vinculo abſolui: verita niſi iucundum gratũq; põtifici nuntium miſiſſet, ne non proſpere ſatis res, & ex voto ſuccederent. Vocatam ad ſe Catharinam, vehe= mentiſſime rogat eo munere fungi vellet. Catharina tametſi rem grauem, prorſuſq; fœminæ inſolitam, ſe facturam eſſe conſpiceret: tamen publicæ communiſq; omniũ ſalutis cupida, magis q̃ ſui ipſius memor libenter annuit. captoq; hominum ſimul & fœminarum honeſto comitatu: ſe in Gallias ad pontificem contulit. tum enim pon= tifices (vrbe relicta) in Galliam Narbonenſem migrauerant, iamq; Auinionem ſede trãſlata, illic annos compluſculos morabantur. Eo ſimul ac ventum eſt: Catharina a pontifice beneuole excepta, ſuppliciter agens: ingentem populi Florentini pœnitẽ= tiam exponit, & errati veniã poſtulat, totamq; poſthac ſemper ciuitatem, in pontifi= cis poteſtate futuram pollicetur. pontifex fœminæ formam ſimul grauitatem, pru= dentiam, miramq; incredibilem quandam facũdiam admiratus: beneuolo faciliq; re= ſponſo Catharinã ſpei plenã dimittẽs, paulomox voti cõpotem fecit. iam tota vrbe Catharinę aduẽtus, famaq; vulgari cœperat: cõcurſus vndiq; populi cõuẽtuſq; fiebãt: q; quiſq; miro vidẽdę fœminę deſiderio tenebatur: cuius fama iamprid ẽ omniũ au= res oppleuerat. Ibi tum forte, tres ſacrarum literarũ peritiſſimi, primiq; inter cęteros nominis ferebantur. Hos quoq; videndæ fœminæ cupido quædam ingẽs inceſſerat: quare poſtulata pontificis venia, fœminam adeuntes. vbi de more ſe ſimul omnes cõ= ſalutaſſent, ſedere iuſſi ſunt: paulo mox vt pro ſe quiſq; poterat, graues atq; difficiles quæſtiões ingerẽs, ſic ſtudioſe & accurate verſabãtur, vt facile cuiq; videri poſſent, nil tãtopere optare, q̃ vt fœminę famã, ac iam apud optimos quoſq; cõceptam diuinita=

tis opinionem peruertere,ac labefacere conarentur:eos enim,humani generis hoſtis inuidia,nondum ſatura ſatis, necdum abunde Catharinæ periculis plena,in eam velut acerrimos hoſtes armauerat.verum Catharina,ſuperum ſemper auxilio freta,miraq; & incredibili quadam prudentia atq; ſapiētia prædita:ſic amice reſpondit.nihil eſt inquit doctiſſimi viri,q; me ignaram,rerumq; omnium expertem fœminam,nullo nec literarum,nec vſu rerum exercitam,his veſtris occultis atq; reconditis,quęſtionibus pertentetis.longe maiores hæ nobis ac grauiores videntur q̃ quibus fœmina rudis,& inculta reſpondeat:pura,ſimplex,& vnica fides apud nos,veſtros ſenſus,veſtra omnium præcepta,ac documenta ſuperat:hac ego cōtenta,temerarium longe magis, q̃ vtile exiſtimo quoq̃ vltra,aut longius progredi,quoq̃ inconſulte vagari, nefaſque prorſus,ſceleratūq; & impium arbitror:quod ſola fide cōſtat,id argumentis,vaniſq;, & ſæpe fallacibus hominum commentis aſſerere:vos vero,quibus ingenium firmius, purius ac defæcatius natura dederit,quibus ſtudium ingens,cura,labor,induſtria, rerum omnium ſcientiam, atq; peritiam fecerit:de his rebus, vt libet, veſtro arbitratu diſſerite:me ſilentium magis,ac taciturnitas decet: hæc vna mihi maxime conuenit, hæc huius meæ rudioris vitæ,peculiaris ac propria eſt.verum nihil hæc,accurata licet & ſatis ſedula,reſponſio proderat:inſtare illi,premere ac vrgere vehementius incipiunt.Iamq; velut furētes atq; phanatici,vix probris atq; conuicijs abſtinent. Inter hos vnus ſtomacho ac bile æſtuans,Catharinam interrogat,quænam,aut vnde veniſſet,quid ſaperet,quid de ſe ſentiret.cui puella:mira licet verborum parcitate, ſic tamen abunde,ſic plene reſpondit,penitiſſima quædam atq; recondita diuinarum rerū myſteria repetens: vt diuino magis afflata ſpiritu,q̃ ore humano locuta videretur: moxq; nedum pontifices,cæteroſq; id genus ordinis viros,ſed reliquam turbam (quę circū in cœtu aderat) ſui admiratione cōmouerit.qui omnes vt pro ſe quiſq; poterat: Catharinam laudare,admirari,philoſophos vero,velut inanis & garrulos,carpere ac grauiter inſectari cœperunt:quos tamen neq; pudor vllus,neq; manuum pedumq; ſupploſio, ſatis cōtinere aut prohibere potuit.ſurrexit & alter:Catharinam interrogat, quænam virtus,maxime animam corpuſq; diſiungeret,quæ vtrunq; ab altero ſepararet,atq; diuideret,quæ ſic a corpore mentem alienam faceret,vt nihil poſthac humanarum rerū cupida ac ſolicita videatur. Ibi tum Catharina pluſcula quædam de vberrimo diuinarum rerum fonte atq; ſacrario eruens,mirum quendam de mentis exceſſu, de anima,deq; eius raptu & corporis ſeiunctione,ac nimij cuiuſdam ſtuporis plenum ſermonem habuit,ſic ſplendide luculenter ac copioſe diſſeruit:vt nō reliquos ſolum, ſed ipſos quoq; philoſophos, velut attonitos & nouo quodā miraculo ſtupentes atq; perculſos redderet:nec tamen adhuc humana mens,falſa ſui opinione perſuaſa,ac lōge plus æquo fluxæ huius & inanis gloriolæ cupida,ſatis pacari poterat.quāuis enim ſtupore quodam animi,& trepida mentis perturbatione,ingens fœminæ miraculum faterentur, nec ſe facile huic pares futuros eſſe cognoſcerent: eo tamen proteruitatis ac impudentiæ eorum quidam prolapſus eſt,vt contra nonnihil adhuc obniti,palāq; conari voluerit.verum hic,reliquorum ſanioris paulo animi obiurgatione atq; conuitijs exceptus,deſtitit.quo properas inquiunt homo fanatice?quid tentas?quid aggrederis?te ne vnum omnium fortiſſimum?te ne inuictiſſimum putas?quo impudētiæ laberis?etiam ne cum ſuperis certamina conferes?vide quo te linguæ procacitas auferat,vide quo te tumor & inanis ambitio rapiat,vide quo impotem ac præcipitem ferat:viden vt hæc diuina magis q̃ humana mente repleta loquitur?Cedamus itaq; vt decet: neq; temere ſuperos ſtrepera hac noſtra,& incompoſita verborum garrulitate prouocemus:nec veterem illum & fabuloſum Marſiam,graui noſtro periculo imitemur.Stupentes itaq; & in primis attoniti ad pontificem redeunt:huic narrant quæcunq; de Catharina compererant.fœminam quidem humana ſpecie,eamq; & rudem & incultam videri,cæterum intus diuinum aliquid ac longe ſupra humanam mētem latere:nec facile quenq̃ mortali ingenio præditum,huic parem vnq̃,aut rerū copia,

aut ſermonis eloquentia futurum.tantam enim prudentiam,ſapientiam,tantamque reconditarum omnium rerum doctrinam ac eruditionem in fœmina ineſſe,vt non facile verbis aut oratione complecti poſſint. Magnam inde põtifex voluptatem animo capit,iubetq; ad ſe Catharinã vocari:miroq; huius videndę rurſus,ac repentino quodam deſyderio accenditur,q; quæ ſibi alieno ſermone nuntiata fuerant,ipſe quoq; palam experiri volebat. Vocatam ad ſe pluſculis de rebus interrogat,attente ac beneuole audit,demumq; honorifica oratione collaudat,hortatur,admonet,rerũq; omnium cum priuatarum,tum publicarum (quas pauloante petierat) abũde compotem facit: iubetq; petere,ſi quid amplius velit,benigne futura pollicitus quæcũq; aut priuata cuiuſq̃ aut publica cauſa petierit: ſe id vnum ab ea petere,ſe id rogare atq; contendere, vt anteq̃ abeat,in publico cõmuniq; omnium cardinalium cœtu, concionem habeat, vt ſe,vt omnes ſuæ illius diuinæ ſapientiæ atq; eloquentiæ participes faciat. Ibi tum Catharina: tametſi & perſonarũ & loci & impoſitæ rei grauitatem horreſceret,tametſi ſexum & cõditionem excuſaret,nec ſe tantæ prouinciæ facile parem futuram noſceret, tamen indignum & impium exiſtimans,pontificis iuſſa reſpuere: ſibiq; potius ac famæ parcere,q̃ ſummi omnium principis votis obtemperare,ſe quod iuberet facturam pollicetur. ad idq; dies a põtifice dicta eſt,qua vna omnes in cõcionem veniãt. Ibi tum Catharina mira quadã & incredibili rerũ atq; verborũ grauitate,ac vbertate perorans: mire omnium mulcebat animos, iam gaudium atq; lætitiam: contra iam, luctum,mœrorem atq; triſtitiam afferẽs. In primis autem fragilem,vanam,caducam & imbecillam,humanarum rerum ſortem & cõditionem oſtendit. quanto hic in dies & q̃ magno periculo,q̃ dura & incerta lege genus humanum ageret,q̃ diſpari ſæpe & iniqua rerum humanarum ſorte,mortales viuerent: q̃ æqua tamen omnes & infallibilis mortis conditio maneret: naſci liberos quoſdam & ingenuos, quoſdam ſeruos ac mancipatos,& ſæpe alienæ iniuriæ ac contumeliæ obnoxios: hos principes, illos priuatos,hos opulentos ac diuites,illos egenos & inopes, hos publicis muneribus ac magiſtratibus illuſtres ac claros,illos ignotos, ſordidos & inglorios: hos multarum rerum proſpero ſucceſſu felices , illos infortunatos, calamitoſos, miſeros, hos in patria, inter amicos domi: coniuge, liberis ac numeroſa familia & clientela lætos ætatem agere: illos extorres,exules,peregrinos,ſolos & orbos,in alieno ſolo & terra viuere: & in hac tanta,tam varia & tam iniqua natalium ſorte,vna tamen & æqua omnium conditio remanet,vt vno communi omnium, ſed incerto & ſæpe diſpari fato, ſuarum quiſq; rerum finem ac terminum videat. grauiter poſthac ingentem pontificum luxum,liberam nimis & apertam morum licentiam increpuit: magna & ingẽtia culinarũ impendia,equorum aurea ſępe numero ſtragula,veſtium apparatum & ſumptum,ac ſæpe theatralem ſcænicamq; mundiciam,mimoq; magis & hiſtrione q̃ pontifice dignam lautitiam,famulorum turbam ac numerum: quorum tanta frequenter in pontificum atrijs verſari colluuies ſoleat,vt ne vnius quidem ad id intenti nomenclatoris opera ſufficiat: demũq; reliquarum omniũ domeſticarũ rerum luxuriam,ac nimiam quandam opulentiam damnans: non ea eſſe Petri, non Pauli,non Hieronymi,non Auguſtini veſtigia dicebat: qui in ſumma rerum luxuria,continentiſſimi: inter opes,egeni: inter honores,inglorij,fidelia ac firma futurę chriſtianę religionis fũdamenta iecerũt. Chriſti pauperum eſſe,eas opes,ea prædia,quibus ipſi velut captis, raptiſq; ab hoſte ſpolijs,velut adhuc in hoſtico,necdum ſatis pacato ſolo,libidinoſe ac nimis intemperanter heluantur: ſcire ſe ſeruos tantum, diuiſores & adminiſtros, verum nullam nec peculatus,nec expilatæ hæreditatis,nec Iuliam repetundarum legem vereri: temere omnia raptim & inconſulto miſcere,furari,rapere,omnia pro inſtinctu libidinis agere: & quæ publici pauperum vſus poſtulant, ea domi priuatim, ad faſtum,ad luxum,ad explendam voluptatem cõgerere: male cum præſentis, tum vitæ futuræ memores: quibus omnium maximarum,minimarumq; rerũ ad aſſem ratio reddenda ſit: nec perperam geſtæ rei,pœna futura,multa,vel exilium,non digni-

tatis aut ſacerdotij priuatio:ſed ingens,ſed perpetuum,ſed æternum ſupplicium.breui enim affore vindicem,quem nullis maiorum titulis,nullis parentum precibus flectere,nulla pecunia,nulla ſorde corrumpere liceat. Horum ſuperbiam & arrogantiã: veterum exemplis,abiectaq; & humili maiorum vita compeſcuit. demũq; Dei optimi maximi immenſam & incredibilem teſtata clementiam, ad pœnitentiam, veterumq; & priſcorum morum honeſtatem ac diſciplinam hortata eſt. Ibi tum põtifex maximus,cæteriq; omnes,grãdi & inaudito miraculo attoniti,fœminã pro ſe quiſq; laudare & admirari cœperunt,cuius tãtam cum humanarum tum diuinarum rerum peritiam,tantam & tam incredibilem eloquentiam:vix ſibi quiſq̃ vnq̃ inducere potuiſſet. mirum enim rarumq; in primis in fœmina,timido ſæpe & imbecillo ſexu, vt in ſummum omnium gentium ſenatum,de ſummis & maximis rebus:doctura,diſſerturaq; prodeat.compluſculas quoq; hanc olim Romæ conciones in publico pontificũ cœtu feliciter habuiſſe commemorant. Catharina iam ſatis pontificem maximum, graui ſui admiratione commotum,ſibi conciliauerat,ac de eo iam ſatis ſibi quæcunq; vellet ſpondere cœperat:quare factu optimum duxit,ſi cum eo,de ſede Romã transferenda nonnihil ageret. cœpit id clanculum prius tentare ac timide agere: poſthac vero vbi nec nimis ab hac re põtificis aures auerſas conſpicit:etiam auſa liberius,põtificem conuentum alloquitur. tametſi,inquit,eo ſexu & genere nata ſim, cuius velut fragile nimis & imbecillum ſperni palam,atq; contemni conſilium ſoleat:tamen tua ſumma clementia,ac morum facilitate freta,pauloq; iam audentior facta: dicã apud te ſimpliciter & incompoſite,quæ tua mihi magnopere intereſſe videtur:diuino munere mihi factum eſſe videtur,vt ad hæc vſq; tempora Roma iam inde a prima rerum origine,omnium gẽtium caput ac domina,hac triumphali pontificum ſede, iam tot annos viduata remanſerit:vt te reſtauratorem,te priſtinæ libertatis ac gloriæ vindicem & aſſertorem haberet.reſidere hęc gloria penes alios maiores tuos poterat,qui & ipſi perpetuum hũc æternitatis titulum facile ſibi vindicare potuerant,ſi hoc iampridem fremere Germanias,Pannonias,Hiſpanias, ſi hoc poſtulantem & flagitantem ſupplicem Italiam audire voluiſſent: cæterum hanc tibi iandudum deſtinatam gloriam,hanc debitam palmam,deus optimus maximus auferri abs te præripiq; noluerat:neq; enim alias præclariſſimum illud orbis terrarum domicilium, tantiſper ſordere poterat,non vileſcere tandiu,ſpretumq; adeo contemptumq; & abiectum iacere: in quo non humanarum modo,ſed diuinarum quoq; rerum faſtigia & fideliſſima fundamenta locata ſunt:non priſcis quidem illis vaniſq; portentorum generibus,non augurum vittis aut infulis,non aruſpicum lituis,non captis deniq; vanis atq; fallacibus humanæ mentis auſpicijs:verum Petri, Pauliq; ſanguine,crudeli morte atq; ſupplicio.quos tametſi ſæpe numero mortis metu perculſos,tametſi fugientes ac pauidos, tamen Deus optimus maximus illic conſtantes, illic firmos,nec vllo poſthac pœnarum,tormentorumq; genere territos occumbere:illic ſuo ſanguine,ſurgẽtis adhuc & ineuntis eccleſiæ primitias dicare noluit:vt ibi poſthac ſecutura poſteritas,ſummam chriſtianæ rei ſedem firmatam ac ſtabilitã eſſe cognoſceret:quam tamen ſic iam multos annos deſertam ac deſtitutam,ſic euerſam & dirutã,ſic vaſtam ac deſolatam aſpicis:ſic omnium incendijs,rapinis,furtis ac latrocinijs, ſic deniq; viliſſimi cuiuſq; iniurijs ac contumelijs obiectam & obnoxiam vides: vt non religionis chriſtianæ ſedes, ſed flagitiorum ac ſcelerum omniũ velut officina atq; nutricula, palam expoſita videatur.ſordent inter viliſſima ſcorta,fœdaq; nimis & aſſiduo luxu fumantia atq; calentia luparum proſtibula ac luſtra,Petri,Pauliq; corpora. iamq; ſacerdotum ac pontificum ædes,ſcurræ,lenones,pſaltriæ,mimi ac moriones occupant.ſacra tẽpla deorum:equorum circis atq; curriculis ſeruiunt.polluta iam omnia,ac promiſcua hominum cæde prophanata circunſpicis. ꝙ niſi te huius fortunæ miſeret, niſi hanc iuuas, niſi ſubuenis, niſi collapſam ac ruituram tua ſumma fide ſuſtentas ac erigis: plane iam illic omnia cõclamata,deplorataq; video. iam ſpei poſthac nobis nihil relictum

eſt,quam in te vno firmiſſimam ac fideliſſimam collocatam aſpicimus. Vix bene adhuc finem orandi fecerat,cum eam pōtifex intuitus: iuſtum,inquit, rectumq; poſtulas chariſſima filia,noſq; officij noſtri fideliter admones. cæterum hoc dubij nimis euentus,magniq; & ingentis periculi plenum eſſe videtur: neq; enim his tuis votis atq; cōſilijs, facile Gallos aſſenſuros exiſtimo: in quorum arbitrio ac poteſtate,rem totam ſitam & collocatam aſpicis. qui quod ſæpe numero olim ſua ſumma fide,cultu ac religione: ſacratiſſimam Romanam ſedem multis ſæpe turbinibus ac tempeſtatibus agitatam,ac iam pene ſubuerſam erexerint: quod eam a barbarorū manibus, flammis & incendijs, quod ab impiorum ac crudeliſſimorum hoſtium faucibus eripuerint: quodam velut ſuo iure pontificatum vindicant,neq; ſatis dignum exiſtimant,penes eos populos,tanti huius & tam immenſi faſtigij verſari gloriam: quibus huius tuendæ neq; voluntas ſatis,nec ſi hæc adſit,vires abunde ſuppetunt. quare ſiquid hac de re ſenſerint, ſiquid forte reſciuerint: omni opera,cura,ſtudio,labore ac induſtria conaturos exiſtimo: nec facile commiſſuros, vt id liberum nobis, aut integrum relinquatur: dabimus tamen operam,idq; ſedulo agemus,vt ſi quo pacto falli ea gens poſſit: te tui voti, ſaniſſimiq; conſilij breui compotem faciamus. Inde iam poſthac pontifex nihil noctes ac dies agere,nihil verſare aliud,q̄ vt rei huius ſolicitos,ad eamq; ſemper excubantes Gallos,nouo aliquo & vafro commento falleret,quare ſemel ad id obſeruata,captaq; temporis occaſione: Auinione diſcedens,loca prouinciæ maritima petit,ſeq; alio itu rum ſimulans, Genuam recta profectus, paulopoſt tempore Romam ſe contulit: vbi omnium gentium,populorumq; Italiæ conuentu habito,magno & ingenti omnium ordinum plauſu,gaudioq; ſuſceptus eſt: continuoq;, graui cum publicorum tū priuatorum morum cēſura habita,priſtinam vitæ ſeueritatem honeſtatemq; reſtituit: tūq; non publica ſolum ac meritoria ſcorta,ſed & ſiqua vſq̄ fœmina vitæ paulo turpioris haberi cœperat: publicis & honeſtis locis decedere iuſſa eſt. Nec ſane minorem annonariæ,cibariæq; rei nauare operam cœpit: vndiq; miſſis qui frumēta & commeatum Romam,terra mariq; conueherent. Ponderum quoq; & menſurarum cura diligēs habita,pulſiq; vrbe lenones,fures,homicidæ,ſicarij,latrones,cæteraq; id genus, vilis & abiecta populi ſentina,partim exacta mœnibus: partim vero duris pœnarum ac tormentorum exemplis vindicata,aut flagitijs abſterrita: ſicq; reducta ac reparata veterum morum diſciplina,vaſtam iam multis locis atq; deſertam vrbem aſpiciēs,ad publicam vrbis templorumq;, & priuatarum ædium reſtaurationem conuertit animū: quicquid in vrbe vaſtum ac iacens,quicquid deſolatum,aut infrequens videretur: conducta,magna mercede ac pretio, numeroſa artificum manu, reſtituenda omnia ac reparanda locat: noua ædificat,deturpata reformat, collapſa reſtituit,demumq; pauco temporis tractu,nouam quandam,ſublata vetere,ac prorſus interpolatam vrbis faciē oſtendit. ſicq; re domi compoſita,foris quoq; curam non minorem impendit: concuti iam Italia ciuilibus ac inteſtinis diſſenſionibus, grauiq; tum & communi bello ardere cœperat: ruituraq; prorſus omnia,breuiq; peſſum itura videbantur,niſi illico ſalus inopina veniſſet. pōtifex enim pij ac boni paſtoris officio functus,vndiq; ad principes,diſſidenteſq; inter ſe populos,legatos mittit: qui omnium cauſas ac controuerſias deferri ad ſe iubeant,ſimulq; ipſi per ſe,ſiqua vnq̄ ad eos querela delata eſſet, ſedulo ac diligenter audiant: gentium inter ſe odia atq; diſſidia,cæteraq; id genus futuri ac iam inſtantis belli ſeminaria auferant. pluribus locis,per legatos res proſpere geſta eſt: ſicubi vero iam odium altius irrepſerat, mutuiſq; inter ſe damnis & cladibus hominum animi grauius exaſperati erant: quod non ea ſatis,legatorum opera tolli,neq; pacari poterant,in pontificis arbitrium ac poteſtatē relata ſunt. ſicq; breui tumultuantem ac frementem Italiam,pacatam atq; tranquillam fecit. tumq; non pontifex ſolum,ſed & gens quoq; Itala tota,breui periculum fecit,q̄ & ſalubre & ſalutiferum,Catharinæ conſilium fuiſſet: cuius admonitu pontifex paulo ante relicta Gallia,Romam migrauerat. extare adhuc & vulgo circūferri memorantur epiſtolæ,quæ

vltro citroq; miſſæ,huic rei ſatis amplum & locuples teſtimonium ferant.quo magis Platinam miror:eum qui de pontificum vitis conſcripſit hiſtoriam, quid,aut vnde perſuaſus,præreptam Catharinæ conſilij huius gloriam ac palmam,in alium tranſfe rat.verum in re dubia & ancipiti ſuum cuiq; liberum iudicium facimus. interim vero Cathatina quæ iam pluſculos annos graui coxendicis ſimul capitiſq; dolore torqueri conſueuerat, premente in dies, & grauius inualeſcente morbo: lectulum ingreſſa, vbi iam ſe fere totam viribus exhauſtam aſpicit,ſacras omnes virgines vocari ad ſe iubet:ibiq; repetito ab origine,vitæ prioris exordio,crebro cũ aliorum, tum ſui ipſius exemplo,caducam hanc vitam & fragilem, milleq; periculis & humanis caſibus plenam,aſpernari commonuit:in qua nihil conſtans atq; diuturnum eſſet,verum caduca omnia,infirma,imbecilla atq; fragilia,velut rotata quadam atq; pernici vertigine raperentur:cadere ſenes iuxta ac iuuenes,imbecillos ac fortes, opulentos ac inopes, priuatos ac principes,eruditos ac rudes,pariq; ſorte, omnium vitam quamlibet paruo,molliq; flatu impulſam ruere. procelloſum quoddam ac tempeſtuoſum mare, infidumque & importuoſum pelagus:humanam hanc mortalium vitam videri.in qua quo tranquilla magis atq; compoſita videri ſoleat,eo ſe quoq; fluctus vorticoſi ac innumeri,eo ſe turbines ac tempeſtates multo magis obijciant,incautoſq; & nimis futuri periculi improuidos,miſeros mortales obuoluunt:hinc principum caſus, priuatorum luctus,vrbium incendia & euerſiones,hinc deniq; imperiorum rerumq; omniũ crebræ & inopinæ viciſſitudines oriuntur. nulla cuiuſq̃ tanta felicitas,nulla tanta ac tam ſecura tranquillitas,quæ non mille luctus,non mille mœrores, quæ non infinita pericula ſentiat:quæ non ſeſe ſingulis pene momentis horæ, velut impactam ruere, ac labare cognoſcat:proinde eas facturas ſapienter,ſi iam cœptum a puero vitæ inſtitutum,vno atq; perpetuo ſemper tenore proſequantur,ſi votam deo ſemel atq; dicatam pudicitiam ſeruent,ſi qua(ſe duce & auſpice)velut cæleſti militia imbutæ fuerint:eam non opere magis,q̃ ſyncera puraq; mentis & animi integritate cuſtodiant,ſi ſe faciles,pias,humiles,modeſtas, temperantes:ſi promptas ſi beneuolas,ſi fortes,ſi ſe deniq; prouidas,ac futurarum rerum ſolicitas velint, ſi ſpretis atq; contemptis rebus humanis omnibus, ſi deiecto atq; depoſito mortali omni contagio,ſi terrena labe depulſa,mentes ſimul & animos tollant,ſi deum ſolum immortalem,rerum omnium autorem ac pium parentem colant:ſi hunc diurnis nocturniſq; vigilijs,ſi votis, ſi precibus,ſi ſupplicijs venerentur,ſi huic ſoli ſeruiant,hunc adorent,hunc mente tota complectantur,hunc cogitent: ſi ad hunc vitæ ac rerum omnium ſummam,ſi cogitatus ſi vota referant:hinc ſolum ſecuram ac perpetuam mercedem,hinc præmiũ, hinc fructum vetiſſimum peti,hunc firmiſſimum ſalutis portum,hanc ſecuram ac firmam,miſeris mortalibus ſtationem eſſe propoſitam,cætera incerta,caduca,fallacia, cum ſuis ſimul autoribus lapſabunda corruere. Hortatur in primis,mutuo ſe ſemper amore diligant,mutuam inter ſe charitatem ſeruent:q; in ea velut fideliſſimo quodam fundamẽto ac firmiſſima baſe,reliquæ virtutes omnes domicilium fixerint:hoc vno capite ac trunco,latius radices ſuas egerint:quo ſublato,ipſæ quoq; protinus velut a membris auulſo capite,mutilæ ac truncæ futuræ videantur:hanc ſolam reliquis virtutibus,velut ſuauiſſimum condimentum dari,& ſicut inſipidos,inſuaueſq; cibos omnes futuros,quos nullo ſale reſperſeris,ſic quoq; virtutes reliquas deo immortali, nullas aut ingratas videri,quæ hoc ſuo proprio ac velut peculiari condimento,caruerint.proinde eas rogat,inter ſe dum viuant,beneuolas fore, neq; vlla vnq̃ ſimultate miſceri,nullo odio,nulla inuidia, nulla maleuolentia moueri: ſi hæc ſua mandata,ſi hęc pręcepta ſeruarint,tum demũ eas vere pediſſequas,tum probas ac fideles Chriſti diſcipulas viſum iri:ſeq; tũ daturã operã pollicetur, ſimul ac vili corporis ergaſtulo libera cœlos euolaſſet,vt in eas quoq; gratię tantũdẽ deus optimus maximus trãſfundi vellet,quãtũ ſibi omnes cõmuni ſentẽtia & opinione cõceſſum crederẽt.neq; enim ſe tã petulantẽ,minime tã eſſe proteruã, vt quod ad ſe cõmuni omniũ fauore deferri

ſoleat,tam impudenter agnoſceret. Poſtremo eas rogat,vt apud immortalem deum: cõmunẽ ac publicã omniũ ſalutẽ ac fidem,precibus ac votis afferant: vt publicũ chriſtianæ religionis cultũ ac ſtatum, ab hac humana & fragili mortaliũ ſorte, fletibus ac lachrymis erigãt. Dum hæc oraret,obortis repente circũſtantiũ lachrymis ac lamentis excipitur:quos dũ flere videt intemperantius,nec modũ vllum collachrymãdi facere,tum pauliſper adnixa cubito:quid vos,inquit,ſic ne inuide mecũ? ſic æmulanter agitis? Hic ne veſter in me amor? hoc ſtudium,hæc beneuolẽtia,hæc debita fides,hic meorũ in vos laborũ fructus? hæccine mihi merces reſpoſita? noſtra ne ergo vobis cõmoda,luctũ atq; mœrorẽ afferũt? quid inimicis,quid aduerſariis fieri deterius poſſit? videtis laborũ ac ærumnarũ omniũ perfuncta iam atq; decurſa curricula, videtis hac vna via,tot curis,tot periculis & anxietatibus (quibus hæc humana vita ſemper implicata reuoluitur) quietẽ ac finẽ datũ iri: & vos,fletu,vos lachrymis in hoc meo tanto,& tam felici bono cõficitis? tẽperate itaq; poſthac,& finẽ mœrendi facite,gratulationem enim hic locus non querelã aut luctũ poſtulat. ſpero enim futurũ breui,vt hac corporis mole ſoluta,hiſq; terrenis atq; mortalibus impedimentis anima liberata: ad æternas illas ſedes atq; perpetuas aduolet,vbi iugi illa ac ſæpe cupita voluptate fruatur,nec vos vllũ vnq̃ noſtri deſyderiũ mouerit: ſperate potius ac bono animo eſtote, nec enim timere debetis:eam veſtri vnq̃ futurã immemorẽ, quæ vos hic ſemper tam ſolicite & tam accurate dilexerit: nec apud immortalẽ deum vilior opera noſtra vobis,aut deterior vnq̃ futura eſt,q̃ in hac vita antehac vnq̃ eſſe conſueuerit. Simul ac finem fecerat,ſingulas ſuo quanq; nomine palam ad ſe vocãs, quid quanq; velit explicat. quæ omnes dum vna,cõmuniq; voce,imperata facturas eſſe promitterent: tũ Catharina ſiquid in quanq̃ earum vnq̃ peccaſſet,ſiquid vnq̃ de quaq̃ male merita eſſet: veniã errati poſtulat,tũ in ſingulas ſalutiferæ crucis ſignaculo facto: oſculatas a ſe dimiſit. caligare iam oculi,ac piæ fœminæ manus,pedeſq; ſimul frigere cœperãt: cũ ecce repẽte truculẽtus humanæ huius naturæ hoſtis & aduerſarius,inſultare grauiter ac cõmouere fœminã incipit,verũ ea quidem victo ſuperatoq; hoſte,cũ iam tertiũ & trigeſimũ ætatis annũ ageret: felicem efflauit animã. Paulopoſt tẽpore,corpus eius Romã delatũ,illicq; in diui Dominici tẽplo (vulgo Mineruã nuncupãt) cõditũ ac ſepultum eſt,penſili monumẽto marmoreo,quod ad hæc vſq; tẽpora,magno & ingẽti omniũ cõcurſu viſitur. Incredibile nimis,nec ſanè mihi facile dictu eſt,quãta tum ibi & q̃ ingẽs cũ ruſtica tum vrbana turba,circũ ſeſe fudiſſe proditur inter hos ſi quis manu pedeve aut mẽbro quouis alio mutilus ac trũcus,ſi quis quauis aduerſa corporis valitudine ægrotus ac languidus forte venerat, ſuppliciis ac precibus rite factis,priſtino mẽbrorũ officio recepto,in ſua quiq; oppida ac domicilia redierũt. crebraq; tũ & ingẽtia miracula, promptã cuiq; fidẽ ac locuplex teſtimoniũ fecerũt,q̃ & piã & ſanctã olim inter humanos vitã Catharina vixiſſet,q̃q; iã ſuperis,chara grataq; facta eſſet: cuiꝰ aduẽtu quęcũq; ꝓcax ac ſæpe plus æquo cupida mortalitas peteret,deus optimꝰ maximꝰ tã libere cuiq;,ac tã benigne largiret. nullus enim eo die repulſus,nullus non abũde voti cõpos abſceſſerat. Sed ne rurſus repetita miracula lectori nauſeã ſimul atq; faſtidiũ pariãt,ſatis ſuperq; fuerit vnũ adiicere: qđ & ipſũ libẽter (operis cõſulẽs breuitati) prętermittere voluiſſẽ,niſi hõ ille quẽ nos i hac re potiſſimũ autorẽ ſeqmur,in libello illo vernaculo (velut daturus operi faſtigiũ) de ſemetipſo poſuiſſet. hic Nicolaus quidã cognomẽto Burgẽſis,& ipſe quoq; Senis nobili ſatis familia natus erat: q̃ dũ prædio ſuburbano diſcedẽs (quo in ſeceſſũ pauloãte cõceſſerat) inter eũdũ tanta ac tã repentina febre corripitur,vt tametſi vicino loco vrbi,tñ ægre admodũ Senas vſq;,equo vehi potuerit: vbi grabatulo decubãs,pluſculis noctibꝰ inſõnibꝰ ductis: nequicq̃ medicorum opera adhibita,ſic duodecimo die,viribus ac robore toto exhauſtus eſt,vt ſpei nihil reliquũ factũ videretur,iãq; cibi nihil aut potus humani caperet: quę res vna ꝓpinquos oẽs atq; domeſticos apprime ſolicitos fecerat. qui (vt ſæpe aſſolet) poſt deſperata iã ac deplorata hũana auxilia oĩa, tũ demũ facti dei ac ſuperũ me-

mores,ad preces votaq̧ cōuerſi ſūt. & quoniā ſuos ſibi qſq̧ magis beneuolos ac propitios futuros autumat, diuæ Catharinæ repēte memoria ſubiit: huic ſoli familia tota ſupplex atq̧ ſolicita,preces votaq̧ nuncupat: hāc ſolā orat,precał,obſecrat: huic ſoli iā deſperatā ac deploratā patroni ſalutē,gemebūde cōmēdat. & qm̄ aliud tū nihil haberi facile poterat: ciliciolū vnū,quo viuēs illa vti ſolebat,proferūt: qđ & illic adhuc magno ac diligēti cultu aſſeruatū habeł. illud in cubiculū portāt,ægroto ſuperimpoſnūt,ſtatimq̧ (mirabile dictu) hō iā defectus ac ſemimortuꝰ,velut repēte collectis viribus aſſurrexit: ſublatiſq̧ in cœlū manibꝰ,gratias,īquit, tibi optime maxime ac ſūme deus ago. ibiq̧ palā ſeſe tāto ac tā præſenti periculo diuæ Catharinę votis ac precibꝰ liberatū aſſeruit,poſthacq̧ pauliſper reſūptis in dies ſēſim atq̧ refectis viribus, priſtinā plenāq̧ mēbrorū oīm ſanitatē recepit. factuſq̧ poſthac diuæ Catharinæ deuotior, quo ſe hominē gratū ac plane beneficij memorē faceret: cōgeſtam ſedulo,ac diligēter abvſq̧ puerilibus annis inueſtigatā Catharinæ vitā,libello vno vernaculo explicuit: quē nos quoq̧ parte nōnulla operis ſecuti, eā pro ingeniolo noſtro latinā fecimus: vt eſſet exteris quoq̧ gētibus,id genus rerū ſtudioſis: vnde ipſi ſe paſci, & ignaua nōnūq̄ oblectare otiola poſſent,ſimul & vnde ſuarū rerum euētus,proſperoſq̧ & felices ſucceſſus peterēt: quo miſerę huius & humanę vitę pericula ſubleuēt,quo ſupplicia,quo vota,quo preces referāt. tantopere enim apud immortalē deū,Catharinā gratioſam ac fauorabilē memorāt,vt nemo vnq̄ fruſtra,iuſtū quicq̄ popoſcerit. Cuius rei quoq̧ diſtichon vnū vernaculū,quod Nicolaus ille (cuius ſupra mētionem fecimus) Romæ olim cū illic apud pōtificē,Senēſiū legatū ageret,ſcripſit: ipſi latina lingua vertimꝰ.

Ne dubita,pete quod libuit,mihi crede viator:
 Non ſolet inuitos,poſcere Diua deos.

Catharina tāetſi,vt iā ſupra meminimꝰ,ingenio plurimū,doctrinaq̧,& variarū rerū vſu potuerit: tamē eā voce magis ac lingua, q̄ ſtylo vſam,facili eſſe indicio poterūt, rara puſillaq̧ opuſcula ſua,quorū nihil omnino quod extet veniſſe ad poſteros memorāt: præter vnū epiſtolarū volumē, quod tamē ipſū ſūma òmniū voluptate ac fructu legitur: q̄ ad varios ſui ſeculi viros ac fœminas (prout cuiuſq̧ cōditio ſorſq̧ popoſcerat) ſcriptæ ſunt. his quidā motū & impulſū Gregoriū pōtificē autumāt,vt aureos illos ac pene diuinos dialogos ſcriberet: In qbꝰ de virtutū vitiorūq̧ vi atq̧ natura diſputat. poſthac quoq̧ iā poſt multos ānos,haud ita multo āte noſtrā ætatē,patrū memoria: Piꝰ pōtifex maximꝰ,q & ipſe Senas natale ſolū habuit,ac paulo āte,mobilis fortūæ ludibrio,ex poeta vix ſatis tolerabili (ſed qualē illa ætas tū ferre poterat) felici ſucceſſu rerū,ac multū ad id fauēte Germano prīcipe,demū Romę creatꝰ pōtifex: Catharinā popularē ac ciuē ſuā (ſic crebris vitę poſtulātibꝰ meritis) in deorū numerū retulit. ſimul & ne ī patriā deſolatā ac mœſtā,tātoq̧ & tā felici bono priuatā & orbā ingratiſſimꝰ videreł,ac ne eā tātæ ſuæ felicitatis prorſus expertē faceret,detractā lateri ſpinā vnā,Senas inferri iuſſit,vbi hac quoq̧ tēpeſtate ſūma veneratione ac cultu, in primario vrbis tēplo diligētiſſime ſeruari memorāt. Perfecimus tādē digniſſime Pōtifex,optatā ſæpe,atq̧ cupitā huiꝰ noſtri laboris metā attigimꝰ,feſſāq̧ iā ſatis & nimis āhelā oratiūculā noſtrā,per aſpera multa & ſalebroſa loca præteruectā, advſq̧ rei finē calceq̧ deduximus. in qua tāetſi multa & elimatioris ingenij & doctrinæ politioris,deſyderatū iri facile perſpiciā: vt q̄ nec nimis diligenter a nobis curata fuerint, nec ſi fuiſſēt,facile ſatis præſtari poterāt: tn̄ & tuæ & aliorū hūanitatis fuerit cogitare,hęc noſtra quātulacūq̧,nō q̄ aut quāta ſint: ſed q̄ beneuolo & facili a nobis in mediū aīo ꝓferātur. q mō tibi quoquo pacto gratificari poſſē,nullā nec inuidiā nec maleuolorū hoīm calūniā veritꝰ expauerim: quos (nec ſane prorſus iniuria) in nos impetū facturos exiſtimo,qꝑ temerarie nimis & cōfidēter,velut ī ædes & poſſeſſiones alienas inuaſerim. neq̧ enim hęc noſtra ſūt: ſubciſiuis tātū furtiuiſq̧ tēporibꝰ clāculū hęc curātur a nobis: & in q̄ nōnūq̄ ſtudiorū noſtrorū cura & tędio faſtiditi,tāq̄ ludibūdi diuertimꝰ. tu vero hęc āpliſſime ātiſtes,q̄liacūq̧ ſūt,q̄ſo boni cōſulito & Vale felix.

¶Finis.

¶ALIVD DE ILLVSTRIBVS FOEMINIS opuſculum, incerto authore.

¶Reginæ ſanctimonia illuſtres.

ARtemia virgo, Romæ paſſa eſt ſub Maximiano filio Diocletiani, fratre ſuo. fi-
lia nanq; Diocletiani fuit, & Serenæ Auguſtæ. quæ cum eſſet ab immundo ſpi
ritu correpta: a ſancto Cyriaco martyre liberata & baptizata fuit.
¶Babilla virgo & martyr, ex Regio genere: neptis Galeni imperatoris. ¶Brigida
princeps Suedię prouincię fuit. ¶Bathyldis regina, mater Lotharij imperatoris: quę
orta de clara Saxonũ proſapia, vita & ſanctitate conſpicua fuit. ¶Catharina virgo
& martyr, apud Alexandriam vrbem paſſa eſt ſub Maxentio imperatore. Hæc enim
Coſti regis Alexandriæ filia vnica, in eius decrepita ætate nata: puella valde ſpecio-
ſa: intra annos. xviij. omnibus liberalibus diſciplinis erudita eſt. quam pater moriẽs,
regni hæredem reliquit. cum autem patre defuncto a quodã maximo principe in con-
iugium peteretur: ipſa omnino recuſauit. & poſt multa, variaq; tormentorum gene-
ra: tandem decollata fuit. de cuius corpore, pro ſanguine lac emanauit. cuius corpus
ab Angelis per aera ſublatum, & itinere dierũ. xx. ad montem Sinai illico aduectum,
ibiq; honorifice ſepultum eſt. ex cuius tumulo oleum iugiter emanat: quod omnium
infirmorum membra ſanat. ¶Conegundis Regina, vxor Henrici Romani regis: quę
non ſolũ ſanctitate conſpicua, ſed etiã virgo vna cũ marito vſq; ad vitę finẽ permãſit.
¶Cõſtantia virgo, filia Cõſtãtini imperatoris fuit: quæ lepra acerbiſſima laborauit.
¶Cyrilla virgo & martyr, Romæ paſſa eſt ſub Claudio imperatore. Hæc olim filia
Decij Cæſaris, vna cum matre Tryphonia Regina ad Chriſtum conuerſa, & a ſancto
Iuſtino baptizata eſt. ¶Dorothea Romana, e Stirpe ſenatoria nata fuit. ¶Elter-
drita Regina & virgo in Anglia claruit: quę duobus nupta viris (quod dictu mirũ eſt)
virgo permanſit & viros ad caſtitatem induxit: ſemetipſam illibatã cuſtodiens. Hu-
ius pater fuit Rex orientalium Anglorum: qui habuit alias duas filias ſanctas Edel-
burgem & Sexburgem: quarum prima ſanctimonialis primum, poſt Abbatiſſa fuit,
& ſemper virgo. Altera vero Coberto regi Cõmariorũ vxor data fuit: ex quo genuit
duas filias, ſcilicet Excotõgam de qua Beda multa ſcripſit: & Hermenildã quæ Vul-
ſio Regi Mẽtiorum nupſit: ex quo habuit filiam Vemburgã virginem. mater Beliuũ,
poſt Sexburgem Abbatiſſa fuit: filia vero apud Legionum vrbẽ quieſcit: quę oratio-
nes maxime mulierum & puerorum exaudire creditur. ¶Edburga filia Edoardi Re-
gis ſenioris in Anglia claruit. Hęc ex vxore Regis Hedelſpita nata, virgo ſanctiſſima
fuit. ¶Egytha filia regis Edgari Anglorum: virgo ſancta in Viltimẽſi cœnobio iacet
& miracula oſtẽdit. ¶Enica princeps Poloniæ: a Clemẽte quarto inter ſãctas relata.
¶Fauſtina Regina apud Alexãdriam paſſa eſt ſub Maxentio principe. quę cum eſſet
ipſius Cæſaris vxor, a ſancta Catharina in carcere detenta, vna cum Porphyrio princi
pe militię conuerſa fuit. ¶Gilla Regina Hũgariæ Stephani Regis vxor: & Henrici
Cæſaris ſoror. ¶Hildegardis, virgo Theutonica, admirabilis fuit tempore Conra-
di imperatoris. ¶Helizabet Regina Regis Vngariæ filia: ſoror Bellæ: qui poſt patrẽ
regnauit, ex matre Geltrude filia Ducis Normaniæ, ſorore Bertoli patriarchę Aqui-
legienſis. hæc a Gregorio inter ſanctas relata fuit. ¶Heſter regina claruit in vrbe Su-
ſa, quæ poſtea Edeſa dicta eſt: tempore Aſſueri, ſiue Artaxerſis regis Perſarũ: qui re-
gnauit ab India vſq; ad Æthiopiam, ſupra centum. xxvij. regiones. ¶Helena Regina
mater fuit imperatoris Conſtantini magni, & filia Cloelis Regis Britanniæ. ¶Heri-
na virgo & martyr, filia fuit Licinij imperatoris in ciuitate Magedon: & Liciniæ re-
ginæ, quæ virgo prius Penelope vocabatur. ¶Iuſtina virgo & martyr, apud Paduã
paſſa eſt ſub Maximiano Rege: quæ fuit filia Regis Vitaliani & Reginæ Præpedi-
gnæ: quas ſanctus Praſdocimus epiſcopus ad Chriſtum conuertit, & Iuſtinam ſacro
fonte renatam: diuinis literis erudiuit.

ℭDE ILLVSTRISSIMA ET CORDATISSIMA Gallorum Regina,& Britonum duce ANNA.

ANNA filia Franciſci ducis Britonum,& vnica eiuſdem hæres relicta,nupſit primum Carolo octauo Gallorum regi,ex quo ſuſcepit tres liberos mares:qui viuēte adhuc patre,in ipſa infantia vitam cū morte ſenſim commutarunt. Ipſe quoq; Carolus (parta prius Neapoli,& vniuerſa prope Italia momento peruagata) fatis conceſſit, annos natus octo & viginti. Anno vero chriſtianæ ſalutis milleſimo quadringēteſimo nonageſimo ſeptimo āte paſcha. Eo mortuo ANNA vidua nupſit Ludouico duodecimo, itidem Gallorum poſt Carolum regi,viro iuſtitiæ & æquitatis obſeruantiſſimo,maturo conſilijs,in gerendis rebus prudentiſſimo,facillimo in remittendis iniurijs, in ſubleuanda paupertate plebis vſq; adeo humano,vt pater pauperis populi vulgo diceretur. Melius matrimonium formare nequiuiſſent Genius & natura,q̄ viro adeo laudabili,& omnibus virtutum numeris vndecunq; abſoluto inculpatiſſimam reginam copulare, ANNAM dico celebratiſſimam fœminam,fœminā autem? Immo vero cœleſtē quādam heroinā. Hæc autē inuidente fato deceſſit Bleſij menſe Ianuario,anno poſt verbum incarnatum milleſimo quingenteſimo decimo tertio.Cor defunctæ tranſportatum eſt Nannetum, Viſcera Bleſij ſunt inhumata , Corpus reliquum in ædem beati Dionyſij delatum eſt. Dici nequeat,quātam fecerit iacturam vniuerſa reſpublica in eius morte. Erat enim admodum magnanima & cordata,munificentiſſima pauperum mater, nobilium virorum ſolatium,illuſtrium fœminarum refugium,honeſtarum virguncularum nutrix beniginiſſima, literarum & literatorum, omniumq; ſpectatæ virtutis hominum fautrix liberaliſſima. Ne multis morer:eiꝰ mors toti Galliæ irreparabile damnū intulerat,niſi reliquiſſet liberos,ſuę,paternęq; virtutis hęredes illuſtriſſimos. Reliquit autem duas incredibilis & nunq̄ ſatis laudatæ probitatis filias,Claudiā & Renatā. Nupſit Claudia Franciſco poſt Ludouicum regi inuictiſſimo & ſereniſſimo, mulier virtutibus & prole fœcundiſſima,vt quæ iam ex marito ſuſceperit quinq; liberos,duos mares,D. Delphinum,& D. Aurelianum,tres fœminas: quarum vna iam conceſſit in fata.duę adhuc viuunt:magnam bonæ indolis & virtutis ſpem & expectationem promittentes. Hactenus de ANNA, eiuſq; liberis,de quibus:opus ſatis amplum potuiſſemus conficere,niſi in ſuſpitionem adulationis timuiſſemus incidere,hac præſertim ętate, quæ homines alit adeo prodigos verborum & opprobriorū,vt nec ipſi quidem probitati ſecuræ a cachinnis eſſe liceat.

ℭ DIVERSA EIVSDEM ANNAE EPITAPHIA.

ℭEpitaphium viſcerum.

Quiſquis es hoſpes,adi,verumq; tuere ſepulchrum.
 Nec ſiccis relegas carmina luminibus:
Viſcera magnificæ ſumus alta viraginis Annæ,
 Quæ tenuit miti Gallica ſcœptra manu.
Viſcera miraris cur tantum ſimus? In antro eſt
 Nobiſcum pietas,fama,triumphus,honos.

ℭEpitaphium cordis.

Cor iacet hic.cuius? ducis inuiolabilis Annæ.
 Cur niſi cor? viuens cor niſi tota fuit.

¶Aliud pro corde eius.

Cor cuius iacet hic? Reginæq; & ducis Annæ.
Corpus vbi eſt? reliquum Francia corpus habet.
At cor cur iacet hic? vt ad Anglica prælia fortes
Brittonas ex toto corde gerenda acuat.

¶Aliud epitaphiũ corporis Reginæ Annę.

Siſte gradum, qui pergis. In hoc iacet Anna ſepulchro
Siſte gradum, an parui nominis Anna tibi eſt?
Anna iaces? iaceo. Quis te tulit Anna ſepulchro?
Mens pia, gratus amor, lex ſacra, priſca fides.
Quis tulit accenſas tædas? ſplendorq;, genuſq;.
Quis thus? pax dixit. quis pia verba? Charis.
Quis genuit? tellus, aer quoq;, pontus, & æther.
Quis tecum in duro marmore? nullus adhuc.
Anna quid exoptas? vbi Carolus? æde ſub iſta eſt.
Alter inextinctus rex mihi ſemper erit.
Extinctam extinctus teneat me Carolus: alter
Pignora chara mei vir Ludouicus habet.

¶Aliud.

Forma, pudicitia, integritas, conſtantia, verum,
Simplicitas, pietas, gratia, ſplendor, honos,
Iuſticia, ingenium, grauitas, clementia, ſenſus
Anna Britanna tuo condita ſunt tumulo.

¶Aliud in eius liberalitatem.

Hoc ſolum Anna fuit tibi dum morereris acerbum,
Qꝫ donare nihil poſt tua fata potes.

¶Aliud.

Anna nihil doluit moriens q̃ q; ſibi vidit
Ereptum donis, muneribuſquè locum.

¶NAENIA ANNAE

Heu heu quid tetricæ fatalia fila ſorores
Profuit Annæ ſuam diſſecuiſſe diem?
Cur non protracto reuolutum ſtamine fuſum,
Deducta implerunt tenſa manu?
Inuida non ſinitis liuenti numina vultu
Regnare in longos pectora celſa dies.
Plurima ſed tacitam pertentant gaudia mentem,
Dum cæſa in primo flore iuuenta cadit.
Ceu roſa præcupido creſcens dum carpitur vngui.
Et matutino lilia cocta Noto.
Aut immatura decuſſum ex arbore pomum
Quod rapit in celeres parca colona ſinus.
An mira orbaſtis felices principe terras?
Debuit ah tantum non licuiſſe nephas.
Quum medium gladio filum truncaſtis iniquo:
Truncata eſt ſumma laus quoq; digna duce.

Omnis & eſt vno virtus tumulata ſepulchro:
Quo iacet æternos Anna gemenda dies.
Vnde ſepulchrali cædendum eſt marmore carmen:
Quod ſtet odora ſuper grandibus oſſa notis.
Illa triumphali dux Anna Britannica laude
Et gemini coniunx Regis honora iacet.
Si breuia innumeræ quæras compendia dotis:
Omnis qua virtus claruit, vna fuit.

¶Q; ſtultum ſit Annam: a Ioue deificatam, & a ſole irradiatam: verſu clarificare.

Quam diuturna putas præclaram in ſecula nympham
Denigras verſu vane poeta tuo.
Quom ſit Apollineo radians dea facta nitore:
Stultum eſt mortali clarificare viro.

¶Annam non amplius deflendam.

Haud lugenda venit, vanaq; vrgenda querela,
Ne ſit ab immodico placidi clementia fletu
Irritata dei, tantam qui in cælica diuam
Regna æterna tulit, poſtq̄ omni macta decoro
Innumeris totum meritis compleuerat orbem.

¶De eadem ſanctificata.

Si qua fuit terris dos alta iacentibus: Anna
Hanc omnem ſecum ſanctificata tulit.

¶Cœli, Mundi, ac Galliæ certamen de habendo Annæ cadauere.

Pro functa diſcors Anna certabat olympus:
Anxie cum Franca tu quoq; Munde plaga.
Iuppiter hanc iudex litem ſic diuidit: Orbis
Famam, Cœlum animam, Gallia corpus habe.
Lata reconciliat triplicem ſententia partem:
Veraci o ſanctum de Ioue iudicium.

¶De eadem ab Ioue Soli coniugata.

Diuina vt ſedes ingreſſa eſt Anna ſupernas:
Supremo Titan de Ioue queſtus erat.
Quid facis alme rutilo noua lumina cœlo?
Num lux e radijs ſufficit vna meis?
Fronte ſerenata ſubridens Iuppiter inquit:
Hæc eſt coniugij flamma futura tui.
Vt Phaetontæos docta regat arte iugales,
Quum feſſa intenſo membra labore geres:
Aut comes igniferis tecum ſubuecta quadrigis:
Difficilem roſeo leniat ore viam.
Dicta placent: celebratur hymen, lætatur olympus:
Hinc geminam exultans lampada Mundus habet.

¶De nobiliſſima fœmina CAROLETA Borbonienſi, Niuernorum comite.

CAROLETA de Borbonio,illuſtriſſimi viri Ioannis comitis Vindocinenſis filia vbi licuit per ætatem, nupſit eminentiſſimo principi Engelberto Cliuienſi,qui Niuernēſis fuit comes,& Augenſis. Ex eo ſeptem ſuſcepit liberos, quorum duo adhuc infantuli mortem oppetierunt,mortuorumque corpuſcula apud fratres Eremitanos ſepulta ſunt Lutetiæ. Duæ filiolæ apud Deyſiam vrbem Galliç tumulatæ ſunt. Superuixerunt tres mares, Carolus, Ludouicus, & Franciſcus. Horum pater D. Engelbertus Carolum octauum in expeditionē Neapolitanam profectum ſecutus: tot egregia ſuæ virtutis reliquit teſtimonia, vt ab ipſo vno,totius regni ſalus pependerit,ſoluſq; tantū rei Gallicę præſtiterit adiumentum, quantum reliquæ fere acies. Nam in Fornouienſi conflictu, vbi de rege Carolo, vniuerſiſque eius copiis circunquaque obſeſſis,iacta iam videretur alea: prudenter adeo & intrepide primam direxit aciem,vt militibus Gallicis,victoriam iam & effugium deſperātibus: defectas vires reparauerit,& vniuerſos hoſtes, facta quadam capitali & pluſquam Catilinaria conſpiratione, in vnum Carolum turmatim confluentes potētiſſime repulerit. Non parum me pudet ingratitudinis noſtræ,qui tam ſublimes & heroicas principum noſtrorum virtutes incātatas & ſepultas relinquimus. Sed quoniam non eſt inſtitutæ profeſſionis,cœptique operis de viris loqui,id in alium differamus locum. Mortuo hoc tanto principe Engelberto: eius vxor Caroleta,perpetuo decēnio vidualem ſeruauit caſtitatem. Cui laudi, multarum quoq; virtutum adiecit numerū. Nam toto illo ſuæ viduitatis tempore nihil duxit antiquius, nihil ſtuduit attentius,q̃ pauperes ſua pecunia nutrire,obſtetricum more ſolari puerperas,ruinoſas ædes reficere,in concordia fouere ciues,& omnium gratiam demereri, vt vere multis demeruit beneficijs. Conſyderans demum & in memoriam reducens verbum illud Lamuelis. Fallax eſt gratia,& vana eſt pulchritudo: relictis mundialibus delitijs,ſpretaque huius ſęculi pompa apud Malamnoam in reformatiſſimo ſanctimonialium cœnobio ſeſe, amicis fruſtra diſſuadētibus,incluſit: byſſumq;, holoſericum, purpuram,ac reliquas veſtes mollicinas,in peplū & atra cōmutauit indumenta. Creſcente poſt hæc magis ac magis religionis deſiderio ad fontē Ebraldi religionis columen commigrauit,ibiq; religionē ipſam cum cęteris ſanctimonialibus puellis profeſſa eſt,die ſancto penthecoſtes,anno poſt verbum incarnatum 1516. Dici nequeat,q̃ ſancte & auſtere ibidem vixerit mulier illa & herois excellētiſſima. Nam repudiatis vniuerſis hominū delitijs,nullā natiuæ nobilitatis habens rationem, nihil eorum penitus omiſit,quę religionis eius aut loci leges exigerent. Obibat omnia munia inſtar reliquarū eius profeſſionis puellularū,vel infimis ortarū natalibus. Parebat ſuperiori, vacabat precibus,perſtabat in ſilentio,ſurgebat ad nocturnas ſupplicationes,matutinis,veſpertiniſq; inſiſtebat orationibus nō aliter,immovero ſtudioſius & obſeruantius q̃ reliquę ſorores. Nobiliſſima ſuarū virtutum teſtimonia & viuēs docuit & reliquit poſt mortem. Nam in ſcrinijs defunctę repertum eſt duriſſimū & aſperrimū cilicium,quo rebellem carnem viuens cōſtringere & macerare cōſueuerat. Lamina quoq; argentea in modū cordis,habēs acutiſſimos quinq; aculeos, qua carni proxime admota pectus rigidiſſime contundebat vel vſq; ad liuorem. Frequentiſſime quoq; in cubiculum priuatum vnam ex ſororibus conuocabat,cui ſe nudis humeris prębebat verberandā,nec prius volebat deſiſti,q̃ ſanguis abūde proflueret. Ne multis agam,fuit adeo ſeuera ī irrogādis corpori ſuo ſupplicijs,vt neceſſe fuerit tetricū illū ſeueritatis rigorē coerceri & reprimi,a primaria cœnobij moderatrice vterina eiuſdē ſorore. Deceſſit laudatiſſima hæc fœmina anno poſt Chriſtū natum 1520 vndecima die menſis Nouembris,qua celebrari ſolet feſtum beatiſſimi Martini. ¶Rauiſius Textor.

¶Ludimilla, vltimi pagani regis Bohemię vxor: qui tandē ad baptiſmi gratiā perductus eſt, ſācta mulier habita: miraculis etiā claruiſſe fertur. Pius pōtifex de bello Bohemico. ¶Māmea regina, mater fuit īperatoris Alexādri: cui⁹ tēpore Origenes in eccleſia dei eloquētia, ſapiētia & vita floruit: a quo ipſa ſacras literas & fidē edocta, baptiſma chriſtianū latēter ſuſcepit: quā ob rē ab imperatore Alexādro filio, chriſtiani nois perſequutore īterfecta fuit. ¶Mellania Romana, Marcelli quōdā cōſulis filia. s. Hieronymi diſcipula. ¶Martha virgo & hoſpita Chriſti: Syro patre, Eucharia matre, ex regia progenie. Nā pater eius Syriæ & multarū regionū dux fuit. ¶Placidia virgo: fuit filia Valētiniani imperatoris, & Eudoxię Auguſtę filię Theodoſij magni: quæ ſpreto ſeculo adhæſit auiæ ſuæ Gallę Placidiæ: eleemoſynis, ieiunijs & orationibus vacans. ¶Reginulpha, Galla Matrona: generoſis parētibus nata. ¶Radegūdis regina: Clotharij regis Frācorū vxor, claruit tēpore Iuſtini imperatoris. Hęc natione barbara: patre rege Berēgario nata. Dū regio ſua a Frācis eſſet depopulata: de patria ſua in Galliā abducta in prædā, veniēs in ſortē Clotharij: ob nimia eius ſpecioſitatē ab eo vxor ducta eſt: q̄ tamē deo magis q̄ regi ſeruiebat: eleemoſynis, ieiunijs & orationibus vacās: carnē cilicio domās, & exterius Regia ſe induēs veſtimēta. ¶Serena regina vxor quōdā Diocletiani Auguſti: a. s. Cyriaco martyre cōuerſa & baptizata fuit: qui filiā eius Artemiam a dęmonio liberauerat. ¶Suſanna filia Gabini fratris Gai Dalmatæ, ſummi pontificis: ex genere Diocletiani imperatoris martyr fuit. ¶Triphonia regina vxor quondam Decij Cæſaris fuit.

¶Ab impudica: ad pudicam & meliorem vitam conuerſæ.

AFra martyr apud Cretā in vrbe Auguſtana martyriū paſſa eſt. Hæc cū eſſet pagana & meretrix, matrē Hilariā de lenonio viuētē habebat: ipſa vero cū trib⁹ ancillis ſuis, cūctis petētibus ſe proſtituebat: ſed per prædicationē Narcyſſi Hieroſolymorū epiſcopi ad Chriſtū cōuerſa: cū matre & tota domo baptizata, atq; a peccato reuocata eſt. ¶Maria Magdalena: a Magdalo oppido oriūda: Lazari & Marthæ ſoror. ¶Maria Ægyptiaca: q̄ peccatrix appellabatur, in Ægypto nata: parentes anno duodecimo deſerēs, Alexandriā fugit: ibiq; annis 17 corpus ſuū publicæ libidini expoſuit, & nemini concubitū denegauit: ſed poti⁹ multos ad rē venereā obſcœnis actibus prouocauit. Hæc tractu tēporis Hieroſolymā nauigauit: vbi ter repulſa tēplo, tādē ingreſſa crucē adorauit: poſt ad Iordanū fluuiū perueniēs, & ad deſertū accedēs 37 annos ibidē manēs: nec hominē nec aliud aīal vidit: & tres panes quos ſecū tulerat 17 ānos ei ad cibū ſuffecerūt: reliquos vero 30 ānos cœleſti lumine ſuper eā ſingulis diebus radiāte ſine cibo permāſit. ¶Niceta & Aquilina ſorores, ī Lycia vrbe paſſę ſūt: Hæ: ſpecioſę puellæ, de corporis ſui quæſtu viuētes. Cū. s. Chriſtophorus martyr in eadē vrbe a rege in carcere detineretur: ad ipſū martyrē miſſę ſūt: ꝓmiſſis eis muneribus, ſi eū ad turpia cogerēt, & ad deorū ſacrificia adducerēt: quas. s. martyr ad Chriſtū cōuertit. ¶Thais meretrix apud Alexādriam tātæ pulchritudinis fuit: vt multi propter eam venditis ſubſtantijs ſuis, ad vltimam paupertatē deuenirent. Amatores quoq; ſui litibus inter ſe feruentes: puellæ limina frequenter ſanguine replebant. quæ tandem poſt multas prædicationes ac preces: a Panutio abbate conuerſa fuit.

¶Familiæ Sanctæ.

CAmoald⁹, Pharo, Valbert⁹ frēs, & Fara ſoror, Gallici oēs & ſācti: aulico Theodoberti regis Frācorū, & Leodegūda vxore nati. ¶Euphemia, Dorothea, Tecla, & Eraſina virgines: paſſę ſūt ī Aqleia vrbe, tēpore Neronis īperatoris: ſub Sebaſto ꝓſide. Fuerūt eñ duo fratres nobiles & ditiſſimi eiuſdē vrbis. quorū maior Valētin⁹ pagan⁹: genuit Euphemiā & Dorotheā. Alter vero minor Valētinian⁹ chriſtian⁹ genuit Teclā & Eraſinā ¶Potētiana virgo: filia fuit beati Pudētis, Ro. ciuis, & ſoror s. Praxedis. ¶Siphoroſa cū ſeptē filijs ſuis: apud Tyburtinā vrbē ſub Hadriano prīcipe paſſa ē. ¶Sophia mulier: & tres filię ei⁹ virgines, Fides, Spes, & Charitas Romę paſſę ſūt: ſub Hadriano īperatore. Hęc matrōa Romā veniēs multas matrōas ad fidē

conuertit: & exemplo caſtitatis ſuæ plurimas vxores chriſtianas a conſortio marito=
rum ſubtraxit. ¶Theodora cum tribus filijs ſuis: ſub Diocletiano imperatore apud
Niceam Bithinię vrbem paſſa eſt: erat enim Nicena ciuis.

¶Viduæ mulieres Sanctæ.

GAlla, vidua & monacha: Romę claruit tẽporibus Gothorũ. Hęc filia fuit Sym=
machi cõſulis ac patritij: q̃ marito tradita, intra vniꝰ anni ſpatiũ morte eius vi=
duata eſt. ¶Lucia vidua & martyr, paſſa fuit in vrbe Mẽdula Sicilię, tẽpore Diocle
tiani & Maximiani imperatorum. Fuit autem nobilis romana: quæ annos 36 manſe=
rat vidua, & annos 75 vixit: quam filius eius Euprępius Diocletiano accuſauit ꝙ eſ=
ſet chriſtiana. ¶Monica vidua, honeſtis parẽtibus orta: a matre Facundia, pudice,
ſobrieꝗ educata: deo deuotiſſima adoleuit, & tractu temporis mater admirandi do=
ctoris. s. Auguſtini fuit. ¶Paula vidua, matrona nobilis romana fuit: cuius vitam. s.
Hierony. ſcripſit. quæ nobilis genere, ſed nobilior ſanctitate, ſex filios genuit. s. Bleſil
lam, Paulinam, Euſtochium, Ruffinam, Pammachiam, & Theochium puerum: poſt
quem parere deſijt. Hæc mulier relicta Roma, omniꝗ Italia: in Syriam nauigauit, &
Paleſtinæ loca ſancta luſtrauit: & congregatis virginibus deo ſeruire cœpit.

¶Virgines & martyres.

AGatha virgo & mar. in vrbe Cathanenſi: tẽpore Decij paſſa eſt. ¶Auſtrebera
virgo. s. Auſberti Rothomagenſis epiſcopi ſoror fuit. ¶Antonia virgo, apud
Nicomediã paſſa eſt: quæ nimiũ torta & varijs afflicta cruciatibus: poſt vno brachio
tribus diebus ſuſpẽſa: deinde in carcerẽ biẽnio detruſa: a præſide extincta eſt. ¶Ana=
tholia virgo: ĩ vrbe Tyro Italiæ paſſa eſt, tẽpore Decij imperatoris: ſub Fauſtiniano
præſide. ¶Anaſtaſia, Romana ciuis: quę a ſua matre Fauſta: & a. s. Griſogono in fide
Chriſti erudita: tẽpore Diocletiani marty. paſſa eſt. Nã ad inſulas Palmarias ducta:
& inde poſt aliquot dies reuocata, igni exuſta eſt: cuius corpus in eius viridario quæ=
dã Apollonia ſepeliuit: vbi poſtea in eius honorem tẽplũ ſtructũ fuit. ¶Agnes Ro=
mana virgo & mar. quę 13 ætatis ſuę anno martyriũ paſſa eſt: corpore iuuenis: ſed anĩ
mo cana: pulchra facie, ſed pulchrior fide. ¶Barbara virgo, paſſa eſt in vrbe Nico=
medię, tẽpore Maximiani imperatoris, ſub præſide Martiano: cuiꝰ corpus Nicome
dię ſepultũ, Venetias trãſlatũ fuit: vbi requieſcit in tẽplo ſanctæ Mariæ cruciferorũ.
¶Bibiana virgo: Flauiano patre orta: Romę ſub Iuliano apoſtata paſſa eſt: cuiꝰ cor=
pus a Ioãne preſbytero poſitũ eſt apud palatiũ Lucinanũ iuxta corpꝰ matris & ſoro
ris. ¶Brigida virgo, claruit ĩ Scotia: tẽpore primi Iuſtini imperatoris. q̃ claris parẽ=
tibus orta: miraculorũ gloria coruſcauit. Nã inter cætera: aquã in ceruiſiã, & lapidẽ
in ſalẽ cõuertit. & a natiuitate cœcũ illuminauit. ¶Colũba virgo, paſſa eſt in vrbe
Senonẽſi ſub Aureliano imperatore. Nã iuſſu eius decollata, in eo loco ſepulta fuit.
¶Criſpina virgo, in Africa: tẽpore Diocletiani & Maximiani imperatorũ paſſa eſt.
Cũ em̃ dijs ſacrificare nollet: decollata fuit, ibiꝗ ſepulta. ¶Chriſtina virgo, in Tyro
vrbe Italię: q̃ eſt circa lacũ Volſinũ, paſſa eſt ſub p̃ſide Iuliano. Hęc egregijs nata parẽ
tibꝰ, in eodẽ oppido, a patre Vrbano p̃ſide in quadã turri, cũ 12 ancillis collocata eſt:
deos aureos & argẽteos ſecũ habẽs. Cupiebãt em̃ parẽtes vt ĩ deorũ cultu virgo diu=
tiꝰ permaneret: ſed tãdẽ p̃ciſa lingua, demũ trãſfixa ſagittis animã efflauit. ſepultaꝗ
fuit ĩ Tyro a chriſtianis. Corpꝰ aũt eiꝰ delatũ Venetias ĩ monaſterio. s. Marci de Amĩ
anis epiſcopatus, Tortelli requieſcit. ¶Darfoſa martyr, Romę paſſa eſt tẽpore De=
cij imperatoris, q̃ fuit vxor. s. Fabiani: qui diuinitꝰ põtifex electus: illico vxorẽ dimĩ
ſit. & tractu tẽporis marty. paſſus eſt: quo defũcto Darfoſa, ĩ caſtitate permanẽs, pri=
mũ exulauit: deĩde a Decio prĩcipe capite trũcatur. ¶Demetria: Ro. virgo, filia Fau=
ſtini & Darfoſę. ¶Dula virgo & mar. Nicomedię paſſa eſt. Hæc fuit ancilla cuiuſdã
militis paganorũ, q̃ quia recuſauit coitũ ipſiꝰ, & q̃m chriſtiana erat: ab eo occiſa fuit.
¶Euphemia virgo, filia ſenatoris Philophronis in vrbe Chalcedonia paſſa eſt: tem=
pore Diocletiani ĩperatoris, ſub procõſule Priſco. ¶Euphraſia virgo, filia Antigoni

ſenatoris,& Euphraſię ciuiũ Cõſtãtinopolitanorũ. ℂEuphroſyna virgo,apud Alexandriã claruit:q̃ Panutij filia,ſumpto habitu virili,ſeq́ꝫ Smaragdũ appellãs 38 annos in cœnobio monachorũ vitã ducẽs religioſã,omnibus incognita mãſit:tãdẽ Panutio patri cũ ęgrotaret,omni re detecta:inter ei⁹ man⁹ animã exhalauit. ℂEugenia Philippi Romani filia:tẽpore Valeriani fuit. q quidẽ Philippus pfect⁹ Alexãdrię ex Claudia vxore:Sergiũ & hãc Eugeniã filios ſuſtulit. Eugenia vero cũ Proto & Hyacintho eunuchis & ſeruis ſuis ſtudẽs,omnib⁹ liberalib⁹ diſciplinis,erudita fuit. ℂEulalia virgo,genere Hiſpana:Barchinone martyr paſſa eſt ſub pręſide Datiano. Decollata enim ĩ ea vrbe,a.s. Donato preſbytero ſepulta fuit. ℂEledia virgo & mar. apud vrbẽ Hoſtiã paſſa eſt. Caput enim trũcata pretioſũ exegit martyriũ. ℂEmerẽtiana virgo & mar. Ro. collactanea fuit.s. Agnetis. ℂFlora & Lucilla ſorores,& chriſtianę ſãctimoniales,Ro. ſub Helio vrbis pfecto paſſæ ſũt. ℂFlora & Maria virgines:apud Cordubã Hiſpanię vrbẽ paſſæ ſũt. ℂFuſca virgo & Maura nutrix eius:Rauẽnę martyriũ paſſę ſũt ſub præſule Quintiano. ℂIulia virgo & mar. paſſa eſt apud prouinciã Auguſtanã:quę dicitur Euphrateia. ℂIulia virgo & mar. genere Hiſpana:Barchinone martyriũ paſſa eſt:& a.s. Donato preſbytero ſepulta. ℂIulia virgo & mar. ex vrbe Carthagineſi:q̃ cũ vrbs capta & euerſa fuiſſet:data fuit in prædã cuidã Euſebio gẽtili Paleſtino. ℂIuſta & Ruffina,in Hiſpania vrbe Hiſpali,ſub Diogeniano pręſide martyriũ paſſę ſũt:quę vaſa fictilia mercabãtur:vt pauperib⁹ eleemoſynas erogare poſſet. ℂLeocadia virgo,genere Hiſpana,ſub Datiano præſide Toleti paſſa eſt: temporibus Diocletiani & Maximiani impera. ℂLucia virgo Syracuſana,Syracuſis paſſa eſt:gladio eñ guttur trãſfixa,in ea vrbe ſepulta fuit:inde tractu tẽporis corpus eius Cõſtãtinopolim,& inde Venetias trãſlatũ creditur. ℂLucina,diſcipula apoſtolorũ,ciuis Ro. fuit:quę a s. apoſtolis Petro & Paulo cõuerſa:baptizata & docta,facultates ſuas ſãctorũ vſib⁹ adminiſtrauit:plurimos quoq́ꝫ martyres in prædio ſuo,ĩ quadã crypta ſepeliuit. ℂLucina martyr:ciuis Ro. tẽpore Diocletiani,& Maximiani in vrbe claruit:quę multorũ marty. corpora in ſuo prędio ſepeliuit. ℂMacra virgo in vrbe Auguſtana marty. paſſa eſt. ℂMargarita virgo:apud Antiochiam ſub Olybrio pręfecto paſſa eſt. Hæc fuit filia Theodoſij gẽtiliũ patriarchæ:q̃ nutrici tradita,& natu iã grãdis baptizata fuit,& hãc ob rẽ patri multũ exoſa. ℂMargarita dicta Pelagius:virgo ſpecioſiſſima,diues & nobilis:apud Aegyptũ floruit. ℂMaria virgo,cognomine Cõſolatrix,Veronę claruit:q̃ nobilis puella & ſpecioſa,multorũ ſe cõiugio petẽtiũ preces deſpexit:& virginitatẽ ſuã deo cõſecrauit. ℂMaria de Segnes, orta ĩ epiſcopatu Leodiẽſi parẽtib⁹ opulẽtis:oĩa Chriſti amore ab annis puerilib⁹ ſpernit:quę ãnorũ. xij. cuidã Ioãni,licet iuita,nupſit:& cũ eo habitãs, tã aſpera pœnitẽtia ſe macerauit:q̃ꝫ ſuæ ſãctitatis exẽplo virũ ad caſtitatẽ induxit:& ad villã noĩe Villẽbrot ſæpe eũtes,leproſis inſeruiebãt. ℂMaria:virgo ãte partũ,ĩ partu,& poſt ptũ:q̃ ſine ſemine virili:Chriſtũ peperit,& ſic mater facta:de qua præſtat non loq,q̃ parũ dicere. ℂMartiana, virgo & mar. q̃ Cæſareę vidẽs ĩ platea ſimulacrũ,mane cõfregit illud:q̃ ob rẽ arena beſtijs pIecta fuit:vbi a leone ſeruata, ſed a tauro ĩdomito oculorũ altero priuata:& a pardo crudeliter dilacerata:Chriſto ſpiritũ reddidit. ℂMaxia virgo,in pago Forliuiẽſi,ĩ vico Callioliano virginitate florẽs,& multis virtutib⁹ clara in pace quieuit. ℂMuſa virgo:q̃ in vrbe Romana claruit. ℂOthilia virgo,a natiuitate cęca: quã pater occidere volẽs:mater ſecreto alẽdã cõmiſit:q̃ in monaſterio Palmę educata:ab Erardo Bauarię epiſcopo diuinit⁹ monito,baptizata viſũ accepit. ℂRomula virgo,Romę claruit:q̃ cuiuſdã anus ſãctiſſimę diſcipula fuit. ℂSabina martyr, Romę paſſa eſt tẽpore Hadriani imperatoris:ſub pręfecto vrbis Elpidio. Hęc fuit vxor præclariſſimi Valẽtini,& filia Herodis Metallarij:quę a.s. Seraphia virgine cõuerſa eſt. Eius corpus Parmę qeſcit. ℂSyluia virgo,Ruffini Alexãdrię pręfecti ſoror:ĩ eremo Thebaidis egit. q̃ per ãnos ſexaginta nec ora,nec pedes,nec aliquã corporis partẽ, niſi digitos aqua lauit:nec vnq̃ in lecto aut lectica iacuit, ſed ſuper nudam humum.

¶Thabita virgo, fuit vna ex ſororib9 illius monaſterij in Thebaide, quod Helias abbas cõdidit: in quo & trecẽtas virgines cõgregauit. ¶Thraſilla ciuis Ro. q̃ beati Gregorij põtificis Romani amica fuit. ¶Theodora virgo & mar. ſub Aureliano imperatore Romę paſſa eſt. Hæc fuit ſoror Hermetis martyris, & pręfecti vrbis: quę a. s. Alexãdro põtifice fidẽ edocta, baptizata fuit. ¶Tecla virgo & mar. paſſa eſt apud Iconiã vrbẽ, imperãte Nerone. quę ipſius vrbis pręclaro genere orta: a beato Paulo apoſtolo prædicãte cõuerſa, atq; virginitatẽ profeſſa. cũ nupſiſſet, nuptijs renũtiauit: quod mater eius audiẽs: filiã iudici tanq̃ chriſtianã accuſauit. ¶Victoria virgo & mar. ciuis Ro. tempore Decij apud vrbem Trebulanam martyrium paſſa eſt. quę cum Eugenio cuidam nupſiſſet: nolens Deæ Veſtæ immolare: a Taliarcho tẽplario: gladio in corde percuſſa fuit, & eodem loco a ſacerdotibus ſepulta.

¶Mulieres ſub habitu virili, varios euentus ſortitæ.

EVphroſyna Alexãdrina, Panutij filia: ſe Smaragdũ appellãs triginta octo ãnos in cœnobio monachorũ, omnib9 incognita vitã duxit religioſam. ¶Gilberta Anglica: quę cũ euaſiſſet ſũmus põtifex, Ioães ſeptimus nomẽ ſortita eſt. ¶Hipſicratea Mithridatis Ponti regis vxor: quæ mutato habitu in virũ, & tonſis capillis: in omnib9 aduerſitatibus comes marito ſemper fuit. ¶Margarita ægyptia, virgo venuſtiſſima: Pelagiũ ſe noiauit. ¶Semiramis Aſſyriorũ regina: q̃ Nino cõiuge extincto, vt facilius regnaret, ſimulauit ſe Ninũ filiũ: ſicq; ſexũ mẽtita, magnas res geſſit.

¶Mulieres muſicæ.

ANna anglica, cantu conſpicua: quæ diu morata eſt apud Ferrandum regem ſeniorem. ¶Filię duę Amatoris Cathalani: muſicę artis peritę: quę multos annos diuerterunt apud Reginam, olim vxorem Matthiæ regis Pannoniæ.

¶Mulieres quibus exitio amores fuere.

ARiadne: a Theſeo deſpecta. ¶Elyſſa, Dido cognominata, ab Ænea relicta, enſe illius ſeipſã interfecit. ¶Hero puella Seſtiaca: cũ Leandrũ amatorẽ aquis obrutũ vidiſſet: dolore perijt. ¶Phedra: a priuigno Hippolyto ſpreta. ¶Phillis regina Thracũ: cũ ſe a Demophoõte neglectã crederet: laqueo vitã finiuit. ¶Sappho puella Leſbia: cũ ſe a Phaone Siculo aſpernatã cognouiſſet, ſe e Leucade p̃cipitauit. ¶Tyſbe Pyramũ amatorẽ cũ inueniſſet extinctũ: eodẽ enſe quo ille ſe interemit.

¶Sed hoc etiam accidit viris.

ACis a Galathea amat9: a Polyphemo Cyclope ſcopulo cõtrit9 fuit. ¶Adonis a Venere dilect9: ab apro occiſus fuit. ¶Crocus: a Similace, & Similax a Croco: i florẽ ſui nois cõuerſi. ¶Iphis capt9 amore Anaxaretes puellę Cypriæ: cũ ab ea ſperni videreẽ, vitã laq̃o finiuit. ¶Narciſſus capt9 amore vmbrę ſuę: elãguit i florẽ.

¶Nonnullæ, quæ modo mares, modo fœminæ fuere.

CÆneis: quę ob venuſtatem a Neptuno compreſſa fuit: a quo mutata in virum: accepit, vt nullo telo interfici poſſet. Auſonius in ęcloga Cupidinis ſexu gauiſa virili Mœret in antiquã Cæneis reuocata figuram. ¶Iphis Lygdi Phæſtij Cretenſis, & Theletuſæ filia: quæ ab Iſide conuerſa fuit in marem: cũ vxorem duxiſſet Ianthem. ¶Scyton modo mas: modo fœmina. Ouidius libro quarto Metamor.

Nec loquor vt quondam naturæ iure nouato,
Ambiguus fuerit modo vir: modo fœmina Scyton.

¶Mares & fœminæ ſimul & ſemel.

HErmaphroditus habuit vtrũq; ſexum. Auſonius. vidit ſemiuirum fons Salmacis Hermaphroditũ. vidit nubentem Plinius Androgynum. ¶Tyreſias vates Thebanus itidem. Auſonius. Ambiguus quæ fuit corpore Tyreſias.

¶Abbatiſſæ.

AMata, virgo ſenex, abbatiſſa cuiuſdã monaſterij Thebaidis fuit: quę habuit ſub ſui cura ſexaginta virgines in caſtitate, ei9 exẽplo & doctrina viuẽtes. ¶Aurea virgo, claruit tẽpore Heraclij imperatoris: quã ſanctus Eligius epiſcopus monaſterio

virginũ,a ſe cõſtructo in vrbe Pariſiẽſi, præfecit abbatiſſam trecentarũ virginũ omni ſanctitate pollentẽ,& miraculis coruſcantẽ. ❡Edelburga,regis orientaliũ Anglorũ filia:quæ prius monacha:poſt Abbatiſſa fuit,& ſemper virgo. ❡Milada, filia Boleſlai fratris Vinceſlai regum Bohemiæ,eximia ſpecie virgo:ſacris imbuta literis,& multa pollẽs eruditione,ſacerdos cõſecrata fuit ĩ monaſterio.s.Georgij in arce Pragẽſi:quod ipſa cõſtruxit. Pius põti. de bello Bohemico. ❡Sarra abbatiſſa,claruit tẽpore Theodoſij ſenioris. ❡Salaberga abbatiſſa ĩ territorio Lugdunẽſi,claruit tẽpore s.Sulpitij epiſcopi Bituricẽſis & Dagoberti regis Frãcorũ. Hęc parẽtib9 claris exorta,a natiuitate cœca fuit:ſed a.s. Eutſtahio abbate tractu tẽporis illuminata fuit.

❡Prophetiſſæ.

ANna prophetis,filia Phanuel, cuius ſanctitatẽ euãgelicus prodit ſermo. ❡Abigail:vxor Dauid prophetæ,poetæ & regis. ❡Berſabee vxor Vriæ,ex qua Dauid rex genuit Solomonẽ. ❡Delbora ex tribu Effraim,ſicut legitur in libro Iudicũ. ❡Heſter regina de ſtirpe Beniamin,filia fratris Mardochei:q̃ ducta in Babyloniã cũ alijs captiuis,in vrbe Medorũ Suſis detruſa fuit ĩ carcerẽ: & poſtea nupſit Aſſuero regi Perſarũ. ❡Iudith vidua de ſtirpe Symeõ,vxor Manaſſe,quę fuit mulier magnanima. ❡Maria ſoror Aaron & Moyſi:in numerũ ſanctarũ matrũ veteris legis a Ioſepho aſcribitur. ❡Micol filia Saul regis,vxor Dauid:quę data fuit ei,quia Goliã gigantẽ funda interemit. ❡Olda Helchiæ maximi hebræorũ põtificis mater:quę,vt legitur lib.4 regum,prædixit Hieroſolymorũ euerſionẽ,ac populi ipſius captiuitatẽ. ❡Rachel: vxor Iacob. ❡Rebeca:vxor Iſaac. ❡Sarra vxor Abrahã. ❡Thamar,vxor Abſolonis:quæ ab Amon filio Dauid ſtuprata fuit.

❡Sybillæ.

SIbylla Perſica,veſtita veſte aurea,cũ velo albo in capite:de qua meminit Nicanor rerum Alexãdri Macedonis ſcriptor. ❡Sibylla Libyca,veſtita pallio honeſto:cui9 meminit Euripides in prologo. ❡Sibylla Delphica,veſtita veſte nigra,& capillis circũligatis capiti:in manu cornu tenẽs:quæ ante Troiana bella vaticinata eſt: de qua Chryſippus in lib.de diuinitate. ❡Sibylla Cymeria,in Italia nata,alias Chimica:veſtita veſte deaurata, capillis per ſcapulas ſparſis:quã Næui9 in libris belli Punici nominat. ❡Sibylla Erythræa,in Babylonia orta:quã Apollodorus Erythræus ſuã affirmat fuiſſe ciuẽ:eãq; Grais Iliũ petẽtib9 vaticinatã,& periturã eſſe Troiã, & Homerũ mẽdacia ſcripturũ. ❡Sibylla Samia,a Samo inſula:nudũ enſem ſub pedibus,formoſũ pectus,ſubtileq; velum in capite habẽs:de qua Eratoſthenes. ❡Sibylla Cumana,nomine Amalthea:quæ ab alijs Herophyle,vel Demophyle noiatur. Fuit tẽpore Tarquinij Priſci.fuitq; illa q̃ ex libris nouẽ:quatuor,trecẽtis aureis Tarquinio Priſco dedit:cęteris igni cõſumptis. ❡Sibylla Helleſpõtica:in agro Troiano nata:vico Marineſſo,iuxta oppidũ Gergitiũ:quã ſcribit Heraclides,Solonis & Cyri fuiſſe tẽporibus. Hæc veſte rurali veſtita, velo antiquo capiti ſub gula circũuoluto vſq; ad ſcapulas:quaſi deſpectui ob id habita. ❡Sibylla Phrygia,veſtita mãtelo rubro,ĩ modũ mulieris nuptę licet virgo. ❡Sibylla Europea:decora facie rutilãs, velo ſubtiliſſimo capiti ligato:veſtita veſte aurea. ❡Sibylla Tyburtina:nomine Albumea:quę Tybure colebatur vt dea. Cuius ſimulacrum in ripa amnis Anienis repertum eſt: librũ in manu tenens. Huius ſortes ſenatus in Capitolium retulit. ❡Sibylla Agrippa prædictis annumeratur. ❡Harum omnium Sibyllarum carmina habentur: præterq̃ Cumanæ:cuius libri a Romanis occultati ab vllo niſi a quindecimuiris inſpici fas eſt.

❡Mulieres venuſtiſſimæ.

ANaxarete,puella Cypria ex Salamina,ex ſtirpe regia,admirãdæ formę:cuius amore captus Iphis vitam laqueo finiuit. ❡Argia, Adraſti Argiuorum regis filia,venuſtate cõſpicua. ❡Cyrene virgo,miræ pulchritudinis, filia Penei regis Arcadiæ,ſiue(vt poetæ dicunt) Penei fluuij. ❡Caſtianira,Priami vxor ex Æſymo vrbe Thraciæ,deabus ipſis venuſtate comparanda. ❡Caſſandra regis Priami filia:a duce

græcorum amata. ℭCamilla Volſcorum regina, Methabo Rege patre, & Camilla matre nata: Matri mortis cauſa fuit. hæc a Turno amata. ℭEcameda, magnanimi Arſinoi filia, forma deabus æquanda: quam in partem prædæ Meſtor ſuſcepit, vel dono accepit. ℭEuropa, Agenoris Phœnicum regis filia fuit, tantæ venuſtatis: vt amore eius Iupiter captus ſit. ℭHippo, mulier græca, fuit venuſtiſſima. ℭHiera vxor Telephi regis Myſorum: quę tantæ pulchritudinis fuiſſe dicitur, vt etiam Helenã ſuperaret. ℭHirene Athenienſis: mulierum ſui temporis pulcherrima. ℭMariana, hebræa mulier: Ariſtoboli Iudæorum regis, & Alexandrę reginæ filia. quæ tam admirandæ formoſitatis fuit: vt non ſolum cæteras excelleret, ſed cæleſtis arbitraretur imago, potius q̃ mortalis. hæc a viro tandẽ decollata fuit. ℭOrithya filia Erithæi Athenarum regis venuſtiſſima. quam cum Boreas adamaſſet, & ſibi cõiugem dari poſtularet, nec impetrare valuiſſet: illã rapuit, & in Thraciam ſecum detulit. ex qua Zetum & Calaim filios procreauit. vt refert Euſebius. ℭPolixena, Priami & Hecubæ Troianorum regum filia: quæ admirandæ venuſtatis: ab Achille amata fuit.

ℭMulierum mortes voluntariæ.

AGrippina, Marci filia: a Tiberio Graccho multis laceſſita iniurijs: vt eis finem imponeret, cibũ guſtare noluit: & ſic inedia perijt. ℭBritona Cretenſis: quę aufugiens Minoem Cretenſiũ regem, a quo amabatur: in mare ſe præcipitauit. ℭCleopatra: Veneno ſerpentum corpori ſuo appoſitorum, ne in triumphum duceretur: ſe interemit. ℭDido Tyria: ſe in ardentẽ rogum iniecit, vt pudicitiam, fidẽq; marito ſuo Sychæo iam extincto ſeruaret. ℭEuadne, quæ in rogum Capanei viri ſui ſe iniecit: vt ſimul cũ eo cremaretur, & in eadem vrna cõderetur. ℭEuridice Thebana, audita morte Hæmonis filij: qui pectus ſuum gladio tranſfixerat: doloris impatiens, mortẽ ſibi gladio conſciuit. Hippo, græca mulier venuſtiſſima: quæ ne a prædonibus raperetur: in mare ſe præcipitem dedit. ℭLucretia Romana mulier, Collatini conſors: quoniam a Sexto Tarquinio ſtuprata fuerat, mortem ſibi ipſi ferro conſciuit. ℭPhyllis regina Thracum, amans Demophoontem Theſei filium: qui cum profectus eſſet in patriam, nec iuxta promiſſum tẽpus reuerteretur: furore impatiens & amore, vitam laqueo finiuit. ℭPortia, Marci Catonis Vticenſis filia: audita morte M. Bruti viri ſui, apud Philippos victi atq; interempti: accenſos carbones in os ingerens vitam finiuit. ℭTheoſina, de qua Liuius, cũ amaretur a Philippo Macedonum rege: hauſto veneno ſe in mare iniecit: ne caſtitate ſua ab illo priuaretur.

ℭProphetides gentiles.

CAſſandra filia Priami, regis Troię: quę multo ante prophetauit vrbem Troiam perituram. ℭLauinia Gelonis Deliorum regis filia: quę vates Aeneã ſecuta, in Latio perijt. ℭLabyſſa, ſoror Brelę & Cerbæ: Croci regis Bohemię filia: Quę vt natu minor fuit, ita diuinarũ, humanarũq; rerũ ſcientia maior. & cũ veluti vna ex Sibyllis haberetur: poſt obitũ patris plures ãnos prouinciã gubernauit. Ab hac caſtellũ Libũ ſtructũ: quod moriẽti ſepulchrũ fuit. Pius põtifex de bello Bohemico. ℭMãto Tyreſię filia: q̃ diuinationẽ a patre didicit. Verg. Fatidicę Mãtus. ℭNicoſtrata vates, mater Euãdri: q̃ a carmine, Carmẽtis dicta eſt. ℭNicaula Aethiops, q̃ & Saba appellat̃, regina Arabiæ: q̃ Hieruſalẽ venit, vt nõ ſolũ videret, ſed etiã audiret Solomonẽ: cui ipſa multa obtulit xenia. ℭPhemonoe, q̃ apud Pythiũ vates prima hexametris verſib9 futura cecinit. ℭTanaql, Tarqnij Priſci Romanorũ regis vxor. Claudian9 de Serena. Pręſcia fatorũ Tanaquil. ℭTerba ſoror Brelę & Labyſſę Croci regis Bohemiæ filia: augur ac ſortilega eruditiſſima fuit. Pius põtifex de bello Bohemico.

ℭPoetiſſæ vel poetrides, ſeu poetriæ.

CLeobolina, filia Cleoboli Lyndij, Euagoræ filij: qui fuit vnus ex ſeptẽ ſapientibus Græcię: genus ducens ab Hercule hexametrorum ænigmatum vates fuit periti ſſima. ℭCornificia, Romana mulier, vel vt alij volunt externa, imperãte Octauiano Cæſare adeo effulſit poetico dogmate, vt nõ Italico lacte, ſed caſtalio latice nu-

trita videretur: & Cornificio fratri germano eiuſdem æui poetæ inſigni, par habita ſit. Scripſit hæc inſignia epigrãmata: quę Hieronymi preſbyteri temporibus, vt ipſe teſtatur, erant in pretio. ¶Corinna mulier lyrica, Archelodori filia, Thebana vel Tanagręa: Diſcipula Myrtidis. Dicta muſa lyrica. Pindari quinquies victrix. libros quinque ſcripſit Epigrãmatum: & modos lyricos. ¶Corinna Theſpia: quã alij Chorynthiam dixerunt. ¶Corinna iunior Thebana: quæ & muſa lyrica. Ex his primam tãgit Papinius, epicedion in patrem ſuum ſcribens. Tu pandere doctus.

Carmina Bathiadæ, latebraſque Lycophronis atri,
Sophronaque implicitum: tenuiſque arcana Corinnæ.

¶Claudia Ruffina, mulier Britannica: vtraq; lingua erudita: de qua Martialis li. xi.
¶Elephãtis poetria fuit, quæ genera cõcubitus carmine cõplexa eſt. Martialis li. xij.

Nec molles Elephantidos libelli. Vergilius in Priapæis.
Obſcœnas rigido Deo tabellas
Dicans, ex Elephantidos libellis
Dat donum Lalage. Ouidius.
Nec qui compoſuit nuper Sybaritida fugit,
Nec quæ concubitus non tacuere ſuos.

¶Herinna Leſbia, vel vt alij putant Rhodia, vel Theia: quę poema cõpoſuit lingua dorica, tercentum verſibus abſolutum opus: quorũ dignitas cũ Homero contendit. ¶Helpe ſiue Elpis, natione Sicula, patria Meſſanẽſis: Boetij Seuerini vxor, quę grãmatica & rhetorica, poeſiq; inſignis: & carmine, & proſa multũ valuit. Scripſit enim aliquot apoſtolorũ hymnos: vt illum, Fœlix per omnes feſtũ mundi cardines: & illũ, Aurea luce, & decore roſeo. Præterea epitaphiũ ſuum, & alia quædã. ¶Mœro mulier: quę hymnũ in Neptunũ ſcripſit. ¶Proba Romana, Adelphi procõſulis vxor: quæ ex Marone tot verſus ad dei noſtri intellectũ traxit: quãuis Hieronymus diſſentiat. ¶Paula Argẽtaria: vxor Lucani poetæ: quæ quãdoq; carmen a marito incœptũ perficiebat: dum ille Pharſaliã ſcriberet. ¶Parthenis mulier fuit doctiſſima: quã nõnulli opinantur fuiſſe Violãtillam Neapolitanam: prius amicam, & poſtea vxorem Stellæ Patauini poetæ. Martialis libro ſeptimo.

Non tua Parthenis nimium ſe præferat illi,
Quanuis pierio ſit bene nota choro.

¶Sappho Leſbia poetris lyrica, contemporanea Alcæi, Steſichori, & Pittaci, a qua carmen Sapphicum: & quæ tres fratres habuit, Laricum: Charaxum, & Eurigiũ. Diſcipulas tres: Anagorã Mileſiam, Congillam Colophoniã: & Eunicam Salaminiã. Amicas tres ſcilicet Atthidem, Teleſippã, Megaram. Scripſit libros lyricos nouem: Epigrãmata, Elegias, Iambos, & Menias. ¶Sappho altera Mytilenea pſaltria, lõge iunior: cuius opuſculum pulcherrimum in latinum conuerſum ad amicum Phaonem apud nos extat. Primæ poemata laſciua fuiſſe indicat Ouidius in Triſtibus.

Leſbia quid docuit Sappho niſi amare puellas?
Idem in libro de Arte amandi.
Nota ſit & Sappho: quid. enim laſciuius illa?
Horatius in Carminibus.
Viuunt quæ commiſi calores
Æoliæ fidibus puellæ.

¶Sempronia mulier Ro. tã græca q̃ latina lingua verſus & orationes omni laude dignas ſcripſit Q. Cur. in epi. ¶Sulpitia Ro. Caleni vxor, tãto facũdiæ lepore in poematis laudes acquiſiuit, vt aſcripta fuerit in tabula ænea. Q. Cur. in epi. Scripſit autem de amore coniugum: cuius carmen, & pudorem laudat Martialis libro decimo. ¶Theophila Canij poetæ Gaditani filia: cui⁹ pudorẽ & carmina laudat Mar. li. vij.

Hæc eſt illa tibi promiſſa Theophila Cani
Cuius cecropia pectora voce madent.

¶Fœminæ philoſophi.

AReta Ariſtippi Cyrenei filia, paternę diſciplinæ doctiſſima. quæ filium docuit iuniorem Ariſtippum: qui ex doctrina materna cognomētum adeptus, appellatus eſt Metrodidaſcus. ¶Aretaphila Cyrenea: quæ Mithridatis tempore claruit, virtute & rerum geſtarū gloria, priſcis heroum filiabus omni ex parte conferēda fuit. Hæc enim Phedimo nupſit adoleſcēti, nobilitate ac diuitijs inter conciues ſuos facile principi. Cumq́ forma & corporis aſpectu pulcherrima eſſet: prudentia tamē & virtute animi, corporis pulchritudinem ſuperabat. neq́ ciuilis facundiæ atq́ eloquentiæ expers fuit. Plutarchus de virtutibus mulierum. ¶Cæcila virgo ex marchionibus Mantuanis, literarum peritiſſima: ad tantam ſecularium ornamentorum nauſeam a Paula matre perducta, & ad religionem inflāmata fuit, vt apud patrem Mantuæ marchionem, eius propoſitū vincere cupientē: cauſam conſtantiſſime agere nō ſit verita. ¶Eugenia Philippi Romani filia: oībus liberalibus diſciplinis erudita fuit. ¶Laura filia Nicolai Brenzoni Veronenſis: quæ cū nata eſſet annos decem: carmine ſapphico latine orauit. poſtea eādem ſententiam oratione proſa, & lingua græca tractauit. Demum eadem verba: lingua vernacula elegātiſſime protulit. Cuius ingenium, & dicendi ſuauitatem admiratus Philippus Tronus: proprio filio eam deſponſauit, Venetijs tunc imperante genitore Nicolao Trono. ¶Laura altera Brixiana: quæ elegātes ſcripſit epiſtolas ad magiſtrum Hieronymum Sauonarolam Ferrariēſem. ¶Maria philoſophus & Alchimiſtria Moſi ſoror: vnde appellatum eſt Balneum Mariæ. ¶Margarita Ioānis Feruſini iuriſperiti, & equeſtris ordinis vxor, Mediolani claruit: quæ licet illi populoſæ ciuitati honeſtatis prodigiū pene fuerit: nō minorē tamē ſibi famam in pignoribus educandis vendicauit. Sic enim præter naturā reliquarum matrū, filiarū monilia, & cætera ornamenta literas putauit: vt multas quas ex matrimonio adepta fuerat natas: ita latina & græca lingua dotauerit, vt virginum ingenia, epiſtolas, interpretationes, & elegantiā: omnes laudarent, mirarenturq́ Inſubrium & Liguriæ populi. Operæpretium erat ſpectare puellas, humili habitu, virgineaq́ verecūdia rubentes: tum græco, tum latino ſermone pſalmos Chriſto Ieſu & virgini matri decantantes: horis ſtatutis ſilentio vti, ſuum oraculum vnamquanq́ diſtinctum habere. inter ſe acutiſſime de interpretatione peregrinæ linguæ contendere, Pythagoricas ac Socraticas in teneris pectoribus verſari ſententias. quas omnes vernātes paradiſi roſas: ne peſtilens aura corrumperet: cum clariſſimis parentibus, paruula quidem interiecta mora, ſummus rerū opifex ad ſe glorioſa morte perduxit. ¶Mammea Regina, imperatoris Alexandri mater: quæ ab Origene ſacerdote Alexandrino, ſacras literas & fidem edocta fuit. ¶Paula vidua Romana ciuis: cuius vitam ſāctus Hieronymus ſcripſit: ſcripturam ſacram memoriæ ita mādauit, vt etiam hæbraicam linguam perfecte didicerit, & pſalmos hebraice decantauerit. ¶Ruth vidua, de regione Moab, in diebus iudicum claruit: quæ librum ſpiritalis hiſtoriæ inter ſacræ paginæ volumina conſcripſit. ¶Suſanna virgo, Ruffini Alexandriæ præfecti ſoror, mulier doctiſſima fuit: quę amore ſacrarū literarum noctes in dies vertendo legebat. ¶Themiſte, mulier gręca, philoſophus: de qua Lactātius libro tertio inſtitutionum. ¶Teleſſilida argiua mulier: cuius ductu auſpicioq́ mulieres argiuæ contra Cleonem Argiuorū regem certarunt. poeticæ diſciplinę perita fuit. Nanq́ parentibus nobiliſſimis orta, cū valitudine aduerſa laboraret: ab oraculo reſponſum accepit, ſtudioſe muſas a ſe colendas eſſe, ſi amiſſam valitudinem recipere vellet. Quapropter ipſa deorum præceptis obtemperans: omne ſtudium, operamq́ ad muſicos cantus atq́ harmonias conuertens: breui tempore amiſſam valitudine recepit: atq́ ob artis poeticæ diſciplinam plurimum apud cæteras mulieres famæ ac laudis eſt conſecuta.

¶Cauſidicæ, Oratrices, & Grammaticę.

AMeſia ciuis Ro. apud prętores maxīo populi cōcurſu cauſas egit: q̄ ſemel adulterij criminis accuſata, oēs ptes oratoris in ſuā defenſionē peregit. ex quo oīm

ferme iudicio nõ ſolũ incolumis euaſit, ſed etiã cognomen Androgyni aſſecuta eſt. ¶Aſpaſia Socratis tempore doctiſſima mulier,eloquentiaque pollens:a qua Socrates philoſophus ſe didiciſſe quędã profitetur. ¶Amalaſiũtha Athalarici mater,latinis literis & gręcis erudita, omnesq; linguas barbarorum docta.¶Angela Nugarola Veronenſis, mulier eruditiſſima. ¶Baptiſta ex familia Vrbinatium principum orta : cuius doctrina atq; eloquentia admiranda fuit , adeo q; conſtat eam interdum oraſſe apud Sigiſmũdum cæſarem , & Eugenium pontificem maximũ,Scripſiſſeq; multa de conditione vitæ, & religione,cui poſtea ſeſe addixit.Reſponſa etiam ad eã leguntur ſummorum hominum:de philoſophiæ commẽtarijs,& ſacris quæſtionibus reddita,redolentia doctrinam,eloquentiam,& religionem. ¶Caia Affrania,Lucij ſenatoris vxor,ita litibus & cauſis apta fuit,vt apud plures magiſtratus ſæpe oraſſe dicatur. ¶Cornelia ciuis Romana, Gracchorum mater,eloquẽtia pollens. ¶Cornelia Veronenſis:quæ cum diutius fuiſſet matronarum Veronenſium corona, ad extremum impetrato diuortio,adhuc viuente marito: diuino ſe cultui perpetuo dicauit. ¶Conſtantia Alexandri Sfortiæ coniunx, epiſtolas & orationes multas, ac elegantiſſima carmina ſcripſit. ¶Corona,Peruſina ciuis,mulier erudita. ¶Caſſãdra Fidelis,Veneta ciuis:quæ apud doctos magno habetur in pretio. ¶Eudochia Theodoſij Iunioris vxor fuit. ¶Eunomia,chriſtiana virgo,Nazarij rhetoris filia,eloquentia patri ſimilis. ¶Fannia, Fannij ſoror, ciuis Romana apprime docta. ¶Filia Lucij Craſſi,ciuis Romana,literis conſpicua. ¶Gilberta Anglica,Maguntiaco oriunda: ſecularibus & ſacris literis erudita. quæ euaſit ſummus pontifex: nihilque dignum viro deinceps fecit. cum mulier eſſet: appellata fuit Ioannes Septimus,& per ſeriem fuit pontifex.106. ¶Hortenſia,Quinti Hortenſij filia, par eloquio patri : quæ cũ ordo matronarũ graui tributo ab Auguſto ,Marco Antonio,& M.Lepido triumuiris oneratus eſſet : cauſam mulierum triumuiros elegantiſſime egit : exorauitq;, vt maior pars imperatæ pecuniæ his remitteretur. ¶Iſabeta ex gente Malateſtarum, literis apprime erudita fuit,& religione conſpicua. ¶Iſota Nouarolla Veronenſis, quæ epiſtolas elegantes ad Guarinũ Veronenſem,& alios excellentes viros ſcripſit, Hæc enim virginitatis lilium, & eloquentiæ flumen,ſpretis , conculcatisq; terrenis illecebris, humillima veſte contenta,totum literis ſacris dedecauit ingeniũ: illis ſeſe oſtentans,illiusq; continue ſacra volumina terebant genua:nunquam de manibus exibãt Auguſtini aut Hieronymi libri. ¶Lęlia Cai filia:ciuis Romana:mulier literis cõſpicua. ¶Leontium græca mulier fuit,vt reor Alexãdri magni æuo cõſpicua:quæ in ſtudijs literarum tãtum valuit: vt aut inuidia percita,aut muliebri temeritate impulſa:in Theophraſtum inſignẽ ea tempeſtate philoſophũ inuehi auſa ſit. ¶Mutiæ duæ ſorores, Romanæ ciues,literis inſignes. ¶Theano Brontini Crotoniatæ filia, vxor Pythagoræ: quæ ad virum pergenti in mandatis dabat: vt cum veſte verecundiam deponeret,exurgẽsque denuo illam cum veſte reſumeret. ¶Theoclea Pythagoræ ſoror:a qua ipſe tantus philoſophus nonnulla didicit.

¶Mulieres longiſſimæ vitæ:teſte Plinio Libro.7.Cap.48.

CLodia Offelli.115.ãnos vixit. Hęc enixa quindecies. ¶Liuia Rutilij,annos nonaginta ſeptem exceſſit. ¶Luceia Mima annis centum in ſcena pronuntiauit. ¶Statilia annos nonaginta nouẽ exceſſit. ¶Sãmula quoq; annos centũ decem impleuit,vt dicit Aſconius. ¶Terentia Ciceronis vxor annos centum duodecim. ¶Valeria Copiola annos centum & quartuor vixit.

¶Mulierum felicitas:Plinio teſte libro ſeptimo. Cap. 41.

LAmpito Lacedæmonia: quæ regis filia,regis vxor,& regis mater fuit. ¶Vna Pherenice,quæ filia: ſoror, & mater Olympionicarũ. ¶Vna familia Curionũ in qua tres cõtinua ſerie oratores . ¶Vna Fabiorum:in qua tres continui princi

pes ſenatus fuere. M. Fabius Ambuſtus. Fabius Rutilianus filius. Quintus Fabius Gurges nepos.

¶ Mulieres pudicitia illuſtres.

ALceſtis formoſiſſima: vxor Admeti regis Theſſaliç: ex qua natus eſt Eumelius Admeti filius, qui ad Troiam cum alijs Græcorum ducibus veniẽs vndecim præfuit nauibus. adeo virũ amauit, vt voluntariã pro illo mortem ſuſcipere non recuſauerit. de qua Seneca in Medea dicit.

Coniungis fatum redimens Pherei,
Vxor impendit animam marito. Et Iuuenalis.
Spectat ſubeuntem fata mariti Alceſtem.

¶ Arthemiſia regina Charum, quæ viri Mauſoli obitum tãta tulit acerbitate, vt nõ contenta illud ędificaſſe monumẽtum Halicarnaſſi in perpetuam illius memoriam, quod inter ſeptem orbis miracula numeratur, fuerit: verũ etiã ex eius caluaria facto poculo: ſe viri ſepulchrum, & haberi & eſſe voluit. Nam illius corpus in puluerem verſum: paulatim totum ebibit, & aſſiduis fletibus, doloreq́ confecta per tabem e vita diſceſſit. ¶ Bilia, pudicitię magnum ſpecimen, vxor Duellij: qui primus Romę e nauali prælio triũphum geſſit: Diuo Hieronymo teſte. ¶ Britona Cretenſis, cum amaretur a Minoe Cretenſium rege: ab illo aufugiens, in mare ſe præcipitem dedit. ¶ Caia Cæcilia, Tanaquil dicta, Tarquinij vxor: tãtę caſtitatis, & probitatis fuit, vt eius nomen boni ominis cauſa frequentarent nubentes. ¶ Claudia, Claudij Apolinaris filia, Statij Papinij Neapolitani vxor: quæ tantæ modeſtiæ & caſtitatis fuit: vt coniugalem fidem abſentia mariti viginti annis non fraudauerit. ¶ Claudia virgo veſtalis, falſo crimine inceſti ſuſpecta: cum nauis, deorum matrem a Peſſinunte accerſitam ferens, in alto Tyberi ſtetiſſet, & nullis viribus moueri poſſet: impoſita zona naui, illam mouit dicens: Si ſe pudicam ſciret, ſequeretur: ſicq́ ſimulacrũ Matris deum adduxit. De qua Suetonius, Liuius, & Valerius Maximus libro octauo. Item Claudianus de Serena.

Præſcia fatorum Tanaquil, rediensq́ per vndas
Coclia Tybrinas: & eodem flumine ducens
Claudia virgineo cuntantem crine Cybellen.

¶ Chiomara Oriagontis regis vxor: inter captiuos centurioni cuidam in cuſtodiam data eſt: a quo vi ſtuprata, de iniuria tacuit. & poſt impetratã redemptionẽ marito: adulterum interficiendum tradidit. Pli. de viris illuſtribus. ¶ Coclia Romana, inter cæteras virgines obſes Porſenę hoſti data: nocturno tempore cuſtodiã egreſſa: equũ conſcendit, celeriq́ traiectu Tyberis, non ſolum obſidione ſed etiam metu patriam ſoluit: Viris puella lumine virtutis præferenda. Vale. Maximus libro tertio. ¶ Dido, quæ vt extincto viro Sichæo fidem pudicitiamq́ ſeruaret: in ardẽtiſſimum rogũ ſe proiecit. ¶ Euadne virum ſuum Capaneam adeo dilexit: vt dum illius cadauer fulminatum ac ſemiuſtum in rogum poneretur: præ nimio animi dolore ſe flammis iniecerit: vt ita ſimul cum illo exuſta, mixtis cineribus in eadẽ vrna poneretur. ¶ Eurydice, quæ Orpheum coniugẽ vnice amauit: qui proter ipſam inferos petijt. ¶ Egeria Numę Pompilij vxor, in fontem conuerſa propter mortẽ mariti. ¶ Encylia Tertia, prioris Scipiõis Africani vxor, & mater Cornelię matris. Cn. &. T. Gracchorũ: quæ virũ adeo dilexit, vt etiam paſſa ſit ſeruã pellicem mariti fuiſſe: eãq́ poſt mortem Africani nubere liberto ſuo, magni prætij viro voluerit. ¶ Hipſicratea, magni Mithridatis Ponti regis vxor: virum ſuum maximo amore proſequuta fuit, comes ſemper marito fuit in omnibus aduerſitatibus. Mutato habitu in marem, & tonſis capillis, militiam didicit ſub marito: a quo tãdem veneno abſumpta fuit: cum a Pharnace eſſet obſeſſus. ¶ Herſilia Romuli vxor: quæ inter Romanos & Sabinos pacẽ fecit. ¶ Iulia Cai Cæſaris filia: cum Pompei magni coniugis ſui veſtem cruore

reſparſum e campo domum relatam vidiſſet: territa metu nequa vis ei eſſet allata: exanimis concidit, partũq; quem vtero cõceptum habebat: eiicere coacta eſt, atq; ita experauit. ¶Lucretia, Romanæ pudicitię dux egregia: Lucretij Spurij Tricipitini clariſſimi inter Romanos viri filia, & Tarquinij Collatini vxor, quę a Sexto Tarquinio ſtuprata: mortem ſibimet cõſciuit ferro. ¶Laudomia, vxor Protheſilai: qui primus ex græcis in bello Troiano periit. quam rem cum audiuiſſet Laudomia: cõplexa illius imaginem, expirauit. ¶Penelope Vlyſſis vxor: quæ cum Vlyſſes poſt decem annos belli Troiani, alios decem peragraret orbem: ipſa vero a procis maxime expeteretur, velletq; nubere niſi ſciret mortem aut vitam primi mariti: dixit ſe nupturam finita tela quam incœperat, ni prius vir rediſſet. hacque arte procos fallens: noctu retexebat quod interdiu texuerat. ¶Portia, M. Catonis filia, cum apud Philippos victum & interemptum virum ſuum cognoſceret: quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitauit: Muliebri ſpiritu virilem patris exitum imitata. Vale. Maximus libro quarto. ¶Procris, Athenięſis mulier, Cephali vxor, quę zelotypia periit: a marito nolente & inſcio interempta. Auſonius. Vulnera ſiccat adhuc Procris Cephaliq; cruẽtam Diligit & percuſſa manum. ¶Sulpitia Lentuli vxor, quæ virum ſuum in Sicilia exulantem ſequuta fuit cum duabus ancillis, licet a matre Iulia obſeruaretur ne aufugeret. Valerius maximus libro ſexto. ¶Sulpitia Quinti Seruilij Flacci vxor: quę ſimulacrũ deę Pudicitię dedicauit. ¶Theoſina, de qua Titus Liuius, a Philippo Macedonũ rege amata: hauſto veneno ſe in mare præcipitem dedit: ne caſtitatem ſuam amitteret. ¶Tutia, de qua Plinius & Valerius Maximus libro octauo, virgo Veſtalis, aquam cribro tulit cum incœſti falſo accuſaretur. ¶Turia. vxor, Quintum Lucretiũ a triumuiris proſcriptum, inter cameram & tectũ cubiculi abditum, vna conſcia ancilla: ab imminenti exitio, non ſine magno periculo ſuo, tutum præſtitit. Valerius Maximus libro ſexto. ¶Virginea, filia Virginij: ab Appio decemuiro amata: quæ vt decus ſuũ ſeruaret: a patre interẽpta fuit. ¶Virginia Volumnij vxor: quæ cum ſacrificatura Pudicitiæ templum peteret: a patriciis mulieribus pulſa fuit: quam ob rem ipſa templũ deæ Pudicitię plebeię ſtruxit: quod etiam non poterant ingredi mulieres quæ bis nupſerant.

¶Medicæ.

ANgitia ſoror Circes & Medeę, q̃ vicina Fucino icoluit: ſalubri ſciẽtia, quã medicinã vocãt, p̃dita fuit. ¶Brela Croci regis Bohemię filia: a qua caſtellũ Brelũ ſtructũ fuit. herbarũ ac medicinę perita fuit: cui⁹ pater Crocus: Crocouiã vrbẽ ſtruxit. Pius põtifex de bello Bohemico. ¶Higea filia Æſculapij: de qua Mart. lib. xi.
Quod ſanare Criton: non quod Higea poteſt.
¶Olympias mulier Thebana: illuſtris medica. ¶Trota ſeu Trotula, Salernitana mulier, nobilis medica: quæ morbos mulierum, & eorum curam ſcripſit.

¶Mulieres rerum inuentrices.

ARachne: linũ & retia inuenit. Pli. lib. ſeptimo. ¶Cita Lucẽſis mulier, & ſancta, Auripellem, ideſt aurum in pellem reperit. ¶Ceres Sicula, frumenta inuenit: cum antea glande homines veſcerẽtur. Pli. libro ſeptimo. Eadem: molere & panẽ cõficere in Attica, Italia, & Sicilia: & ob id dea iudicata. Pli. lib. ſeptimo. ¶Gorgophone Perſei filia, vt ſcribit Pauſanias, mortuo priore viro Aeoli filio: nupſit Oebalo. antea ſecunda matrimonia incognita erãt. ¶Hecate Perſis filia, qui in Taurica regnauit: aconitum inuenit, quę patrem interemit: regnum occupauit, tẽplum Dianę ſtatuit: vbi nauigantes hoſpites ſacrificabat, quo clarior euaderet. ¶Hypermeſtra Danai filia, & vxor Lini Aegypti filij. prima apud Argos ſacerdotio functa eſt. ¶Iſis ægypti regina, Cymbalum excogitauit. ¶Melpomene & Terpſicho-

re:choreas & cantus inuenere. ℭNicoſtrata nympha,quæ & Carmentis dicitur, literas latinis dedit. Cornelius. ℭPamphile Platis filia, mulier Coa:inuenit bombicinam intexere in Co inſula.Pli.libro vndecimo. ℭPētheſilea Amazon,inuenit ſecurim.Pli.libro ſeptimo. ℭPoppea vxor Neronis principis, poppeianū medicamentum ad faciem erugandā inuenit.Pli.libro vigeſimo octauo. ℭSappho poetris liryca Mytilenea:plectrum inuenit. ℭSemiramis:longa naue primum nauigauit,vt vult Stephanus,vt alij volunt Samira.Pli.libro ſeptimo. ℭTritonia virgo, quam greci Mineruam vocant:inuētrix fuit belli. Hæc nata Ioue & Coriphe Oceani filia: Quadrigarum etiam inuentrix fuiſſe fertur, vt ſcribit Cicero libro tertio de natura deorum.

ℭMulieres a poetis amatæ.

ASterie Horatij Flacci:Venuſini poetæ amica. ℭCorinua Ouidij poetæ Sulmonenſis amica,quæ tamen vero nomine aliter appellabatur. Ouidius.

Mouerat ingenium totam cantata per vrbem
Nomine non vero dicta Corinna mihi.

ℭClodia,Catulli poete Veronenſis: quam Leſbiam carmine nuncupat Martialis

Cynthia te vatem fecit laſciua Properti
Ingenium.Galli pulchra Lycoris erat.
Fama eſt arguti Nemeſis formoſa Tibulli.
Leſbia dictauit docte Catulle tibi.

ℭCynthia,Propertij poetæ Vmbri amica:quæ vero nomine Hoſtia appellabatur: de qua Propertius.

Cynthia prima ſuis miſerum me cepit ocellis:
Contactum nullis ante cupidinibus.

ℭCytheris Galli poetæ Forliuienſis:quam Lycoridem appellat Virgilius.ſed quæ legat ipſa Lycoris Carmina ſunt dicenda:neget quis carmina Gallo. ℭGalathea Virgilij poetæ Māt. amica fuit ℭ Melenis Marſi poetæ amica. Martialis li.vij.

Et Mœcenati Maro cum cantaret Alexim
Nota tamen Marſi fuſca Melenis erat.

ℭNemæſis Tibulli poetę romani:de qua Martialis,quę vt alij ſcribunt Neera nūcupabatur. ℭPlama Tibulli eiuſdē:quam Deliam verſu ſcribit,vt refert Apuleius in prima apologia. Quintilia Calui poetæ amica.

ℭQuæ habuere animalia in delitijs.

ANtonia Druſi Ro. ciuis:murenam dilexit, cui inaurem fecit. ℭCorinna Ro.ciuis, Ouidij amica: quæ pſittacum fleuit: quem Ouidius ipſe deflet his verſibus.

Omnes quæ liquido vibratis in aere pennas,
Tu tamen ante alias,turtur amice dole.

ℭGlicilla Draconē amauit,quem ſuo colo nectebat. ℭLeſbia Catulli poetæ amica, paſſerē quem Catullus ipſe in opere ſuo deflet,Paſſer delitiæ meæ puellæ.de quo etiam Iuuenalis. nec tibi cuius Turbauit nitidos extinctus paſſer ocellos. ℭTheleſina: Luſciniā,cui ſepulchrum ſtruxit. ℭTertia,L.Pauli,qui Perſam vicit filia: catellū in delitijs habuit: quē extinctū profuſe defleuit. ℭViolāthilla Stellæ Patauini poetæ columbā, quam ipſe Stella in opere ſuo defleuit,quod columbā inſcripſit. de qua Martialis. Stellæ delitiū mei colūba Verona licet audiente dicam.

ℭNæc mirum:cum etiam viri his delectati fuerint.

ℭAlexander imperator ceruos dilexit quibus torques fuere obducta carne contecti. ℭHeraclides Pōticus philoſophus: Draconē quē itidē manibus ſuis aluit. ℭHortēſius orator:murenā,quā extinctā profuſe fleuit. ℭSertorius Romanus ciuis: ceruam, quę fatidica fuiſſe perhibetur. ℭTyberius Cæſar,Draconē:quē manu ſua cibabat.

ℂMulieres pictrices,ſculptrices,& textrices.

ARachne: textura adeo valuit, vt auſa ſit cum Pallade certare: a qua tandē ſuperata, in araneam conuerſa fuit. ℂHirene, Cratini græci pictoris filia, Pictrix eximia. ℂMartia, Varronis romani ciuis filia: Pictrix egregia. ℂPenelope Vlyſſis vxor: lanificio & textura plurimum claruit. Hæc enim vt procos falleret, qui eam ducere volebant vxorem, cum Vlyſſem expectaret: quod interdiu texebat, noctu retexebat, ne tela ante Vlyſſis aduentū perficeretur. ℂSabina, Auſonij poetæ contēporanea, textrix ingenioſa: quæ & quandoꝗ carmina pangebat: de qua Auſonius libro epigrammatum.

Siue probas Tyrio textam ſubtegmine veſtem,
Seu placet inſcripti commoditas tituli:
Ipſius hoc dominæ concinnat vtrunꝗ venuſtas.
Has geminas artes vna Sabina colit.

ℂThamiris, Miconis Athenienſis pictoris filia, Pictrix erudita.

ℂMulieres bello, & vltione præſtantes.

ATthalia hebrça: a parentibus Achab & Iezabel idolatris educata: Ochoziā filiū videns mortuum: in vltionem eius irruit, & ſemen regiū omne perdidit, Necnon nepotes filij ſui filios auiditate regnandi interemit. libro quarto regum. ℂAlexandra hebrça, vxor Alexandri Iudçorum regis: nouem annis regnauit: quo tempore magna rerum confuſione, ac varijs cladibus Iudæi oppreſſi ſunt. Regina tamen gentem ſuam toto tempore quo imperium rexit: omni pace cuſtodiuit & conſeruauit. Ioſephus libro antiquitatis iudaicç decimoquarto. ℂBeronice, cui & Laudice nomē fuit: Mithridatis ſuperioris, Ponti Regis, romanorum amici filia: Mithridatis nomine ſecundi et hoſtis populi Rom. ſoror, atꝗ Ariaratis Cappadociæ regis vxor: inſidijs interceptum ſibi filium grauiter ferens, armata currū conſcendit: perſecutaꝗ ſatellitem regium, crudelis operis miniſtrū nomine Ceneum: quoniā haſta neꝗcꝗ̄ petierat: ſaxo ictum proſtrauit, ac ſuper eius corpus actis equis inter infeſta cōtrariæ partis agmina: domū in qua interfecti pueri corpus occultari arbitrabatur perrexit. Valerius maximus libro nono. ℂHecuba regis Priami vxor: cum Polymneſtori Thracū regi ſuū & Priami Polidorū filiū credidiſſet: vt Troia capta Polydorꝰ Troianū genus atꝗ vrbē inſtaurare poſſet. Rex infidus Troia ſolo çquata: coactꝰ auri ſacra fame, illum interemit: quamobrem mater ſummo dolore concita, atꝗ iram vultu diſſimulans: finxit Polymneſtori ſe alterum auri pondus pro filio daturā. Ille vero auiditate accenſus credens id fore, cum in conſpectu Hecubç eſſet: continuo ab illa vnguibus occœcatus fuit. ℂIahel, Aber Cynei vxor, fugientē Siſaram principē exercitus Iabin regis Chanaā, & tabernaculū ingreſſum, infixo in cerebrū clauo, conſtanti animo interfecit. libri Iudicū quarto ca. ℂIudith hebrça, Holofernem in lecto iacentem: nimia ebrietate ſopitum acriter vulnerauit, & eius caput abſcidit. ℂMannia Sarracenorum regina: ſuo coniuge defuncto, regiminis gubernacula ſuſcipiens: ob animi prçſtantiam regnum adeo auxit: vt non parum mulieris nomen Romani formidarent. ℂPentheſilea Amazonum regina: quç multis grçcorū nauibus, Troianis fauens, ignem iniecit: & Neoptolemum Achillis filium acriter vulnerauit. ℂPallas virgo, quam & Tritoniam vocant, Pallantem gigantem peremit: a quo nomen Pallas aſſumpſit. ℂSemiramis, Aſſyriorum regina, Nino coniuge extincto regnare cœpit: ſimulās ſe Nini filium, ſicꝗ ſexū mētita, magnas res geſſit: & in prçlijs ſemper & ſanguine verſata eſt: duos & quadraginta annos regnū adminiſtrauit. Et non contenta regnum a viro relictum poſſidere: Aethiopiam quoꝗ ſuo ſubiecit imperio, Indiſcꝗ bellum intulit: quo præter illam, & Alexandrum Magnum, ingredi nemo auſus eſt. Verum die quadam, dum circa corporis ſui cultum occuparetur:

nunciatum eſt illi, Babylonē ab eius imperio defeciſſe: ſoluta adhuc altera crinium parte, protinus ad eam expugnandam cucurrit: nec prius decorem capillorum redegit in ordinem, q̄ vrbem in ſuam poteſtatē reſtituiſſet. ¶Thomyris Maſſagetarū in Scythia nobilis regina fuit: quæ Cyrum Perſarum regem expugnatum interemit, eiusq; caput in vtrē ſanguine plenū coniecit: dicens. Sanguinē ſitiſti: ſanguinē bibe.

¶Mulieres quæ interemerunt maritos.

Agrippina Auguſta: Claudium imperatorem, veneno boleto illato interemit. ¶Clytemneſtra, virum de bello Troiano reuerſum, ab Aegyſtho adultero adiuta interfecit. ¶Cloe iniqua vxor, ſeptē viros necauit. ¶Danai filiæ quinquagita ex diuerſis vxorib9: nuptiali nocte cū ad viros acceſſiſſēt: ſecreto gladio vnaquęq; virū ſuū peremit: niſi Hypermeſtra natu minor quę viro ſuo pepercit. ¶Eriphyle Amphiarai vxor: latitantē maritū, ne in bellū Troianū prodiret: auro capta, Polynici quærenti manfeſtauit: vnde in bellum ire coact9, hiatu terræ abſorptus eſt. ¶Lemniades cum dijs omnibus decimas frugum ſingulis annis ſoluerent: ſolam Venerem prętermiſerunt. quæ irata: eis odorem immiſit hircinum. quas mariti excrantes: deſerta Lemno Thracas petiuerunt, eorumq; ſibi filias aſciuere coniugio. Quod vbi Lemniadibus compertum eſt: ſtimulante Venere, in omne genus virile coniurarunt: veniētesq; ex Thracia viros omnes peremerunt: præter Thoantē, qui ab Hypſiphyle ſeruatus eſt filia. ¶Licinia Romana ciuis: Claudium Aſellium virum veneno occidit. ¶Laodice Antiochi regis vxor: maritum peremit: Artemonemq; pro rege ſimulauit, & in regio toro veluti ægrotum collocauit: & aduocato populo: illum tanquam teſtaturum oſtendit: a quo & ipſa & liberi diligenter commendarentur. Solinus & Valerius. ¶Mulier quædam Smyrnea, virum & filium interemit: cum ab his optimæ indolis iuuenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occiſum cōperiſſet: teſte Valerio maximo, & Gellio libro ſecundo. ¶Pontia, ſcelerata vxor: virum interfecit. quę dum vellet nubere Octauio: ab eo ſagitta interfecta fuit. teſte Cornelio Tacito. ¶Publicia, Romana ciuis: Poſthumum Albinum coniugem & conſulem necauit. ¶Thebe Alexandri Pherei, regis vxor: pellicatus ira mota, virū occidit.

¶Matres in filios, nequam.

Auia, quędam filiæ infenſa, veneno nepotes ex filia peremit. Eadem hac de cauſa, a filia fuſte percuſſa: animā efflauit. ¶Ebucia vxor Lucinii Agrippæ: cū duas ſimillimæ probitatis filias haberet: Pletoniā ſcilicet & Aphroniam: hæredem tantummodo Pletoniā inſtituit, Valerius Maximus libro ſeptimo. ¶Galla ſceleſta mater: tres filos fame perire paſſa eſt. ¶Medea œete regis Colchorum & Perſes filia, erat veneficiorum peritiſſima: duos filios, viro Iaſone ſpectante dilacerauit: quæ antea Abſyrtū fratrem interemerat. ¶Pontia crudelis mater: duos filios veneno interfecit, vt licētius libidini indulgeret. ¶Progne ſæuiſſima mater: filium Ithym coctum, patri epulandum appoſuit. ¶Septicia mater Tracatolū Ariminenſium: filijs irata, cum iam parere non poſſet, Publio admodum ſeni nupſit. Valerius Maximus libro ſeptimo.

¶Magæ ſeu veneficæ.

Canidia Neapolitana. Horatius in Epodo
An malas Canidia tractauit dapes. Idem Epodo
Canidia breuibus implicata viperis
Crines & incomptum caput. Idem ſermone octauo.
Vidi egomet nigra ſuccinctam vadere palla Canidiā.

¶Circe ſoror Medeæ, quæ Circeos incoluit montes: carminū maleficijs varias imaginum facies mentiebatur. Virgi. octaua æcloga.

Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſſis.

¶Ericto: mulier magicæ perita. Lucanus libro ſexto.

Accenſa iuuenem poſitum ſtrue linquit Ericto

¶Folia Ariminenſis mulier venefica. Hora. in Epodo.

Non defuiſſe maſculæ libidinis.
Ariminenſem Foliam.

¶Medea, ſæuiſſimum veteris perfidiæ documentum: quæ multos veneficio necauit, inter quos Creuſam, nouam Iaſonis vxorem, & Creontem eius patrem. Horatius in Epodo. Cur dira barbaræ minus Venena Medeę valent. ¶Sagana Neapolitana: vxor cuiuſdam ſenatoris: maga maxima. Horatius in Epodo. At expedita Sagana per totam domū Spargens auernales aquas. Idem ſermone octauo. Altum Saganæ caliendrum. Idem in eodem. Cum Sagana maiore vlulantem. ¶Veia Neapolitana, mulier malefica. Horatius in Epodo. Abacta nulla Veia conſcientia Ligonibus duris humum Exhauriebat.

¶Quæ impudicæ amauerunt patres aut fratres,

Biblis Mileti filia: cum fratrē Caunum impudice amaret, eiq; per literas deteſtandum amorem indicaſſet: ille patria profugit. quē dum illa perſequeretur, in Cariam peruenit, ibiq; aſſiduo fletu defatigata: cum concidiſſet multas lachrymas profudit: quæ ſimul cum ea in fontem mutatæ ſunt, qui nomen eius adhuc ſeruat. ¶Canace Æoli: quæ Macharem fratrem turpiter amauit, & ex eo filium ſuſcepit: quam ob rem ſeipſam enſe a patre ſibi miſſo interemit. Auſo in Cupidine.

Parte truces alia ſtrictis mucronibus omnes
Et Thyſbe, & Canace, & Sydonis horret Elyſſa.
Coniugis hæc: hæc patris, & hęc gerit hoſpitis enſem.

¶Cleopatra mulier Aegyptia, Ptolomęi Lagi filia: fratri ſe immiſcuit. ¶Iulia Titi Veſpaſiani filia: a Domitiano patruo fuit adamata: a quo coacta partū a ſe abijcere, extincta eſt. ¶Myrrha Cynaræ filia, patrem impio dilexit amore: quo nutricis opera potita eſt. Cum autē pater ferro ſtricto eam inſequeretur: in ſyluā profugit, ibiq; miſericordia Veneris, in arborē mutata eſt: quæ Myrrha dicitur. ¶Nyctimene, Nyctei filia, virgo Leſbia: nimia libidine effrenata, in patris cubile ſe implicuit: ideoq; aduerſantibus dijs ob admiſſum ceſſit in noctuam.

¶Mulieres conſpicuæ, quæ proprio corpore ſunt abuſæ.

Agrippina, Claudij Cæſaris vxor: quæ maritum veneno boletis illato interemit. Mar. boletū qualē Claudius edit edas. Hæc preterea appellauit Neronē filium de cōcubitu: qua de re ab eo neci data fuit. ¶Cleopatra, mulier Aegyptia: Ptolomæi Lagi filia, ſatis venuſta ſed impudica. ¶Clytēneſtra, mulier græca: Iouis & Lędæ filia, Ægyſtho ſacerdote abuſa: quæ & virum interemit. ¶Helena, Menelai vxor, Iouisq; & Lędæ filia: quam amauit Paris Troianus. ¶Iulia mater & filia, inexpletæ libidinis mulier, omnibus probris contaminata ab Auguſto relegata fuit. ¶Meſſalina Valeria: Barbati Meſſalę filia, & Claudij quarti Romanorum imperatoris vxor: quæ cū adoleſcentula eſſet, ipſi Claudio iam ſeni nupſit: fuitq; adeo libidinis impatiēs vt innumeros adulteros habuerit: & ſæpe mutata veſte, lupanaria frequētauerit, certaueritq; cū ſcorto nobili ad libidinis actus: ſeq; meretricem ſuperaſſe inter diem & noctē quinto & vigeſimo virorū concubitu affirmauerit. quam rem Iuuenalis in Satyra ſexta pluribus verſibus elegāter tetigit: vbi tandem concludens inquit. Et quod potuit, tamen vltima cellam

Clauſit: adhuc ardens rigidæ tentigine vuluæ.
Et laſſata viris nondum ſatiata receſſit.

¶Hæc prætereа (teſte Cornelio Tacito libro vndecimo) C. Duiliũ iuuenẽ Ro. pulcherrimum, genere nobilem, & ingenio perſpicacem, coegit: Iuliam Syllanam nobilem mulierem & propriã vxorẽ repudiare: vt vacuo adultero potiretur. nec illa furtim, ſed multo comitata veniebat ad domũ eius. Plura qui cupit de hac fœmina infami videre: legat Cor. Ta. lib. 11. & Pli. li. 10. & Suetonium in vita Claudij. ¶Paſiphae, Minois Cretenſium regis vxor: quæ taurum amauit vſq; ad coitum: ex quo genuit Minotaurum, humana carne veſcentem. ¶Semiamira, apud Phœnices mulier venuſtiſſima, quã amauit Antonius Caracalla: ex qua ſuſcepit filium: qui a ſenatu impetrauit, vt mater in ordine ſenatorio locaretur: quod nũquã ante fuerat mulieri conceſſum. ¶Semiramis Nini Aſſyriorum regis vxor: quæ marito extincto, cum tentaſſet filium de re Venerea, & ille increpitans recuſaſſet: clunes animali bruto ſcilicet equo ſubiecit. Hæc eadem a Nino filio interfecta fuit.

¶Meretrices vulgares.

AGna: quæ fuit putidis naribus Acrone teſte. Horatius libro primo Ser. Delectant, veluti Balbinum polypus Agnæ. ¶Arbuſcula: ſcortum nobile Acrone teſte. Horatius libro primo Ser. Contemptis alijs exploſa Arbuſcula dixit. ¶Catia, quæ formoſa habens crura: elata veſte vtebatur. Horatius libro primo Ser. Cætera in Catia eſt. ¶Cluuia Facula, Capuana meretrix. Iuuenalis ſaty. ſecũda.
Tedia non lambit Cluuiam, nec Flora Catullam.
Valerius Maxim⁹ libro quinto. Veſtia Opidia materfamilias, & Cluuia Facula meretrix. ¶Carphinia. Iuuenalis ſaty. ſecũda Damnetur ſi vis etiam Carphinia. ¶Calliroe: ſcortum grecũ. Perſius. ¶Chione. Iuuenalis ſaty. tertia. Et dubitas alta Chionen deducere ſella. ¶Flora: quæ moriẽs Po. Ro. ſcripſit hęredẽ, Vnde & Floralia. ¶Labulla. Iuuenalis ſaty. ſecũda. eſt mœcha Labulla. ¶Laufella. Iuuenalis ſaty. ſexta. Lenonũ ancillas poſita Laufella corona Prouocat. ¶Lais: ſcortum nobile grecũ, quæ Corinthi proſtitit. ¶Nænia Iuue. ſaty. prima. Nænia Thuſcum figat aprũ. ¶Origo: ſcortum nobile Romanũ. Horatius libro primo Ser. amator Originis ille. ¶Phirne Theſpienſis: ſcortum nobile grecum: Valerius autem Maximus ſcribit fuiſſe Athenieſem. ¶Rhodope fœmina græca Thrax, venuſtiſſima: quæ tantũ quæſtum fecit in Aegypto: vt tumulo ſuo Pyramidem ſtruxerit.

¶HIERONYMVS CONTRA IOVINIANVM.

MInerua & Ericthonius (vt narrant gentilium fabulæ) vel in lapides vel in terram de ſolo æſtu libidinis fuere generati. ¶Harpalice quoq; virgo Thracia ab inſigni poeta diſcribit. ¶Calceoceos quoq; illa filia Leonis, virgo perpetua, peſtilentiam patriæ deſcribitur ſpontanea morte ſoluiſſe. ¶Claudia virgo Veſtalis cum in ſuſpicionem veniſſet ſtupri, & ſimulacrum matris Deæ in vado Tyberis hęreret: ad comprobandam pudicitiã ſuam, fertur cingulo duxiſſe nauẽ: quã multa milium hominum trahere non quirent. melius tamen (inquit Lucani poetę patruus) cum illa eſſet actum, ſi hoc quod euenit: ornamentum potius exploratę fuiſſet pudicitiæ, q̃ dubiæ patrocinium.

¶Phidonis filiæ.

¶Triginta Athenienſium tyranni cum Phidonem necaſſent in cõuiuio, filias eius virgines ad ſe venire iuſſerunt: & ſcortorum more nudari, ac ſuper pauimentum, patris ſanguine cruẽtatũ impudicis geſtibus ludere: quę pauliſper diſſimulato dolore, cum temulentos conuiuas cernerent, quaſi ad requiſita naturæ egredientes, inuicem

ſe complexæ præcipitauerunt in puteum vt virginitatem morte ſeruarent.

¶ Demotionis filia.

¶Filia Demotionis Areopagitarū pricipis virgo: audito ſpōſi Leoſthenis interitu, qui bellū Laniacū cōcitauerat, ſe interfecit: aſſerēs, quāq̄ intacta eſſet corpore, tamen ſi alterum accipere cogeretur, quaſi ſecundū acciperet: cum priori mēte nō nupſiſſet.

¶Spartiatæ virgines.

¶Spartiatæ & Meſſeni diu inter ſe habuere amicitias, intātum vt ob quædam ſacra etiam virgines ad ſe mutuo mitterent. quodam igitur tempore quum quinquaginta virgines Lacedæmoniorum Meſſeni violare tentaſſent: de tanto numero ad ſtuprum nulla conſenſit, ſed omnes libentiſſime pro pudicitia occuberunt. quam ob rem graue bellum & longiſſimum cōcitatum eſt. & poſt multū tēporis Mamertina ſubuerſa.

¶Stiphalis virgo.

¶Stiphalis virgo adamata fuit ab Ariſtoclide Orthomeni tyranno. quę quum patre occiſo ad templum Dianæ fugiſſet, & ſimulacrum eius manibus ſuis teneret, nec inde poſſet auelli: in eodem loco confoſſa eſt. ob cuius necem tanto omnis Arcadia dolore commota eſt: vt bellum publice ſumeret, & necem virginis vlciſceretur.

¶Lacedæmoniæ quindecim virgines.

¶Ariſtomenes Meſſenus, vir iuſtiſſimus: victis Lacedæmonijs, & quodam tempore nocturna ſacra celebrantibus, quæ vocantur Hyacinthina: rapuit de choris ludentibus virgines quindecim, & tota nocte gradu concito fugiens exceſſit de finibus Sparthanorum. Cumque eas comites eius vellent violare, monuit quandiu potuit ne facerent: & ad extremum quoſdam non parentes interfecit, cæteris metu coercitis. redemptæ poſtea a cognatis puellæ, cum Ariſtomenem viderent cædis fieri reum: tandiu ad patriam non ſunt reuerſæ, quandiu iudicum pedibus aduolutæ defenſorem pudicitiæ ſuæ cernerent abſolutum.

¶Scedaſi filiæ.

¶Filiæ Scedaſi in Leuctris Borchiæ, abſente patre duos iuuenes prætereuntes iure hoſpitij ſuſceperunt. qui multum indulgentes vino, per noctem vim intulerunt virginibus. quæ amiſſa pudicitia nolentes ſuperuiuere, mutuis vulneribus conciderunt.

¶Mileſiæ virgines ſeptem.

¶Septem Mileſiæ virgines, Gallorum impetu cuncta vaſtāte, nequid indecens ab hoſtibus ſuſtinerent, turpitudinem morte fugerunt. exemplum ſui cunctis virginibus relinquentes: honeſtis mentibus magis pudicitiam curæ eſſe debere q̄ vitam.

¶Thebana virgo.

¶Thebana quædam virgo, quā hoſtis Macedo corruperat, diſſimulato pauliſper dolore, violatorem ſuæ virginitatis dormientem iugulauit: ſeq; cum gaudio interfecit, vt nec viuere poſt perditam caſtitatem voluerit, nec ante mori q̄ ſui vltrix extiterit.

¶Dido Tyria. & Haſdrubalis vxor.

¶Dido ſoror Pygmalionis multo auri & argenti pōdere cōgregato in Africam nauigauit, ibiq; vrbem Carthaginem condidit & quum ab Hiarba rege Libyæ in cōiugium peteretur, pauliſper diſtulit nuptias donec conderet vrbem nec multo poſt extructa pyra maluit ardere q̄ nubere. Caſta mulier Carthaginem condidit, & rurſum eadem vrbs in caſtitatis laude finita eſt. nam Haſdrubalis vxor capta & incenſa vrbe, quum ſe cerneret a Romanis eſſe capiendam, apprehenſis ab vtroque latere paruulis filijs, in ſubiectum domus ſuæ deuolauit incendium.

¶Nicerati coniunx.

¶Coniunx Nicerati: iniuriæ viri impatiēs, mortem ſibi ipſa cōſciuit, ne triginta tyrannorum quos Lyſander victis Athenis impoſuerat iugem libidinem ſuſtineret.

¶Arthemiſia.

¶Arthemiſia quoq; vxor Mauſoli, iſignis pudicitię fuiſſe perhibetur. q̄ quū eſſet regina Carię, & nobiliū poetarū atq; hiſtoricorū laudib9 prædicetur: in hoc vel maxime

effertur,quod defūctū maritū ſic ſēper amauit,vt viuū,& miræ magnitudinis ac pulchritudinis extruxerit ſepulchrū,in tātū vt vſq; hodie ſepulchra prçcioſa ex ei9 nomine Mauſolea vocētur.

¶Thenta regina Illyricorum.

¶Thenta Illyricorū regina,vt longo tempore viris fortiſſimis imperaret,& Romanos frangeret:miraculo vtiq; meruit caſtitatis.

¶Concubina inſignis.

¶Alcibiades ille Socraticus victis Atheniēſib9 fugit ad Parnabazū:qui accepto prçmio a Lyſādro pricipe Lacedæmoniorū,iuſſit eū interfici. cūq; ſuffocato caput eſſet ablatū,& miſſū Lyſandro in teſtimoniū cædis expletæ,reliqua pars corporis iacebat inſepulta.Sola igitur cōcubina, cōtra crudeliſſimi hoſtis imperiū, inter extraneos & imminēte diſcrimine,funeri iuſta perſoluit:mori parata ꝑ mortuo: quē viuū dilexerat.imitētur matronç chriſtianç ſaltē cōcubinarū fidē:& præſtēt libere quod captiua ſeruauit.

¶Rhodogune Darij filia.

¶Rhodogune filia Darij:poſt mortē viri nutricē q̄ illi ſecūdas nuptias ſuadebat, occidit.

¶Laodomia.

¶Laodomia quoq; poetarū ore cantatur: occiſo apud Troiam Protheſylao noluiſſe ſuperuiuere.

¶Lucretia Romana.

¶Lucretia violatæ pudicitiæ nolens ſuperuiuere, maculam corporis cruore deleuit.

¶Bilia.

¶Bilia virgo vxor Duellij qui primus Romç nauali certamine triūphauit:tātç pudicitiç legitur fuiſſe,vt illo quoq; ſeculo pro exēplo fuerit,quo impudicitia mōſtrū fuerit, non vitiū. is iā ſenex & tremēti corpore i quodā iurgio audiuit exprobrari ſibi os fœtidū:& triſtis domū ſe cōtulit,quūq; cū vxore queſtus eſſet quare nō ſe monuiſſet vt huic vitio mederetur: feciſſem inquit illa niſi putaſſem omnibus viris ſic os olere. Laudāda in vtroq; pudica & nobilis mulier: & ſi non ignorauit vitium viri,tamē patienter tulit. & quod maritus infelicitatem corporis ſui non vxoris faſtidio,ſed maledicto ſenſit inimici. Certe quæ ſecundum ducit maritum:hoc dicere non poteſt.

¶Martia Catonis.

¶Martia Catonis filia minor,cum quæreretur ab ea cur poſt amiſſum maritum denuo non nuberet:reſpondit non ſe inuenire virum qui ſe magis vellet q̄ ſua. quo dicto eleganter oſtendit diuitias magis in vxoribus eligi ſolere,q̄ pudicitiam:& multos nō oculis ſed digitis vxores ducere.nō optima ſane res quā auaricia cōciliat. Eadē quū lugeret virū,& matronæ ab ea quærerent quē diem luctus haberet vltimum:ait, quē & vitç. Arbitror q̄ ita virū abſentē q̄rebat,de ſecūdo matrimonio nō cogitabat.

¶Anna.

¶Anna quum eam propinqui monerent vt alteri nuberet viro,eſſe enim ei & ætatē integram & faciē bonā:nequaq̄ inquit hoc faciā.ſi enim bonū virū inuenero, vt ante habui,nolo timere ne perdam:ſi malū,quid neceſſe eſt poſt bonū peſſimū ſuſtinere?

¶Portia.

¶Portia minor quū laudaretur apud eam quædā bene morata,quç ſecundū habebat maritum:reſpondit felix & pudica matrona nunq̄ præter ſemel nubit.

¶Marcella.

¶Marcella maior rogata a matre ſua,gauderet ne nupſiſſe ſe:reſpondit,ita valde vt amplius nolim.

¶Valeria.

¶Valeria Meſſalorum ſoror:amiſſo Seruio viro ſuo,nulli volebat nubere.quç interrogata cur hoc faceret:reſpondit,ſibi ſemper maritum ſuum Seruium viuere.

¶Terentia.

¶Terentia, quæ de Tullianis fontibus hauſerat ſapientiam,poſt repudium Ciceronis, nupſit Saluſtio inimico eius,& tertio Meſſalæ Coruino:& quaſi per quoſdam gradus eloquentiæ deuoluta eſt.

¶Xantippe & Miro Socratis vxores.

¶Socrates Xantippen, & Mironē neptē Ariſtidis, duas habebat vxores. q̄ cū crebro inter ſe iurgarētur, & ille eas irridere eſſet ſolit9, ꝙ ꝓpter ſe fœdiſſimū hoīem, ſimis narib9, recalua frōte, piloſis hūeris, & repādis crurib9, diſceptarēt: nouiſſime verterūt in eū impetū, & male mulctatū, fugientēq͂ diu perſecutæ ſūt. Quodā autē tēpore cū infinita cōuitia ex ſuperiore loco ingerēte Xātippe, reſtitiſſet: aqua perfuſus imūda, nihil reſpōdit āpli9, q̄ capite deterſo: ſciebā inq̄t futurū ꝙ poſt iſta tonitrua talis imber ſeq̄retur.

¶Metella Syllæ vxor.

¶Metella Lucij Syllę felicis vxor palā erat īpudica, & quia nouiſſimi mala nr̄a diſcimus, id Athenis cātabatur. & Sylla ignorabat ſecreta dom9 ſuę, q̄ primū hoſtiū cōuitio didicit.

¶Mutia Pompei vxor.

¶Pompeius habebat Mutiā vxorem impudicā: quam pōtificis ſpadones, & Mythridaticæ ambibant cateruæ. & quū eum putarent cæteri ſcientem pati: indicauit in expeditione commilito, & victorem totius orbis triſti nuntio conſternauit.

¶Atria Paula.

¶Marcus Cato Cenſorius habuit vxorem Atriam Paulam, humili loco natam, vinolētam, impotentem: & (quod nemo poſſit credere Catoni) ſuperbam. hoc ideo dico, nequis putet, ſi pauperem duxerit, ſatis ſe concordiæ prouidiſſe.

¶Vxor Philippi.

¶Philippū regē Macedonū, cōtra quē Demoſthenis Philippicæ tonāt: introeūtē ex more cubiculū vxor excluſit irata. q excluſus tacuit, & iniuriā ſuā verſu tragico cōſolatus eſt.

¶Vxor Gorgiæ.

¶Gorgia rhetor, librū pulcherrimū de cōcordia græcis tūc inter ſe diſſidētibus recitauit Olympię: Cū Melāthus inimicus ei9. Hic inq̄t nobis de cōcordia pręcipit, q ſe & vxorē & ancillulā tres in vna domo cōcordare nō poteſt. æmulabatur quippe vxor eius, ancillulæ pulchritudinem, & caſtiſſimum virum quotidianis iurgiis exagitabat.

¶Simoneta Genuēſis ex nobili Cathaneorū familia, miris dotata donis cū corporis tū animi: quā Angel9 Politian9 carmine nō illepido Ethruſca līgua edito celebrauit.

¶Violātina Genuēſis, ex Iuſtinianorū familia, hac noſtra ętate tātę venuſtatis & pulchritudinis fuit, vt multę ex Italia matronæ, multiq͂ ꝓceres ad eā viſendā Genuā acceſſerint, formāq͂ eius a pictorib9 deliniatā in patriā reportauerint. Hęc virū adeo dilexit ſuū, vt cum accepiſſet neſcio quid aduerſi illi eueniſſe, cœpit ægrotare & morbo inualeſcente intra pauculos dies expirauit. ¶Hiſabella vltima Hiſpaniarū regina & animi magnitudine & prudētia & cōſilio tantū excelluit, vt creditū ſit diuinū ei potius ingeniū q̄ fœmineū fuiſſe. ¶Prętia Romana, meretrix nulli & venuſtate formę & verbū lepore ac comitate cōcedēs, tātū apud Romanā valuit nobilitatē, vt ciuium diſcordias cōponeret, amicitiaſq͂ cōfirmaret. Hui9 opera Lucullus ille: prouinciā Ciliciæ ſibi decerni obtinuit. ¶Sophoniſba Siphacis regis vxor, mirę pulchritudinis mulier, populi romani adeo inimica, vt maluerit venenū bibere q̄ viuens in poteſtatē Romanorū venire. Hāc celebrauit Petrarcha latino & vernaculo ſermone. ¶Zenobia oriētis regina: cui9 magnanimitatē facile teſtatur epiſtola ad Aurelianū exercitus Romani imperatorē. ¶Momina Mileſia altera ex Mithridatis regis vxorib9: cū deuictū a Lucullo Mithridatē accepiſſet, & a Bacchide de deligēda ſibi morte pręceptū: auulſum e capite diadema collo circūligauit, ac moribūda ſe ſuſpēdit. Et cū corporis grauitate laq͂us ille cōfractus eſſet. O execrādū inquit diadema, Neq͂ in tā triſti mihi miniſterio profuiſti. & cū ſuper illud ab ſe deiectū inſpuiſſet: Bacchidi cōtinuo iugulandam ſeſe ſubmiſit. ¶Veronica ex Chio altera ex Mithridatis vxoribus accepto nūtio de deligēda ſibi morte poſt Mithridatis ꝓfligationē: calicē cū ei9 matre, q̄ veneni partē ſupplex orabat, intrepide partita eſt. ¶Statira, & Roxana Mithridatis ſorores, virginitatē vſq͂ ad diem mortis ſeruarūt, hoc eſt vſq͂ ad annū quadrageſimū.

¶FINIS huius de illuſtribus fœminis opuſculi.

¶INCIPIT PROLOGVS IN VITAM SANCTAE Monegundis.

INſignia diuinorum beneficiorũ chariſmata, quæ humano generi cœlitus ſunt indulta: nec ſenſu concipi, nec verbis efferri, nec ſcripturis poterunt vnq̃ cõprehendi. cum ipſe ſaluator mundi ab illo rudis ſeculi exordio, clare cõſpici ſe a patriarchis voluerit: deinde a prophetis annũtiari, deniq; in Mariæ ſemper intactæ vterum illabi: & præpotens, immortaliſq; creator: mortalis carnis amictu nõ dedignatus eſt veſtiri, ac mortem pro humani generis peccato obire, victorq; reſurgere. Qui nos grauium facinorum ſpiculis ſauciatos, ac latronum inſidiãtium vulneribus affectos: infuſo meri, oleiq; liquore, ad pabulum medicinæ cœleſtis id eſt eccleſiæ ſanctæ dogma perduxit. Qui nos exemplis ſanctorum viuere inceſſabili præceptionis ſuæ munere cohortatur. Qui nõ ſolum in hominibus, ſed etiam in ſexu fragili victoriam inuenit. Qui non ſolum viris fortiter decertantibus, verumetiam fœminis in hoc campo abunde deſudantibus cœlum cõmunicat. Beata etenim Monegundis: exemplo prudentiſſimæ reginæ Sabæ, quæ diſcendæ ſapiẽtiæ cauſa Salomonem Hieroſolymam vſq; inuiſit: relicto natali ſolo Turonum adijt, vt miracula quæ glorioſiſſimus Chriſti confeſſor Martinus varia in populo quotidie edebat: admirando videret, hauriretq; de fonte ſacerdotali: quo poſſet aulæ cœleſtis aditum recludere.

¶Vita Monegundis.

IGitur beatiſſima Monegundis ex vrbe Carnuto: duas filias marito genuit. Ex quibus mirum in modũ gaudebat: dicens. Quia propagauit deus generationem meã, vt mihi duæ filię naſcerentur. Sed hoc temporale gaudium præuenit ſeculi huius amaritudo: dũ puellæ modica febre correptæ expirauerunt. Qua ex re earum mater triſtis facta: orbatam ſe chariſſimis filijs ita lugebat, vt neq; die neq; nocte a fletu abſtineret: quã neq; vir, neq; amici, neq; vllus propinquorum poterat conſolari. Sed tandem in ſe conuerſa: ait. Si nullam conſolationem de obitu filiarum capio: vereor plurimum ne ob hoc lædam dominum meum Ieſum Chriſtum. Sed nunc has lachrymas relinquẽs: cum beato Iob cantabo. Dominus dedit, dominus abſtulit: ſicut domino placuit, ita factum eſt: ſit nomẽ eius benedictum. Et hæc dicens: exuta veſte lugubri, iuſſit ſibi cellulam cum parua admodum feneſtra, per quam ingrederetur lumen, præparari. Quo in loco contempto mũdi habitu, ſpretoq; viri conſortio: omnipotẽtem deum (cui ſoli confidebat) pro ſuis, populiq; delictis, aſſiduis precibus orabat deuotiſſime: vna tantum ancillula, quæ aquam ſibi neceſſariam miniſtrabat, contenta. Fuitq; illic tanta vitæ auſteritate, vt pane ex farina hordeacea permixtaque cineribus aqua confecto, tandem poſt longa, crebraque ieiunia veſceretur: reliquum vero domus ſuæ cibum, pauperibus diſpenſabat. Accidit autem paulopoſt vt puella quæ ei famulari conſueuerat, idque (vt credo) dæmonis (cuius ſemper mos eſt inſidias bonis moliri ac tendere) aſtutia, ſe ab eius famulatu ſubtraheret: dicens. Non potero ego cum hac domina diutius permanere quæ in tali abſtinentia perſeuerat, Quare hanc q̃primum relinquam, ac cibum potũq; in abundantia ſumam. Quintus enim iam fluxerat dies a receſſu illius, ex quo religioſa mulier Monegundis, neq; farinam conſuetam, neq; aquam accipiebat: ſed præſtabat inuincibilis, & fixa manens in Chriſto: in quo quiſque fundatus, nec ventorum turbine, nec fluctuum impulſione obrui poteſt. Neque vero ſibi illa de mortali cibo vitam, ſed de verbo dei, ſicut ſcriptum eſt, putabat ſeruari: ſecum repetẽs illud Sapiẽtiæ prouerbium. Quia non necabit dominus fame animam iuſti. & illud. Quia iuſtus ex fide viuit. Sed quoniam corpus humanum abſque terreno cibo ſuſtentari

non poteſt: ſupplex orauit, vt qui mãna populo eſuriẽti de cœlo, aquaſq́ ſitiẽti produxit e ſaxo, ipſe quoq́ alimentũ quo parũper corpuſculum inedia feſſum reficeret, ſibi cõcederet. Protinuſq́ ad eius orationẽ nix de cœlo cadens, humũ operuit. Quod illa cum gratiarũ actione cernens: emiſſa manu per feneſtram quę circa parietem erat, ex ipſa niue colligit: de qua aquã expreſſit, & panẽ ſolito more formauit, qui vſq́ ad alios quinq́ dies victum corporeũ ſuppeditauit. Erat hortulus cellulę contiguus, quo animi recreandi cauſa nonnunq̃ egrediebatur: Accidit autem quodã die cum in eo inambularet, vt mulier quædã quę ſupra domus tectũ triticũ ſola ſiccandũ expoſuerat, eam torue ac inique inſpiciẽs: vtroq́ oculo ſit orbata. Quæ quidẽ pœnitens facti: ſupplex ad Monegundẽ acceſſit, veniam pro peccato impetratura. At illa orans ait. Væ mihi: quia propter me peccatricẽ huius mulieris clauſi ſunt oculi. Et conſũmata oratione impoſuit manũ mulieri: quę mox viſum recepit. Homo quidam ex pago illius qui olim auditũ perdiderat, ad eius cellulam deuotus aduenit: ſed illa indignã ſe eſſe clamãs per quam Chriſtus hæc operari vellet: ſolo proſtrata, & quaſi ipſa domini pedes lauaret, pro eo diuinã clementiã humiliter exorauit. illaq́ adhuc decũbente: aures ſurdæ apertæ ſunt, rediijtq́ qui ſurdus fuerat ad domũ propriam cum gaudio. His ſignis ac miraculis maxime a parentibus cõmendata: ne in vanã gloriã laberetur, ſancti Martini antiſtitis baſilicã, relicto cõiuge cũ familia atq́ omni domo ſua adijt. Cũq́ iter faceret venit ad vicum vrbis Turonicæ, cui nomen eſt æuena, in quo beati Medardi Sueſſionici confeſſoris reliquiæ continentur, cuius & vigilię ea nocte celebrabãtur: in quibus illa attente excubãs in oratione, hora debita cum reliquo populo ad miſſarum acceſſit ſolennia. Quæ dum a ſacerdotibus celebrarentur, aduenit quędam puella, puſtulæ malo veneno infecta: proci ditq́ ad pedes eius, dicens. Subueni mihi, quia mors iniqua vitam conatur eripere. At illa more ſolito in orationẽ verſa: ſanitatem ei a domino impetrauit. Poſt hæc ad baſilicã ſancti Martini peruenit, gratiaſq́ agẽs deo, ꝙ tumulum ſanctum oculis ſuis contemplari potuiſſet: in cellula cõſtitit, quotidie orationi ac ieiunijs intenta. Sed nec ille locus ab eius virtute fuit inglorius. Nam cuiuſdam viduę filiam a manuum digitorumq́ contractionibus curauit. Dum autem hæc Turoni agerẽtur: peruenit ad aures mariti, Monegundẽ Turoni agere. Quo poſt paulo profectus eſt, vt eam domum reduceret: itaq́ fecit. Sed illa non ceſſabat ab opere quod incœperat, ſed exercebatur in ieiunijs ac orationibus, vt tandem locum in quo habitare deſiderabat, poſſet repetere. Paucis vero poſt diebus cum mariti conſenſu ad iter ſe accingit beatiſſimi Martini auxilium implorans: vt qui dediſſet deſyderium, tribueret & effectũ. Peruenit itaq́ ad baſilicam, & in cellulam in qua prius habitauerat reuertitur. atque ex illo tempore perſtitit inconcuſſa, ibiq́ paucas colligens ſanctimoniales, cũ fide integra & oratione degebat: nõ ſumẽs panem niſi hordeaceum, neq́ vinũ niſi paululum diebus feſtis, atq́ hoc nimio aceto dilutum. Nullum lectum habebat, ſed tantum intextis iunci virgulis pro lecto vtebatur. Hoc erat quotidianum ſcamnum, hoc culcitra, hoc pluma, hoc ei ſtragulum erat. Quem in modum viuens, multis infirmis ſalutaria quotidie medicamenta impartiebatur. Quædam enim mulier filiam vlceroſam ad eam adduxit, quam impoſita ſuper vulnera ſaliua prorſus curauit, eamq́ ſanam reddidit, adiuuãte eius virtute qui cæci nati oculos ſputo aperuit. Puer vero loci incola: maleficium in potione libauit, quo ex maleficio (vt aſſerunt) ſerpentes generati in viſceribus pueri magnum dolorem ſuis morſibus excitabant: ita vt nulla quieſcendi hora vel in modicum momentum indulgeretur: ſed neq́ cibum aut potum capere poterat. Q̃ ſi aliquanto poſt aliquid caperet protinus reijciebat. Qui adductus ad beatã fœminã: petijt ſe eius virtute mũdari. Cũq́ illa reclamaret indignam ſe eſſe quę hæc ageret: victa tamẽ prece parentũ, ventrẽ puero palpat, manuq́ demulcet: ſenſitq́ ibi anguiũ venenatorũ nequitiam latitare. Tũc accepto pampini viridis folio ſaliua liuinit, fixitq́ ſuper eum crucis ſignaculũ, Quod ſentiens iuuenis, dolore paululum ſedato obdormiuit. Poſt horã vero conſurgens ad

purgandum vẽtrem: peſtiferæ generationis germen emiſit. gratiaſq; agens ancillæ dei ſanus abijt. Alius vero puer paralyticus ad eam delatus, ab ea quoq; ſanitatem impetrauit. Mulier erat cæca quę adducta ad eam: deprecata eſt vt ei manus imponeret. At illa reſpõdit. Quid vobis & mihi homines dei? Nonne ſanctus Martinus hic habitat qui quotidie illuſtrium virtutum opere fulget: Illuc ite, obſecrantes eum vt vos viſat. nam ego peccatrix quid faciam? Illa vero in ſua petitione perdurãs, aiebat: deus per omnes timentes nomen ſuũ quotidie opus exercet egregium, ideoq; ſupplex ad te cõfugio cui præſtita eſt diuinitus gratia curationum. Ad quam vocem commota dei famula, oculis clauſis ſuper illã man9 impoſuit: ſtatimq; reſeratis catharactis, viſum recuperauit. Iam vero tempus vocationis eius appropinquabat, & defeſſa corpore ſoluebatur. Quod cum viderent ſanctimoniales, quas ſecũ habebat, flebant dicentes. Et cui nos mater ſancta relinquis, vel cui commendas filias quas in hoc loco congregaſti? At illa parum lachrymans, ait: ſi parem ſanctificationem ſequamini, deus erit protectio veſtra, habebitiſq; ſanctum Martinum antiſtitem, paſtorem magnum. Nam & ego non diſcedã a vobis, ſed inuocata adero in medio charitatis veſtræ. At illę rogabant dicentes: venturi ſunt multi infirmi ad nos, flagitantes benedictionem a te accipere. Et quid faciemus cũ te viderint non eſſe ſuperſtitem. Rogamus autẽ, vt quia ab oculis noſtris abſconderis, vt ſaltem digneris oleum ſalemq; benedicere, de quo poſſimus ęgrotis benedictionem flagitantibus miniſtrare. Tunc illa benedictũ oleũ ac ſalem tradidit eis: quæ ſuſcipientes diligẽtiſſime ſeruauerunt. Sicq; beatiſſima abijt in pace, & ſepulta eſt in ipſa cellula: multis ſe poſt illud tempus virtutibus reprę ſentãs. Nam de illa benedictione multi poſt eius tranſitum ægroti incolumitatis beneficia ſunt experti. Baſſemi nanque diaconi pes alter qui puſtula adeo intumerat, vt iter facere non poſſet, Impoſito ſuper pedem oleo, ſanatus eſt concrepante per medium vulnere, & veneno in terram defluẽte. Cæco cuidam adducto ad eius tumulum apparuit, dicẽs: Indignam quidem me eſſe iudico quæ cum ſanctis domini conferar: ſed tamen vnius oculi lumẽ hic recipies, deinde vero propera q̃primũ ad pedes beati Martini & procumbe coram eo in compunctione animi tui coram eo: ipſe enim tibi reſtituet alterum oculum. Qui a ſomno excitatus: altero oculo recepto, quo in ſomnis monitus fuerat ſe contulit. Ibiq; iterum obſecrans beati Martini virtutẽ, depulſa oculi cæci nocte, videns abſceſſit. Mutus etiã qui ad tumulum eius venerat, expedita lingua domum redijt. Alius deinde mutus: non tacitus modo, ſed etiã voce magna eiuſdem auxilium ſibi implorans: immiſſo in os oleo, loqui cœpit. Quidam vero febre plurimum vexatus: poſt q̃ pallam quę ſepulchrum eius tegebat attigit, extincta febre conualuit. Deinde alius corpore contracto ad ſepulchrum eius allatus, perfecta oratione, pedibus inſiſtere cœpit. Leodemis puer cum iam quatuor menſibus mala valetudine laborauiſſet tam acerbe, vt neq; pedibus cõſiſtere, neq; cibo refici poſſet, ad ſepulchrum eius allatus eſt, Qui ſtatim ſalute recepta domũ incolumis ẹſt reuerſus. Quid de reliquis febre laborantibus loquar? quibus plerunq; hoc fuit beneficium remedij, vt cum pallam tumuli illius oſculati fuiſſent, protinus ſanarentur. Quid etiã de energuminis, qui adducti ad cellulã illius: cum limen ſanctum fuiſſent ingreſſi, integra mente reſtituebantur: malignis ſpiritibus ab eorum corpore egredi non repugnãtibus, poſteaq̃ Monegundis virtutem adeſſe ſenſerant. Claruit autem anno poſt Chriſtum paſſum quadringenteſimo viceſimo. Cuius feretrum ex argento deaurato factum: ſitum eſt ſuper magnum altare eccleſiæ collegiatę, beati Petri puellarum Turonis. Quo in loco in hunc vſq; diem a ciuibus Turonenſibus religioſiſſime colitur, eiuſq; feſtum ab eis ſecunda Iulij celebratur.

ℭDE FOEMINIS QVÆ DOCTRINA EXcelluerunt: authore Baptiſta Fulgoſo.

ℭDe Sappho Leſbia.

CVm longe commendabilius ſit mulieres excellēti doctrina extitiſſe, atq; ſcribendo philoſophis, poetiſque pares fuiſſe: q̄ ipſas coram magiſtratib⁹ oraſſe, & cauſas ſuas egiſſe: ſatius de illis ſcribere duximus. has enim audacia, ac ſimul loquacitas fœmineo ſexui a natura inſita, atq; ſimul defendendi ſui neceſſitas: ad hoc vt publice cauſas agerent impellere potuit, ſed vt doctrinam inſignem aſſequerentur, ac poetico more verſus modularentur: haud ſine domini lumine aſſequi potuerunt. exemplo eſt adoleſcens Sappho Leſbia, quę multis gręcis vatibus non inferior, & docte & ſuauiter verſus ſublimi ingenio concinuiſſe nō contenta: Sapphici carminis, cui ipſa nomen dedit, fuit inuentrix.

ℭDe Erinna.

ℭSappho tanq̄ magiſtram, imitata Erinna Rhodia: ſiue vt alij volunt Teia aut Leſbia: poema ſcripſit dorica lingua, quod carminis excellentia cum Homero contendiſſe putatum eſt.

ℭDe Damophila græca Pamphili vxore,

ℭDamophila quoq; Sapphi in doctrina comes atq; imitatrix: amatorios libros carmine compoſuit: atque hymnos permultos, quemadmodum Philoſtratus Dauidis ſyri relatu ſcripſit.

ℭDe Corinna.

ℭPariter Corinna quoq; adeo eruditione excelluit, quemadmodum Suidas tradit, vt præter ea quæ ingenti laude ſcripſit: Thebis de poetica cum Pindaro contenderet: ac quinquies, quæ rara fuit gloria, eum ſuperaret.

ℭDe Themiſtoclea.

ℭQuanq̄ exploratum non ſit Themiſtocleam ſcripſiſſe: tamen non minus perita q̄ hæ de quibus eſt dictum habita fuit. Nam vt Ariſtoxenus ſcribit philoſophus: Pythagoras Themiſtocleæ frater admodum ſubtilia multa quæ a ſorore vt a doctiore acceperat: ſcripta reliquit.

ℭDe Aretha Cyrenaica.

ℭAretha etiā Cyrenaica, Ariſtippi patris Socratici dogma ſecuta, adeo excelluit: vt mortuo patre idonea haberetur, quę patris ſcholam in philoſophia regere poſſet: rexitq; ingenti gloria dum vixit.

ℭDe Leontio græca.

ℭLeontium adoleſcentula græca non ſatis duxit tantum aſſequi doctrinæ: vt doctiſſimis philoſophis par eſſet, quia vt clarius ingeniū eius oſtenderetur: etiam cōtra Theophraſtū diuinum pene philoſophū non ſine ingenti inter græcos laude ſcripſit.

De Cleobulina Lynda.

ℭCleobulina Lynda, & ipſa Cleobuli philoſophi vnica filia: tantum doctrinæ, tātum etiam eloquentiæ ſtudio ſibi peperit: vt permulta verſibus ſingulari laude conſcripſerit. & eius ſcripta dictaq; philoſophi clariſſimi pro teſtimonio in mediū afferre non dubitarint.

ℭDe Theſelide argiua atq; Hipparchia.

ℭTheſelis argiua fœmina, quod in eo ſexu rariſſimum eſt, fortiſſima præter alias virtutes temporibus ſuis doctiſſima habita eſt. epigramata, atq; alterius generis carmina peritiſſime ſcripſit. Nec vero minus clara in philoſophia fuit Hipparchia. Verum ne græci ſolum eiuſmodi doctrina inſignes fœminas habuiſſe videantur: quaſdā barbaras atq; latinas annectemus.

ℭDe Argentaria Pola: atq; Calphurnia Plinij ſecundi coniuge.

ℭArgentariam Polam Lucani vxorem tanto ingenio doctrinaq; fuiſſe ſcriptum

eſt: vt cœptos a viro permultos verſus, ipſa eadem ſtili grauitate atq; elegantia perficeret: atq; epigrammata etiam peritiſſime conſcriberet. Idem de Calphurnia coniuge Plinius Secundus ſcripſit.

¶De Cornificia Romana.

¶Cornificia adoleſcens Romana, adeo excelluiſſe doctrina imperāte Auguſto putata eſt, vt in omni poeticæ genere Cornificio fratri poetæ inſigni par haberetur.

¶De Sulpitia Romana.

¶Quam ingens etiam Sulpitiæ romanæ doctrina fuit, quæ Heroico carmine perlaudato Domitiani Auguſti tempore defleuit: tantaq; peritia ac virtutis ſimplicitate habita eſt, vt Martialis epigrāmate eam celebrare decori ſibi duxerit eſſe.

¶De Proba Adelphi coniuge.

¶Proba iuuenis romana Græcis atq; Latinis literis eruditiſſima fuit: adeo vt Virgilianis verſibus truncatis atq; ſimul ad diuerſam materiam contextis, de Chriſti geſtis morteq; opus nobiliſſimum compoſuerit: quod a ſimilitudine centonam appellauit: carmine quoq; Homerico idem feciſſe dicitur.

¶De Amaltea Sibylla Cumana.

¶Quam ingens eruditio atq; ſapiētia Amalteę Sibyllę Cumanę fuerit, his libris quos ipſa Populo Ro. reliquit: facile oſtenſum eſt. his Populus Ro. non ſecus ac diuinis oraculis imperij adminiſtrationē ſemper credidit.

¶De Zenobia Palmirenſium regina.

¶Fortaſſe in his de quibus ſcripſimus fœminis, quia priuatam vixerūt vitam, non tam mira videtur fuiſſe doctrina, quantum in Zenobia Palmirenſium regina. nam & regni adminiſtratio: præterea delitiæ quæ in regnis atq; ampla fortuna conſtitutos mortales plerūq; ſequūtur, literarum ſtudijs adimere tempora ſolent: præterq̄ quod qui in eiuſmodi loco ſunt tędere laboris ſolet: ſine quo proficere in diſciplinis homines nequeūt. Zenobia igitur his ſuperatis difficultatibus: græca eruditione non contēta, ægyptiā perſicāq; linguā calluit: rerūq; Alexādrinarū hiſtoriā nō illaudato ſtilo ad cōpendiū redegit: ſed ne ætas noſtra magis in hoc q̄ in alio virtutū genere: de quo ſcripſim⁹ defeciſſe videatur: recentiorū fœminarū exēpla nōnulla ſubnectemus.

¶Recentiora de Roſuida Saxona.

¶Prima igitur inter recentiores fœminas doctrina inſignes, a nobis referetur Roſuida: quę in Germania apud Saxones orta eſt, Ioāne octauo, qui fœmina eſſe deprehenſus eſt, pontifice: Lothario primo regnante. hæc Græce atq; Latine omnium bonarum artium peritiſſima permulta non ſine magna commēdatione ſcripſit: pręſertim ad monachas ſuas, dum eas ad diuinum cultum atq; virtutē hortaretur. ſex quoq; comœdias edidit. pręterea carmē inſigne de Othonum Cæſarum rebus geſtis. Item ſanctarum fœminarum: atq; in primis virginis quæ morralibus redemptorem tulit, vitam, laudeſq; earum luculēta oratione perſcripſit.

¶De Eliſabeta germanica abbate.

¶Roſuidę diſciplinā atq; ſtudia, Eliſabeta Sconaugię abbas apud Treuiros ſecuta Latine, permultaq; diuinitus monita eſt. Item ſuaſorias orationes ad conuentus ſui ſorores: atq; ad alios egregie cōſcripſit, opus etiam de vijs quib⁹ ad deum inceditur, ac ſimul eruditiſſimarum epiſtolarum volumen edidit.

De Hildegarda Germanica abbate.

¶Longe omnes de quib⁹ ſcripſim⁹ ſuperat Hildegarda Germanica in Magūtina dioceſi abbatiali titulo inſignis: nec minus nō doctrina modo ac ſcriptarum rerum magnitudine: ſed ingēti quoq; apud omnes ætatis ſuæ principes exiſtimatione. ſcripſerūt ad eam perſępe Eugenius tertius, Anaſtaſius quartus, Adrianus quartus, item Alexander tertius pontifices: vt eam ad ſcribendum inuitarent: atq; per eam deo eccleſiam commendarent: in ea, quod munus haud ſæpe mortalibus cōtingit, doctrina, eloquentia, & vitæ ac morum ſanctitas optime congruerunt: his tot tantiſq; dotibus

prædita cum a contemplandis cęleſtibus rebus nō deſineret: ſuper Benedicti diſcipli na multa ſcripſit. Triginta theologales queſtiones eruditiſſime abſoluit. Virorū virtute excellētiū vitas permultas ſcipſit. Item de altaris ſacramēto. Homilias in euāgelijs quinquaginta. pręterea in medēdi arte: quę ſimplicia & quę cōpoſita tollēdis ęgritudinibus proſint facunde proſecuta eſt. Item epiſtolas ac carmina permulta: in quibus ſtili dignitas atq; eruditio plurimum enituerunt. quæ omnia adeo in ea excelluerūt: vt cum in Treuirenſi concilio quę ad chriſtianam diſciplinam pertinēt Eugenio tertio lecta fuiſſent: apoſtolicę authoritatis teſtimonio comprobarētur, mouerentq; Conradum tertium & Fœdericum primum Cæſares: vt ad eam reuerēter ſcriberēt: atq; per eam deo imperium commendari peterent. faceſſant igitur hinc ætatis noſtrę contemptores: quos ſola delectat antiquitas. quandoquidem, vt alias omittā, in vna hac & fœmina & barbara: tantum virtutis, tantum eruditionis, & præterea bonæ exiſtimationis apud tam multos pontifices atq; ipſos germanicos Cęſares, qui duo honorum gradus ſublimiora, duo humanæ dignitatis culmina habētur: ætate noſtra inuentum eſt. hic videant vetuſtatis amatores iſti, & penitus perſcrutentur omnes antiquitatis receſſus: ſi quā vel apud græcos vel apud Latinos aliam inuenire poſſunt, quam huic barbarę conferre ne dum, ſaluo pudore, anteponere audeant.

¶ De Baptiſta prima Malateſta.

¶ Baptiſta prima Galeatij Malateſtę Piſaurēſis principis filia, & Guidoni mōtefeltrēſi Vrbinatiū comiti matrimonio cōiuncta: miræ eruditionis, qua prædita erat, perſæpe periculum fecit. nam & cum doctiſſimis viris ſæpe nō ſine laude diſputauit: & latine de humana fragilitate atq; de vera religione luculētos quoſdā libros edidit.

¶ De Iſota Nouarola virgine Veronenſi.

¶ Iſota Nouarola Veronēſis cum philoſophię ſtudia non verbo tantum, verum re quoq; profiteretur: literarū ſtudijs ac perpetuæ virginitati ſe dicauit. orationes permultas ad Nicolaum quintum, Pium ſecundum, pōtifices viros doctiſſimos ſcripſit. Theologię atq; Philoſophię ſtudioſa dialogū cōfecit: in quo diſputatū eſt qui peius ac magis Adamne an Eua peccauerit.

¶ De Caſſandra fidele virgine Veneta.

¶ Quæ autem nunc quoq; viuit & ceu prodigioſa res doctrina ſingulari eminet: Caſſandra fidelis Veneta nō ſolum ad liram commodiſſime concinit latinos verſus, quos ipſa magna eruditione componit: verum Patauij quoq; in vniuerſitate diſputādo ingētem laudem hactenus ſemper retulit, cum omnibus in omni doctrinarum genere appoſite reſponderet. vt clarius eruditionis ſuæ documentum præberet: de ordine ſcientiarum librum edidit.

¶ DE MORIBVS MVLIERVM, ET DE DVCENDA quid præſtat: ex commentarijs Raphaelis Volaterrani.

DEinceps de moribus. Theano Pythagorea, vt tradit Atheneus, interrogata, qua potiſſime vxorem commendaret: reſpondit illud Homericum ισον εποιχομενιν και εον λεχοσ αντιοωσσαν, Ideſt qui telę vacaret & viri lectum diligeret. Eadem ſilentium in muliere magnopere laudabat. Hac de cauſa Phidias apud Elios Venerem concha cōdecoratam pinxit, q; in mulieribus ſub tecto curam & ſilentium ſignificaret. Sophocles quoque ait γυναιξικοσ μονησιγι φερει. Silentium mulieri ornamentum parit. Euripides: fas mulieres ſapientes officia virorum obire, At virgines in turba cōſpici nefas. In quo notandū apud græcos: matronas, mulieres vocari, quod latini vſurpant. Cicero interrogatus cur ſenex virginem duxiſſet: cras inquit mulier erit. auctor Macrobibus. De mulierum itē modeſtia Democrates κοσμοσ ολιγομυθι η γυναικι καλον δε κοσμου λιτοτισ απο

γυναικοσ αρχεσθαι υβρισ ανδρι εσχατη Mulieris ornamentũ ſermonis,& item ornatus parſimonia:prę̨terea virum a muliere dominari,ſummum eſt probrum. Athenæus. Philonis philoſophi vxor in cœtu matronarum interrogata cur auream coronam ſicuti cæteræ non ferret : Reſpondit ꝙ vxor ſatis habet ornamenti,viri virtutem . Euripides. Vxor quæ ſapit,ſerua eſt viri:quæ non ſapit,eum ſpernit. Plutarchus. Vir philoſomatos,ideſt corporis amator laſciuã reddit vxorem ac voluptariã: Philocalos autem,ideſt honeſti amator:continentem & ornatam. Varro. Qui caſtigat vxorem,eam meliorem reddit:qui vero tolerat,ſe probatiorem facit. Diodorus. præſtat vxorem ducere bene educatam gratis,q̃ male cum pecunia. Theognes in hypothecis κυνασ μενδηνωι διζημεθα κυρνε και ιππουσ ευγενεασ και τισ βουλεται εξαγαθων κτησεται γημαι δε κακην κακου ου μελεδεναι. Cyrne canes & equos generoſa e gente paramus, Cura boni nuſq̃ coniugis eſt generis. Paritas in hac re maxime laudatur. Menander. Quoties aliquis pauper ob diuitias vxorem ducit:nubit ipſe,non illa.quem imitatus Mar. ait vxori nubere nolo meæ . Plato tamen de rep. iubet potentiores cum humilioribus iungi ad æqualitatem ciuium ſeruandã:quę res Romæ inter patres ac plebem diſcordiæ quondam cauſa fuit . EXEMPLA quoq; laudatarũ plurima veteribus prodita: earũ mulierũ præſertim quæ pudicitia fideq; in viros pollẽt,Euadne Capanei,Alceſte Admeti,Laodomia Proteſilai,Penelope Vlyſſis. Inter Romanas Caia Tarquinij,Lucretia Collatini, Portia Bruti. Sulpitia paterculi,Aemilia Tertia Scipionis,Iulia Pompei. Externę etiam : Sabinę,Teutonicæq; ſub Mario. Vaticinio decoratę:Theano,Metapontina,Themis,Mantho,Caſſandra Priami,Sibyllę. Fortitudine Amazonum genus,Camilla Volſca,Hypſicratea Mithridatis , Artemiſia Mauſoli,Lacenæ:quæ virorum obeunt munera,ſeſe in gymnaſio,in bello,in venatione exercentes,vt tradit Aelianus. Thomyris etiam regina & vniuerſæ Scytharum fœminæ. Semiramis Nini,Gatis Illyrica. Proximis vero ſeculis Margarita Henrici.VI. Britãniæ regis cõiunx aciẽ viri deficientem reſtituit, Et puella gallica ſub Carolo.VII.rege gallorũ regnũ collapſũ. Frugalitate Hiſpaniæ:quæ teſte Nicolao Damaſceno iuſſę ſunt quotãnis telas ab eis textas in medium populis ſuis afferre,Certorumq; iudicum ſententia quæ plus laborauerunt magis honorantur.habẽt præterea ſingulæ zonam ventri adligatam certa mẽſura, ne turpe aliquid admittãt. Poſt hac Lydæ quę a flumine redeuntes,vrnam aquę in capite geſtãt: infantẽq; ſiniſtra ac colũ tenent, nentes obiter,dextraq; loro adligato trahunt equũ, vt author Aelianus. Gaditanæ a partu ſtatim ſurgũt,miniſteriaq; domus obeunt. Liberalitate & hoſpitio inſignes,Ebuſa Paulina apud Venuſiam , Beſtia Appia apud Capuam,Theſpienſibus Glycerium,Romanis Fora ex teſtamento facto,Matronęq; omnes quæ aurum & ornatum contulerunt in æde Apollinis dedicanda,quã Camillus ob captos Veios vouerat, & item bello pu.II.vt author Liuius. Apud Hebręos vero Raab meretrix. Artibus inſignes ac primum penicillo:Martia Varronis,Timarete Myronis,Ariſtarete Nearchi. Irene Cratini pictorum filiæ ſimul & diſcipulæ. Literatura vero,Corinna. Sappho,Aſpaſia Periclis,Leontiũ meretrix. Arere Chryſippi, Cleobulina Cleobuli. Zenobia Palmireorum regina,Aedeſia Alexandrina. Erophila Erythrea,Pamphila,Cleopatra. Inter Romanas Hortẽſia,Cornelia. Lęliorum,Mutiorum,Liciniorumq; fœminæ omnes vt authores Quintilianus & Cicero. Præterea Pompeia Paulina Senecę,Pollia Lucani. Inter noſtras vero:Catharina virgo & martyr Alexandrina.proximo ſeculo Baptiſta Malateſta. Sed & magnorũ quandoq; cauſa malorum fuere. Siquidem poſt Helenam Ilienſium fatum Romę Lucretia atq; Virginea bis ſtatum immutauere. Octauia deinde repudiata,ciuilis initiũ belli fuit. Vicinioribus vero temporibus Luchini vicecomitis vxor ob Vgolini Cõzagæ adulterium maximi Mantuanorum,Mediolanenſiũq; cauſa belli extitiſſe memoratur. QVOD in ſumma noſtrorum Senatus conſultum videamus. Apoſtolus

indulget non imperat matrimonium bonis:ocioſis vero aut libidine, aut auaritia ambitioneve occupatis potius imperat : quum hoc præſtet q̃ nihl aut non ſancte agere, Ipſemet fragilitatem conſiderans,ait volo adoleſcentiores nubere : iam multæ poſt ſathan abierunt. Et item mulier ſeruabitur per filiorum generationem ſi permanſerit in fide cum caſtitate:quod,vt ait Hieronymus,minime pręcepiſſet niſi metus incontinentiæ cauſam addidiſſet. Nam bigamiam, ipſe in euangelio ſeminis potius vituperat,a fructu quoq; triceſimo arcet,qnum in bonam tellurem non cadat ſed inter vepres:quapropter illam vulpi inter eas latitanti comparat : cui animali, Herodem bigamum ac ſceleratiſſimũ ait dominum æquiparaſſe. Ambroſius item eam nec laudat nec vituperat. Filijs etiam ex bigamia prouenientibus haud eſſe feliciter ſæpe cõſpicimus. At primis nuptijs q̃q̃ triceſima palma tribuitur plures in his legimus & principes & priuatos perſancte degiſſe ac ingentibns vitæ meritis cum virginibus cẽteſimã adæquaſſe aliquos longo tẽpore:nonnullos ſemper thoro abſtinuiſſe : quoſdam prolis tantum cauſa congreſſos:quorum etiam nonnulli regno liberis incolumi relicto,ita in delitijs citra delitias,pie,ſobrie,caſteq; agitarũt,vt aure obſtructa per loca ſirenarum tranſeuntes ob terrenam ſubſtantiam non amiſerint æternam.

ℭDE BLANCHA REGIS CASTELLAE FILIA & Francorum regina.

BLancha regis Caſtellæ filia nupſit Ludouico Francorum regi huius nominis octauo:quæ fuit mulier cordata & omni virtutum genere referta. Hæc autem ſuſcepit ex eo beatum Ludouicum ſanctæ indolis iuuenem: qui mortuo patre,ſub tutela matris remanſit. Quem ipſa tenerrime diligens,ſub cura ſpecialis magiſtri literarum ſcientia & moribus imbuendum tradidit,velut alter Solomon,puer ingenioſus & bonam ſortitus animã:ſuper cęteros coętaneos ſuos profecit valde laudabiliter in vtriſq;. Cuius ſanctitati cõgaudẽs pia mater:pluries dicebat eidem. Plus vellẽ chariſſime fili, te mortem incurrere temporalem,q̃ per peccatum mortale te tuum offendere creatorem. Quod verbum tam ſanctę matris deuotus filius in animo ſic firmauit,vt diuina ſe protegente gratia nunq̃ ſenſiſſe letalis criminis contagium perhibetur. Regni autem diademate ſuſcepto in duodecimo ætatis anno:Petrus Mauclericus Britonũ dux & Hugo Marchiæ comes,propter non idoneam ad regnãdum ætatem:parui habentes Ludouicum,cõiuratione facta, a rege deficiunt. Atq; ante omne Mauclericus duas munitiſſimas arces ſanctum Iacobum de Beuron & Beleſinum (ita vocat Ganguinus) impoſito ad præſidium milite occupat:quas a patre diui Ludouici dum ad Albigenſes proficiſceretur,duci Britonum Petro cuſtodiendam tribuerat. Cõiuratione patefacta:nouellus rex ex Blanchę matris conſilio,magnis itineribus in Britonem ducit:ſtatimq; cõiuratores monet per caduceatorẽ ad ſe veniant,aut pugnandi faciant poteſtatẽ. Qui regis benignitatem atq; indulgentiam contemptui habentes, permultos regni proceres in ſuam ſententiam ducũt. Blancham regis matrem indignã dicentes quæ tãtum principatum adminiſtraret,nec decere illos fœmineo duci imperio. Dũ hæc agũtur: Hugo Marchianus ſuæ in regem coniurationis acer & diligens author, ad Anglos traijcit,regemq; admonet tempus adueniſſe cum ablatam ſibi a Philippo Normanniam recuperet, Ludouicum quidem adoleſcentem non acceptum nobilitati eſſe: quippe qui inconſultis & præter iuſtam ætatem regnum adiuiſſet. Scire ſe ſi Anglus cum exercitu Galliam petat:futurum vt ſe adiutore Normãniam vendicet. His Hugonis verbis perſuaſus Anglus:claſſe inſtructa ad Britones vna cũ Hugone duce q̃q̃ aſpera hyems eſſet adnauigat. Moxq; adiũctis ſibi Britonũ auxilijs,vicinos Britonibus agros incurſionibus populationibnsq; diſperdit. Quod poſtq̃ Ludouico nũciatum eſt(referente Ganguino)copias in ducem primum educit : Beleſinumq; arcem

pertinaciſſime prius obſidet: vbi inſolitis & maioribꝰ q̃ antea frigoribus hyems militem moleſtaret. Sed huic malo Blancha Ludouici mater non modo rei diuinę, ſed reipublicæ conſeruationi, & filij rebus intēta, remedium attulit. Iubet calones caſtris egredi, & arbores cuiuſq; generis fertiles atq; infœcundas ſuccidere, eaſq; cōciſas ad caſtra importari. Quo nimirum facto tanta lignorum congeries in caſtris fuit, vt magnis crebriſq; ignibus excitatis: hybernus rigor nec militem, nec iumenta offenderit. Multa apud Ganguinum de hac Blancha reperies: quę ſuperuacaneũ eſſet hic inſerere. Obijt diem ſuum feliciter, circa annum ſalutis ducenteſimum ſexageſimum ſupra Milleſimum. Cuius ſepulchrũ viſitur in æde Dioniſyana prope Pariſios, ante pretioſum diui Ludouici filij ſui feretrum.

¶DE ILLVSTRISSIMA, ET MIRÆ SANCTItatis fœmina D. Ioanna Francorũ regina: Regalis collegij Nauarræ fundatrice.



Quæſierũt multi veterum rerum ſatis curioſi ſcrutatores, quænam fuerit, & quibus orta parẽtibus, regina illa, quæ Nauarrienſe Gymnaſium totius academiæ Parrhiſienſis memoratiſſimũ prima inſtituerit, ibiq; numeroſam ſcholaſticorum turbam conſtitutis vectigalibus annuis iuſſerit enutriri. Pauciq; adhuc reperiũtur, qui anxietatem illam & vulgi contentionem dirimerent. Pręterea vtile mihi viſum eſt ſubijcere, quod hac de re ſcriptũ apud antiquos inueni. Vt ergo paucis abſoluam: hiſtoria ipſa ad hunc modum ſe habet. ¶Henricus Cãpaniæ comes, & rex Nauarræ: in vxorem duxit filiam Roberti comitis Artiſij, & fratris beati Ludouici. Deceſſit is Henricus anno Chriſtianæ ſalutis 1272. Moriens nullos omnino reliquit liberos præter filiam vnicam, adhuc infantulam & in cunis vagientem nomine Ioannam, quam patre orbatam ſuperſtes mater duxit ad Philippum regem Frãciæ eius nominis tertium, & filium beati Ludouici, eiuſq; fidei puellulam commiſit. Ille (vt erat beniuola & Francis peculiari natura) pupillam inter proprios liberos chariſſime & pro dignitate ſanguinis (quo erat orta) iuſſit educari. Quinetiam vbi adoleuit, adultã copulauit filio ſuo primogenito Philippo Pulchro, anno ſalutis 1284. qui patri mortuo ſuffectus eſt hæres anno domini 1285. Habuit autem ex ea indolis generoſæ liberos tres maſculos, qui continua ſerie principati ſunt Francis. Primus appellatus eſt Ludouicus Hutinus. Secundus Philippus Longus. Tertius Carolus eius nominis quartus, cognomento Pulcher: Qui tres ſeriatim ſibi ſucceſſerũt in adminiſtratione regni Franciæ & Nauarræ. Habuit etiam ex ea filiam ſpecioſa & eleganti forma Iſabellam nomine, quæ nupſit Eduardo ſecundo Angliæ regi. Habita demum tam eximia prole, mortua eſt prædicta Ioanna in luco Vicennarum prope Parrhiſiorum Luteciam, anno ſalutis 1304 circa initium Aprilis. Præceſſitq; mortem mariti ſui Philippi Pulchri annis duodecim. Defunctę corpus aſportatũ eſt Lutetiam, ibiq; inhumatum in æde fratrum minorum. Viuens multa & præclara ſuæ virtutis reliquit monumẽta. Inſtituit enim & fundauit Parrhiſijs Gymnaſium illud celebratiſſimum Campaniæ, cui frequentior vulgi appellatio Nauarræ nomen indidit. Iuſſit præterea ibidem edoceri & ſuis ſumptibus nutriri 70 ſtipẽdiarios, quos hodie Burſarios vocant. Viginti qui darent operam grammaticæ, triginta qui dialecticæ & Philoſophicis diſciplinis: viginti qui ſacris literis & Theologiæ. Grammaticis præfecit ſuo edicto virum & doctrina celebrem & probis moribus, qui omnium

eminentiſſimos erudiret:eumq́ vocari voluit magiſtrum grammaticorum. Et ne is tanto labori ſolus non ſufficeret,collegam eidem adiunxit:authoritatis paulo minoris,æqualis tamen prouinciæ ad erudiendos iuniores ſtipendiarios, ſeu(vt hodie vocant) Burſarios,atq́ hunc ſubmagiſtrum appellari iuſſit.Iuſſit inſuper vt prædicti magiſter & ſubmagiſter, vigintiq́ burſarij haberent tres famulos ad miniſterium aulæ, qui nutrirentur menſę reliquijs & fragmentis.Quod ad collegium triginta dialecticorum ſpectat,eiſdem preeſſe voluit virum verbo & opere potẽtem, eumq́ magiſtrũ dialecticorum dici.At ex eo fundationis tẽpore,quoniam ille vnus magiſter non videbatur omnibus ſatiſfacere poſſe, poſtea deſignatus eſt ibidem ſubmagiſter vnus ex triginta ſtipendiarijs eius communitatis,vtilitatis iuxta & laboris particeps.Ad miniſterium prædictorum triginta Burſariorum conſtituit ſex famulos, qui fragmenta colligerent & iiſdem veſcerentur.Eadem lege vſa eſt munificentiſſima illa regina in Theologorum contubernio:virum enim conſtituit morum ſanctitate & doctrina eminentiſſimum,qui non Theologis tantum preeſſet, atetiam gymnaſij totius communis eſſet oculus,diceretur q́ magnus magiſter. Cuius pariter & aliorum viginti theologorum aulico miniſterio addixit ſex famulos:qui quod ſupereſſet ex epulis,haberent ſibi & comederent. Fundauit inſuper & inſtituit in eodem gymnaſio laudabile ſacellum,omnibus habitatoribus commune. In quo vt frequentiora eſſent ſacrificia,& melius obſeruata religio: conſtituit quatuor preſbyteros & clericos totidem, quibus negocium eſſet,quotidie horas obire canonicas,& duas miſſas nullo non die decantare:alteram remiſſa voce,alteram erecta.Item conſtituit virum fidelem & honeſtum,qui promus eſſet & condus, colligeretq́ redditus & prouẽtus dicti gymnaſij, & quotannis fideliſſime ratiocinaretur ſuper acceptis & expoſitis. Hunc autem prouiſorem domus dici voluit:cui & poteſtatem reliquit conſtituendorum & ponendorum in tribus prædictis communitatibus famulorum,nutriẽdorum ex reliquijs:ea tamen lege vt alij prædictarum communitatum magiſtri,famulũ ſuum alternatim ponerent.Præter ſuperiores illos reginæ alumnos,deſignatus eſt ianuæ cuſtos, qui exeũtes & introeuntes exploraret diligentiſſime,vt in hunc diem hactenus ſemper factum eſt. Cæterum ne quid deeſſet prædictis ſtipendiarijs,quod ad honeſtum & ſufficientẽ victũ conduceret:legauit eis bis mille libras(vt hodie fertur) annuatim percipiendas a quatuor quæſturis ordinarijs,Campanię,& Bryæ per prædictum prouiſorem ad cõmunem omnium vtilitatem. Malignantis eſſet naturæ, qui reginam hanc illuſtriſſimam plenis buccis non attolleret,ſi cognoſceret,& haberet præ oculis quantum vniuerſæ Gallorum reipublicæ contulerit,quantum bonas iuuerit diſciplinas fœmina illa,& herois præſtantiſſima nunq̃ ſatis laudata,dum celeberrimum illud omnis diſciplinæ receptaculum & emporium prima conſtituit.Ex eo enim prodierũt innumeri prope viri doctrina & moribus ſpectatiſſimi,qui non Galliã modo,at vniuerſum terrarum orbem radijs virtutum ſpecioſiſſimis illuſtrauerunt.Verbis meis fidem faciũt, Petrus de Alliaco Cardinalis,qui multa cõmentatus eſt in Theologiã.Ioannes Gerſon,cuius opera notiora ſunt,q̃ vt a me nominari debeãt. Nicolaus Oreſme,qui ſcripſit ſuper politia,Nicolaus de Claminges,intrepidus regum & principum delinquẽtium cenſor & obiurgator,ſepultus in eiuſdem gymnaſij ſacello,Guillermus de Caſtroforti,& Ioannes Raulin,magni prædictæ domus quondam magiſtri,Ludouicus Pinelleus Meldenſis epiſcopus,vir laudabili ſanctitate & inæſtimabili prudẽtia. Alij quoq́ prope infiniti,quorum nuda nomina in ampliſſimum volumen conſurgerent. Nec adhuc ſcaturire deſijt inexhauſtus ille fons virtutum & indeficiens:inde ſiquidem quotidie riui defluunt, qui chriſtianam fœcundant religionem. Cuius rei quoniam celebris eſt vbiq́ fama,omnes & barbari & alienigenæ nedum noſtrates eo turmatim confluunt ad capiendum animi cultum,adeo vt vniuerſæ domus cubicula alioqui frequentiſſima,conſequentibus ad riuos aquarum hoſpitibus non ſufficiant. Qui eius rei teſtes ſunt oculati,mirari deſinunt.Auditorum duo milia concurriſſe ad

audiendum Theophraſtum, & ad audiendum profitentem Liuium potentiſſimos quoſque principes de extremis Hiſpaniarum finibus Romam commigraſſe. Atq; (vt ad inſtitutum redeam) tanta illa reipublicæ commoditas vni Ioannæ venit aſcribenda. Porro vt alia quædam ex infinitis eius virtutibus teſtimonia proferamus: condidit etiam laudabile cœnobium prope muros caſtri Theodorici, vbi conſtituit ſanctimoniales fœminas ordinis beati Auguſtini. Ei autē cœnobio (cui cognomen de Barra poſtea inditum eſt) prædicta Ioanna dedit corpus beatæ Petronillæ filiæ ſancti Petri. in cuius rei memoriam voluit cor ſuum poſt mortem eo deferri: reliquum vero corpus, in ædem Franciſcanorum Parrhiſienſium, vt iam prius dictum eſt.

Sit tibi pro meritis decus immortale Ioanna
Et requies animæ ſit ſine fine tuæ.

ℭCAPITA QVÆDAM DE CLARIS MVLIEribus: authore Rauiſio Textore Niuernenſi.

ℭMeretrices quædam.

RHodope meretrix fuit Aegyptia, quæ tantas opes meretricio quæſtu ſibi comparauit, vt ſuperbam & magnificam in Aegypto Pyramidem cōſtruxerit. Eam Sappho doricam vocat, & fratris ſui Charaxi amicam his verbis, Arſit inops frater victus meretricis amore, Mixtaq; cum turpi damna pudore tulit. Sunt qui putent alteram fuiſſe Rhodopen Thraciam genere, qaum Xanthus Samius in Aegyptum detulerit, itidem meretricem, Pyramidis illius authorem, & Aeſopi fabulatoris Phrygij conſeruam. Cui opinioni aſtipulatur Plinius libro triceſimo ſexto Natu. hiſto. De hac etiam meminit Plutarchus in Nicia, & Herodotus in Euterpe.

ℭBaryne Romana fuit meretrix, quam Horatius ſuis carminibus illuſtrauit dicens. Vlla ſi iuris tibi peierati Pœna Baryne nocuiſſet vnq̃.

ℭSimili modo Martialis de Spatale ſcribit. Nouit Loturos Daſius numerare, poposcit Mammoſam Spatalem pro tribus, illa dedit.

ℭLais meretrix fuit Corinthia, ad quam propter formæ elegantiam Græci omnes turmatim conuolabant. Claudianus in Eutropium. Haud aliter iuuenem flammis Ephyreia Lais, Et gemino ditata mari. Ariſtippo Cyrenaico cum ea fuit conſuetudo. quod tamen flagitium Philoſophus ſic defendebat, vt diceret multum inter ſe & cæteros Laidis amatores intereſſe: q̃ ipſe haberet Laidem, Alij vero haberentur a Laide, Author Lactantius: qui etiam hoc ait, Quid ergo interfuit, quo animo philoſophus ad meretricem famoſiſſimam commearet, quum eum populus & riuales ſui viderent omnibus perditis nequiorem? Ab hac meretrice quum Demoſthenes petijſſet vt ſui copiam faceret, & illa decem Drachmarum millia pro concubitu popoſciſſet, pecuniæ magnitudine deterritus & expauidus Philoſophus, pœnitere, inquit, tāti non emo. Author Gellius, & poſt hunc Macrobius. Quam hiſtoriam Architrenius quoq; verſibus mandauit. Non patitur Lais dubio Demoſthene, nec quem Mouerat, euellit, perdendo prodigus auro Non emit amplexus, thalamos quæ vendit, ementem Fallit & emptorem, mox pœnitet empta voluptas. De hac meretrice meminit Propertius. Non ita complebant Ephyræę Laidos ædes, Ad cuius iacuit, Græcia tota fores. Ouidius. Multis Lais amata viris.

ℭThais fuit itidē meretrix, quæ Atticam iuuentutē in ſui amorē pellexit. Hanc ſuis carminibus celebrauit Menāder poeta Græcus, Vnde & menādræa dicta eſt. Propertius. Turba menādræę fuerat nec Thaidos olim Tāta, in qua populus luſit Erictoni9. Martialis. Tale lemma eſt Menādri Thais. Idem. Thaida nocte volo. Fuit & altera

Thais, quæ ſuaſu beati Panutij, ab impudica vita ad honeſtatē morum ſe conuertit.

¶Phryne meretrix Theſpienſis (quæ ciuitas eſt Bœotiæ) olim in iudicium vocata, dum ſibi timeret a ſententia iudicum, ſublatis tunicis corpus denudauit, Cuius pulchritudine permoti iudices, liberam abire permiſerunt. Neque tam profuit puellæ Hyperidis actio & patrocinium, q̄ venuſtas formæ, Authore Quintiliano. Eidem quum Apelles dediſſet optionem eligendæ imaginis omniū (quas haberet) pulcherrimæ, nec tamen ipſe prodere voluiſſet, quænam eſſet pulcherrima, hoc fabricauit commentum. Subornauit enim qui Apelli nunciaret officinam cum ſignis & tabulis conflagrare. Quo triſti nuntio permotus Apelles, percontari cœpit, eſſet ne ſaluus ſuus Cupido. Hoc itaque dolo explorauit meretrix, quænam eſſet tabula omnium ditiſſima, De hac meminit Propertius libro primo. Nec quæ deletas potuit componere Thebas Phryne, tam multis facta beata viris.

¶Faucula Clunia meretrix, fuit alioqui tamen pientiſſima. Nam Anibale Capuam tenente, alimenta captiuis egentibus furtim ſuppeditabat.

¶Flora meretrix fuit, quę populū Romanū cōſtituit hæredem. Vnde Floralia ſacra, eidē cōſecrata ſunt: alio nomine Larentia vocatur. De hac vide Gelliū lib. 6. Cap. 7.

¶Glycerium Theſpienſis fuit meretrix, quæ tabulam Cupidinis (quam a Praxitele gratis acceperat) Theſpienſibus quoq; dono dedit.

¶Leontium Gellius ſcribit fuiſſe meretricem, quæ Theophraſti libris doctiſſime reſponderit.

¶Sinope ſcortum fuit nobile celebratæq; laſciuiæ, hinc Sinopiſſare verbum eſt libidinari & laſciuire.

¶Eriſicthon quidam Theſſalus quum abſumptis facultatibus ad extremam deueniſſet inopiam, coactus eſt filiam (quam habebat liberali forma) Metram nomine proſtituere. Ad quam qui commeabant adoleſcentes, corporis copiam non aſſequebantur, niſi equos, boues, ampliſſimaq; deferrent munera, quia nondum id temporis repertus fuerat gemmarum vſus. Porro Theſſali per iocum dicebāt Metram Eriſicthonis verti in ea omnia quæ illi ab amatoribus donabantur. Vnde fluxit prouerbium: Mutabilior Metra Eriſicthonis.

¶Niceta & Aquilina ſorores, quum corporis quæſtu mererent, miſſæ ſunt a rege Dagnæ ad corrumpendum beatum Chriſtophorum, inculcandumq; ei falſæ religionis cultum. Verum aliter res ſe habuit, Nam & ipſæ ad fidem conuerſæ ſunt, & iuſſu regis interfectæ.

¶Aphra fuit meretrix in Creta, quæ vna cū tribus ancillis, Digna, Eumenia, & Eutropia, cunctis ſe proſtituebat: Tandem tamen a Narciſſo Hieroſolymarum epiſcopo ad bonam frugem reuocata, voluptati repudium miſit, & chriſtianam ſecuta eſt religionem, pro qua etiam martyrium paſſa eſt.

¶Maria Aegyptia annos nata duodecim, relictis parentibus Alexandriam ſe contulit: vbi 17 annos corporis ſui copiam fecit cuicunq; petenti, adeo vt quum non haberet ſtipem quam nautis exolueret, corpus ſuum obtulerit pro naulo. Tandem autem quum ad adorandam crucem (in qua pependerat Chriſtus) vna cum alijs profecta, ab omnibus ob impudicam repelleretur vitam, cœpit protinus moueri pœnitentia, & corpus conterere, quod prius voluptati deuouerat. Profecta ergo trans Iordanem ſeceſſit in latebras nemorum, vbi tribus (quos ſecum tulerat) panibus annos 17 vixit, Perſtititque adeo feruenter & durauit, vt veſtimentis putrefactis remanſerit nuda, membris omnibus æſtu denigratis. Peractis illis 17 annis, durauit alijs 30: manſitque ſine cibo, gratia ſpirituali abunde paſta.

¶Eodē modo Maria Magdalena Syri & Euchariæ filia, Lazariq; & Marthæ ſoror, aliquot annis voluptatibus indulſit, adeo vt peccatricis meruerit nomē. Demū tamē vbi ad Chriſti in Simonis leproſi domo recumbentis pedes ſe prouoluiſſet, ſuiſque rigaſſet lachrymis, capilliſq; abſterſiſſet, & delibuiſſet vnguēto, veniam impetrauit.

¶Plynius ſcribit Campaſpen meretricem fuiſſe forma admodũ liberali,quam Alexander Apelli pictori eam depereuntis dono dederit.

¶Authorum monumentis celebratur Leæna meretrix,quæ nullis tormentis cogi potuit, vt Armodium & Ariſtogitonem tyrannicidas proderet, In hoc Anaxarchum imitata,qui quum ſimili de cauſa torqueretur,præciſam dentibus linguam in tortores expuit. Authores Plynius & Lactantius.

¶Lyde ſcortum celebratur Horatio libro ſecundo carminum dicenti. Quis deuium ſcortum Eliciet domo Lyden.

¶Ferunt ſcortũ quoddã fuiſſe nomine Cyrenem,quæ in perag̃eda venere duodecim figuris vſa ſit. Author Eraſmus in explanatiõe illius adagij. Duodecim artiũ homo.

¶Aſpaſia meretrix fuit, cuius gratia & ſuaſu Pericles Samios expugnauit. Author Plutarchus.

¶Idem in Phocione ſcribit Pithonicam fuiſſe meretricem,quam Harpalus Alexandri domeſticus ſupra modum adamauerit.

¶Eodem teſte Alcibiades Athenienſis meretricem habuit chariſſimam Timãdram nomine,quæ mortuo tumulum pro facultatibus ſuis magnificũ erexit. Cum hac oppreſſus eſt Alcibiades ipſe a Lyſandro.

¶Chione nomen eſt ſcorti apud Martialem libro primo dicentem. A Chione ſaltem,vel Laide diſce pudorem. Abſcondunt ſpurcas hæc monumenta lupas.

¶Apud eundem notatur Lyciſca,vt fellatrix & lupa, his verbis. Facere in Lyciſcam Paule me iubes verſus,Quibus illa lectis rubeat, & ſit irata. O Paule malus es, irrumare vis ſolus. Item apud Iuuenalem, Nomen mentita Lyciſcæ.

¶Philenis meretrix fuit, quam Philochrates poeta Græcus ſuis carminibus lacerauit. De hac etiam meminit Martialis libro ſeptimo.

¶Verrius apud Lactantium teſtis eſt Faulam Herculis ſcortum fuiſſe.

¶Alcen quandam fuiſſe meretricem palam eſt ex verbis Gellij libro quarto ſcribentis. Dicebat Pythagoras ſe Euphorbũ primo fuiſſe,deinde Pyrandrum,deinde Gallidenam,deinde fœminam pulchra facie meretricem,cui nomen fuerit Alce.

¶Manulia fuit meretrix,cui Hoſtilius Mancinus diem dixit ad populum,ꝙ de ambulacro eius noctu lapide ictus eſſet. Author Gellius.

¶Apollodorus prodit meretriculas quaſdã fuiſſe Aphías.i. Apuas cognominatas,ꝙ minutulæ forent,albæꝗ oculis grãdioribus. Nomina eis fuere Stagonion & Anthis.

¶Scribit Cælius Sapphon e Leſbo meretricem fuiſſe,ſed non poetriam,quoniam Lyrica Scandronymi fuit filia altera a ſcorto.

¶Fingunt Fabulæ Mintham Plutonis fuiſſe pellicem,quam Proſerpina dolis circũuenerit, & in hortenſem mentam commutauerit.

¶Pandemus: meretriculæ cuiuſdam fuit nomen, Authore Cælio.

¶Ariſtophanes in Comœdijs ſcripſit: Cynnã, Salauacham & Caſauriũ fuiſſe Athenis celebres & forma exuperanti meretriculas.

¶Abrotonum meretricis nomen eſt, quam Themiſtoclis fuiſſe matrem Amphicrates apud Cælium prodit in libro de viris illuſtribus.

¶Fuit Anticyra meretrix,quam inde nuncupatam ferunt,ꝙ cum mentis emotæ hominibus,furentibuſꝗ diſcumberet,vel ꝙ Nicoſtratus medicus moriẽs hellebori vim ei magnam reliquerit.

¶Hermia fuit meretrix,cui præ nimio amore ſacra fecit Ariſtoteles,eiuſꝗ laudibus hymnos dicauit, Vnde ab Eurimedonte ſeu Demophilo accuſatus relictis Athenis (vbi 30 annos docuerat) Chalciden ſe recepit. Author Origenes.

¶Herodotus in Euterpe ſcribit Archidicem Græcam fuiſſe meretriculam, cuius amore inſaniens Charaxus frater Sapphus Mitylenen redierit.

¶Inter Corinthias meretrices nominantur Lais, Cyrene, Leæna, Sinope, Pyrrhine, Sicyone.

¶Martialis lib.7.Epig.notat Cæliam,ꝙ cuicunq; peteti corporis ſui copiā faceret.

Das Cattis,das Germanis,das Cælia Dacis,
Nec Cilicum ſpernis,Cappadocumq; toros.
Et tibi de Pharia Memphiticus vrbe fututor
Nauigat,a rubris & niger Indus aquis.
Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum,
Nec te Sarmatico tranſit Alanus equo.
Qua ratione facis,quum ſis Romana puella?
Q. Romana tibi mentula nulla placet.

¶Mulieres doctæ.

Corinnæ tres fuerunt. Prima Thebana,ſeu Tanagræa, Archelodori & Pocratiæ filia,& Myrtidis diſcipula,quę Lyricorum principem Pyndarum quiquies viciſſe,& Epigrammatum quinq; libros edidiſſe fertur. De hac Propertius libro ſecundo. Et ſua cum antiquæ committit ſcripta Corinnæ. Statius libro quinto ſyl. Sophronaq; implicitum, tenuiſq; arcana Corinnæ. Bap. Pius. Nec tetigit dulcem trina Corinna lyram. Idem. Non tres dulciloquo præſtent ſermone Corinnæ. Politianus. Sed Tanagræa ſuo mox iure poetria riſit. Secūda fuit Theſpia,veterum quoq; monumentis celebrata plurimum. Tertia floruit Ouidij temporibus,poetæ chariſſima. De hac Martialis. Norat Naſonem ſola Corinna ſuum.
¶Erinna poetria Teia aut Telia (eſt enim Telos inſula prope Gnydon) floruit Dionis Syracuſani temporibus. Scripſit Dorica lingua elegans poema,trecentis verſibus abſolutum. Aliaq; item Epigrammata. Ferunt eius carmina ad Homericam acceſſiſſe maieſtatē. Mortua eſt,annos 19.nata. De hac Propertius libro ſecundo. Carminaq; Erinnes non putat æqua ſuis. Bap. Pius. Erinnam credet Græcia docta ſuam. Idem. Non melior coluiſſe ſacras Erinna ſorores. Fuit contemporanea Sapphus. In eam elegans eſt apud Græcos diſtichon,cuius talis habetur ſenſus. Quanto Erinna in Lyricis Sappho præſtantior,tanto Sapphus gloriam Erinna hexametris præcellit.
¶Sappho Leſbia Lyrica floruit temporibus Alcæi,& Steſichori poetarum. Maritum habuit Cercylam ditiſſimū virum ex Andro,ex quo filiam ſuſcepit Clio nomine. Scripſit Lyricorum libros. 9. Præterea Epigrāmata,Elegias, iambos,& Monodias. Carmini Sapphico (cuius inuentrix fuit) dedit nomen. Sunt qui dicant aliā fuiſſe Leſbiam,poetriam quoq;,quæ adoleſcentem Phaonem adamauerit,& e Leucade in aquas ſe demiſerit. Vtrarunq; fuerit,vnam tantum commendant Latini poetę. Statius libro quinto ſyl. Steſichoruſq; ferox,ſaltuſq; ingreſſa viriles, Non formidata temeraria Leucade Sappho. Sidonius. Aut quod compoſuit puella Leſbi. Bap. Pius. Maſcula quæq; ſuos cātat moritura calores, Leucadij Sappho crimen,honorq; freti.
¶Polla Argentaria Lucani fuit vxor teſtimonio Martialis. Hęc eſt illa dies,quę magni conſcia partus Lucanum populis,& tibi Polla dedit. Tanta dicitur fuiſſe doctrina,vt maritum iuuerit,in emendandis tribus primis libris Pharſaliæ. Statius libro ſecundo ſyl. Huc caſtæ titulum,decuſq; Pollę, Iucunda dabis allocutione. Sidonius. Quid ꝙ duplicibus iugata tædis Argentaria Polla dat poetas. Eadem incœptos a marito permultos verſus perficiebat pari grauitate & elegantia.
¶Aſpaſia mulier Mileſia,magna doctrinę fama claruit. In ſtudijs Philoſophicis abunde promouit. Rhetoricen exercuit, Fuit Periclis magiſtra,& tandem vxor,
¶Cleobulina Cleobuli Lindij (qui fuit vnus ex ſeptem ſapientibus Græcię) filia ſcripſit Aenigmata quædam verſibus hexametris,quorum hoc vnū adhuc extare fertur. Eſt vnus genitor,nati bona pignora bis ſex, Triginta cuius natæ, ſed diſpare forma: Hæ niueæ aſpectu,nigræq; coloribus illæ, Atq; immortales omnes moriūtur ad vnā.
¶Cornificia ſoror Cornificij poetæ,elegantiſſima ſcripſit Epigrammata.
¶Cornelia vxor Africani & mater Gracchorum epiſtolas reliquit ornatiſſime ſcri-

ptas,vnde & filiorum fluxit eloquentia. Vnde Quintilianus. Nam Gracchorum elo quētiæ (inquit) multum contuliſſe accepimus Corneliam matrem,cuius doctiſſimus ſermo in poſteros quoq; eſt epiſtolis traditus.

¶Idem de filiabus Lęlij,& Q.Hortenſij ſic inquit. Lælij filia reddidiſſe in loquēdo paternā eloquentiā elegantiorē dicitur. Et Q.Hortenſij filię oratio apud Triumuiros habita legitur,nō tantū in ſexus honorem. ¶Liciniarum quoq; in dicēdo lepos a patre L.Craſſo emanauit. ¶Mutiæ duæ filiæ ab vtroq; parente eloquentiā didicere.

¶Anaſtaſia diſcipula Gryſogoni martyris fuit & vxor Publij Romani,cuius torum ſimulato morbo euitauit. Scripſit epiſtolas ad Gryſogonum,quibus conquerebatur facultates ſuas a ſacrilego viro abſumi,ſeq; in carcere detineri. Hæc ad palum cremata eſt,q; ſanctis miniſtraret.

¶Damophila Græca,vxor Pamphili,ſocia Sapphus poetriæ,poemata ſcripſit amatoria,& Dianæ laudes.

¶Hyptathia mulier Alexandrina Theonis Geometræ filia, & vxor Iſidori Philoſophi: vixit imperante Arcadio. Scripſit in Aſtronomiam. Profeſſa eſt Alexandrię varia diſciplinarum genera,magno & frequenti auditorio,conuolantibuſque turmatim,& vndecunque diſcipulis.

¶Leontium Græca adoleſcentula Philoſophicas diſciplinas adeo ſectata eſt,vt etiā non dubitauerit cum magna ſui nominis laude in Theophraſtum Philoſophum alioqui laudatiſſimum ſcribere.

¶Pamphila ſcripſit commentarios in grammatica,Citatur a Gellio.

¶Praxilla Sicyonia fuit poetria, quæ in ſuis carminibus Adonidē inducit ab inferis interrogatum,quid apud ſuperos pulcherrimū reliquerit? reſpōdere,ſolē,cucumeres, mala. Quod quum vehemēter inſulſum videretur,cucumeres & mala cum ſole componere,fluxit inde prouerbiū. Stultior Praxillæ Adonide,In homines nulliꝰ iudicij.

¶Phemonoe prima Apollinis Delphici vates fuiſſe,carmenque heroicum inueniſſe dicitur.

¶Soſipatra vates fuit lyda multis diſciplinis cumulatiſſima,quam propterea creditum eſt a numinibus quibuſdam fuiſſe educatam.

¶Theano mulier fuit apud Locros in Lyricis præcellens. Alia fuit Metapontina ſeu Creſſa genere,mulier Pythagoræa vxor Brotini Crotoniatæ,quæ ſcripſit commentarios in Philoſophia,de virtute,Poemata quoq; & Apophthegmata Pythagoræa.

¶Zenobia regina Palmyreorum,Græci, Aægiptijq; ſermonis fuit peritiſſima & latini non ignara. Scripſit Epitomen in Orientalem,Alexandrinamq; hiſtoriam,Herennianum & Timolaum filios literis erudijt. Elegantiſſimas orationes ad milites ſuos plærunq; habuit,quas galeata recitabat.

¶Alpaides virgo quum religionem magno cultu amplecteretur,cœlitus meruit ſcripturæ ſacræ,bibliorumq; ſenſum percipere.

¶Catharina Senenſis puella adeo profecit in ſacris literis, vt libros ſcripſerit cum Theologorum doctrina conferendos.

¶Delbora mulier de tribu Effraim vaticinio claruit.

¶Hildegardis virgo Germana,ſpiritu quodam imbuta prophetico,multa prædixit de futuris,ſcripſitq; aliquot Catholicæ doctrinæ libros. Hanc epiſtolis ſuis dignatus eſt beatus Bernardus. Scripſit ſuper Benedicti diſciplina,trigintaTheologas queſtiones eruditiſſime abſoluit. Excellentium virtute virorum vitas ſcripſit. De altaris ſacramento,Omilias in Euangelijs. Præterea in medicina,Quæ ſimplicia & quæ cōpoſita tollendis ęgritudinibus proſint. Item carmina & epiſtolas teſtimonio Apoſtolicæ authoritatis cōprobatas. Quo factū eſt,vt Eugenius 3. Anaſtaſius 4.,Adrianus 4. pontifices, Conradus 3. & Fœdericus primus Cæſares ad eam plærunq; ſcripſerint.

¶Ioanna Anglica ab ephebis virum mentita, Athenas ſe contulit, vbi literis ſtudioſe adeo operam impertiuit,vt Romam rediens, paucos haberet doctrina pares &

ſacris literis. Vnde tantum apud omnes beniuolẽtiæ & authoritatis ſibi demeruit, vt artibus illis pontificatũ ſit adepta poſt Leonem quartum, quum vir eſſe crederetur.

¶Luceia Mima authore Plynio centum annis in ſcena pronunciauit.

¶Laſtheniam Mantineam, & Axiotheam Phliaſiam Platone vſas pręceptore ſcribit Plutarchus, ornatuq; interim virili auditorium ingreſſas.

¶Michale Centaura mulier docuit Theſſalas remedium amoris.

¶Diotima & Aſpaſia mulieres adeo in philoſophicis promouerunt diſciplinis, vt alteram Diotimam appellare magiſtram, alterius lectionibus intereſſe non erubuerit Socrates philoſophorum omnium longe optimus.

¶Lactantius ait: philoſophos nullas vnq̃ mulieres philoſophari docuiſſe, pręter vnã ex omni memoria Themiſtem. Sed quænam hæc & cuias fuerit, non docet.

¶Arete mulier eo doctrinæ cõſcendit, vt filium etiam inſtitueret, qui appellatus eſt Ariſtippus. Fuit Cyrenaica, & Ariſtippi patris Socratici dogma ſequuta eſt. Mortuo patre ſcholam rexit in philoſophia magno & frequenti auditorio.

¶Dama Pythagoræ filia, & ipſa philoſophiæ ſectatrix, ingenium & doctrinam in exponendis paternis ſententiarum inuolucris exercuit.

¶Tharchelium quoq; fœminam ſola illuſtrauit philoſophia.

¶Ferunt & Muſcam poetriam fuiſſe Lyricam, quę & epigrammata ſcripſerit, & lyricos nomos.

¶Fuit & multorũ carminũ author Charixena, cui9 meminit Ariſtophanes Cynic9.

¶Celebratur item Mœro, condito in Neptunum hymno.

¶Fuit Agallis Corcyræa illuſtris in arte grammatica, cui inuentum pilæ nonnulli aſcribunt.

¶Teleſillam in poetica illuſtrem celebrat Pauſanias, cui etiam apud Argos ante Veneris templum ſtatua ſit erecta. Hanc Fulgoſus Theſelidem vocat.

¶Philoſophicis quoq; diſciplinis valde excelluit Hiparchia, mulier Græca.

¶Caſſandra Priami filia, vaticinio & doctrina illuſtris habita eſt, & apud hoſtes in Lacedæmone, templo fuit inſignita.

¶Statius Papinius vxorem habuit nomine Claudiam, magno ingenio, doctrinaq; non vulgari præditam.

¶Eudoxia Theodori iunioris vxor pręter egregiam formam, ſingularemq; pudicitiam etiam literis excelluit, adeo vt librum quendam emiſerit.

¶Iſtrina Scytharum regina, Aripithis vxor, Sylem filium Græcam linguam, literaſq; edocuit. Author Herodotus.

¶Politianus magnis laudibus commendat Caſſandram Fidelem Venetam puellã, quam ait pro lana librum, pro fuſo calamum, ſtylum pro acu tractaſſe, Latinaſq; epiſtolas ſcripſiſſe, Sic enim de ea in principio cuiuſdam epiſtolæ meminit. O decus Italiæ virgo, quas dicere grates, Quas ve referre parem, ꝗ etiam honore me tuarum literarum non dedignaris? Mira profecto fides tales proficiſci a fœmina (quid fœmina dico?) immo vero a puella & virgine potuiſſe? Non igitur iam muſas, non Sibyllas, non Pythias obijciant nobis vetuſta ſecula. Non ſuas Pythagoræi philoſophantes fœminas. Non Diotimam Socratici, nec Aſpaſiam. Sed nec poetrias illas Græca iactent monumenta Teleſillam, Corinnam, Sapphon, Anyten, Erinnam, Praxillam, Cleobulinam.

¶Themiſtoclea ſoror fuit Pythagoræ, cuius placitis & opinionibus, plæriſq; in locis vſus eſt Pythagoras.

¶Proba Valeria, Romana puella Græcis, latiniſq; literis eruditiſſima truncatos Virgilij verſus, ad fidem & myſteria Catholicæ religionis conuertit, fecitq; de Chriſti geſtis & eius morte opus nobiliſſimum, quod Centones appellauit.

¶Amalthæę Sibyllæ Cumanæ libris non ſecus ac diuinis oraculis imperij adminiſtratione populus Romanus ſemper vſus eſt.

Elizabeta Abbatiſſa Germanica multas orationes ad ſui conuentus ſorores cõſcripſit, opuſq; de vijs, quibus ad deum itur.

Baptiſta prima Galliatii Malateſtę Piſaurienſis principis filia & Guidoni Mõtefeltrẽſi Vrbinatiũ comiti matrimonio copulata; cũ doctiſſimis viris plærũq; magna ſui laude diſputauit. Libros quoq; de hũana fragilitate, & de vera religiõe cõſcripſit.

Iſota Nouarolla Veronẽſis philoſopiam verbo & opere profeſſa eſt. Scripſit quãdoq; ad Nicolaum Quintum & Pium ſecundum pontifices. Scripſit quoq; dialogũ, quo diſputatur vter grauius peccauerit, Adam ne an Eua. Quibus literarum laudibus adiecit perpetuum virginitatis votum.

Damiſella Triulcia Mediolanenſis virguncula, annos non amplius quatuordecim nata, iam cœpit eloquentiæ inſueſcere, bonaſq; imbibere diſciplinas, adeo vt nouum terris prodigium eſſe videretur. Patrem habuit Ioannem equeſtris & ſenatorię dignitatis virum, matrem Angelam literarum non expertem. Qui ambo muſis innutriti, filiam quoq; iiſdem artibus voluerunt inſtitui: in quibus adeo profecit, vt quum latine vel ſcriberet vel loqueretur, omnes ttaheret in admirationem, ita vt pleriq; dicerent, parienti matri affuiſſe muſas obſtetrices. Habuit orationis genus luculentum, & ſparſum fruge bonarum lectionũ vſq; ad luxuriem. Nunq̃ loquebatur, quin verborũ aculeos auditorum animis imprimeret. Dicentem omnes ſuſpiciebant, & ab eius ſermone pendebant attoniti. Fuit præterea tam fœcunda, tamq; tenaci memoria, vt vel Mithridati par haberetur, nam ſi quem vel publice concionantem aut declamantem audiſſet, reuerſa a cõſeſſu, omnia ad vnguẽ verbatim, ſyllabatimq; repetebat. Latinis inſuper non contenta literis, Gręcarum ſtudio deflagrauit, quas vſq; ad promptum & & peculiarem didicit ſermonem. Ne multis agam, propter immenſas corporis animi & dotes, luſum eſt in eam ſequentibus verſibus, qui circunferebantur paſſim.

Quid facis in terris Damiſella Triulcia? cœlum
 Ingenijs debet talibus eſſe domus.
At ſcio quid facias, flores cum coniuge Ditis
 Non legis, ad ſtygios vt rapiare lacus.
Cura tua eſt virtus, & iter meditaris ad aſtra,
 Nam virtus comites tollit ad aſtra ſuos.

Placuit nobis propter morum eius puellæ honeſtatem, præcipuamq; formam corporis, mentiri & confingere nomen Amaſiæ nõ ad laſciuiam, ſed carminis argumẽtum, quam & nos Damiſellam vocauimus.

Minerua Iouis primi filia, non aliam ob cauſam relata eſt in numerum deorum, q̃ propter bonarum artium (quarum fuit inuentrix) peritiã. Vndę & veteres illæ Athenæ ſui nominis immortalitatem mutuatæ ſunt.

Manto Tyreſiæ vatis filia (quæ Mãtuę nomẽ indidit) doctrina quoq; & vaticinijs claruit, adeo vt ex pecudũ fibris, extorũq; intuitu futura præſẽtiſceret, ac præſagiret.

Nicoſtrata ſeu Carmentis Græcas literas impenſe docta, pleraſq; ex latinis primũ reperit. Quo cõiectare licet mulierẽ verſatili ingenio, variaq; doctrina fuiſſe prędítã.

Catharina virgo Coſti Alexandriæ regis filia, ſacris literis partim ſtudio, partim diuini ſpiritꝰ afflatu adeo fuit imbuta, vt accerſitos ab imperatore vndecũq; doctiſſimos viros & philoſophos ad perſuadendã idolatriã, refellendãq; vnius dei religionem, viuaciſſimis terruerit argumentis, ſuęq; opinioni attraxerit, nedum non ſuccubuerit eorum rationibus.

Fabiola, Romana mulier, quũ magno ſtudio ſacras literas amplecteretur, Prophetias, Euangelia, & Pſalmos frequentiſſime reuoluebat, vt iterata plerũq; lectio amorem diuinæ religionis (qua deflagrabat) augeret vehementius. Vnde & beatus Hieronymus librum de veſte ſaſerdotali, eidem nuncupauit.

Marcella Romana propter ſacras literas (quas egregie callebat) frequentibus epiſtolis a beato Hieronymo ſalutata eſt, Ad eam enim ſcripſit de mundi contẽptu, de

decem nominibus, quibꝰ apud Hebræos dicitur deus,de fide noſtra, & hęreticorum doctrina,de Blaſphemia in Spiritum ſanctum, de ſtudio Theophili epiſcopi Alexã. drini,& alia id genus permulta.

¶Euſtochium Paulæ mulieris Romanæ filia,Latinarũ,Hebraicarũ & Græcarũ literarum ſtudijs plurimũ excelluit. Vnde & ſuo tempore nouũ orbis prodigiũ vocata eſt. Ingenium ſacris literis deuouit maxime,atq; adeo,vt Pſalmos hebraice legeret curſim & mira celeritate. Qua in re amorem beati Hieronymi multũ ſibi demeruit.

¶Genebria mulier natione Veronenſis,tempore Pij ſecundi pontificis Romani,ſua egregia eruditione meruit nomen immortale. Epiſtolas ſcripſit luculẽtas & maxima refertas doctrina. Recitabat decoro geſtu,voce virili permixta ſuauitate.

¶Conſtantia Alexandri Sfortiæ vxor numeratur inter claras mulieres & excellentes doctrina. Ab infantia bonis diſciplinis operam dedit,adeo vt imperata quoq; diſertiſſime loqueretur. Habebat aſſidue præ manibus opera Hieronymi, Ambroſij, Gregorij,Ciceronis,& Lactantij. Valebat etiam ſcribendis ex tempore carminibus non ſine magna multorum admiratione, Quod ſine præceptore ferebatur didiciſſe. Nec defuit tam illuſtri fœminę germẽ ſimile. Habuit enim filiam Baptiſtam nomine,tanta doctrina,vt doctiſſimos quoſq; ſua terreret eloquentia.

¶Politianꝰ in Nutricia plęraſq; mulieres doctas & eruditas his carminibꝰ enumerat

Non illi Praxilla ſuos,prædoctaq; Noſſis
Contulerint Myrtiſq; modos,non dulcis Agacles,
Non Anyte,non quæ verſus Erinna trecentos
Caſtalio ſeu melle rigat,non candida Myto,
Non Teleſilla ferox,Non quæ canit Aegida ſæuæ
Pallados,effuſum crinem vittata Corinna.

¶Nomina quarundam fœminarum illuſtrium.

HEcuba vxor Priami, Andromache Hectoris, Creuſa Aeneæ, Artemiſia Mauſoli,Monyma Mithridatis,Erſilia Romuli,Herpilida Ariſtotelis, Hipſicrathea mithridatis,Amaſtrix Xerſis,Hermodice mydæ,Semiramis nini,Fundania varronis,Plotina Traiani, Caſſandane Cyri,Atoſſa Darij,Sarra Abrahæ,Penelope Vlyſſis,Dido Sichęi, Portia Bruti,Poppea Neronis,Euridice Orphei,Pyrrha Deucalionis. ¶Parictione mater Platonis,Ceres Proſerpinæ,Agrippina Neronis,Alcmena Herculis,Veturia Coriolani,Olympias Alexandri,Helena Conſtãtini,Critheis homeri,Beronice Ptholemęi Philadelphi,Ilia Romuli,Elbia Ciceronis,Aurelia Iulij Cæſaris, Alcimede Iaſonis. ¶Caſſandra filia Priami,Heſione Laomedontis,Helena Lædę,Muſæ Iouis,Proſerpina Cereris,Aegina Aeſopi, Andromeda Cephei, Ariadna Minois, Hypermeſtra Danai, Niobe Tantali,Polixena hecubæ,Deidamia Lycomedis,Europa Agenoris,hypſiphile Thoãtis,Ino Cadmi,Lauinia latini regis,maia Atlãtis,Antigona iocaſtę,mãto Tyreſię,Veſta Saturni.direptis Mithridatis. ¶Semiramis regina Aſſyriorũ. Camilla Volſcorũ. Nicaula ſeu Saba Aethiopũ, Athalia hebręorũ, Thomyris Scytharum,Heſter Perſarũ,Cleopatra Aegypti,Zenobia Palmyreorũ,Amalaſuntha Gotorum,Theolinda Longobardorũ,Radegundis Franciæ,Caſſiope Aethiopũ,Harpalice Amazonum,Hyppolite Magneſiæ,Teuca Illyricorum. ¶Itẽ minerua,Rhea, Iuno,Iſis, Diana, Delbora, Medea, Nicoſtrata, Pentheſilæa, Sappho Iudich hebræa,Lucretia,Chlœlia,Irene imperatrix,Ioanna Gallica, Briſeis, Phyllis, Dirce, Erigone,Iuturna ſoror Turni, Oenone amica Paridis,Amazones omnes, Sibyllæ, Poetriæ,Atalanta venatrix,Nyſſa,Scribonia,Victoria,Elpinice, Faunia,Hyppare tha,Locris,Macaria,Metella,Myrtha,Nycia,Olbia,Papyria,Perictoria. Pheſtias, Phila,Phitais,Sãdane,Seruilia,Sophoniſba, Stratonice,Terentia,Teſta, Tymea, Tymoclia,Nauſica, Victorina,Siſigambis, Cæcilia, Panthea,Phedalia, Targelia, Mammea,Theodora,Phya,Nitocris, Euryale,Hiera. Sunt & aliæ prope infinitæ,

quorum nuda nomina creſcerent in volumen. Nec ego commentarium hac in re volui contexere, quum ꝙ eſſet operis prope infiniti, tum etiam ne alienis veſtigijs inſiſterem. Nam hoc iam negotium præmoliti ſunt Boccatius & aliquot alij. Si cui videbor inaudata confinxiſſe nomina, legat Plutarchi vitas, Reperiet eorum (quę videntur inuſitata) partem non modicam.

❡Stroza pater illuſtres quaſdam fœminas ſequentibus verſibus enumerat.

Magnanimam Thomyrim, fortem propone Camillam,
Et ſubeat menti Pentheſilæa tuæ.
Adde & amazonias reliqua de ſtirpe ſorores,
Reſpice Carmentem, reſpice Penelopen.
Vlta nefas animo, propriaq; Lucretia dextra
Inuicto occurret clara pudore tibi.
At rapidum nando tranſmittere Chlœlia Tybrim
Auſa, ſuis animis præmia digna tulit.
Quid te commemorem veſtalis Claudia virgo
Qua ſtetit attoniti vindice fratris honos?
Quisve tuum dignis nomen Cornelia tollat
Laudibus? aut animum Portia caſta tuum?
Quis te prætereat generoſi pectoris Heſter,
Non bene damnatos protinus vlta Syros?
Quisve Paleſtina genitam te ſtirpe virago
Spem taceat patriæ ſubſidiumq; tuæ?
Si fortaſſe petes exempla recentia, nonne
Cognita perpetua laude Mathildis erit?
Sponte opibus ſpretis regnum Violanta reliquit,
Seque ſacri ſociam maluit eſſe chori.

❡Mulieres bellicoſæ & maſculæ virtutis.

PEntheſilæa Amazonum regina, muliebrẽ aſpernata molliciem, operibus ſemper, quæ virum decent, innutrita eſt. Troianis fauit cõtra Græcos, fuitq; vexillifera & turmas equitum duxit. Propertius libro tertio. Auſa ferox ab equo quondam oppugnare ſagittis Mętotis Danaum Pentheſilęa ratis, Aurea cui poſtq̃ nudauit caſſida frontem, Vicit victorem candida forma virum. Virg. libro primo Aeneidos.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Pentheſilęa furens, medijsq; in milibus ardet.
Aurea ſubnectens exertę cingula mammæ
Bellatrix, audetq; viris concurrere virgo. Pamphilus.
Non probo peltatas inter quæ tela cateruas
Hectore ſub forti ſanguinolenta tulit.

❡Cunabula Camillæ Voſcorum reginæ manifeſtum futuræ virtutis lumen promiſerunt: Nam ab ipſa iam tum infantia, non molliculis inuoluta eſt pannis, nõ a blandientibus nutriculis educata: ſed a patre Metabo in medijs ſyluarum latebris ferino lacte paſta eſt. Relictis demum crepundijs paulo prouectior facta, neq; tractãdis inſueuit lanis, nec fuſos aut penſa manibus accepit, ſed ferinis amicta pellibus fundas cœpit circumagere, complicare arcus, ſagittas torquere, ceruos & capreas laſſare curſu. Cui virtuti adiecit ſtudium virginitatis. Orto demum inter Turnum & Aeneam bello, Rutulis adhæſit, fuitq; ductrix copiarum. Quam eius virtutem Virgilius in fine ſeptimi ſic deſcribit,

Hos ſuper aduenit Volſca de gente Camilla
Agmen agens equitum, & florentes ære cateruas
Bellatrix, non illa colo, calathisve Mineruæ

Fœmineas aſſueta manus. ſed prælia virgo
Dura pati, curſuq; pedum præuertere ventos.
Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

¶Cleopatra Aegypti regina, Dionyſij Auletis filia: quum mortuo iam Cęſare Antonium laſciuiētibus momordiſſet oculis, & in amorem ſui pellexiſſet: præter Syriæ & Arabiæ regnum auſa eſt Romanum quoq; imperium ſperare. Quum ergo magis ac magis in dies creſceret libido principandi: imperium ipſum ab Antonio petere nō dubitauit. Quod quum exoraſſet, ſumptis cum eo armis, in Auguſtum eiuſque generū Agrippam copias duxit, mouitq; bellum: cuius fortuna anceps aliquandiu pependit. Victis ad extremum Antonianis, effrenata mulier cecinit receptui, ac ſe in pedes dedit cum adultero. Quos ſecutus victor Auguſtus ita oppreſſit, vt neglecta pacis conditione, Antonium ad inferēdam ſibi mortem compulerit. Quo extincto, vbi nullum rebus afflictis ſubſidium vidit Cleopatra, brachium aſpidi mordendū præbuit, ne in triumphum captiua raperetur. De hac Propertius lib. tertio ſic inquit.

Scilicet incœſti meretrix regina Canopi
Vna Philippęo ſanguine aduſta nota,
Auſa Ioui noſtro latrantem opponere Anubim,
Et Tyberim Nili cogere ferre minas,
Romanamq; tubam crepitanti pellere ſiſtro.
Baridos & contis roſtra liburna ſequi,
Fœdaq; Tarpeio Conopea tendere ſaxo,
Iura dare ſtatuas inter & arma mari.

¶Helerna Iani filia, mortuo patre apud Tyberim regnauit, præfuitq; viris ſine viri auxilio.

¶Apud Meroē quoq; principata eſt Candace regina, & imperauit Aethiopū gēti.

¶Semiramis regnādi libidiue tota pruriens petijſſe fertur a marito Nino, vt quinq; dies tantum imperaret, & ſceptro vteretur. Quod quum exoraſſet, ſatellitibus iuſſit, Ninum vt interficerent. Hoc itaq; modo regnum conſecuta, Aſſyrijs tantiſper dominata eſt, dum a Nino iuniore filio interfecta ſit, ꝙ eius concubitum rogaſſet. Eadem muros Babylonis condidit, aut a Nitocri regina conditos auxit & reparauit.

¶Hippolyte Amazonum regina quum inſtar cæterarum bello inſueſceret, auſa eſt arma capere in Theſeum, a quo expugnata & in vxorem ducta eſt. Propertius. Felix Hippolyte nuda tulit arma papilla, Et texit galea barbara molle caput.

¶Zenobia Palmyreorum regina poſt mortem Odenati mariti ſui imperiū arripuit in Syria, Nec dubitauit arma capere in Aurelianum imperatorem, a quo victa & in triumphum ducta eſt. Quum autem probro daretur ipſi Aureliano, ꝙ de ea triumphaſſet, Nihil inquit me pudet de fœmina triumphaſſe, quæ virtute pluſquam virili ſit prædita. Pontanus. Qualis & Aethiopum quondam ſitientibus aruis In fuluū regina gregem ſeſe armat, & audet Sola pedes ſeſe irato obiectare leoni, Inſigniq; arcu, & duplici Zenobia telo.

¶Hypſecratea Mithridatis coniunx, in omni bellorum diſcrimine adiutrix aſtitit marito. Quinetiam capillos ſibi raſit, ne ferendæ galeæ eſſent impedimento.

¶Valaſca Bohemorū regina facta cū cæteris mulieribus cōiuratione de excutiendo virorū principatu, copiarū ductrix bellū mouit, interfectiſq; viris, fœminas omnes aſſeruit libertati, adeo vt Amazonum inſtar multos annos principatę ſint ſine viris.

¶Regnante apud Gallos Carolo ſeptimo quum Angli omnia populabundi paſſim irrumperent, & iam proſpero fortunæ Zephyro adiuti nihil ſibi non pollicerentur, deſperatis Gallorum rebus adfuit Ioanna magni ſpiritus virguncula, quæ attritos

Gallos animans ad vltionem & libertatis gloriam,prima belli campũ ingreſſa , non prius ſuos hortari & ipſa certare deſinit,q̃ hoſtẽ in fugam verterit reportata victoria.

¶Artemiſiam reginam Cariæ, & Mauſoli coniugem mirantur Græci,q irruentes Rhodios claſſe exuerit,inſulam quoq domuerit erecta in vrbe ſtatua,quę ciuitati ſtigmata videretur inurere. Herodotus ad hunc modum de ea ſcribit . Verum (inquit) Artemiſiæ præcipua me tenet admiratio,mulieris expeditonem aduerſus Græciam ſecutę quæ defuncto viro nulla adacta neceſſitate,ſed præſtantia animi atq virilitate in militiam conceſſit. Nomen ei erat Artemiſiæ Lydami filiæ, Paternum genus ex Halicarnaſſo,maternum ex Creta. Hæc Halicarnaſſæis & Cois,& Niſyrijs,&.Calyduis quinq cum naualibus venit omni copia inſtructis.

¶Vulgata eſt & nota Amazonum virtus,quę reiecto virorum & principatu & commercio,ſolę ſibi imperauerunt,ſuamq libertatem armis defenderunt.

¶Athalanta venatrix fuit Arcadica, vibrãdis iaculis & arcubus complicandis aſſuefacta,quæ inuſitatæ magnitudinis aprum vniuerſæ formidoloſum Aetholiæ prima aggreſſa eſt & vulnerauit vna cum Meleagro. Pontanus libro tertio de Stellis,de hac puella,eiuſq virtute ſic meminit.

¶Qualis in Aetholum campis Meleagria virgo
Strauit aprum,primamq manu ſtringente ſagittam
Intorquens,auſa eſt ſpumanti occurrere monſtro.
Mox læta & ſpolijs,famoſa & cęde ſuperba.

¶Thomyris Scytharum regina potẽtiſſimo Perſarum regi Cyro,bello cõgreſſa eſt, ipſumq & vita & caſtris ſpoliauit ad vlciſcendã filij mortẽ, quẽ ille prius occiderat.

¶Delbora mulier bellatrix,imperauit Iſraelitis,quos ab incurſionibus vicinorũ plęrunq tutata eſt,quorumq remp. & imperium varijs auxit honoribus.

¶Virtutem Haſbites fœminę bellis exercitæ ſic deſcribit Sylius libro primo.

Hæc ignara viri,vacuoq aſſueta cubili,
Venatu & ſyluis primos defenderat amos.
Non calathis mollita manus,operatave fuſo.
Dyctinnam & ſaltus,& anhelum impellere planta
Cornipedem,ac ſtrauiſſe feras immitis amabat.

¶Idem li.2.ait Tyburnã Saguntinam fuiſſe fœminam Murrhi vxorẽ & bellatricẽ.

¶Teuca Illyricorum regina,viris fortiſſimis imperauit,& Romanorum vires fregit ſæpe numero. Fuit Argonis vxor.

¶Lacenæ mulieres virorum obibant munera, ſeſe in gymnaſio,in bello,in venatione exercentes. Hæ cum viris in certamen aduerſus Meſſenios fortiter deſcenderunt.

¶Margarita Henrici ſexti Britanniæ regis cõiunx aciem viri deficientem reſtituit.

¶Gaditanę mulieres,partu ſtatim ſurgunt,miniſteriaq domus obeunt.

¶Olim Germanorũ mulieres,inclinatã aciẽ,& iam ad triarios vergentẽ reſtituerũt.

¶Bellouacę mulieres a Carolo Burgundiorũ duce longa obſidione fatigatæ,mœnia defenderũt,&obſeſſorẽ e ſcalis in foſſas vrbis detruſerũt,reportatis ad ſuos vexillis.

¶Leſbia puella murorum parte machinis Turcarum deiecta, oppidanis fugam aut deditionem meditãtibus ſalutem peperit. Obtulit enim ſe primam impetui & iaculis inimicorum pro tutandis ipſis muris.

¶Amalaſiũtha Gothorum regina principata eſt apud Rauennam , Burgũdiones & Alemanos Liguriam populantes,Italia pepulit,adiuuante Theodato , quem regni conſortem ſuſceperat.

¶Maria Puteolana a Puteolis Campanię vrbe nomen adepta,bellica virtute maxime floruit ętate Frãciſci Petrarchę. Erat laborum apprime patiens ab ipſa iam inde adoleſcentia. Abſtinebat vino, Erat parca cibi & verborum, Reijciebat colos,penſa, fuſos,& lanas,& cętera,quę muliebrem decent molliciem. Gaudebat arcubus,iaculis, pilo,galea,ſcuto. Noctes perpetuas quãdoq vigilabat,nec dormiebat niſi coacta

idq; ſub dio & humi, reclinans caput in ſcutum pro puluinari. Inter armatos verſabatur. Quod quãuis impudentiæ ſpeciem præferat, nihil tamen vehementius curauit q̃ ſtudium virginitatis, in qua permanſit ad mortem vſq;. Cultum corporis aſpernabatur: Quibus artibus bellicoſa admodum facta eſt.

¶Bona Longobarda bellatrix itidem puella floruit anno domini 1468. Nupſit Brunorio Parmẽſi egregio bellatori. A teneris annis luſtrabat ſyluas venatricibus ſtipata canibus. Maritum in omni diſcrimine comitabatur. Quem quum Alphonſus rex Siciliæ aliquando certa de cauſa in vincula conieciſſet, miſerta captiui fœmina, ad diuerſos principes inſtar Pegaſarij curſoris cucurrit, vt ab eis literas & patrocinium obtineret pro viri ſalute, quod obtinuit.

¶Bella & alia quædam mala a mulieribus orta.

Bellum Grçcorum in Troianos, ortum eſt ab Helenę raptu. Oui. li. primo Elegi. Qualis ab Europa Phrygijs aduecta carinis, Coniugibus belli cauſa duobus erat. Propertius li. ſecundo. Olim mirabar, q; tanti ad Pergama belli, Europæ atq; Aſiæ cauſa puella fuit. Idem lib. ſecũdo. His olim (vt fama eſt) vitijs ad prælia ventum eſt. His Troiana vides funera principijs. Seneca. Quiſq̃ dubius ad thalamos eat Quos ſuadet Helena? peſtis exitium, Lues vtriuſq; populi. Cernis hoc tumulos ducum, Et nuda totis oſſa (quæ paſſim iacent) inhumata cãpis? hæc hymẽ ſparſit tuus. Tibi fluxit Aſię, fluxit Europę cruor.

¶Pelops quũ Phrygiæ regno ſucceſſiſſet, bellum mouit in Oenomaum patrẽ Hippodamiæ propter puellam ipſam adamatam, & negatam ſibi in matrimonio.

¶Alia fuit Hippodamia Atracij filia & vxor Pyrithoi, quam quum mero caleſcẽtes & æſtuantes libidine Cẽtauri rapuiſſent, bello petiti ſunt a Pyrithoo. Vnde puellam ipſam Propertius Iſcomachẽ vocat. Iſco enim græce ſignificat habeo, & mache dicitur pugna. Verba eius ſunt hæc. Qualis & Iſcomache Lapithæ genus heroinæ, Centauris medio grata rapina mero. Idẽ. Aſpera Centauros eadẽ dementia iuſſit Frangere in aduerſum pocula Pyrithoum. Oui. lib. 14. Helenę non pluribus eſſet Sollicitata procis, nec quæ Lapitheia mouit Prælia.

¶Archelaus rex Macedoniæ interfectus eſt ab adoleſcente Crateua nomine, quem habebat in delicijs, q; ei promiſſam filiam, alteri poſthabuerit.

¶Archilochus poeta Iambographus Lycambem ſocerum ad præpoſteram laquei mortẽ impulit, propter eius filiã ſibi in matrimonio denegatã. Vnde Ouidius, Poſtmodo ſi perges, in te mihi liber iambus Tincta Lyncambæo ſanguine tela dabit.

¶Pericles propter Aſpaſiam concubinam Samios infeſtos Mileſijs debellauit.

¶T. Corruncanum liberius in legatione ad Taucam Illyricorum reginam locutum regina ipſa interfici iuſſit, violato gentium iure. Liuius.

¶Propter Cryſeidẽ filiã Cryſæ (qui ſacerdos fuit Apollinis) ab Agamẽnone raptã Apollo peſtem in caſtra Grçcorum immiſit: quæ non prius deſijt ſerpere, q̃ patri ſuo reddita ſit puella.

¶Propter Lauiniam Latini regis & Amatæ filiam ortum eſt bellum inter Aeneam & Turnum dum vterq; eam ſibi in matrimonium dari cuperet. Pontanus lib. quarto de ſtellis. Hinc atrox bellũ exoritur, pro coniuge certat Hinc Rutulum manus, hinc fulgentibus Arcades armis. Ac tandem victor potitur regnoq; toroq;, Sed fato cadit infelix caua ad antra Numyci.

¶Roma condita quum Romulus ad augendum vrbis populum, Sabinorum fœminas rapuiſſet, inde bellum ortum eſt & motum a maritis: raptum vlciſci & raptas repetere volentibus. Propertius lib. ſecundo. Cur exempla petam Graium? tu criminis author Nutritus duro Romule lacte lupæ. Tu rapere intactas docuiſti impune Sabinas, Per te nunc Romæ quidlibet audet amor.

¶Mortuo Menelao Megapenthus & Nicoſtratus Oreſtis filij Helenam in Rhodũ

fugauerunt, vbi a Polyzo Tlipolemi vxore arbori ſuſpenſa eſt ob zelotypiam.

¶ Lyſimachus filius Agathoclis filium Agathoclem (cuius auſpicijs multa bella feliciter geſſerat) veneno ſuſtulit inſtigante Arſinoe nouerca Ptolemæi ſorore.

¶ Lucretius poeta amore fœminæ in furorem verſus, amatorium hauſit poculũ, quo ſpiritum efflauit.

¶ Tullia procurauit, vt marit9 ſuus Serui9 Tullus a Tarquinio Superbo interficeret.

¶ Sanſon quum Dalilę vxori crinem fatalem oſtendiſſet, in quo prodigioſæ vires cõſiſtebant, dormiens ab eadem raſus incidit in manus inimicorum.

¶ Iphis egregia forma adoleſcens ſpretus ab Anaxarete puella ſe ſuſpendit.

¶ Deianira author fuit duelli inter Herculẽ & Neſſum Cẽtaurum, atq; etiam mortis ipſius Herculis. Seneca. O turpe fatum. fœmina Herculeę necis author feretur.

¶ Achab rex Iſraelitarum ſuaſu Iezabelis vxoris occidit prophetas.

¶ Chilpericus Clotharij filius opera Fridegundis ſeu Fridegundæ vxoris, dum venatu rediret, interfectus eſt.

¶ Seleucus Callinicus rex Syriæ dum nouercam Berenicen Ptolemæi ſororem expuliſſet ab ipſo Ptolemæo bello petitus eſt.

¶ Deiphobus Inſidijs Helenę (quam poſt mortem Paridis coniugem duxerat) occiſus eſt, toto corpore inhoneſtis plagis deformato.

¶ Amphiaraus vates quum præuidiſſet ſe periturum Thebis, ſi ad bellum proficiſceretur, coniecit ſe eo in latebras & occuluit. Eum tamẽ prodidit vxor Eryphile ſpe habendi monilis aurei, quod gerebat Polynices. Itaq; vxoris fraude coactus ire Thebas, hiatu terræ abſorptus dicitur.

¶ Euander Pallantis Arcadum regis nepos, ſuaſu Nicoſtratæ matris occidit patrem ſuum.

¶ Eduardus Anglorum rex & martyr, vxoris ſuæ fraude occiſus eſt.

¶ Pterelas Thebanorum rex, proditione filiæ Polydices interfectus eſt a Creonte.

¶ Niſus quoq; Megarenſium rex obſeſſus a Minoe rege Cretę, proditione Scyllę filię (quæ Minois amore tenebatur) fatalem amiſit crinem, atq; ita ab hoſte interfectus eſt. De vtroq; Ouidius. Filia ne ve magis capiti ſit fida parentis, Quam tua vel Ptere la, vel tua Niſe fuit.

¶ Cleopatra cauſa fuit belli inter Ptolemęum Philopatorem patrem ſuum, & Alexandrum Syriæ regem.

¶ Gandulphus martyr dum vxorem adulterij increparet, eiuſdem inſidijs interfectus eſt ab adultero.

¶ Hippolytus a Phædra nouerca ſtupri falſo accuſatus, dum Theſei patris furorem vellet declinare, diſcerptus eſt ab equis.

¶ Propter Hermionen Oreſtes Pyrrhum occidit.

¶ Ottarus rex Bohemiæ inſimulatus ignauiæ & timoris ab vxore Margarita, q́ cum Rodulpho Cæſare fœdus iniſſet, bellum mouit, in quo profligatus eſt.

¶ Ioram Iſraelitarum rex ſuaſu Athaliæ vxoris infinita prope commiſit flagicia.

¶ Iſis cauſa fuit, cur Mercurius mandato Iouis Argum occiderit.

¶ Luchinus Italiæ comes mouit bellum in Vgolinum Gonzagam propter Iſabellã vxorem ſuam ab ipſo Vgolino vitiatam.

¶ Martia meretrix Antonium Commodum Imp. (cuius erat cõcubina) fecit occidi ab athleta quodam, quo cum adulterij conſuetudinem habebat.

¶ Rodericus Gothorum rex, quum filiam Iuliani cuiuſdam præfecti (qui Tingitanam prouinciam adminiſtrabat) adulteraſſet: dolore animatus pater, Sarracenos cõuocauit, mouitq; bellum, in quo ſeptingenta vtrinq; millia hominum perierunt.

¶ Alexander inſtinctu Theadis meretriculæ Perſepolim vrbem combuſſit. Curtius Ebrio (inquit ſcorto) de tanta referente ſententiam, vnus & alter, & ipſi mero onerati aſſentiuntur. rex quoq; fuit auidior, q̃ patientior. Quin igitur vlciſcimur Græ-

ciam,& vrbi faces ſubdimus? Omnes incaluerant mero. Itaq; ſurgunt temulenti, ad incendendam vrbem, cui armati pepercerant. Primus rex ignem regiæ iniecit, tũ conuiuæ,& miniſtri, pellicesq;.

¶Violata Lucretia cauſa fuit exigendi regum principatus, quemadmodum per Virginiam Triumuiri deſierunt.

¶Octauia ſoror Auguſti ab Antonio repudiata, cauſa fuit belli ciuilis.

¶Antiochus dum bellum gereret in Romanos, vino & Veneri dies multos indulſit, cum puella quadam Chalcidenſi, quam deperibat. Ex quo factum eſt, vt mollicie illa delicijsq; corruptus, hoſti victoriam reliquerit.

¶Ouidius libro ſecundo Eleg. de quibuſdam bellis: & alijs multis malis, quorũ authores extiterunt fœminæ, ad hunc modum ſcribit.

Nec belli eſt noua cura mei. Niſi rapta fuiſſet
  Tyndaris, Europæ pax Aſiæq; foret.
Fœmina ſylueſtres Lapythas, populumq; biformem
  Turpiter appoſito vertit in arma mero.
Fœmina Troianos iterum noua bella mouere
  Impulit in regno iuſte Latine tuo.
Fœmina Romanis iterum nunc vrbe recenti
  Immiſit ſoceros, armaq; ſæua dedit.
Vidi ego pro niuea pugnantes coniuge tauros.
  Spectatrix animos ipſa iuuenca dabat. Item Horatius libro primo Ser. Nã fuit ante Helenam cunnus teterrima belli Cauſa. Item Pamphilus Saxus.
Baccatum caperet coniunx vt auara monile,
  Iuit ad infernas Amphiaraus aquas.
Tyndaris ad Phrygij vultum cor flexit amantis,
  Et Menelaæam liquit iniqua domum.
Vertit opes Aſiæ, diſiecit mœnia Troiæ,
  Hectora vulneribus fodit & Æacidem.
Fraude Clytemneſtræ clarus mactatur Atrides,
  Fraude cadis natæ tu quoq; Niſe tuæ.
Ad Ptolomæęam nam munera tranſtulit vrbem
  Cæſaris, & magis ſcæptra beata Numæ.
Quæ tenuit Pharium meretrix ſcelerata Canopum,
  Opponens Latijs ſtridula ſiſtra tubis.
Vincla, faces, ferrum, letalia ſpicula, virus
  Sub roſeis claudit quęq; puella genis.

¶VALERANDI VARANII DE GESTIS IOannæ virginis Francæ, egregiæ bellatricis: Libri quatuor.

¶REVERENDO IN CHRISTO PATRI CAROLO Genelicio, epiſcopo & comiti Nouiomẽſi Valerãdus Varanius ſalutem.

RElatum eſt a præclaris authoribus honorande antiſtes, imperijs & regnis perinde atq; humano corpori plærunq; accidere. Quantũuis enim corpus vegetum aut incolumi robore præditum fuerit: tandem tardante ſenecta poſt iuuentę exhauſtum vigorem ſanguis habet (vt inquit poeta) frigentq; effœtę in corpore vires. Sic imperijs ſuæ non deſunt vices. Nã ita fere comparatum videmus, vt poſt nobiles triumphos, & prolatos vndecũq; fines aliquando veluti confecta ſenio intabeſcant. Quin & regnum de gente in gentẽ transferri propter iniuſticias, & ſedes ducum ſuperborum a domino deo deſtrui, memorię proditum eſt. Huic aſtypulantur ſententiæ annales Aſſyriorũ? Perſarũ, Me-

dorum, Græcorum, Romanorum & idgenus aliorum, quorum aliquando imperia ce-
leberrima extiterũt: ſed per vicaria temporum interualla ſunt penitus deleta, aut in
alienam traducta poteſtatem. Itaq; ſub Carolo ſexto ſenectã ſenſit Gallia ad interi-
tionem pene deducta. Perfunctus enim glorioſis victorijs Carolus, & rebus præclare
geſtis, graui valitudine & diutina correptus eſt: quod occaſionẽ fecit, vti regni pro-
ceres (quæ peſtilens dominandi ambitio eſt) occultis primo factionibus, apertis pau-
lo mox odijs & ſimultatibus: grãdem regno importarint iacturam. Tum Angli fero
citer regnum aggrediuntur: vt propemodum de ipſo actum eſſe crederent plæriq;.
Inter has calamitates, & extremam ſęuientis belli aleam: ſuſcitauit deus ſpiritũ egre
giæ & inſignis puellæ, quæ veluti altera Delbora aut Iudith ceruices contũderet po-
tentium. Huius igitur virginis hiſtoriam quom vtcunq; carmine cõplexus fuerim:
ſub tui nominis auſpicio edendam cenſui, quippe omnia mea nedũ huius libelli in-
ſcriptionem tibi debeo. Accipias itaq; digniſſime pręſul pro tua benignitate hoc mu
nuſculum, ęternum meæ in te obſeruantiæ monumentum. Ex Pariſijs. decimo ſexto
calendas Nouembres Anni quingenteſimi decimi ſexti ſupra milleſimum. Vale.

¶DIGNISSIMO IN CHRISTO PATRI GEORGIO Ambaſiano, Rothomagenſi archiepiſcopo: Valerandus Varanius Salutem.

INter euoluendos Francorum annales, digniſſime pręſul, cum Ioãnę vir-
ginis Francę hiſtoriam perfunctorie decurſam animaduerterẽ: mihi per-
ſuaſum feci, non indignũ fore laborem, ſi per ſucciſiui otij ſuffurationẽ in
re ipſa latius propaganda pauliſper continerẽ ſtudium. Id genus officij ar
bitratus dignum, quod noſtri partem ſibi vendicet ortus. Si enim arduis
in negotijs patriæ prodeſſe non poſſimus: non ideo præcluſum nobis fuerit iter, quo
minus egregia virginis facinora memorię prodendo ſimus tolerandi. Mihi certe nõ
ſolum, ſed & q̃ plurimis bonis & ſtudioſis viris eiuſmodi hiſtoria viſa eſt, quæ nõ pe
nitus oblitefcat. Nam ſi veterum fabulamenta meras & inanes nugas referentia non
paucos illicibili quadam voluptate detinent: quanto magis hanc hiſtoriã impenſe le
gent poſteri: vt quæ nõ de Gorgonibus, aut Pandionis auibus conficta eſt. Sane & in
hanc vſq; diem ſuperſtites ſunt pluſculi qui virginem viderunt inter viuos agentem.
Obijt enim Rothomagi anno milleſimo quadringenteſimo triceſimo primo, cũ vr-
bi & toti fere prouinciæ preeſſent Angli. Elapſis ſubinde quatuor & viginti annis
Calixtus tertius romanus pontifex, Remenſem Archiepiſcopũ, Pariſienſem, & Cõ-
ſtantieñ. epiſcopos deſtinat iudices: qui priori lite (qua puella authoribus Anglis dã
nata eſt) diligenter recenſita, & fideliter vltro citroq; diſcuſſa: tandem innocentẽ &
probam viginem fuiſſe definiunt. Si quempiam delectet plenius hiſtoriam noſſe: ex
cœnobio ſancti Victoris Pariſiẽſis librũ repetat: quẽ aliquot dies mutuatus ſum: vbi
abunde, & ex fori iudiciarij ordine omnia quæ tranſcripſi digeruntur. Sed hæc ſatis
fuerint. Hunc autem laborem meum quo prędidio tutarer, quum apud me requirerẽ
digniſſime pater: feliciter actum eſſe cum libello exiſtimaui: ſi inter chartaceam ſu-
pellectilem tuam ei locum benigne indulſeris. Ex Pariſijs. decimo calendas Nouẽ-
bres anni quingenteſimi decimi ſexti ſupra milleſimum. Vale.

¶Argumentum primi Libri de geſtis Ioannæ virginis Francæ.

In exordio narrationis habetur oratio Caroli magni ad diuam virginẽ pro pace im-
petrãda. Marię ad filium pro Gallis oratio. Chriſti ad matrẽ reſpõſio Cauſa-
rum belli expoſitio. Virginis ad Carolũ Magnum allocutio. Angeli ad Ioãnam
legatio. Ioãnæ ad deũ oratio. Enſis miraculoſa proditio. Ioãnę ad Baudrecur-
tũ oratio. Roberti ad Ioannã reſpõſio. Ioãnę ad Carolum ſeptimũ progreſſio.
Ioãnę in vniuerſitate Pictaueñ. examinatio. Magna ſuper eius receptione diſcepta-
tio. Lõga Ioãnę oratio: in qua multa de patria, parẽtibus, & alijs ad eam pertinẽti
bus commemorat. Virginitatis Ioãnę per reginã Sicilię probatio.

¶VALERANDI VARANII ABBAVILLEI, DOCTORis theologi Pariſienſis: De geſtis Ioannæ virginis Francę, Anglorum expultricis: Liber primus.

ORdior auguſtę titulos & geſta puellæ,
Quæ ſexus egreſſa modũ, lõgęua diremit
Prælia, & ambiguas lites: dũ freta potenti
Robore, Brutiadas Gallis exegit ab oris.
Lex niſi conſtituat non ſuccenſere clientem
In dominas: veſtram ſacrę Libethrides auſim
Accuſare moram. Semper ne indicta manebit
Nympha, cothurnatæ cui debent carmina muſę?
Pierus, Eurotas, Helicon, Aſopus, & omnis
Aoniæ tractus (phœbæi numinis olim
Delitiæ) ſtagnant Agarenis hoſpita porcis.
Tandem iſtinc migrate deę, iam Pallas Athenis
Ceſſit: & in Franca regnat celeberrima gente.
Suppare & huc voto ſeptem venere ſorores:
Par quoq; vos fuerit ſocijs conuiuere terris.
Altiſono cantu magnos heroas ad aſtra
Euehitis: noſtram cur non heroida munus
Ornet Apollineum? diſcuſſo puluere longi
Carceris, in lucem veniat generoſa virago:
Francia cui debet, forti quod Roma Camillo:
Veſter Amazonijs pecten ſudauit in armis:
Hanc quoq; Pierides numeris ornate puellam,
Vt cumulus veſtro generi ſuccreſcat honoris.
Nec pudeat ꝙ florentes exegerit annos
Lanigeros inter ſtrepitus, paſtoriaq; arma.
Quandoquidē tum paſtor eras Amphriſie vates
Numine ſubducto, quom (te modulante) Pheræę
Paſcebantur oues. huic & ſubſcribe puellæ
Archadiæ paſtor, cui poſt Syringis amores
Hæ placuere artes: comiteſq; accerſe Lycęo
Vertice deductos, & amantia numina plectri.
Sed quid opus nugis? nõ diros Gorgonis angues
Non athalantiadas, nigriſue Coronida pennis
Fingim⁹: aut verſas mõſtroſa ĩ corpora nymphas.
Ergo age Coſtis ades, præſentis conſcia facti:
Et rege veridicum ſpiranti numine carmen:
Crebra gerendarũ fueris quom nuntia rerum.
¶Poſtq̃ liligeros furor indignantis olympi
Attriuit ſub ſanguinei diſcrimina Martis
Præcipites: nec longęuo ſperanda labori
Meta putaretur. Magnus tũ Carolus ægro
Suſpirans animo, prouoluitur ante beatos
Chriſtiparę obtutus, & ſupplex talibus orat.
¶Virgo potens rerum, & diuinę cõſcia mentis
Quam deus aduerſis pręſens in rebus aſylum
Inſtituit: famulum non dedignare precantem.
Aſpicis vt Francas magni inclęmentia belli
Iandudum populatur opes: deſerta colonis
Tecta diu ingemuere ſuis: ſi forte ſuperſint
Quos nõdũ bellũ exhauſit (quę turba puſilla eſt)
Semianimes lugent: pecoris nec cura, nec agri.
Torpēt raſtra domi, ſubducto vomeris vſu:
Spinas, & tribulos dat glebæ terra feracis:
Sic vacua antiquas dediſcunt horrea meſſes.
Labruſcis operitur humus: non cędua ferro
Vinea ſubijcitur, nec eunt in prata canales.
Agrorum facies, vaſtæ videantur eremi:
Omnia ſic neglecta iacent, ſuntq; horrida cultu.
Sed magis id crudele: lupos penetrare domorũ
Vſq; focos, atq; ex gremijs abducta parentum
Pignora fruſtratim ſectis emandere membris.
Nulli tuta domus, per inhoſpita luſtra ferarum
Horriſonos Boreæ ſtrepitus, & figora brumę
Suſtinet extorris genitali ſede popellus,
Abſenti q̃ fœda viro ſunt ſtupra? nephãdæ
Quæ veneres? quantę patrantur ſæpe rapinæ?
Dnm flagrant medijs incendia noctis in vmbris.
Sępe furens mille materno viſcere clauſos
Interimit fœtus, & vitæ præripit auras.
Iuſticiæ cõcuſſa manus: pro legibus arma,
Furtaq; ſuccedũt. ſic regnat vbiq; tyrannis:
Et vitij frenos patitur peſſundata virtus.
Magnificæ collapſę arces, & ditia quondam
Oppida nunc turpi ſquallent diuulſa ruina.
Si moueat diuos tantę impietatis imago,
Et luerint æquas Gallorum crimina pœnas:
Rebus ades miſeris, gnatumq; inflecte precando.
Fœta dei verbo tibi mens, tibi luceat apertis
Et facie tenus indiciis quodcunq; futurum eſt.
Faſcibus imperij quom me donaſſet olympus:
Vidi ego Vandalicos auſus, & Alanica caſtra:
Noſtraq; in occiduã penetrarunt agmina Calpē
Atq; trucem Deſiderium parere coegi:
Inde per Auſoniæ populos vaſtiſſima geſſi
Prælia: & excluſum romana ſede Leonem
Reſtitui: ſed vera loquor, teſtorq; pudorem
Virgo tuum: Francos pietate, fideq; priores
Omnibus, expertus per tot diſcrimina noui.
O regina piæ venias auxiliaria cauſæ:
Debeat vt meritis maiores Francia grates.

Sacrifici viden vt deſunt per templa miniſtri?
Templa ruinoſos propius ſpectantia caſus.
❡Tum ſuperę regina plagæ ſublime tonantis
Aggreditur ſolium,& tali ſermone perorat.
Vt tua flagranti nunc pulſem numina voto
Vrgeor o fili. Gallos miſerare iacentes:
Vltricem compeſce manum,iam parcere tēpus.
Te veniam planctu, & reſupinis frontibus orant
Francigenæ. Si forte iuuat cognoſcere mores,
Quæq; ſit ad duros conſtans patientia caſus:
Hactenus aduerſæ fecere pericula Syrtes.
Inficias nemo ire velit commiſſa mereri
Multiplices plagas,ſed te dulciſſime fili
Lapſorum ſemper miſeret,leuioraq; culpis
Supplicia infligis: tandem modus eſto furori.
Debita ſi nondum preſſit vindicta ſuperbos,
Innocuis ſaltem poſthac ignoſce: ſed vnum
Nunc genus ærumnæ cunctos impingit in atram
Pauperiem: praui non eſt diſcrimen & æqui.
❡Sunt qui militiæ titulo per mille feruntur
Flagitia, hoſtiliq; nocēt plus agmine: vt hoſtem
Indigenæ ſemper timeant ruriq; domiq;.
Nam quid abactorum turmas,quid vilia dicam
Mancipia,& lixas non ſacramenta profeſſos
Militiæ: qui graſſantur per rura,per vrbis:
Pax quibus eſt odio,atq; ingratum munus oliuæ:
Dum nullo rectore vident ſcelus omne licere.
Nec modo terreni facies elanguit orbis:
Fœda ſed in noſtrum contagio ſerpit honorem.
Peruia ſunt delubra feris,ſunt peruia & vndis:
Diſpereuntq; ſacrę pinnis labentibus aræ.
Aſpice q̄ differt a priſco eccleſia vultu:
Quæ gemit,& ſancti repetit lamenta prophetæ
Qui delenda puer Solymorum mœnia vidit.
Solenni quom ſacra facit ſub luce ſacerdos:
Subſidit miles,valuiſq; ſubinde refractis
Ingrediens: ędem crudelibus inquinat auſis,
Ferreaq; adducunt miſeram ſub vincula plebem?
Arma ſilere iube,ſuperiſne videbitur æquum:
Tam præſtans,atq; excellens occūbere regnum?
Cerne quot heroas Franco de ſanguine noſtris
Sedibus aſcripſit virtus: ne perde futuros.
Iſta piæ matris mouerunt verba tonantem:
Talia deinde refert,& dulcius ora ſerenat.
❡Quod petis alma parēs,id votis annuit ęther
Aſt hic iuſticię rigor,& clæmentia regnant
Omnia communi moderantes fœderis vſu.
Illa quidem pœnas vltrix pro crimine ſumit:
Hæc leuat humanos lapſus,& debita donat.
Diſcolor eſt hominis ſtudium,nec viuitur iiſdē
Moribus: interdum quos impertimur honores
Fert ingratus homo,magnoq; tumeſcere faſtu
Audet: vt indomita vincat ceruice leonem.
Hæc ſcelerum peſtis duro eſt arcenda flagello,
Et preſſis cohibenda lupis: ne forte proterui
More gygantęo ſuperis contendere certent.
Sic modo terribili ſæuit Mars percitus œſtro:
Et miſeris lugent viduatæ cladibus vrbes.
Inde repentino veniens Libitina furore
Fert ſubitas inopina voces,promiſcua gentis
Conditio perit: & medijs occumbit in annis
Pars melior: vix eſt capulis qui funera condat.
Hi ſtimuli frōtemq; hominū, faſtumq; retūdūt:
Cum ſtolidæ mentes in dexteritate bonorum
Degenerant: ipſoſq; volunt æquare tumore
Cælicolas,cum proſperior ſubuexerit aura.
Maxima liligeros ornarunt præmia reges
Dum fuit in pretio virtus: nam poſt vbi noſtra
Orgia Parrhiſijs primo Dionyſius agris
Intulit,& ſęuas Teutatis proruit aras
Francia terrenæ ſupremos geſſit honores
Militiæ: Gallos Dauidica ſceptra tuliſſe
Quis nihili pendat? toties Agarena potenti
Arma fugare manu? ſeptena per oſtia Nili
Victores conferre gradus,& caſtra locare:
Iſta quis immodici non pignora credat amoris?
Mors tamen vt dignos heroas rettulit aſtris:
Naſcitur infelix,tituliſq; indigna parentum
Progenies. Alij duxere per otia vitam
Indecorem,obſcurūq; manet poſt funera nomē.
Hinc gula delitias,& olentem ſuaſit orexim
Principibus. ſubit inde venus,ſubeuntq; minaces
Inuidiæ: variaſq; fouent diuortia partes.
Gentis nulla fides,vix quenq̄ fraude carentem
Inuenias: reſonant infandis compita verbis.
❡Hanc ſcelerum turpē bello emundare cloacam
Pergimus. extemplo præceps diſcordia ſurgit
In populo,& miſcet ciuilibus omnia rixis.
Mutua cognatæ tranſfugunt viſcera dextræ:
Alter Parrhiſij nocturnis occubat vmbris:
Authoremq; necis ſub ponte trucidat Ionæ
Factio defuncti. faciuntq; reciproca telis
Vulnera,quos aliæ nequeant euincere vires.
Tum vocat infeſtas acies ex orbe Britanno
Vltrix noſtra manus. Sic emarceſcere Franci
Gloria cœpta throni, funeſtaq; regnat Erinnys:
Sed (te chara parens intercedente) malorum
Annuimus finem: Gallos optata reuiſent
Otia laurigere pacis,belliq; faceſſent
Semina: vt antiquum ſperet ſecura decorem
Francia nobilibus iāiam illuſtranda triumphis,
Arbitrio ſtent iſta tuo: ſit ſumma gerendæ

Te penes & ius omne rei:quæcunq; placebit
Ex voto tibi quære viam:firmaq; caducas
Imperij vires,& hiantia vulnera ſiſte.
Dixerat:ecce procul Mariam Pipinius heros
Suſpicit,& reducem digno veneratur honore.
❡Carole(ait)quē ſāctꝰ amor meminiſſe nepotū
Impulit:oratam Franca pro gente ſalutem
Accipies:hæc ſunto tuæ ſolatia curæ.
Semper apud Gallos ſtabili pietate reſedit
Inconcuſſa fides:poſtq̃ bufone remoto
Aurea principibus venerunt lilia Francis.
Tanta feret dignos gentis propenſio fructus.
Ex aliis aliam in gentem plærunq; poteſtas
Magnifici tranſit ſolij,& celeberrima regna
Funditus intereunt:ſed honoratiſſimus olim
Et thronus & ſceptrum Gallo reparabitur orbi.
Nec vero in longas anceps eſt alea belli
Progreſſura moras.gemino vix Delius anno
Signiferum percurret iter,quom libera grandi
Clade,refloreſcet proſcripto Gallia marte.
❡Conſurget media præſtans de plebe virago,
Quæ generis non freta loco,non munere ſexus,
Æternum referet ventura in ſecula nomen.
Bellipotens herois equos frenabit,& armis
Circunſepta latus,pernix rapietur in hoſtem:
Primaq; fulminei torquebit ſigna Gradiui:
Hinc celebrē poſt militiā,poſt chriſmata regis,
Poſt debellatos hoſtes,vrbeſq; receptas
Sub iuga ducetur gentis captiua Britannæ:
Membraq; per tenues ibunt reſoluta fauillas.
Sed melius cœlum rem fortunabit:inultos
Non feret hos ignes Latiæ cenſura cathedræ:
Gallia nam multo monſtrabit teſte,iubentis
Hoc opus eſſe dei:& culpa caruiſſe puellam.
Vt conſtent igitur magni decreta tonantis,
Clara manet Gallos deſuetæ gloria pugnæ:
Ipſaq; fœmineis pendent exordia ab armis.
Hæc vbi dicta refert,accinctus nuncius aſtat:
Lympida diuinæ cui illucet notio mentis.
Iuſſus adit terras,ſubit & conclaue puellæ
Quam ſic dulciloquo ſtupefactam conuenit ore.
❡Salue Barriceæ lux & noua gloria terræ:
Omnipotens rector(qui res alternat,& eſſe
Diuerſos iubet influxus,vt triſtia lætis,
Lætaq; ſuccedant lugubribus) æthere ſummo
Me labi voluit:qui talia voce referrem.
Gallia iandudum luctu intabeſcit amaro:
Aſtra onerat votis,& thure fatigat acerras,
Poſſit vt hoc tandem bellorum faſce leuari.
Audiit orantem ſummi clæmentia patris:
Direpti miſeret regni,Carliq; iacentis.
Perſequitur:puerum(quanq̃ natura reclamat)
Anglorum exitiale odium: profugoq; ſuperſunt
Vix laceræ ſedes,anguſtaq; portio regni.
Militat aduerſis dudum Normania ſignis:
Nobilis & priſcos quæ nominat inſula Francos.
Adde & Aquitanam gentem,phebeq; cadenti
Expoſitas vrbes:vicinaq; Nereos arua:
Cætera pene in idem genus inclinata ruinæ
In prædam veniunt hoſti,& proſcribitur hæres:
Quem Loſci Aruerniq; fouent,ægreq; tuentur.
O felix virgo & felicibus edita fatis:
Quæ poſt tot clades,& belli fulmina,pacem
Reſtitues:tibi perpetuos ſacrabit honores
Poſteritas:diræ ſuccede tyrannidis vltrix
Armipotēs ſuccede operi,te acclamat olympus.
❡Quin genus omne tuū numero cēſebitur olim
Nobilium,tu prima feres inſignia clari
Stemmatis:& delebis onus ſeruile parentum.
Hæc fatus ſuperum radiantia tecta reuiſit.
Obſtupet ingenti virgo concuſſa pauore.
Huc illuc mentem rapitur:ſecumq; reuoluit
Altius,hæc quid iuſſa velint,quo talia tendant:
Tum cœlo conuerſa oculos,hæc vota profundit.
❡Alme deus ſynceri animi ſanctiſſime cuſtos
Pelle precor lemures,& quæ mortalia diris
Pectora imaginibus per opacæ inſomnia noctis
Ludificant: pelle in primis Plutonides vmbras:
Vt nullo circunueniant errore puellam.
Non bene fœmineis enſes & ſpicula dextris
Cōueniunt:non ſpumantū moderamen equorū.
Paſtorale pedum rudibus contrecto lacertis:
Iungo ſudes ſeptis,magalia voluo per agros:
Purpureis me inſpergo roſis,me cingo corollis:
Hæ mihi ſunt artes,his & deſudo ſub armis:
Quid mihi cum peltis?quid cum thorace trilici?
Bella gerat qui non ſexu prohibetur ab illis.
Sed queror imprudens:forſan quæ bella diurno
Tempore narrantur,nocturno ſomnia fingunt.
A caulis arcere lupos compreſſa ſopore,
Et tardos excire canes plærunq; putaui:
Mox tamen hæc effert noctis caligo ſolutæ.
❡Crebra ſolent Mariæ cuiuſdam mōſtra referri
Cælitus allapſas quæ ſe vidiſſe figuras
Dixerat armigeri ſtrepitus,& bellica ſigna:
Hæc tamen a vanis prodibat ineptia laruis,
Irritaq; in celeres abierunt omnia ventos.
❡Menſtrua iā totū Dictynna cucurrerat orbē:
Ecce redit qui prima tulit mandata miniſter:
Huc(ait)æthera rurſus delabor ab arce:
Sta primis monitis,patriæ ſuccurre labenti:
Nil magis humani partem ſibi vendicat ortus:

Crede puella, fides ſemper gratiſſima cœlo eſt
Victima: duricies triſti demergitur Orco.
Pendet in ambiguis recte ſententia cœptis:
Ne rata mox credat prudens, quæcunq; colorem
Induerint recti: ſpecies fucata bonorum
Decipit incautos, & mille pericula nectit.
Sed tecum nil tale agitur: diuina voluntas
Hoc opere in magno partem te iuſſit habere.
Ne tamen ancipites inuoluant pectora fluctus,
Auſpicia, & caſus, venturaq; ſigna docebo.
¶Coſtidis eſt ædes Turonæ gentis in agro:
Cui ſitus, & longa ſquallens ætate vetuſtas:
Cincta rubis moles, populo ſed ſacra frequenti
Francia dum ſtaret ſpecioſis integra membris:
Emeritos hic arma duces appendere quondam
Mos erat, & ſpoliis venerari hoſtilibus aras:
Sanguis vbi gelidæ torpens algore ſenectæ
Suaſerat extrema vitam componere pace.
Obſitus hic atra rubigine delitet enſis
Cōfuſo armorum iampridem immixtus aceruo:
Cuſpide de prima capulo tenus aurea cingunt
Lilia, ſed furuas fecit mora longa lituras.
Tebonus hoc primo donabit munere princeps
Quo bellum ſubitura tuos vtaris in hoſtes.
¶Solue timore aīm, & mādata capeſſe tonātis:
Subſcribent æterna tuæ præconia laudi.
Parcimus & nugis, & nil molimur iniquum.
Sed cur conditio te ſexus terreat: ipſos
Cœlicolas hoc non latuit, nō fœmina, non mas,
Eſt apud æthereum patrem: diſcretio nulla
Eſt generis, non eſt liber, non verna, ſed omnes
A domino pendent: vires vbicunq; iuuabit
Inſeret. humanos diuina potentia captus
Trāſgreditur. quid enim tibi formidabile ducas
Si deus aſtiterit? Theſbyte orante propheta
Centeni occubuere viri: clauditq; aperitq;
Vox hominis cœlos, ignemq; accerſit ab aſtris.
Tu ſaltem prodito tenus: tentare quid obſit?
Incipe: felici ſuccedent omnia ſorte,
Et noua fœminei ſurgent in robora nerui.
Henricus fruſtra Catharinæ hymenæa popoſcit
Vincla, maritaleſq; thoros & regia ſumpſit
Nomina: vt hæredis titulo veneratior eſſet
Liligeræ plæbi. Quin & regale numiſma
Cudit in inſuetos vultus: iſtiſq; colorem
Dat lex connubij. ſed eo proceſſerit vſq;
Infenſi longa ira dei. iam proſpera Gallis
Sidera naſcentur: redeunt & tempora paci.
Altera lux cæcas noctis diſcuſſerat vmbras
Surgit Ioanna, & patrui feſtina penates
Ingreditur. viſæq; refert miracula formæ.
¶Vallicori præſes tum Baudrecurtus agebat:
Cui præſtans animi virtus, & multa gerendi
Dexteritas belli. Patruo comitata puella
Tendit eo greſſum, & tales dat pectore voces.
Huc ego prodigiis cæleſtibus acta venire
Cogor: & inſueti reſerare oracula caſus,
Mira tibi auditu referam: quæ forte probabis
Dum plene tibi ſuſceptum innoteſcere verbum
Cœperit. obſcuris cum nox inuoluitur vmbris,
Sæpe ego ſecreto thalami concluſa receſſu
Angelicam vocem accepi, quæ regia ſuadet
Tecta petam, vt regno pacem, populoq; ſalutem
Hoſte feram pulſo. primæ non credula voci
Reſtiteram ſexu imbelli reuocata: nec æquos
Cenſueram monitus, qui inſanum Martis amorē
Ingererent. ſed verba eadem quæ ſæpius hauſi
Haud dubiam fecere fidem: ſtant omnia certis
Explorata vijs. nihil eſt quod debeat vltra
Admonuiſſe deus: maiora requirere inane eſt.
Quotidie oſtentis oculi obtunduntur, & aures.
Conceptum da præſes iter: liceatq; ſubire
Quod volumus. nam liligeris cum rebus agetur
Proſperius: ſic fata iubent, ſic imperat æther.
¶Hæc ait, & facto dicendi fine parumper
Temperat a verbis demiſſa fronte. Robertus
Tandem ſubridens, dedignatuſq; puellam,
Mentis inops quid conaris? quæ cura fatigat?
Vade domum (dixit) diſtento ventre capellas
Nox vocat ad caulam: ruri paſcentibus agnis
Inſidias tecta molitur fraude Lychaon.
Ad ſtabuli regreſſa fores bos mugit: hariſq;
Claudit nemo ſues, non eſt præſepia fœno
Qui ſtruat: omne pecus (te nūc abſente) vagatur.
Scilicet id curæ eſt ſuperis (te vindice) Gallos
Reſtitui: torto deducas ſtamina fuſo
Vnde tuis cudas arma expedientia bellis.
Quid leuis afflicto conducas fœmina regno?
Seria ſi mauis (nimium ne forte iocemur)
Natales inuiſe agros, vetuloſq; parentes:
Et qui forte domi per tot tibi bella ſuperſunt
Sedula paſce greges. nec enim capiaris amore
Militiæ: te vana fides, te ſomnia ducunt.
Hactenꝰ iſta ſatis: motam compeſce phreneſim.
Arma decēt alios: fabricatur nubila Morpheus,
Vnde ſub obſcura ſurgunt inſomnia nocte.
¶Hæc & plura bonus præſes reſponſa ferebat:
Id non eſſe ratus conſultæ mentis, anili
Fœmineæ vocis monitu prodire ſub ora
Principis: & nugas, monſtroſaq; ſigna referre.
Sed conſtans iterum atq; iterum regreſſa virago
Non ſannas timet, aut ridentis ſcommata vulgi:

Nec præfert muliebre aliquid, firmatur eodem
Propoſiti voto, & nulla leuitate vacillat.
Gallia (ait) non hac ſoluetur peſte, priuſq̃
Ipſa Caledoniam gladio percuſſero gentem.
Si pedibus duros impingere ſemita callos
Debeat, aut ſit opus geminis obrepere palmis:
Ingrediar vel ſola viam: nam nulla poteſtas
Sufficiet Bethfortiadas expellere regno,
Si non impoſiti perfungar munere belli.
❡Quid faciat præſes, quid ſit ratione ſequendũ
Ambigit: hinc illinc videas pugnantia naſci
Argumenta: ſed hæc tandem ſententia ſedit,
Vt Loſcos adeat: quia quo impulſore puella
Talia mẽte agitet: non eſt dignoſcere promptũ.
Accingit ſe læta viæ, comitantur euntem
Collecti miſera rerum pro ſorte miniſtri.
Mox procul exurgunt tectis flammantibus arces
Rex vbi belligeros verſabat corde tumultus.
Quem geſtit virgo affari, mandataq; coram
Edere: vt impulſam ſecreto numine mentem
Nemo neget: ſic & greſſum componit, & ora
Grata gerit, cunctiſq; bonum prænuntiat omen.
❡Poſtq̃ introgreſſos cœperunt atria: regem
Pronus adit Pulengeius, ſupplexq; profatur.
❡Nos tua non ægre tulerit clæmentia princeps
Inclyte: quandoquidem ſi non audire pigebit,
Accipies caſum exemplo fortaſſe carentem.
Ad Baudrecurtum (cui credita cura regendæ
Vallicoris) nil tale ratum miranda puella
Venit, & id ſuperis dicit monitoribus: eſſe
Crediderat nugas, deliraq; verba Robertus:
Propterea ab ſeſe dimiſſam, terq; quaterq;
In patriam remeare iubet, mentiſq; furorem
Ponere: quinetiam comploſis ſibila palmis
Ingeminat crebro puerorum turba: ſed vſq;
Perſiſtit cœpto, & multum ſe profore ſpondet
Fortunæ rex magne tuæ. in plæriſq; rogata
Fœmineum ſupra morem reſpondet: ineptum
Effutit nihil, inceſſu promittit & ore
Grãde aliquid: totus (nec enim pudet iſta fateri)
In diuerſa trahor: rem non emittere vulgo
Mens fuit: at diuum veriti contemnere numen,
Poſt longos monitus, importunumq; puellæ
Venimus impulſum. Summa cælatur abyſſo,
Trãſq; hoĩem ſcãdit quicquid molitur olympus.
En noſtræ rex ſumma viæ. Tu ex ore puellæ
Cætera cognoſces. at noſtris quæſumus auſis
Da veniam: nam cauſa tui ſyncæra merendi
Appulit huc noſtros greſſus, timidoſq; coegit
Aſpera conditio, & tempeſtas plena malorum.
❡Virgineæ voci facili non credidit aure
Carolus: ambiguos vulgato murmure patres
Inuaſit ſtupor immodicus. Sed digna referri
Res viſa eſt ad Pictauæ conſulta palæſtrę.
Dicta dies aderat: venit in commune theatrum
Ancipitis prolata palam diſcuſſio nodi.
Ordine quenq; ſuo capiunt ſubſellia: non vox
Auditur, non fit ſtrepitus: tenuere vocati
Ora patres: ſed cuius erat prouincia fandi
(Innuit vt præſes) tali ſermone perorat.
❡Egregij patres noſtris quæ cauſa vocandi
Concilij: miſera perculſum clade fatiſcit
Imperium, læuos ſic torquent ſidera fluxus.
Sed procinctus in hæc rerum diſpendia ſudor
Militet: aduerſas hyemes ſuperare ferendo
Eſt opus: haud vero contra pugnare vetamur
Irritata pijs flectendo numina votis,
Aut etiam (ſi mens nobis induſtria) vires
Exercendo animi: patrum inconſulta libido
Forſitan immites carpſit de viribus vuas
Et ſtupidi dentes poſt indoluere nepotum.
Omnia iandudum ingenti trepidare tumultu
Cernitis: hanc peſtem noſtris quæ cauſa diebus
Intulerit: modicæ non eſt indicere molis
Quicquid id eſt, ſiue aſtrigero vis indita cœlo
Voluerit hoc fatale malum, ſeu quilibet alter
Ignotus diuorum, & ineluctabilis ordo
Hos Gallis ferat influxus, radioſq; maligni
Sideris: haud ideo virtus tabeſcat inerti
Segnicie: tantis bellorum fluctibus acres
Obuia firmemus veſtigia: ſpes bona mentes
Erigat inuictas: tot forte laboribus actos
Eripient olim ſuperi, & meliora quietem
Fata dabunt: felix aliquid mens augurat huius
Virginis auſpicio cui præſens cura laborat.
Res penſanda tamen magno eſt examine: quãdo
A ſolita rerum diſcedit lege: frequenter
Aſpicias flores pulchra qui veſte renident
Naribus admotos tetrum ſpirare vaporem.
Dicite (quandoquidem conuenimus illius ergo)
Quæ vobis ſit iudicibus credenda puella.
❡Aſſurgit venerãdus eques, cui plurima frõti
Canicies: cui membra tremunt effœta ſenili
Pondere: militiæ longæuo exercitus vſu.
Rege ſub extincto multis ſtipendia luſtris
Fecerat (emeritus q̃uis a marte vacaret)
Concilijs aſtare tamen plærunq; iubebat
Carolus: audibatq; libens quid ſuadeat heros.
In primis vbi de belli ratione gerendi
Quæſtio verſatur: non primo verba recepit
Virginis, ex altis effert tum talia roſtris.
Eſt vetus elogium, non protinus omnia credi

Aurea,quæ videas auri præferre colorem.
Fœmina res armis incommoda,fœmina praui
Ingenij:longe effreni pugnacior ore.
Fœmina,q̃ gladio,commiſſi perfida cuſtos.
Non ea lex belli,non author fœmina pacis.
¶Fœmineis ſunt plena malis quæcunqꝫ vetuſtæ
Produnt hiſtoriæ.nil fœmina linquit inauſum
Quo furor impellit,mentiſqꝫ inſania verſat.
Fœmina verſicolor mõſtrũ.numerare profuſam
Quis queat heroum ſeriem, quos perdidit olim
Fœmineum ſcelus? Argiuas in Pergama claſſes
Tyndaris exciuit:cadit hinc fortiſſimus ille
Hector adulterij pretium. cadit hinc & Achilles
Et præſtans vtrinqꝫ genus. Lauinia pene
Relliquias Troum exhauſit. Sanſonis adẽptũ eſt
Robur ab externa meretrice.nec ille prophetes
Eximius caſſem effugit ſpeculatus ab alto
Balnea Berſabeæ. Non extricabile vinclum
Scorta tetenderunt Salomoni,vt ſacra focoſqꝫ
Poneret idolis.Sed tanta piacla patrauit
Vxor Achab,ſumma quæ præcipitata feneſtra
Interijt.regni dum quærit Athalia ſceptrum:
Perſequitur regale genus,ſtirpemqꝫ relictam.
At verbis modus abfuerit ſi cuncta requiram.
Leſbia Nictymene patri miſcetur:idemqꝫ
Myrrha ſubit facinꝰ,nec fœda Semiramis horret
Concubitum prolis:fraterno Biblis amore
Turpiter efferuet: Niſum ſua filia prodit.
Laodice eſt infida viro. cadit enſe Phareus
Coniugis.incæſto temeratur crimine Locris.
Vix Meſſalinæ meminiſſe libidinis auſim.
Claudius,Albinuſqꝫ dato periere veneno
Fraude maritarum. priuignum Theſeos vxor
Exarſit:caſtumqꝫ extrema in fata popoſcit.
Quem nequit Euriſtheus,ſed nec Saturnia Iuno
Vincere,fatali conflagrat coniugis igne
Inclytus Alcides:ſic paſſim fœmina præceps
Fertur in omne ſcelus ſæuæ de more leęnæ.
¶Sed quid in annales & priſca diaria tanto
Effluo digreſſu:ſatis eſt meminiſſe ſuperba
Proferre imperia,anguſtoſqꝫ extendere fines
Fœminei non eſſe animi. Cognouimus olim
(Dum melior ſanguis vegetaret robora) magnos
Tum bello,tum pace duces:qui inſignibus actis
Egregias laudes,& Francæ ſceptra coronæ
Plenius ornarunt:ſed non regnabat anilis
Hæc leuitas:anceps quid pendet ab ore puellæ
Curia:dum tantis agitur res noſtra periclis.
Quid non Aurelios dura obſidione leuamus?
Quę ſpes tãta moræ,propius dũ cernimꝰ hoſtẽ?
Sit vbi anguſtas ſeptenis fluxibus vndas
Euripus tollens,ventos vocat,& Iouis ignes:
Aut cum cœlum oriens pluuiales eleuat Hædos:
Puppe ſedens rector properat fundare carinas:
Lintea conuoluit,firmatqꝫ in littore naues:
Ne ferat illiſam vehemens impulſio claſſem.
Sic toto obnixu collectis viribus ire
Vnanimes in bella iubet miſerabile tempus.
Non maleæ rupes,non cyclopeia ſaxa
Incidimus:longe obruimur grauiore procella.
Ecce ſoporatis omnes tamen ocia curis
Ducimus: & (tanq̃ defecerit omne virile
Robur) ad agreſtis fugimus vexilla puellæ
Quid reſides torpent animi? quid ſegnia corda
Non tandem accenſo ſurgunt in prælia marte?
Hoc præſens quis non videat reptare venenum?
Non ſecus ac totos paulatim cancer in artus
Serpit:& infectis reſpergit corpora ſulcis.
¶Talibus effatus ſenior plæroſqꝫ trahebat
In ſua vota patres:qui non ſperare futuram
Audebant ex fœminea virtute ſalutem.
Adde quod aſtantis pars non temnenda ſenatus
Duxerat indignam,celebris cui concio tantum
Deferat hæc (aiunt) tanti figmenta bubulcæ
Cur facimus? ſi forte deus decreuerit hoſtem
Pellere:noſtrates non deficit inclyta virtus:
Molliri qui audenter opus tam nobile poſſint.
¶Interrupti operis dum ſic ſententia pendet:
Succenſet virgo armipotens,ægreqꝫ repulſam
Suſtinet:imbibitum vix diſſimulare furorem
Flamma accenſa poteſt:qꝫ ſi mora longius iſſet,
Acrior (vt referunt) ſuccreuerat ira puellæ:
Ira per incerti gladios ruitura duelli:
Qua me ſtultitia,qua me leuitate notandam
Creditis o patres? armis ſi forſitan (inquit)
Apta minus videar,ſtricto procurrere ferro
Annuite. hæc noſtri ſint prima pericula martis:
Si cuiq̃ vis tanta animo:deſcendat in æquæ
Planiciem pugnæ:mihi ſi victoria cedat
Credite victrici,noſter ſi vicerit hoſtis:
Cõpede vincta abeam,& cũctis ſim fabula ſeclis.
Dixerat:hinc patres aliquot labentibus horis
Conſultãt:nam grande aliquid cõſtãtia præfert
Virginis.at vero fierent cum talia:Petrus
Intererat:quo Meldi initæ poſt fœdera pacis
Præſule ſunt vſi:taleſqꝫ dat ore loquelas.
¶Fluctuat incertis ſtudijs mens anxia:poſtq̃
In ſacros feror annales.nam multa legenti
Occurrunt paſſim implexos facientia nodos:
Quę ſphigis domitor neq̃t diſſoluere,nõ phrix
Gordius.haud aliter q̃ dum Minoia tecta
Dædalios habuere ſinus per mille viarum

Ambages.vt progreſſos contingere prima
Limina vix licet:paucis tamen edere coram
Inſtitui, quod præſentem conducat in vſum.
Noſtis apoſtolico perſuaſi dogmate:non mox
Omni ſpiritui credendum:ſæpe malignos
Vidimus in lucem ſe transformare ſathanes,
Multaq; in incautos moliri retia greſſus:
Vnde ſubit præceps & mens,& corpus amaram
Curarum molem,& medijs Cocytidos vndis
Mergitur,abrupto noctéſq; dieſq; ſopore.
Eſt paucis data ſpirituum diſcretio:ſæpe
Vultus ouem ſimulat,tamen eſſe lychaona diſces
Aſpiciens intro. ſed quem tam lyncea cingunt
Lumina qui mentes penetret?cæcutit in iſtis
Lippus homo,& falſa caligat imagine viſus.
¶Venturos quis mendaces falſoſq; prophetas
Neſciat,illectam ſolitos eludere plæbem
Præſtigijs,& carminibus?nec deeſſe putentur
Angelicis qui ſe iactent congreſſibus vti,
Vt liceat tali nugas prætexere fuco.
Sic pius Aegeriæ lucos rex ille Sabinus
Fingebat petere,& diua monitrice probatos
Tradere Romulidis ritus:ſic ipſe Licurgus
Ciuibus inſtituit ſimulato numine leges.
Sed tam ſacrilegi ſceleris damnare puellam
Non auſim temere,quando me iudice multam
Frontis honeſtatem præfert:rem fraude carere
Auguror:innocuam prætendunt omnia mẽtem.
Cum ſubit iſtius mihi tempeſtatis imago:
Oedipodæ videor traiectas cernere plantas,
Atq; canem Ciri altricem & porrecta Quirino
Vbera,& inuiſum quod Gyges repperit aurum.
Veſcentemq; Abidis ceruino lacte iuuentam.
Omnibus his quanq̃ primæ fuit aſpera vitæ
Conditio:tandem mutata ſorte potentes
Accepere thronos:ſic forſan Carolus olim
Proferet exhauſtis illuſtria ſceptra periclis.
Siſtatur nobis coram tentanda puella:
Plurima ſcrutantes vltro citroq; legemus
Quæ mẽtis facies: Nec em̃ via prõptior vlla eſt,
Si ſedet occultos certos cognoſcere mores:
Iuſſa petit virgo conclaue,& talia fatur.
¶Heu quid tam differre iuuat cõſulte ſenatus
En(vbi cunctando longas abſumitis horas)
Ignibus & ferro Genabinæ proxima gentis
Mœnia luſtrantur: curis inſomnibus acti
Impallent ciues, & non miſereſcitis:empta eſt
Hæc grauitas magno:toties audiſſe poteſtis
Quæ mandata ſequor:ſi res inſueta,neceſſe eſt
Exaudire tamen quicquid deus imperat author.
Quæritis vnde genus: Natalem protulit ortum
Auſtraſiæ limes,Darco ſum nata parente:
Per patriæ fines vitreis Moſa labitur vndis:
Dompremio nomen vico.Tullenſe perunxit
Chriſma mihi caput:& luſtrali fonte renatæ
Nomen Ioannæ poni voluere parentes.
Non ſublime genus,tenui ſed viuit agello
Contentus genitor:primæ data cura iuuentæ
Lanigeri gregis,at poſtq̃ maturuit ætas
Altior:& quartæ tetigit trieteridis annos:
Vix egreſſa domo maternis ſemper adhæſi
Sedula in obſequijs.Magicis ne credite patres
Artibus implicitam:quarum nec nomina noui.
¶Cum patrios aliquando greges in paſcua rura
Egiſſem cuſtos,timidas vox cælitus aures
Lapſa ſubit:quæ Liligeras me viſere ſedes
Terq; quaterq; iubet. Non mox audita recepi:
Erubui primo,Nec talia prodere cuiq̃
Auſa fui:longa incubuit nutatio menti.
Nanq; hyemes pluſq̃ ternas his fluctibus egi
Sub media plærunq; die,plærunq; ſub vmbris
Iſta tuli: tandem tot monſtris acta petiui
Vallicorem:multoſq; dies contempta reſedi
Paupere veſtitu.Sed poſtq̃ ſæpius iſtos
Accepi monitus,tardi incuſata timoris:
Præfecti demum(patruo duce)limen adiui
Obteſtans in Caionem me mitteret arcem,
Rex vbi voluebat curas,& mœſtus agebat:
Tum me veſte & equo donant nummiſq; puſillis
Indigenæ.Pullengeius comitante Coletto
Ducendam recipit:nec iter(licet vndiq; ſeptum
Hoſtibus)vlla tulit diſcrimina:ſed ſatis iſta
Non faciunt fidei,quæ ſigna requiritis?ignem
Non deduco polis,nec hiulca tonitrua cudo.
Aurelios veni miſera ſubducere clade:
Iſtæc primitias noſtri ſperate laboris.
Inde petet Remos ſacro tingendus oliuo
Carolus:& pulſis late dominabitur Anglis.
En vobis ea ſigna fero.reducemq; videbunt
Aurelij dominum.Tãtum eſt opus arma viroſq;
Contrahi:& audentes in bella coire maniplos.
Si deus affuerit,quid vos concuſſerit hoſtis?
¶Sæpi9 hæc memor ĩs repetebat virgo,ſtuporq;
Omnibus inceſſit:ſed(quom cunctatio magnam
Perniciem illatura foret)concorditer omnes
Decernunt nullum eſſe nephas,nec lege vetari:
Quod ſtudio tantæ pietatis virgo requirit.
Tantiſper iuſſa arma ferat,dum nulla reclamet
Relligio:fortaſſe deus ſic reſtituet rem.
¶Iamq; ierat totam fama euulgata per vrbem,
Finibus Auſtraſiæ nuper veniſſe puellam
Viſibus inſignem belli,nomenq; profeſſam

Virgineum:mixtamqꝫ viris cum cælibe vita.
Forte aderat præſtans Siculi regina Pelori
Carlæq; vxoris genitrix:tentare pudorem
Conſtituit.veteres non ignaraſqꝫ negoti
Matronas iubet exquiri,ſed pura refulſit
Corporis integritas:nam tris vbi contigit annos
Virgo ſupra decimum venerem illibata negauit.
Turoni primo mauortia ſuſcipit arma:
Hinc repetit regem cauſam pertæſa morandi.

ℭFINIS PRIMI LIBRI.

ℭArgumentum ſecundi Libri.

ℭPrimo habetur Aurelianenſiũ ad Carolũ legatio. Mœſta Caroli ad deum oratio. Annonę ad Aurelios delatio. Aurelianenſiũ exultatio. Ioannæ ad Anglos epiſtola. Obſidionis deſcriptio. Dunenſis ad proceres oratio. Ioannæ pro inuadendis Anglis exhortatio. Francorũ in Anglos congreſſio. Mira Ioannæ decertatio. Francorum in agro pernoctatio. Literarũ apud adoleſcentes deprehenſio. Apparatus belli primo diluculo. Gallorum & Anglorum ferox dimicatio. Anaſtrophe ad Talebotũ ſuis nõ opitulantẽ. Arcis & vallorũ per Frãcos demolitio.

ℭSequitur Liber Secundus.

ALtera lux cœlos aperit: quom viſa per agros
Turba equitum micat, & pernix allabitur vrbi:
Mox regem introgreſſi adeũt,& talia fantur.
Maxime rex mœſta Aurelij te voce ſalutant:
O genus infelix, tua ni clæmentia tantam
Alleuet ærumnam gentis,cui grandis egeſtas
Ingruit:ex omniqꝫ premit penuria parte.
Iam vinum paſſim exhauſtum,cõſumptaqꝫ rerũ
Eſt omnis penus:in panem formatur auena,
Hordeaqꝫ inſuetos gentis vertuntur ad vſus.
Adde ꝙ ad ſiliquas pecuino more videres
Mendicam plebem facto plærunqꝫ tumultu
Currere:quo paſcat lactentia pignora mater
Non habet. hãc ipſã vix credas optime princeps
Pauperiem:moribũdum vrbis per cõpita vulgus
Sternitur:haud tuto ſeruantur limine ciues.
Nam ruit euulſis inopum manus effera valuis
Direptura cibum,& võturam quicquid in eſcam
Sedibus occultis tectum conclaue reponit.
ℭAltera non leuior clades deſæuit in vrbem:
Q̃ longum metitur iter Latonia lampas,
Donec ab Eois extremos viſat Iberos:
Euomit ignitas hoſtilis machina glandes:
Sulfureiqꝫ volant alto ſtridore molares.
Qualis in Æolijs(ſi vera eſt fama)caminis
Auditur fragor aſſiduus:dum fulmen hiulcum
Perſtrepit:& Liparam vaſtus circũſonat horror.
Vidimus in crebris plærunqꝫ cadauera vicis
Per medios diſſecta artus,truncoſqꝫ carentes
Verticibus,dum grandiſono terrore pilarum
Ampla venit ſeges,in noſtros vibrata penates.
Tum cellis imbelle genus,cameriſqꝫ repandis
Delitet.& iuſtos vix dena puerpera quæqꝫ
Peruenit ad menſes crebra eſt & abortio prolis.
ℭQuid vero magis indignum rex optime:ſacris
Armorum cruda impietas non parcit,ab alto
Culmine templa ruunt:expilatiſqꝫ cremantur
Sacrificis vtenſilibus.Sed quanta ſub vrbis
Mœnibus euerti ſors intempeſta coegit?
Eſt certum tamẽ extremas prius ire ſub vmbras,
Q̃ parere iugo(te reclamante)Britanno.
Sed tu coge potens coeuntibus vndiqꝫ turmis
Subſidium, vt preſſos longo diſcrimine ciues
Eripias:viden inde tuæ pendere Coronæ
Grãde bonũ?iam noſſe potes rex inclyte,noſtræ
Quanta fides vrbis:ſegetum ſed robur ademit
Horrida tẽpeſtas,& hyems tam longa malorum.
ℭA Ligeri quicquid deuergit Sequanę ad vndas:
(Adde alias gentes Arctoi ad ſydera plauſtri)
Militat hoſtili imperio & capitalis habetur
Noxa,tuum nomen ſi cuiq̃ in finibus illis
Excidat ore:vides odijs q̃ certat iniquis
Anglia Valleſiæ titulos extinguere gentis.
Si noſtro ſpolieris agro,ſi cœperit vrbem
Cangiacus miles:ſua mox tentoria Loſcis
Inferet:& rapidum traducet caſtra Garunnam.
Quæ tunc te ſedes capient?quæ tuta manebunt
Oppida?tam diram auertãt pia numina peſtem.
Non ſecus ac pulſis crebræ alluuione procellæ
Aggeribus Nereus vndoſos eleuat æſtus,
Paulatimqꝫ ſubit congeſtæ viſcera terræ:
Quaſſat & auulſis pugnantia littora glebis.
Si tandem impulſu aſſiduo colliſa dehiſcant
Clauſtra:furit Thetis quæ non compeſcitur vlla
Obice,vicinos late diffuſa per agros:
Nil abit intactum,ſpumoſas colligit vndas
Per virides campos,& ſtant plena omnia cœno.
Sic modo cui nõ perſpectũ eſt, mox affore tẽpus
(Si non explicitis obſiſtas viribus)vt te
Subiectamqꝫ tibi ditionem immanior hoſtis

Vndiq; proturbet: tanta hæc incendia cures
Ocyus extingui: toties quid abimus inanes
Et ſpe fraudati auxilij? tibi conſule tandem:
Fortunamq; tuam tutare virilibus armis.
¶Nondum ſolis equos inflexa ſcorpio cauda
Contigerat: noſtram dum caſtra tetendit in vrbē
Salbericus miles: ſed iam micat hoſpite Phœbo
Portitor Europæ. cernis q̄ noxia durat
Obſidio: noſtræ pie rex miſereſce querelæ.
¶Legatis promittit opem, annonamq; ferēdam
Carolus: & curas verbis demulcet amicis.
Sed quid opus longis hærere ambagibus: adſunt
Omnia quæ poſcant concepta negotia belli.
Ante tamen q̄ carpat iter Franconia pubes,
Carolus armatam compellat voce puellam.
¶Si quicq̄ conferre potes generoſa virago
Vt lacerę inſtaurentur opes, & bella fugatis
Emigrent procul Angligenis: gratiſſimus iſto
In ſudore labor. Sed ſi quid noſtra vetabit
Religio, videas id ne tentaueris: ipſis
Dæmonibus tecum ne ſint commertia, nec te
Illicitis conuerte aris. Plutonia caſtra
Nolo in opem noſtram ſaga illiciente vocari.
Huc tamen hortatu ſuperum ſi veneris: armis
Et licitis rebus non interdicimus: ipſo
Munere quodcunq; eſt, & pleno fungere voto.
Arma tibi turmaſq; virum decernimus: i nunc
Quo deus aſpirat, Genabiq; inuiſe penates.
¶At ne virgineo pellectus miles amore
Ignibus ardeſcat veneris: vel ſola grabato
Dum cubat, incauto quiſq̄ paret arma pudori:
Aulonio generoſo equiti data cura Puellæ:
Contius & præſtans iuuenis comes vſq; ſecutus.
Illicet afferri quem prodidit angelus enſem
Virgo iubet, lateriq; addit. tum Carolus alta
Lilia mente notat: portendi talia vanis
Non ratus augurijs, mentem nec opinio luſit.
Donec enim vitam curis caſtrenſibus egit:
Dimicuit gladio ſic fuſa potenter in hoſtem
Vt trepident actæ magno terrore Phalanges
Brutigenum: procul exertus dum ſplēdicat enſis.
Carolus hac rerum motus nouitate, ſimulq;
Aureliæ caſum miſerans, animoq; reuoluens
Belligeram ſortem: thalami penetralia ſolus
Ingreditur, lachrymiſq; deum liquentibus orat.
¶O rebus tandem ex alto deus aſpice: turpi
Abdicor exilio: quæ culpa impuberis æui
Has meruit pœnas? quæ tanti cauſa flagelli?
O vitæ genus infelix: cur tam miſer aura
Perfruor ætherea? cur me non abdidit vmbris
Prima dies qua ſum donatus munere lucis?
Si non legitimis Francorum legibus hæres
Euocor ad regni ſceptrum, ſi forſitan alter
Gratior eſt ſuperis: ſupplex tua numina poſco
Tu qui regnorum dator es, qui pacis amator:
Hāc potius mœrentē animam de corpore tolle,
Q̄ me authore diu populum Bellona fatiget.
Si noſtri tamen exitij ſententia nondum
Sit ſtata, ſi quicq̄ liceat ſperare ſalutis:
Aureliam triſti prohibe ſuccumbere fato,
Et rege virgineas in cœpta negotia vires.
Iuris inops hoſtis per rura, per oppida ſęuit:
Remq; gerit ferro, & culpæ prętexere credit
Germanę thalamū. Sed lex antiqua reclamat:
Nec priſci voluere patres hoc nobile regnum
Fœmineo parere iugo. Diſpēdia primus
Experiar? lex ęqua meis violabitur annis?
Spumantem conſcendit equū Cāpana propago,
Et quæ nuper erat moderandi neſcia freni,
Quadrupedātū animos, & preſſum naribꝰ ignē
Mitigat. hoc ſtudiū Getico ſub Marte putares
Egregie doctam: tali regit ordine turmas.
Hos in fronte gradi, maturis paſſibus illos
Pone ſequi, inq; data quemuis incedere ſorte
Imperat: & recta partitur ſingula lege.
Dumq; iter agmen obit, prętexunt æthera nubes
Puluere concretæ: ferrato in tegmine claſſes
Erectis feruent animis. pars hęret in ipſa
Virgine: demirans geſtus, artemq; regendæ
Militiæ. Procul aſſurgunt fumantia tecta
Bleſorum: ſubeunt proceres, defeſſaq; curant
Corpora, & exiguo concedunt lumina ſomno.
Nocte fere tota pars maxima pendet habendis
Conſilijs: ancepſq; tenet ſentētia patres,
Qua poſſint tuto Aurelias accedere ſedes:
Nanq; Caledonio cinguntur mœnia vallo,
Vt quacunq; ferāt Galli veſtigia: ſemper
Obuius hoſtis eat. quales in vere ſereno
Sol vbi in occidui tractum deſcendit olympi
Aeriæ ſtipantur apes aluearia circum:
Veſtibuloq; ſedent florum melliſq; refertę.
Stat tandem inſidijs, & ſubſeſſore carentes
Explorare locos. nam lento plauſtra rotatu
Multiplicemq; penū per apertos ducere cāpos
Expedit: & quicquid fert martis ahęna ſupellex.
Millenæ numerentur oues, totidemq; tenelli
Matribus acclamant, pendentq; ex vbere fœtus.
Inde boum longam ſeriem, genus inde caprinū,
Setigerumq; pecus ſuffertaq; dolia pingui
Aſpicias lardo & petaſone: hinc optima plenis
Spumant vina cadis, Cereremq; aſſuta recōdunt
Lintea, feruentes pecuaria pabula rhedas

Grandi mole premūt, & anhelis frōtibus inſtāt
Cornipedes: ſtillatꝗ imis palearibus humor
Pendulus, vt ſumma ſuperent veſtigia terra.
¶His acies inſtructa modis, per Belſica rura
Progreditur: pugnam ſi Mars fortaſſe ciebit
Aptior eſt ſedes, & campi planius æquor.
Occultæ ſunt nulla viæ diuortia: nullæ
Subſidunt valles, non ſcrupea ſaxa locorum
Prȩcludunt aditus. non obuia fit Iouis arbor:
Nec populna ſeges tectis effunditur vmbris.
Aequa ſoli facies, non eſt vbi torue Procuſtes
Deliteas, hic ſola Ceres, & mitis Iacchus.
Illicet explicitis pubes Franconia ſignis
Hoſtili coram aſpectu ſe mœnibus infert.
¶Quis feſtos memoret plauſus, qs gaudia ꝑdat
Carmine? reſpirant inſpecta virgine ciues.
Læta pios edunt gemitus præcordia: fracto
Thure litant omnes, dilucent ignibus aræ:
Et ſuperis dignas impendit victima grates.
Vt cum forte graues impreſſit Syrius ȩſtus:
Purpurei impallent flores, pronumꝗ recumbit
Gramen humi, & ſiccis peſtana roſaria marcent
Caudicibus: tum ſi Thaumantias exeret arcus
Imbriferos, totumꝗ Iouemꝗ miſcebit Orion:
Priſtina mox facies nitet inſtaurata viretis,
Prociduumꝗ caput firmato caule reſurgit,
Intumet & botris. ſic Aureliana iuuentus
Quæ confecta inopi macie vix membra trahebat
In vires animumꝗ redit: ſanguiſꝗ per ora
Enitet, & ſpeciem mixto candore venuſtat.
Ante Brigantinos q̃ virgo laceſſeret armis
Has monitore deo fertur ſcripſiſſe tabellas.
¶Si forſan veſtras nōdum mea nomina ad aures
Detulerit rumor: venturam nuncio pacem
Liligeris. iam bella ſatis progreſſa: nec vltra
Affliget populum manus indignata tonantis.
In patrios migrate lares, Neptunia Doris
Vos reuocat: tranate fretum, Franconia rura
Linquite: miteſcat belli furor. hactenus omnis
Gallia crudeli depreſſa tyrannide finem
Tandem exorauit, requiem inuenere labores.
Me nuper deus hæc vobis quæ verba referrem
Miſit in hos tractus. miror (ne cætera dicam)
Tot damnis cur non pudeat vexare carentem
Patrono populum: acceptamꝗ datamꝗ decebat
Non temerare fidem. Aurelio cū principe pacti
Immemores eſtis: neꝗ vos rata fœdera tangunt.
Non vobis titulos, non aſcribatis honorem
Militiæ: non veſtra manus ſed vindicis ira
Aetherei, Gallos hæc in diſcrimina merſit.
Vos vidui repetunt thalami, nuptæꝗ gementes,
Et veſtræ metuunt vitæ, fideiꝗ iugali.
Hinc procul ite: procul Gallis abſiſtite terris
Dum tuta licet ire via. Si recta monentem
Spreueritis: diram vobis præſagio cladem.
Anglorum proceres lectis riſere tabellis
Gutturæ Sentoreo: noſtrȩ (aiunt) cura ſalutis
Eſt Arminiacæ meretrici? ſed magis illis
Conſulat ipſa procis quos tanto deperit igne.
¶Poſtera lux pulſa caligine ſparſerat orbem
Leucotheæ radijs: thalamos egreſſa puella
Accingit ſua membra armis, coramꝗ vocato
Agmine nobilium, monitis prudentibus orat.
In primis non frangi animos, nec hebeſcere vires
Admonet, & tantum Francis opus eſſe virili
Pectore: ſubſidium cœlo ireſꝗ ferente.
Anglus in aduerſa pontis regione locarat
Armipotēs vallū: Aurelij patris haud ꝓcul ædē:
Hic qui ſorte datam ſtationem miles habebat,
Plurima molitus miſerandæ incommoda genti
Aſſidue iactis quatiebat mœnia ſaxis.
Ne vero annonam deferri aut arma liceret
Indigenis, pontem trabibus tigniſꝗ reuulſis
Glaſſidus in medias fluuij demerſerat vndas.
Hinc tardo niſi remigi lentamine in vrbem
Nulla via eſt, licet omnigenam Sicalonia frugem
Educet: vnde opibus late Ligerina redundant
Oppida: pacificos voluunt vbi ſydera fluxus.
Hæc tum Duneius percurrit dicta Comarchus
¶Eia agite o proceres validis concurrite neruis:
Vos penes eſt Francæ ſpes & tutela coronæ.
Liberȩ ſemotis poſthac annona periclis
Vt veniat ſternamus iter: nunc vindice ferro
(Dum licet) vtamur: pacis ſic munus emendum.
Vrbis in aſpectu tentoria fixit ad auſtrum
Glaſſidus, aſſumptis Molino Palmatioꝗ.
Illuſtres quos eſſe duces, belliꝗ peritos
Fama refert: interꝗ ſuos loca prima tenere.
Glaſſidus hic varia ſemper nos prȩuenit arte,
Eſt & fraude Sinon, atꝗ aſtu vincit Vlyſſem.
Quippe hinc Salberio plærunꝗ refigere caſtra
Inciderat menti: Sed Glaſſidus ire volentem
Detinuit. nam ſpes potiundȩ inceſſerat vrbis:
Idꝗ breui, quom Liligero de ſtemmate ferret
Suppetias nemo. attoniti hoc diſcrimine ciues,
Burgundo parere duci ſtatuere: ſed Anglus
Abnuit, oblatumꝗ Philippo inuidit honorem.
¶Non ego luſtrandis (inquit) ſudauero dumis
Vt captas ferat alter aues. dum ſub iuga victi
Prociderint: belli impenſas, noſtroſꝗ labores
Plenius exoluent, alieno non meret ære
Noſtra manus: victis leges & iura feremus.

Talia dicenti cauſas,animumq́ꝫ morandi
Glaſſidus innectit,ſpemq́ꝫ exhortatibus auget.
Poſtq̄ autem impulſu fractę dux ipſe feneſtræ
Letiferum excepit vulnus:dum cerneret vrbis
Infelix habitum,reliquis deſiſtere cœpto
Conſilium fuit:atq́ꝫ alias diſquirere ſedes.
Ipſe ſed immotas ſuadet conſiſtere turmas:
Vnius ob fatum (clamat) vis tota Britanni
Agminis oppetit?ſic aufugiſſe pudendum
Crimen erit:noſtraſne ſuo cum funere vires
Extulit?obſeſſis non eſt annona:futuri
Nec ſpes auxilij.iampridem in rure Cuborum
Mœret obęrato viduatus milite ductor.
Cuius ab auſpicijs poſſint ſperare ſalutem.
Quęnam certa fides,quę ferri prona voluntas
Eſſe queat:cum militiæ ſtipendia deſunt.
His tandem acceſſit monitis Henricea pubes,
Hinc mora,& hinc noſtri cōſurgit cauſa pericli.
❡Talia flammata mouerūt bile puellam:
Hanc (ait) o magni heroes quoaduſq́ꝫ feremus
Pauperiem?ſic Aurelia indefenſa peribit?
Siqua ſedet vobis pręſtans in pectore virtus,
Prodeat,& fuſo iam tandem ſanguine pœnas
Infeſti dent hoſpitij Bethfortia caſtra
Glaſſidus hic quiſquis fuerit,quocunq́ꝫ regendi
Agminis ingenio,aut belli præpolleat aſtu:
Pellendus ſtatione venit.trans fluminis vndam
Prima ferar:tectas vincamus robore fraudes:
Vlteriorem adij fœlici remige ripam
Iam ſemel atq́ꝫ iterū,nec enim me pœnitet auſi:
Stagnat adhuc tellus hoſtili imbuta cruore.
Res bene habet,plebs pręſidio firmata potenti
Et locuplete penu longum ſecura pauorē
Exuit:aſpirant dextris inſpectibus vrbi
Siderei fluxus,dira emigrabit Enyo,
Et ſub Liligeros melior fortuna penates
Non multo poſt hoſce dies remeabit: Eodem
Non ſemper Stygiæ proſtabunt limine diræ.
Conſultum nunc ore ſatis:decernere ferro
Pręſtiterit:rapidi circunfundamur in hoſtem.
Huc omni ſtudio iubeamus adeſſe peritos
Nauigij:quæriq́ꝫ inſtructas rite carinas.
❡Hæc vbi dicta: viros ex omni parte refundūt
Compita,ſtipaturq́ꝫ foro promiſcua turba:
Haud ſecus excuſſis per rura Epidauria piſis
Dodonęa acies obliquo circinat arcu,
Et longa tandem ſerie conſidit in agro.
Lēta ſenes huc mēbra trahūt, huc florida pubes
Accelerat.mixtumq́ꝫ viris muliebre videres
Conſilium:nam magnus amor ſpectare puellā,
Gratanturq́ꝫ ſuo generi:fronteſq́ꝫ ſupinas
Attollunt cœlo: & concordibus æthera pulſant
Supplicijs,vt virgineos deus impleat orſus.
Feruidus armigeram ſubducit nauita claſſem:
Hic habet exiles lembos,agit ille biremes:
Conditur omnigenis ſubſultans vnda carinis.
Subſidit Liger,& placida dum ſternitur aura
Leniter admiſſo criſpantur carbaſa vento,
Obnixa incumbunt agitandis brachia remis:
Vt mox extrema cuncti exponantur in ora.
Attigerat primam ſuperato flumine ripam
Francorum manus:audenti ſe pectore in agrum
Proripiunt alacres clamant in littore nautæ:
Atq́ꝫ tenax vnco claſſem premit anchora roſtro.
❡Dum procul incluſis alludere ſuppara ventis
Aſpiciunt Angli,pendereq́ꝫ lilia tonſis:
Attonitis hęſere animis:hei Glaſſidus inquit
Gallica quę nuper viſa eſt marceſcere virtus
Quotidie in robur,nouaq́ꝫ incrementa reſurgit.
Neſcio quid lęuum mens autumat:vnde repente
Influit aduerſi tanta hæc mutatio cœli.
Bis prope ſigniferam luſtrauit Cinthia zonam
Poſtubi vix arces quiſq́ꝫ conſcenderat vrbis:
Tanta impalluerant acti formidine ciues.
At modo conuerſis ſuccedunt omnia fatis.
Nam minimi pendit muros defendere miles?
Ni ſimul Aurelio nos turpiter exigat agro.
Talia dum voluit,ſe murmur in aera fundit
Et vocat altiſonus tardos in bella maniplos
Tympanicen:tenſiſq́ꝫ inflatur buccina neruis.
Atvero heſperias ibat cum ſole ſub vndas
Inclinata dies,egreſſę caſtra priuſq́ꝫ
Prodierint Anglorum acies:conuitia magnis
Vocibus ingeminant Galli,ferroq́ꝫ laceſſunt
Brutiadas.ſed inacceſſo munimine vallum
Condiderant:& non probris potuere vel armis
Hinc prius abduci,q̄ ſe certaminis expes
Credere remigio certat Franconia pubes.
❡Irruit extemplo Gallis Molinus: & ingens
Auditur ferri ſtrepitus,claſſeſq́ꝫ Britannę
Ocyus erumpunt caſtris:nec turbida paruas
Suſtinet ira fores.pede pes compreſſus,& armis
Arma ſonant tremuliſq́ꝫ micāt ſplēdoribꝰ enſes:
Non ſecus ac primo titan vbi ſplendicat ortu
Cum vigil obductas pandit matrona feneſtras,
Idaliæ volucres alto ſtridore cauatis
Exiliunt nidis:vt matutina requirant
Paſcua,& inuito compilent arua colono.
Ecce pharetratis veniunt in prælia turmis
Angligenę: & volucres Parthorum more ſagittas
Obijciunt hoſti. Par eſt vtrinq́ꝫ tumultus
Par furor,& ferri par gliſcit vtrinq́ꝫ libido.

Liligeros ne ſurripiat fuga,neue ſalutem
Claſſe ſibi quærant:feſtinis paſſibus Angli
Vndiqꝫ concurrunt,vt certa incedere lege
Vix tulerit diri ſitis inſatiata duelli.
Ante alios alto proclamat Glaſſidus ore.
Quo Galli vos terror agit?quo pergitis?arma
Sumite,nec veſtram ſoluatis littore claſſem:
Quo nuper ſtrepitus? quo ſe vox tanta ferebat,
Adſumus:audacem pauliſper ſiſtite greſſum,
Turpe erit a nobis ſpoliorum abſcedere inanes.
¶Hęc vbi finierat:venientibus obuia tendit
Francorum manus,& primas aggreſſa cohortes
Armipotens Virgo, magna vi fertur in hoſtem:
Exerit inuentum ſuperis monitoribus enſem,
Quo tribus obuerſis adimit cum ſanguine vitā:
Exanimeſqꝫ atro voluuntur puluere trunci.
Indolet hoc ſocijs:feriunt verſantqꝫ puellam,
Et quatitur crebris fumantes ictibus artus.
Se clypei tegit obiectu,& circumrotat enſem:
Telorum tamen excreſcens cumulatur aceruus.
Quale ſonat denſa percuſſum grandine tectum.
Prodiga ſed vitæ maioribus vſqꝫ periclis
Obijcitur:tutos cum dat via aperta receſſus
Fulminat,& medios vltro procurrit in hoſtes.
At bonus illorſum conuerſa fronte Potonus
Obſtupuit:magnoſqꝫ videns heroidis auſus
Aduolat,& tanto diſcrimine ſoluit anhelam.
Semineces artus querulo ſermone gemiſcunt:
Et miſeras efflant animas,ſupremaqꝫ multis
Palpitat occluſo vox intercepta palato.
¶Illicet vſurus genuina Glaſſidus arte
Se præceps tulit ad Ligerim:ſuccendat vt igni
Aureliam claſſem,rapidus vel ſubruat vndis.
Aſt vbi ſubiectæ ſtrident incendia flammæ,
Et procul attonito ſucclamant gutture nautæ:
Huc iamiam partita acie ſe proripit ardens
Gallorum pubes:mixtim quos atqꝫ Britannos
Littora ſuſcipiunt,& multos obruit vnda.
Nanqꝫ vbi Molini fulgentia conſpicit arma
Darcia progenies:hominem congreſſa potenter
Impulit in latus,& medium detruſit in amnem.
Ter conatus erat dextra contingere ripam,
Atqꝫ exire vadum:ſed propugnantibus armis
Ter gelidos latices auerſo tergore preſſit.
Sic ferus Hipomedon poſt immatura tenelli
Funera Crenei indignantibus occubat vndis.
Hinc alium videt:& ſubridēs,Dux tuus(inquit)
Gurgite ceruleo ſolus decertat aloſis.
I,trepidum comitare ducem:fortaſſis egebit
Auxilio,paribuſqꝫ ſimul piſcabere filis.
Hæc effata,viri flauos rapit vngue capillos
Caſſide diuulſa:& frontem pugione retectam
Traijcit,impactoqꝫ ſalit de vulnere ſanguis.
Multos præterea ſimili fortuna tuliſſet
Exitio:nam ſanguineis Liger intumet vndis:
Et ſub arenoſo radiant procul arma profundo,
Cumqꝫ ſuis extant fluitantia tela pharetris.
Aſt vbi vicinæ noctis venit Heſperus index
In ſua præcipites fugerunt caſtra Britanni.
¶Sacra Auguſtini iampridem templa tenebant
Imperio,& forti ſtiparant aggere prima
Atria:ſecuros vmbræ ſpondentia ſomnos.
Hanc repetunt Galli pulſis cuſtodibus ædem.
Vnicaqꝫ Aurelio ſupereſt caſtrenſis in agro
Machina,quæ ponti contermina ſpectat in arctō.
Quotquot ab inſtanti nox præcipitata periclo
Eripit Angligenas:furtim elabuntur in arcem.
Tum Galli ſtatuere duces hortante puella
Non prius Aureliam claſſem tranare:peruſtum
Q̄ fuerit vallum,vel cæſo pareat hoſte.
Fumantes Titanis equos:tum cerula Doris
Clauſerat hoſpitio,& fugiens Latonia fratris
Igniferos currus,procul exurgebat Eoo
Cardine,non longo rectura volumine noctem:
Vt quæ Theſſalicis iret coniuncta ſagittis.
Itur ad excubias noctis cuſtode Puella:
Et datur occultis aciei teſſera ſignis.
Hac illac tota perluſtrat nocte phalangas:
Aerea nec feſſis ſubducit tegmina membris.
Ora intenta tenet(quoquo ſe vertat)ad ipſam
Angligenum molem:dubia cum Cynthia luce
Sæpius obducto glomeraret nubila cœlo.
Exerit incluſam criſtata caſſide frontem:
Audiat vt ſiquis ſtrepitus,clamorve per auras
Ingruerit.quia ſubſeſſis nox apta parandis.
Excubitor medias ales dum nunciat vmbras:
Ad Ligerim preſſo tendit veſtigia greſſu.
Exploramus(ait)nocturna ſilentia forſan
Diffugiunt hoſtes,augent vel caſtra vocato
Præſidio,nec enim ſomno decumbit inerti
Glaſſidus:occulti ſubterlabamur ad vndam.
Conceptum mox carpit iter,nec limite longo
Ceſſerat:auditur clamor ſtrepituſqꝫ viarum.
Tum depreſſa caput,genibuſqꝫ innixa reſedit.
Et iuſſit comes ſub opaca valle recondi.
En duo feſtinant iuuenes:nam portitor alta
Voce gradū properare iubet,ripæqꝫ propinquāt.
Vtqꝫ procul dumeta vident:mox reſtitit alter:
Infremuitqꝫ artus.tum gutture clamat anhelo,
Fare age q̄ſquis ades,quæ teſſera?quo duce fretꝰ
Hic lateas?qua gente ſatus?quę ſigna ſequaris:
Dixerat.Educto terrere putauerat enſe

Liligeros: ſed virgo inſtat. Veniã inde repoſcunt
Procidui, ponuntq; enſes, & fune ligantur.
Nympha ſub hæc q̃ cauſa viḉquo nocte ſub atra
Tendebatis, ait: pendentem forte crumenam
Corripit ipſa manu inſultãs: loriſq; ſolutis
Detrahit exiguas Anglo ſermone tabellas.
Glaſſidus auxilio Talebotum luce futura
Affore poſcebat, referens lugubria merſi
Funera Molini: Auguſtinenſiq; fugatos
Aede Caledonios, affixaq; lilia valuis
Interea captos iuuenes miſerata Puella
His (inquit) non inferijs placabimus vmbras:
Digna ætas venia, quæ non ſit idonea ferro:
Nec niſi fuſcus honor de ſanguine pẽdet inermi.
Irrita ſpes hoſtem vano cunctamine paſcit:
Rẽ bene fortunant ſuperi: fœlicius omen
Optio non poſcat. ſed nox in caſtra reuerti
Suadet: & heſperijs ſe tingens Scorpius vndis.
Vix Hyperionios dimiſerat Amphitrite
Quadrupedes: cum Liligeri quęcunq; ſuperſunt
Heſterna de ſtrage parant ſuccendere flammis.
Incerti titubant conſpectis ignibus Angli,
Et quid opus facto ignorant: iuueneſq; querũtur
In reditum tardos. multis abſcedere furtim
Conſilium fuit, & ſocijs ſe iungere caſtris
Trans Ligerim, Talebotus vbi tẽdebat, & omnis
Brutiadum vis fuſa ducũ, Sed onuſta ſupellex
Non facilis ſub nocte vehi per fluminis alueum
Obſtitit: addebatq; morę fiduciam in horas
Expectata cohors: effuſo robore quam mox
Spes erat acceptis pugnæ defore chartis.
Atuero Francorum aciẽ, numerumq; recenſent
Ductores primi: vt ſi quis male forſan haberet.
Temperet a ferro, & fomentis alliget artus.
¶Iam reduci fumãt norãtia gramina Phœbo:
Igneſcit cœli facies, vt ſanguine tingi
Nubila credideris, deduciq; æthere Martem.
Armigeras in bella piget tardare Phalanges
Concepto ſic corda calent flammata Gradiuo.
¶Terrificæ cecinere tubę: ſignumq; duelli
Prima dedit Virgo, lituos & tympana totis
Audires reſonare agris. Sic ære ciebat
Miſenus Phrygios, Danaos ſic dexter Enipeus.
Nec reſides vllo torpent marcore Britanni:
Sulphureę ſpes magna pilæ quam mœnia circum
Accumulãt, magnoſq; ad propugnacula molares
Obnixi aduoluunt: lucentibus atria tędis
Nocte micant tota, inq; vicẽ ſe hortãtur & inſtãt
Sudantes opere aſſiduo: nec carpere ſomnum
Aut libare cibos menti incidit: vmbraq; noctis
Arctior eſt voto, & concurſibus omnia feruent.
Mœnia quom iacto poſſent contingere ſaxo
Gallorum vexilliferi: circunſpicit arcis
Omnem habitum, ſedẽq; loci Mauortia Virgo,
Primaq; in explendis deſudat cura lacunis:
Intonat horrendo bombarda per aerea ductu,
Et ruit altiſonas obuerſus murus in vndas.
Quatuor exanimes truncato corpore ſummis
Pręcipitat fragor e tectis, fumantq; recenti
Vulnere, ſub tepido ſalientes ſanguine fibræ.
Tota fremit domus ingenti concuſſa ruina.
Sicut vbi pluuium detorquet Iuppiter ignem,
Et rapido flagrant correpti fulmine poſtes.
Brutiadũ tamen exurgunt in prælia vires
Palmatio ſtimulãte ſuos: non ſegniter (inquit)
Decertate viri: iam tempus fata dederũt,
Poſſit vbi tandem præſtans emergere virtus:
Eſt armis inſtructa domus, confertaq; multo
Milite, tutaq; aquis, & ductilis aggeris orbe:
Collectumq; aderit primis congreſſibus agmen
Noſtratum, iunctiſq; ſimul pugnabimus armis:
Quinetiam nec vos Gallorum terreat ardens
Impetus: eſt alacer Gallus cum cœperit ipſa
Prælia moliri, ſed ſi generoſior hoſtis
Perferat inſultus primos: langueſcere vires
Incipiunt, & currit iners per corpora ſudor.
Pictaui celebrem palmam memorate triumphi:
Rex vbi ſtipatus numeroſa claſſe ſuorum
Vincitur: & partim ſtrato partimq; fugato
Milite, Londonij captum videre coloni.
Blanchiacam cladem nuper vidiſtis: vbi omnis
Gallia ſuccubuit paucis deuicta Britannis.
Sic & Cretiaci reuocate exempla duelli.
Non ęquanda venit noſtro vis Gallica Marti.
¶Aſperat his ſocios, & palmę munera ſpondet.
Protenus ex altis torquentur tela feneſtris.
Aera crepant, denſęq; volant per inania glandes.
Hinc alij ſummas audent conſcendera pinnas
Et paſſim auulſis inuoluunt nubila ſaxis.
Tela ſonant telis: mediumq; per aera pugnat
Miſſilium confuſa ſeges, nec noſcere promptum,
Quorſum maior eat iaculorum copia: ſolem
Exſpectantum oculis abducit ferrea nubes.
Gallica quas nuper vibrabat dextra ſagittas
In caput authoris tignis aut poſte reuulſę
Mox redeunt, feriuntq; alternis ictibus hoſtes:
Lignea ſuffixis ſurgebat machina palis
Noxia Liligeris. cælabat nanq; Britannos
Qui per cancellos, clandeſtinoſq; receſſus
Arcebãt Francas aditu propiore cohortes:
Ac per poſticum ſecreto calle premebant
Durius incautos. Hæc protenus inclyta Virgo

Clauſtra remoliri, campoꝗ ęquare laborat.
Aduolat, & tereti concuſſum robore murum
Impetit: aduectatꝗ ingenti pondere truncos
Hinc illinc miles: clypeis, geſiſꝗ relictis,
Terga fatigantur trabibus, quas impete vaſto
Impellunt alij tonſas a claſſe requirunt.
Tandem prona ruit moles: qui pone latebant
Angligenę ſibi ſuffugio petiere ſalutem:
Partim obiere atra contriti membra ruina.
Tum poſita paulum reſpirat caſſide virgo
Armipotens: & ſic paucis effata loquelis.
Macte (ait) o Miles noſtri fœcunda laboris
In manibus merces: nec enim (rem cernitis) artus
Incaſſum ſudore madent: adeunda moleſte
Turris erat quę nunc veſtris eſt peruia telis.
Sed vobis modicus ſuperat labor: eſte viriles,
Proſpera ſectantes fortunę ſigna vocantis:
Voluitur ad ſummũ diuturna obſeſſio finem.
Calones ſarmenta vehant quibus vndiꝗ poſſint
Decliues complere locos, & ſternere foſſas.
Tum bona Dux agili circundata velite primas
Martis obit partes: & ſurſum Gallica vibrat
Audenti vexilla manu, figitꝗ propinqua
Arbore in extrema quæ foſſę creuerat ora.
Frondea Bibrogio ſparguntur brachia ferro:
Vix capiãt ternæ pẽdentia tela pharetrę.
Vt videre ſuas Angli pendere ſagittas
Frondibus arboreis, actas trans viſcera mallent
Liligerum. Infrendent, execranturꝗ puellam:
Gallorum riſere duces, cautumꝗ probarunt
Virginis inuentum: noſtris hæc vſibus (aiunt)
Tela refigamus: bona ſunt compendia fraudis.
¶ Quis pauor o ſuperi? quæ nã cõcuſſio caſtris
Incidit Anglorum maioribus: eminus atram
(Haud ſecus immoti q̃ ſit marpeſia cautes)
Perniciem trepidi inſpectant ſtragemꝗ ſuorum.
Quo potes o Talebote animo tam dura videre
Fata Caledonię gentis? tranſmittere flumen
Molis erat paruę, tibi quis metus inclyte ductor
Pectora ſic ſopit? quo tanta ferocia ſeſe
Proripuit? læuum omen erat ſic corda gelari.
Dic precor aſſumpto cur non tua fulminat enſe
Bellipotens virtus? dum te aſpiciente laborant
Marte ſub extremo comites, ſocijꝗ manipli.
Grandiſono terrore ſoles impingere muris
Agmina, iam ſtupidæ frigent in pectore vires:
Palleſcis, miſeraꝗ tuos in ſtrage relinquis.
Aſperſere tibi ſtygia caligine frontem
Eumenides: quiſnam infauſto te ſydere tactum
Ambigat? aduerſum potuiſti agnoſcere numen
Cælituum: niſi turba tuos Acherontia ſenſus
Ludificet: cæcamꝗ tibi nox induat vmbram.
¶ Hortatur ſocios & proxima conſtitit arcem
Intrepida herois: ſed quæ circũfluit vnda
Non facili dedit acceſſu ſubrepere muris:
Aduehitur plenis tellus effoſſa caniſtris:
Velluntur ꝗ ſudes agris, & bacchica clauſtra:
Vt coeant ambæ congeſto ceſpite ripæ.
Sed labor hic & pugna ferox. Nam mœnia circũ
Aſpicias Anglos furiato irrumpere more:
Qui pice permixtas torquẽt & ſulphure flãmas,
Horrendã diramꝗ luem, nulliſꝗ potentem
Artibus extingui: quæ ſi tranſfuſa ſub artus
Per tenues rimas fluat, occultoſꝗ meatus:
Illita diſcruciat veſano membra dolore.
¶ Tædia cũ longi caperent certaminis Anglos:
Deſperata ſalus portis erumpere ſuadet.
Præſtat enim (clamant generoſum pectus aperta
Decertare acie: atꝗ æquis procurrere campis,
Indecori q̃ ſic animas effundere leto.
Glaſſidus (vt iam pene ratum, fixumꝗ ſederet)
Aduolat increpitãs portas exire paratos.
Heu miſeros quo fata trahũt? quo tẽditis (inquit)
Eſt vobis ſic vile mori, non quærite veſtras?
Præcipitare animas, vltroꝗ laceſſere mortem.
Quid fuga profuerit: nam circunfundimur hoſte
Vndiꝗ qui primo egreſſos ſub limine dira
Morte trucidabit, tuta defẽdimur arce:
Nec procul hinc Suffort⁹ abeſt: ſocięꝗ cohortes:
Quin & mox nobis aderit Talebotus, vbi iſtam
Audierit pugnam. Perſuaſum conſtitit agmen,
Et pulchra gaudent omnes ſe morte vocari.
Interea Galli præruptis mœnibus hærent,
Effuſis connixi animis attollere ſcalas.
Vtꝗ operi ſudans incumbit Virgo: minoris
Baliſtæ petitur iaculo: lapſaꝗ ſagitta
Accipit obuerſam currenti ſanguine plagam.
Mittendam ſtatuere duces in caſtra, ſed obſtat:
Haud (ait) hoc vno terrebor vulnere: ſanguis
Fuſus humi vires accenſo roborat igne.
Culmina dum Francus certat cõſcendere miles:
Hinc Bethfortiadæ murorum ſumma coronant.
Pars vero quibus eſt abſumptum miſſile ferrum:
Ad lapides & tigna volant: quadroſꝗ molares
Mœnibus abrumpunt: abacos, ſedeſꝗ, thoroſꝗ,
Fulcraꝗ deijciunt. in pugnam cuncta venire
Impellit furor: extremoꝗ excita pauore
Accreſcit virtus, micat & maioribus auſis.
Quid moror? arma ſonãt, vt decertare Gradiuũ
Dixeris: & toto mugire tonitrua cœlo.
Glaſſidus extenta ſupra pinnacula dextra
Poſtulat inducias, & pacis mutua verba.

Sed fraudẽ mox Virgo capit: nihil eſſe morãdũ
Inſinuat. ſperant (nobis cunctantibus) inquit:
Affore coniunctas acies, & caſtra ſuorum:
Hæc valeant fictæ pacis commenta, laborat
Glaſſidus aſſuetis noſtros eludere nugis.
¶Præ foribus iuſſere aliquot tormenta locari
Gallorum proceres: quæ protenus axe reuulſo
Deturbant valuas, & humi primaria ſternunt
Veſtibula, ignitæq; cadũt trans mœnia glandes:
Arx ruit, & vaſto ſeſe via pandit hiatu.
Vociferant Galli, & virgo conſcendit in altum:
Gallicaq; audaci præfert inſignia dextra.
Hinc ſubeunt alij, & valido tyrone redundant
Præcipites foſſæ: nec aduncas mœnia falces
Ferre queunt: vndas cõplent dũ prona trahũtur.
¶Tum furor Anglorum facto eſt eliſus aceruo:
Dira intus facies, vectes franguntur ahæni:
Per thalamos atro deſpumant omnia tabo.
Palmatius media confuſæ ſtragis arena
Occubat atroci tranſfoſſus vulnere membra.
Glaſſidus inſpecto tam diri fulmine belli,
Ire per occultam ſuſpenſa reſte feneſtram
Nititur: ad medium pontis peruenerat arcum,
Aduolat vt Virgo: ſcortum me ſæpe vocaſti
Glaſſide (ait) pœnas nõ ſumam ſanguinis: i nunc
I ſub aquas, & Molini comitare cadauer.
Hoc effata, virum Ligerinis obruit vndis:
Nec cuiq̃ Bethfortiadum de gente pepercit
Bellica ſæuicies: mors omnes æqua repertos
Suſtulit: illuſtres tollunt pinnacula flammas:
Et pendent altis cæſorum corpora furcis.

¶FINIS SECVNDI LIBRI.

¶Argumentum Tertij.

¶Sufforti ad Talebotum pro ſoluenda obſidio= ne allocutio. Virginum Aurelianenſiũ ad Ioannam gratiarum actio. Anglorum in Belſiam in= curſio. Faſtoli ad ſuos exhortatio. Francorũ in Anglos progreſſio. Alenconij ad ſuos allo= cutio. Francorum & Anglorum in agro Pataio decertatio. Francorũ de Anglis victoria. Ta= leboti ab Ioanna capti querimonia. Ioannæ ad Carolũ vt Remos petat oratio. Receptio mul= tarum vrbium cũ ingreſſu, & ſacra vnctione apud Remos. Caroli magni ad Carolum recenter ſacratum allocutio. Ioannæ ad diuum Dionyſiũ oratio. Obſidio Compẽdiaca vbi Ioanna capi= tur. Ioannę ante egreſſum oppidi oratio. Vl= tima Ioannæ decertatio.

¶Sequitur Liber Tertius.

HÆc vbi certatim glomerati ad mœ= nia ciues
Aſpiciunt: magnis ſoluuntur pectora curis:
Claſſica vociferant, & eunt ad ſydera gentis
Gaudia, vix æthram poſſis audire tonantem.
Tum Talebotæam loquitur Suffortus ad aurem.
Hæccine ſpes tantæ ſtationis? ſiccine noctes
Egimus hic? ventos, hybernaq; frigora paſſi:
Hic locus infelix, has læuo ſidere terras
Ingredimur: quid adhuc ſtãdũ pugnãtib9 aſtris.
Perfidiæ pœnas luimus. conuenerat olim
Inter nos Genabiq; ducem (dum carbaſa noſtro
Soluimus e portu) ſeruari a clade penates
Aurelios: cum noſtra ferat nũc vincula princeps.
Q̃ varias dant aſtra vices, q̃ fallit olympus:
An retrahis fortuna manus? nos ergo neceſſe eſt
Spe vacuos hinc exhauſtis migrare periclis.
Tum confuſa acies, & grandi pulſa tremore
Sarcinulas vtcunq; legit: conflagrat aduſtis
Totus ager caſtris: ſtantq; atro ſydera fumo.
Iamq; redux Gallorum agmen ſucceſſerat vrbis
Mœnibus, inſtructas epulis ſolennibus ædes
Introgreſſi adeunt. Sed aqua vinoq; madentes
Poſcit ad eſuriem Virgo duntaxat ofellas.
Vt dapibus ſatis indultum: feſſoſq; vocaret
In thalamum nocturna quies: en limina pulſat
Turba puellarum fuſis poſt terga capillis:
Quarum ſuauiloquis geminæ ſic vocibus orſæ.
¶Conſpicui ſaluete duces, ſaluete patroni
Aureliæ: grates cumulatò fœnore reddant
Dij ſuperi, noſtras hoc vinci munere vires
Nouimus: idq; lubet prona ceruice fateri.
Mittimur in primis (hac nemo voce grauetur)
Vt meritos tibi bellipotens herois honores
Aurelij ſoluant: huc te clæmentia diuum
Appulit, vt miſeram tam diris cladibus vrbem
Eriperes. nec ſpes quærendæ aliunde ſalutis
Inciderat: cauſam patrono nuper egentem
Sola recepiſti. te occulto numine nobis
Fata reſeruarant: extremum quodq; minantes
Placaſti ſuperos. tu nobis altera Iudith,
Altera tu nobis Heſter. Maioraq; dictis
Concipimus: ſed vocis inops rem prodere neſcit
Simplicitas. Speranda ſequax, æternaq; tantis
Gloria primitijs: deus (hæc qui cœpta ſecundat)
Incrementa dabit: diuum mandata ſequaris
Ad regni commune bonum. o cordata virago
Nobis viue diu: & felicibus vtere ſemper

Auſpicijs: nam Franca tuo reſpublica Marte
Reſtituenda venit. noſtræ ſua redditur vrbi
Te duce libertas: ad omiſſa negocia tuto
Cuiq; redire licet. nec ſera crepuſcula poſthac
Excubias cogent belli terrore ſepulto.
De Scythicis egreſſa iugis regina tuliſſe
Fertur opem Troiæ, & Danais q̃ plurima caſtris
Virginea feciſſe acie diſpendia: ſic &
Pro Rutulis virgo bellatrix arma recepit.
Sed quid Amazoniæ memorem⁹ prælia turmæ?
Nō veterū nugas ſequimur: quæ vidimus omnes
Quæ vel adhuc oculis aſtant præſentia noſtris
Eloquimur, ſudorq; tuo vix corpore ceſſit:
Vixq; fatigatis ſoluuntur balthea membris:
Ancillas en cerne tuas Auguſta puella,
Quas infanda Venus polluto flore pudoris
Expoſitura fuit: ſi non exiſſet in hoſtem
Vis tua. quid tanto referamus munere dignum?
Id quod nos penes eſt totū damus: vtere noſtro
Vt lubet officio, quando debere fatemur
Omnia. tu rerum cuſtos, vrbiſq;, hominumq;.
¶Sed quia (longæui decurſu temporis eſſet
Elapſura animis præſens victoria) ciues
Vnanimi edicto voluerunt ſacra quotannis
Inſtitui: laudeſq; deo, Nymphæq; referri.
¶Iamq; Lauallæas Anglus penetrarat in oras
Incautas aggreſſus nocturno mœnia furto.
Omnia fœdantur ſtupris, & ſanguine: in arcem
Principis irrumpit frendens Talebotus: & infert
Vincula captiuo, prædis hinc migrat abactis.
Belſiaco iam turba redux in rure ſedebat
Angligenum: tum Magduno feſtinus ad ipſos
Ingreditur miles, qui Francos arce potitos
Nuntiat, & grandi preſſos diſcrimine ciues.
¶Arrepturus iter ſolatur corda ſuorum
Faſtolus: ne frigeſcant ad cætera vires.
Has deus impertit (ne diffidamus olympo)
Exuuias (inquit) ſi ſpem, ſi vota ſecuti
Non ſumus: hæc longis ſunto ſolatia curis.
Ante Lauallæus noſtro q̃ carcere ductor
Prodeat: ingratis ſudoribus æra refundet,
Quæ tantæ poſſint æquare impendia ſedis.
Aureliam ſua fata manent: defuncto periclo
Eſſe putat: ſed conſtabunt hæc iubila magno.
Si quicq̃ interdum differt fortuna: futuram
Non ideo rem deſperes: ſua ſtat mora rebus.
Proſpera porrecta dudum Ramnuſia fronte
Annuit: in fidei pignus iam Gallia venit.
Quid liceat maius fautores poſcere diuos?
Magdunum o ſocij greſſu properante vocamur:
Nunc augete animos, imbellia ſternite caſtra:
Militibus viduata viris. quo Gallia poſthac
Cōfugiat, quo quærat opem? iam maſcula pubes
Occubuit: longas tandem componite lites.
Victa virum virtus: ſupereſt muliebre duellum.
Trans Scythicas rupes, trans Meotida quærunt
Subſidium Galli: ſecuro in cardine res eſt.
Vtitur exanguis Riphæo Gallia Marte,
Diffiditq; ſuis exhauſto milite rebus:
Extremi quis adeſſe neget diſcrimina belli?
Hactenus ancipiti res decertata periclo
Inter ſpemq; metumq; animos ſuſpenſa tenebat:
At nobis breuia aduoluent compendia finem:
Et dabitur partis tandem remeare triumphis
In patriam ſedem: & Franca ditione potiri.
¶Romuleum montē Tarpeia vt Virgo Sabinis
Prodidit, vtq; viri latebras infida Eryphile,
Vtq; rotis patrium calcauit Tullia corpus:
Sic meretrix perdat truculento funere Carlum.
Non a fœminei natiuo more recedat
Ingenij: temere euentum deſcendat in omnem
Indiga conſilij, belliq; exercita nullis:
Legibus impellat ſocios in mille charybdes,
Exitiumq; ferat multis. Nam dæmonis hoc eſt
Impenſum ſtudium: at poſtq̃ mendacia certis
Prodita erunt ſignis, & fraus detecta puellæ,
A Gallis mox in mortem flammaſq; petetur.
Aut ruet in noſtros aliquo certamine caſſes.
¶Interea Francos non hinc procul eſſe Britanni
Accepere duces: Faſtolus idonea pugnæ
In primis loca veſtigat, ſecernit & agmen
In geminas claſſes: Taleboto cura prioris,
Altera Faſtolum ſequitur: ſuffigere palos,
Progreſſamq; aciem vallari claudere ſepto
Dum trepidi certant: reſonat tibicine Franco
Vicinum nemus, & radiant fulgentibus armis
Arboreæ frondes: primæ Campana cohorti
Præficitur Virgo, iuſtus cui paſſibus Hirus
It comes, hinc præſtans paruo ſubit interuallo
Raius, & læua ſequitur Gaucurtus in ala,
Hinc ſibi te iungit ſocium Delore Comarchus
Duneius, poſtrema queant vt cornua firmis
Viribus obniti, preſſiſq; potenter adeſſe:
Ante tamen fuſis q̃ congrediantur habenis
Liligeri. primis ducibus ſub ſigna vocatis
Egit Alenconius paucis his vocibus heros.
¶Eſſe breues cogit noſtris aſpectibus hoſtis
Proximus: at validis tyronibus vtile ſemper
Conſilium, præceps ne forte eruptio in altos
Subruat anfractus. Semper plus contulit armis
Circunſpecta animi ratio, q̃ militis ingens
Copia, corporeæve ferox audacia molis.

Emathij proles tam formidata Philippi
Hac ope porrexit ſummos orientis ad axes
Imperium: Mædoſq; duces cum Perſide vicit.
Si fas vera loqui, Gallis incommoda rebus
Sæpe tulit faſtus, tumidæq; elatio mentis.
¶Infelix nos Blanchiacæ congreſſio pugnæ
Edoceat: turmas effuſa patentibus agris
Vix capiebat humus, ſic ardens tota coibat
Gallica nobilitas: quæ poſtq̃ hoſtilia caſtra
Vidit, & exiguos circum vexilla maniplos:
Venit ouans, audaxq; ſibi ſpondere futuram
Cõflictus palmam: ſine lege, ſine ordine præceps
Fertur in Angligenas. Belliq; ignara iuuentus
(Cui molles nerui, fluitans cui pendet ab armis
Cæſaries) primas habet in certamine partes.
Tum diſpalato concurrunt agmine: credas
Sectari lepores, vel equeſtres fingere ludos.
Et ne ſperato belli fraudentur honore:
Præcipiunt alios (Mauortia pectora) pone
Immotos cohibere pedes, & ſtare ſupinos.
Sic Francæ prærepta cadit ſpes magna iuuentæ:
Dum feruẽt animi, & iuuenilibus imperat annis
Indomitus furor, impatienſq; ſuperbia freni.
Veſtra nec hoſtilem ſectetur dextera prædam.
Nam dum Vernolij confliximus æquore campi:
Tum ſpoliorum extrema fames Inſubria pulſat
Pectora, Brutigenas primis congreſſibus alto
Turbine conſternunt: ſed amor genuinus habẽdi
Corripit Alpinos, onerantur tergora opimis
Balteaq; & parmas ſoluunt. Tum colligit hoſtis
Callapſas vires, bellumq; inſtaurat, & atro
Funere verſamur. Longas hinc ferre cathenas
Gente ſub hoſtili miſerum fortuna coegit.
¶Dixerat. atra polum nubes inuoluit opaco
Puluere: decreſcit ſpatiũ, trepidæq; propinquant
Ambæ acies: ſed non toto ſimul agmine Gallis
Conſilium prodire fuit: præludia pugnæ
Pauci obeunt, oculis omnem qui & mẽte paratũ
Hoſtilem explorare queãt: nam quinq; virorum
Milia fama fuit Taleboti incedere caſtris.
Hęret equus, greſſumq; premit: cũ bellica fundit
Machina ſulphureos tanto ſtridore vapores.
Interea Faſtolus agri circunſpicit æquam
Planiciem, ſedemq; loci: & ſic arduus infit.
Tollite ſpes veſtras, nos iſtis appulit oris
Fortunata dies: nuper (meminiſſe poteſtis)
His ipſis inſigne locis Mauorte ſecundo
Rettulimus ſpoliũ, Struato Orualloq; perẽptis.
Hæc quoq; dijs ducibus Gallo conſperſa cruore
Rurſus erit tellus: alio non robore vobis
Eſt opus (id ſat erit) primas effundite vires.
Iam pugnæ data ſigna: ruunt vtrinq; feroces
Vociferantq; altum: Libyæ pugnare Leones,
Pernicemq; tigrim poſt raptos ire catellos
Dixeris: icta ſonant vibratis pectora telis.
Obnixi firmant greſſum, & veſtigia retro
Ferre pudor: diris ſaturantur cædibus enſes.
Deficiunt nerui primis, hauſtæq; pharetræ
Decumbunt humeris: veteri ſe accingere more
Non vacat Angligenis, thoracas & arma cruẽtat
Omnia largifluo manans de vulnere ſanguis.
Quadrupedum ſoleis pars proculcatur ahænis:
Bullit & eliſo ſanies horrenda cerebro.
¶Faſtolum ingenti perculſum clade ſuorum
Sæuus agit furor, & medijs fremit ira medullis.
Franci equitis galeam librato percutit enſe,
Trãſq; adigit frõtẽ, & ſe condit in inguine ferrũ.
Exanimis procumbit humi, labente magiſtro
Currit equus fuſis campi per læuia frenis.
Huc properat greſſũ, ſtrepitu increſcẽte puella:
Atq; vbi plauſibili Faſtolum voce ſuperbum
Inſpicit: vrget equum, & flãmatã colligit iram:
Mucronem rotat, auerſoq; obnixa lacerto
Ferrea confractis diſcindit tegmina nodis.
Quaſſati titubant ſopitis viribus artus:
Et ſub equi præceps fumanti decubat aluo.
Scallus adeſt, & flectit eo Talebotus habenas:
Cumq; Rameſtano venit Hõgreffortus: & ardẽt
Feruentes vtrinq; acies, hamata trilici
Ordine traijcitur veſtis compage ſoluta.
Vt leo Marmaricus ruit indefeſſa per hoſtes
Armipotens Virgo: & Gallis animoſior auget
Pectora, conſtanteſq; hortatur figere greſſus.
Non ſic Ogygias ductor Calydonius arces
Terruit: hanc vnam fugit exanimata iuuentus
Angligenum: nemoq; audet cõcurrere nymphæ.
¶Duneius Princeps cui belli maxima moles
Incubuit (ſtratos Hiri Cabaniq; iacere
Poſt vbi vidit equos) collecta pube potenti
Hoſtiles penetrat turmas, vt funere magnos
Liberet heroas: grandi deturbat aceruo
Brutiadas, vacuoq; ſinu tellure recumbunt
Coriti Anglorum: Galliq; ferocius inſtant.
Cruda virum cædes: effuſi fluminis inſtar
Sanguine terra natat, taboq; imbuta ruborem
Induit horrificum: videas per rura volare
In galeis capita, & pendere cadauera equinis
Tergoribus: multiſq; ſalire per ilia ferrum.
Dextera ſed Gallos tulit hic fortuna: per enſes,
Per medias Anglorum acies, per denſa feruntur
Cornua: nec longo decreſcunt tempore vires.
Vidit vt ingenti tumulo cecidiſſe ſuorum

Corpora Suffortus: celeres in caſtra reuerti
Iuſſit, & aduerſi vim declinare Gradiui.
Tanta ſed offirmat Gallorum pectora virtus,
Vt ſubducta fugæ ſit copia: vincula primus
Ingreditur Scallus, ſubit Hongreffortus eaſdem
Continuo pedicas: labor vltimus hæret in ipſo
Poſt longam ſtragem Taleboto: illuſtrius agmen
Ante viri ſemper graditur veſtigia pulchro
Ordine: Mars aciem tanta vix inſtruat arte.
Ipſa ſed inſpectis Virgo Tullæia ſignis
Fulminat inſultans: mediaſq; irrumpit in alas,
Nunc iſtos deturbat equis, nunc diſſecat illos:
Et vegetæ vires nullo ſudore fatiſcunt.
¶Huc huc o ſocij (clamat) conuertite ferrum:
Certa triumphales ſpondet victoria lauros.
Pars quota iã ſupereſt: captæ vix noſtra cohorti
Vincula ſufficiunt. alacres intendite neruos
Pugna breuis cœpto finem dabit: at prius iſtos
Qui cupiunt fortes extremo marte videri
Sternite. finierat: tum laxis ignea frenis
Calcẽ ĩpingit equo, dehic turbid9 aduolat Hir9:
Inſequiturq; comes, fractis Santrallius armis
Promicat: & dira funduntur ſtrage Britanni.
Tandem victrici cedit Talebotus, & arma
Abijcit: hinc iurat ſupplex in verba puellæ.
Sic redit Aurelios inſigni leta trophæo
Gallica nobilitas, & dijs libamina ponit.
¶Humida nox piceas terris inuexerat vmbras,
Sidereoſq; ignes nebulis condebat olympus.
Carceris impatiens Talebotus, inopſq; ſoporis,
Tales voluebat depreſſo murmure curas.
O fallax belli euentus: me ſiccine duci
Fœmineæ ſub frena manus? mors dulcior iſto
Carcere veniſſes: extremas ocyus horas
Exige, & indecores vitam ne profer ad annos.
Fulmineum belli heroem me Francia trito
Nuncupat elogio. primis excelluit annis
Tanta animi virtus: me nemo impune duello
Hactenus aggreſſus. Taleboti in nomine ſemper
Palluit extrema formidine territus hoſtis.
Sed mihi partus honor, quæſitaq; gloria turpi
Sordeſcunt macula: me Gallica ſanna ferocem
Ridebit ſimulaſſe animum, & ceſſiſſe puellæ.
Sed qua vi me excuſſit equo? qua vi impulit enſẽ
In caput, & noſtra elicuit de fronte cruorem?
Non ita ſopitis in corpore ſenſibus hæſi.
Poſtq̃ prima meis accinxi balthea membris.
Quid patrij dicent proceres, dũ trãſfretet æquor
Nuntius infelix: quot erunt lamenta meorum.
Mane Molorchæi tumidus de more Leonis
Conſcendi cataphratus equum: Galloſq; putabã
Nequaq̃ auſuros Anglis concurrere ſignis,
Et noſtris trepidare metu ſurgentibus vmbris.
Cur non Delorus, cur non me belliger Hirus,
Aut aliquis Franca de gente illuſtrior agro
Captiuum abduxit, vel adacto perculit enſe.
Caſtra quot edomui, quantas regumq; ducumq;
Exuuias, & opima tuli? Sed iniqua reflexis
Inſurgit fortuna rotis: muliebria tandem
Vincula me inuoluunt, iſtæc deterrima quidnam
In fatis ſtetit hora meis? Dum talia verſat
Spargitur exiguus per mẽbra tepentia ſomnus.
¶Interea Franci luſtrato milite Loſcos
Tendere feſtinant: vrbes & caſtra potenti
Præſidio munire labor. Traducitur agmen
Obliquos Ligeris flexus: & regia tandem
Limina compoſiti ſubeunt, Carlumq; ſalutant,
Qui ſuper accepto ſcrutatur multa trophæo.
Iam ſub Tyndaridum veſtigia Phœbus anhelos
Inflectebat equos, mediumq; peregerat orbem:
Cum ſic Barriceam fama eſt cœpiſſe puellam:
Iam ſuperos ex parte fidem præſtare videmus
Carole, iam ſaltem Aureliæ tibi libera parent
Mœnia: iam pulſi multis ex ſedibus hoſtes
Migrauere procul, ſed rem non ſegniter actam
Intenta cures acie: hæc exordia fauſtos
Euentus habitura tibi promittit olympus,
Iam ſatis abiecta latuiſti ſorte, futurum eſt
(Idq; breui) vt tollaris humo: famaq; choruſcus
Sydera contingas. ſed & ante impende laborem
Vt caput æthereo tibi perfundatur oliuo,
Sic tua maieſtas ſe propagabit: eriſq;
Clarior, & populo longe veneratior omni:
Incutietq; hoſti ſumptum diadema tremorem.
Non deſunt quibus Anglorũ tam longa tyrannis
Eſt ingenti odio. Sed quæ vexilla ſequantur,
Quo duce bella gerãt, ſuſpenſis mẽtibus hęrent.
Eniteat tandem tua vis, & deinde iubenti
Rem committe deo: neq; te deterreat hoſtis
Qui mediũ præcludit iter: quid ẽm auſpice cælo
Formidare queas? quas poſſis contrahe vires
Armaq; & annonam: te magnis Sequana votis
Sollicitat: tibi Belgarum pars maxima lętis
Plauſibus aſſurget, reduciq; per oppida ſummus
Inſtituetur honor. Leopardo infecta Britanno
Lilia marceſcunt: hæc tu contagia tolle,
Solaq; in æthereo flaueſcant Lilia campo.
¶Illicet ad patres Pipinius omnia ductor
Rettulit: accedunt votis concordibus omnes
Virginis arbitrio: multas it fama per vrbes
Nuntia. conueniunt proceres, moriſq; gerendi
Ardeſcunt omnes ſtudio: felixq; precantur

Auſpicium:bello prius haud abſcedere iurat
Nobilium ſpectata cohors,q̄ regia proles
Splendicet aſſumpto Franci diademate regni.
Sulcat humum ſonipes frenis inſignis & auro:
Emanditq; lupos,indignaturq; teneri.
Non ſecus Eſonides aurati captus amore
Velleris(accita præſtantum claſſe virorum)
Ardua Colchoi petijt diſcrimina regni.
Sic Parthaoniæ quondam venere phalanges
Limen ad Adraſti,Danaum cum clara iuuentus
Ibat Echionijs tentoria figere campis.
¶Iam diffuſa acies Altiſſiodora per arua
Non procul aduerſæ muros circunſtetit vrbis.
At quanq̄ Francis quæſita cibaria caſtris
Indigenæ aduectant:intacta exercitus vrbe
Prætergreſſus abit:multiſq; ſubinde receptis
Arcibus,incuſſoq; metu per caſtra per vrbes.
Poſt longæ ſuperata viæ diſcrimina tandem
Ingreditur fines Campani Carolus agri.
Reſtitit ante Trecas:ſeptemq; ex ordine ſoles
Vt fruſtra ſedere duces ſub mœnibus vrbis,
Securum in Loſcos ſuadent plæriq; receſſum:
Cū ſpes nulla loci incideret gentiſve domandæ.
Nam Bethfortiadis cæſo pro patre Philippus
Iunxerat Artheſios loca qui intercepta tenentes
Nomine Brutiadum:Francis parere vetarent.
Quinetiam aduerſo ſi conflictare gradiuo
Sors dederit:tuto non eſt vbi Carolus agmen
Contineat,grandiſq; cibi penuria cœpta eſt.
Principibus fixum fuerat ſtatione moueri:
Et retro reuocare ſuos,in idonea cœptum
Tempora differri ſatius:Bibractea rura
Auaricaſq; domos repeti decreuerat vno
Ore patrum concors ſententia:defuit iſtis
Dux bona conſilijs:quam ſic accipimus orſam.
¶Carole quid tanta curarum mole teneris?
Immotis iubeas aciem conſiſtere caſtris,
Et confide breui obſeſſos quæcunq; iubebis
Eſſe recepturos.longe gratiſſima genti
Eſt tua maieſtas:ſed erat celandus amoris
Hactenus affectus:pauor id cogebat & hoſtis.
Poſtvbi te ciues infracto Marte videbunt
Egregium,nec poſſe metu,nec tempore vinci:
Mox tibi plaudentes oblatis clauibus vrbem
Reſtituent:vltroq; alij tua ſigna vocabunt.
Dixerat:acceſſit monitis cum rege ſenatus.
Continuo ſibi ſternit equum,grandiq; paratu
Inſtructas iubet ire acies ad mœnia:ſtrident
Horrifico tormenta ſono,per ſumma domorum
Fulmineæ crepitant glandes:timor occupat oēs.
Tandem pacatam dimiſſis hoſtibus vrbem
Carolus ingreditur. venientem cernua turba
Excipit,& feſto reſonant Pæane theatra:
Cunctaq; nocturnis dilucent compita flammis.
Vtq; aliquot mora facta dies:antiqua reducit
Iura,magiſtratuſq; nouat pro more vetuſto
Carolus:& gētis magnum ſibi conflat amorem.
¶Solis inalbebat radijs argenteus æther:
Cum per plana viç gelidam ſpectantis in Arcton
Verſus eunt Remos Gallorum caſtra decoro
Ordine:nec quiſq̄ hoſtili de gente per agros
Obuius ingreditur:tanta interualla locorum
Carolus emenſus felici tranſmeat aura.
Vt propius radiant arces tum ſubſtitit agmen
Nec promptum rex acceſſum ſperabat in vrbē:
Quandoquidem tum Brutiadis parebat,& inde
Plurima quæ circum conſiſtunt oppida Belgas.
Atvero genialis amor ſic mentibus hæret
Indigenum,ſic in verum ſuffragia regem
Votaq; plæbis eunt,vt mox(cedente Britanno
Milite)paruerit demiſſo ianua ponte.
Omnia Remenſis poſito cunctamine præſul
Apparat:vt ſacro tingatur chriſmate frontem
Carolus.Appulſi longinquis ſedibus illo
Conuenere duces:concurſibus vndiq; feruent
Compita,quo ſeſe peregrinus verteret hoſpes
Vix locus inuentus.Mariæ lucentibus aris
Succedit rex purpureo ſpectandus amictu:
Myſtica dum ſacrat venerandus liba ſacerdos,
Lætabunda tenet Francorum inſignia Virgo.
¶Chriſte (ait)aſſūpti(te certo authore) laboris
Primitias dextro iam ſucceſſiſſe videmus
Auſpicio:iam Gallia habet quē nomine aperto
Appellet regem,cui ſancti Ampulla liquoris
Tempora perfudit:tu ad cætera porrige dextrā
Auxiliatricem,tu vires inſere Gallis,
Conſtanteſq; animos,obſeruanteſq; ſacrati
Principis:& miſeris aliquando proſpice rebus.
¶Carolus(illuſtris cui magno nomina virtus
Indidit)ex alto Remos ſpeculatus olympo
Geſtijt:inq; noui ſecreta cubicula regis
Labitur:& tali compellat voce nepotem.
¶Si regni tibi cura tui felicia ſceptra
Si cupis o fili:memor hæc præcepta tenebis.
In primis reuerenter habe cæleſtia ſemper
Numina,quæ tantis te ſubduxere pericliſ:
Almæ præterea ſupremum defer honorem
Iuſticiæ,& ſumma cum libertate ſenatus
Omnia decernat:Nec eos tu præfice ſellis
Munera qui ſitiunt,ne ſit venale tribunal.
Hinc & legiferos paſſim conquire Lycurgos
Atq; Solonigenas poſitis qui legibus omnem

Inſtituant vitæ rationem: vt crimina dignæ
Compeſcant pœnæ: ferat & ſua munera virtus.
Sic & eris clæmens, vt non delicta nocentum
Diſſimules: rigidus vindex exurge malorum.
Suſcitat indulgens veniæ propenſio culpas.
Caſtiga faſtu elatos, quæ plurima turba eſt
Inter nobilium effrenem, mollemq; iuuentam.
Inde tua proſcribe domo palpantia verba:
Peruia zoilcæ tua nec ſint atria linguæ.
Et non te ſcurrarum oleo permiſeris vngi.
Pronus in vltrices animus non ferueat iras.
Et quo maior adeſt ſumendæ copia pœnæ
Promptior ad veniã ſe mens accõmodet: vt tum
Ingenue viciſſe putes, cum vincere poſſis.
Non alijs miſcere thoris, hanc odit olympus
Nequitiam, gremio contentus coniugis eſto.
Præterea miſereſce inopum, nil dignius alto
Principe: quod leges concedunt, exige: non vi
Concute ſubiectos, ne indicant facta tyrannum.
Prodigus humani non ſanguinis eſto: fouendæ
Semper habe pacis ſtudium. tantiq; tuorum
(Atq; tuam) bellum ſubiturus pendito vitam:
Vſus & imperij ſi poſtulat indue Codrum.
Sit pia quæ externis occaſio mouerit arma:
Nec niſi diſcuſſis indicito prælia cauſis.
Si duris tamen inſultent ceruicibus hoſtes,
Qui regni penetrent fines, qui atrociter actis
Omnia diſturbent prædis, & cæde cruenta:
Promicet illuſtris virtus, & priſca parentum
Facta ſequi ſtudeas, quibus imperitantibus olim
Gallia victrices erexit ad æthera lauros.
In populum ſi forte vides ſæuire proteruos
Quos generis vel ſtẽma mouet, vel degener auſus
Militiæ: miſeri releua diſpendia vulgi,
Et contunde truces. Nec apud te voce carebit
Obſita paupertas: meretricem ænigma reſoluit
Tam magno euectus ſolio Dauidicus heros.
Sis Minos ſcelerum exactor: ſis & Radhamãtus,
A bello cum reſpiras & crimina diſce
Quæ regnũ temerant, cauſaſq; excide malorum.
Nam ſi iuſticiæ te monſtret vita ſequacem,
Et vitijs pergas inimica inſurgere fronte
Omnia purgato migrabunt crimina regno.
Principis exemplo formant gens ſubdita mores.
Fige pias leges, & fixis vtere primus.
Vt præſtas alijs magno ſublimis honore,
Indignum ſic rege putes virtute ſubeſſe:
Sic Ninus, & multa quæ venit origine proles
Aſſyrias rexere vrbes, ſic ſtemmate longo
Diues Achæmenios eduxit Perſia reges:
Dum ſibi ſubiectos præcellunt lumine vitæ.
Hæc via Pellæam claro ſub principe gentem
Mẽnonias tulit vſq; domos, & Taurica clauſtra.
Splenduit hinc tantis Mauortia Roma triũphis,
Impoſuitq; orbi frenos virtute magiſtra:
Sic & ego in terris olim tam nobile geſſi
Imperium, multoſq; abijt gentilis in annos
Strennuitas: donec turpi ſubeunte veterno
Liligeros ſenſim virtus neglecta reliquit.
A procerum reſcinde habitu plæroſq; vacantes,
Atq; graues ſumptus: nõ firmat purpura regnũ:
Hoc Gallis geniale malum cohibere labora.
Si belli interdum te ingens impenſa coegit
Addere conſuetis noua vectigalia: tu mox
Omnia ſopitis excide ſuperflua cauſis.
Sunt etenim certi fines, præſcriptaq; iura:
Vltra quæ nequeat regalis tendere dextra.
Tolle ſimultates ſcindendi ſemina regni,
Nec motas dirimat ferrum (ſed curia) lites.
Si tibi diffuſo cingatur limite regnum,
Et rerum dederit late fortuna potiri:
Non ſublime ideo cilium ſe ſurrigat: idem
Qui dedit hæc, repetet ſi mens ingrata ſuperbit.
Eſt aliud quod te moneam. Cum forte gerendi
Inciderit belli ratio: ſi viceris hoſtem,
Qui tandem tibi morigera procumbere fronte
Incipiat, poſitiſq; animis mandata capeſſat:
Indue manſuetum fili cum principe patrem.
Sæpe peregrinis odium contraxit in oris
Gallica mobilitas: Et Franci militis atrox
Sæuicies: dum victori putat omne licere
Flagitium: ſtupris inhiat, faſtuſq; tumeſcit.
Id quoq; ne ſileam: nimium ne quære timeri.
Omnis enim timor eſt odio vicinus, & ipſum
Incutit ad ſeruile iugum furiata tyrannis:
Sic perijt multo traiectus vulnere Cæſar,
Dum quatit inuiſo Latium terrore ſenatum.
Sic Nero, ſic alij ſibimet conſciſcere mortem
Compulſi, aut media ſub ſeditione perempti.
¶Sed vetor hic longo tecum ſermone morari:
Hæc poſtrema tene, quæ paucis addita finem
Conſtituant: te forte alias maiora monebo.
Cum patrios faſces plena ditione tenebis:
Prima tibi ſit cura dei, non immemor eſto
Muneris: vt poterunt vires, vlciſcere diuos.
Nec permitte tuo ſcelera increbeſcere regno.
Si tibi cum cælo fuerit communio pacis,
Conſpirentq; tuis concordia numina caſtris:
Te fugient aduerſæ acies te certa manebit,
Palma: triumphabiſq; & pace inſignis & armis.
Hinc Roboan præfige animo, ne crede iuuentę:
Conſilijs adhibeto ſenes, qui grande volumen

Annorum emenſi didicerunt commoda pacis,
Quantaq; damna ferat populo Mauortia peſtis:
Hos monitus alta ſi mente reponere cures,
In magnum mox imperium ſublatus abibis,
Et veteres æquabis auos: migrabis & olim
Indigetes inter, ſuperi ad palatia regni:
Dixit & inſpecto fugerunt ſydera Phœbo.
¶Nec mora Bethfortꝰ vulgato chriſmate magnũ
Concilium vocat: & tales dat pectore voces.
Liligeros nuper donandos pace putaram
Eregij patres, Sed iam maiora videmus
Conflandi rurſus feruere incendia belli.
Fama refert Arminiacos ad culmina noſtri
Imperij rapienda (maga ſuadente) vocaſſe
Neſcio quẽ Carlum. caput hoc & numina teſtor
Me miſeret regni, quando infœlicia Gallos
Fata premẽt: niſi tam diram placemus Erinnym
Iſta veneficij & nugarum vana repertrix
Mox ſua deceptum trahet in mendacia vulgus.
Quod fas omne negat (patrono ſperat habere
Dęmone) pellector populi, regniq; flagellum.
Quod proli Medæa ſuæ, quod & ante parenti
Sæua Ipſea fuit, miſeris quod tranſfuga Circe
Hoſpitibus: precor iſta ſuo ſit adultera regi.
Lemniadum mores vincat feritate: ſuoſq;
(Belides vt diræ (crudeli morte trucidet.
Hæc ait. vt roſeo lux poſtera claruit ortu
Meldorum per agros, Iſarę & decliuia mittit
Delectos equites, & gnaros omnia tectis
Explorare vijs: agitet quid Carolus, aut qua
Metari ſua caſtra velit: q̃ fidus in Anglos
Speretur populus. quæ demum fama per vrbes
Inualeat, quantęq; nouo ſub rege phalanges
Belligerent: ſi ſeſe auſint committere pugnæ.
Interea (poſitis vrbis cuſtodibus) ingens
Obductum pariter Marnę ſeducitur agmen.
Hæc vero ſtudia in vanos ceſſere labores:
Quandoquidem nuſq̃ coiere hoſtilia caſtra.
Seu ſic forte datum, ſeu certo numine diuum
Sic ſteterit: Mox Valleſios conceſſit in agros
Carolus, hinc Iſaræ claſſes deduxit ad vndas.
Quem miſſis vltro crebræ oratoribus vrbes
Accerſunt: ſubituſq; calor per membra reuixit
Indigenum: qui fortunas propenſius omnes
Subſidio ſpondent, coniurantq; ocyus armis
¶Irrita Pariſios dum tentat pugna: puella
In Dionyſiacam ſe ſaucia rettulit ædem
Quæ ſua martyribus corã ſic vota peregit.
¶O ſacer antiſtes, Francis venerabile numen,
Primus apoſtolico qui functus munere Gallos
Sparſiſti æthereo diuini dogmatis imbre:
Suſcipe quæ ſanctis inſignia pendimus aris.
Cur populi queſtus auerſa deſpicis aure?
Defecitne fides Gallos? cælumne prophanis
Offendere ſacris? ſi non audire graueris:
Si cum pace tua digniſſime præſul, id auſim
Dicere: noſtra tuas ſi ſectaretur Athenas
Gallia, quę Chriſti ſuſceptum dogma negaret?
Nemo tuam imploraret opem pro gẽte: ſed vna
Gallia prę cunctis Chriſti colit orgia, poſtq̃
Inſita ſunt noſtris fidei plantaria terris.
Vtq; audita loquar (melius licet omnia noris)
Scit Romanus apex, meminere & Iberica regna,
Gallia pro Chriſto quos eſt ingreſſa labores:
Vandalicas claſſes Hunnos & Saxones, olim
Merſit in æternam ſoboles Pipinia noctem:
Non deſueſce pij curam pręferre parentis:
Concilia nobis ſuperos, & bella quieſcant,
Carolus ardenti te voto inuiſere geſtit:
Interea noſtro grates agit ore, ꝙ hoſti
Nunc ęquus certare queat: ſperatq; futurum
Vt tandem exactis (te ſuppetiante) Britannis,
Splendeat imperij ſolus regnator auiti.
At meritis ne ingrata tuis digniſſime præſul
Hinc abeam, noſtra arma tibi pro munere ſunto:
Acceptum refero totum tibi candide martyr,
Siquid poſteritas olim mihi ponet honoris.
Hoc vnum te ſupremis efflagito verbis
Liligeri patrone ſoli: miſerere tuorum
Quos tantam ſub pauperiem fortuna redegit.
¶In Compẽdiacos Burgundi caſtra Philippi
Irruerant, aderantq; animis concordibus Angli.
Iam progreſſa diu Francis abſentibus vrbem
Preſſerat obſidio: quom denſa noctis in vmbra
Nuntius elapſus defert hæc verba puellæ.
Huc Compendiaca furtim ſurreptus ab vrbe
Oraturus opem (dux o celeberrima) veni:
Te deus Aureliam longinquis appulit oris,
Vt tua deſertis ferret romphea ſalutem.
Haud ſecus ipſa potes (ſic certo credimus) iſtis
Vnica nos releuare malis. crudele minantur
Exitium ferro, & flammis, mox vrbe potiti
Vt fuerint Henriciadæ: ne cætera poſthac
Oppida Caroleas auſint admittere claſſes.
Iſta futurorum radix funeſta malorum
Succidenda venit: ſi caſtra aduerſa potenti
Milite pulſentur, ſi preſſis ſtrennuus adſit
Carolus, actutum ſumma ad faſtigia regni
Ibit, & antiquos patrum continget honores.
Sed nullas capit arcta moras anguſtia rerum:
Intus dira fames, & mœnia proximus hoſtis
Incubat, ex omni pendent diſcrimina parte:

At cum certa tuis dudum victoria caſtris
Militet, vt vinci ſis neſcia: tota recumbit
In te ſpes miſerum, nos triſtibus eripe fatis.
¶ Audijt orantem Virgo, & ſe ſpondet ituram
Præſidio: tum finitimis ex vrbibus adſunt
Copiæ, & inſtructo celeres labuntur in vrbem
Agmine: quom terris inuectant ſydera noctem.
Iam Matuta noua perfuderat æthera luce:
In medium progreſſa forum cordata virago
Conuenit aſtantes, aciemq́ recenſet & arma:
Huc (ait) o ciues veſtris euicta querelis
Ocyus adueni, & ne vos ambage retardem,
Veſtra fides iam nota ſatis: conſtantia parui
Non pendenda venit. ſed erit ſua palma labori:
Cum melior fortuna dabit, plenoq́ receptus
Carolus imperio ſæuos exegerit hoſtes:
At ſi mors obeunda foret, non triſte putandum
Sic extrema pati, patrij quis ſanguinis vltor
Non ruat in ferrum? quis ſub iuga turpiter ire
Mancipij de more velit? nunc Gallia priſcæ
Libertatis inops dominos ſufferre tyrannos
Cogitur: egregijs q̃ pulchrius eſſet in armis
Oppetere, æternumq́ in ſecula quærere nomen:
Iſtas Saguntinos ſententia mouit ad ignes.
¶ Hæc vbi dicta refert, oculis poſt terga reflexis
Diſpicit ingentem turbæ puerilis aceruum:
Infremuere artus, lachrymiſq́ effatur obortis.
O claram pubem, o longe melioribus annis
Seruandos iuuenes: quos non manet iſta parentũ
Pauperies, plenę o fruituros munere pacis:
Quæ vobis olim noſtro fata ſanguine ſurget.
Euocor in pugnam: dubio ſed murmure læuum
Neſcio quid mentẽ circunſtrepit: haud mihi tãta
Curarum (poſtq̃ patrro de limine veni)
Incubuit moles. ſi mens præſaga ſiniſtros
Nuntiet euentus: ſi vel me occumbere leto
Sors velit, hoſtiliſve manus ſub vincula duci:
Huic animæ impertite preces o chara iuuentus?
Cernite q́ veſtra pro libertate puellam
Non pudet armata toties confligere dextra.
Noſtra Caledonias ſic terrent ſigna cohortes:
Vt me iandudum rapido deuouerit igni
Bethfortus: pactoq́ ſuos exaſperet auro
In noſtrum caput: vt captam vel funere merſam
Aſpiciant Angli, atq́ animos formidine ſoluãt.
Haud tamen a cœpto deſiſtam munere: donec
Segreget a caſtris qui me deus arma coegit
Sumere, & vſq́ ſequar dominũ quocũq́ vocãtẽ.
¶ Hæc ait, & valuas facto ſermone recludi
Imperat: egreſſam mox vt videre phalanges
Burgigenum: fugitare omnes, ſe condere vallo,
Et clypeos, enſeſq́ metu abiectare per agros:
Non ſecus ac (viſa Iouis alite) nota remigrant
Tecta Dioneæ penna ſtridente columbæ.
Iamq́ bis irrumpens vibrati fulminis inſtar
In ſua pallentes Burgundos caſtra reuerti
Compulerat: ſic ore tonat, ſic denſa reſoluit
Cornua nunc equitũ, nũc ſęua pedeſtribus inſtat.
Tum pudor Artheſios (dũ Virgo ꝓuocat hoſtẽ)
Excitat: hinc alto ſeſe clamore viciſſim
Increpitant, magniſq́ ſuos hortatibus implet
Lucemburgeius ductor: non ſegniter (inquit)
Decertate viri: ſtygia vos faſcinat arte
Fœmina: quo ruitis? quid ſemiſopita gelantur
Pectora? miles abeſt huius qui ſigna puellæ
Defenſare queat: ſtipata pergite turma:
Quid vetat occluſam fluuiali margine veſtris
Caſſibus inuolui? fluuij prohibete meatum.
In manibus prædam fortuna dat: eſte viriles
Et vim fœminei non formidate lacerti.
¶ Vix ea fatus erat, cum ſe Pinconia pubes
Effundit caſtris, pontiſq́ reuellere tigna
Feſtinant, clauduntq́ viam, qua tranaret amnem
Darcia progenies. pendentibus hirta ſagittis
Strata rigent ſpumantis equi, crebroq́ vacillat
Vulnere confeſſus ſonipes: tum ſola patentem
Deſilit in campum: vaſtis hinc viribus hoſtes
Impetit, & crebros vmbone reuerberat ictus.
A tergo inſultant iaculis, librata ſub ora
Virginis haſta cadit: nexus proculcat ahænos
Telorum glomerata ſeges: ſed alacrior omnem
Suſtinet aſſultum. tot in vna virgine dextras
Eſt hærere pudor: ſe tandem cæde fatigat
Multiplici: nec opem quiſq̃ qui ferret anhelæ
Prodijt ex Gallorum acie. ſic ſęua tulerunt
Sidera, vel ſtygius liuor inertia gentis.
¶ Fama (ſed incertis veniens authoribus) extat
Inuidiam, tectiq́ odij fomenta puellæ
Egregiam armorum laudem peperiſſe: nec ęquis
Ferre animis proceres, populi ſuffragia in eius
Elogium propenſa nimis. ſic inclyta virtus
Mõſtrorum domitrix & quæ ſupereminet aſtris
Vincere tanta nequit diræ contagia peſtis.
Huc illuc oculos Virgo deflectit: opemq́
Irrita cum ſperat: congeſto ceſpite collem
Occupat, expulſis dextra victrice Picardis,
Vt decies quinos ſub Agenoris vrbe latentes
Contudit aggreſſus pręſtanti robore Tydeus:
Vnica ſic virgo multis congreſſa potenter
Dimicat, & tabo capulo tenus immadet enſis.
Tandem ſuccidu0 procumbens poplite, vulnus
Ab latere auerſo dextræ ſecus excipit auris

Tempora,& immixti dũ manant ſanguine riui
Excuſſus media prouoluitur enſis arena.

❡FINIS TERTII LIBRI.

❡Sequitur Argumentum in quartũ Librum.

❡Ioannæ in Picardiam traductio. Ioannæ per Lucemburgum vẽditio. Et eius in Normaniam traductio. Varuicij comitis ſuper morte Ioanę definitio. Caſtilionis Theologi oratio in qua multa de magia diſſerit. Acris in Ioannã inuectio. Ioannæ ad obiecta reſponſio. Anglorum in iudices ſentẽtiam differentes indignatio Ioannæ ad deum vltima oratio. Crudelis Ioannæ concrematio. Matris Ioannæ ad Carolum regẽ pro digna filiæ purgatione oratio. Caroli ad Caliſtum tertium Romanum põtificem pro hac materia legatio. Archiepiſcopus Remenſis & Epiſcopus Pariſienſis iudices in hac cauſa delegati. Heraldi Theologi pro Ioanna longa oratio. Thomæ Curcelij oratio in qua multa de illuſtribus fœminis cõmemorat. Fraudis Anglorum in priori proceſſu detectio. Dira aliquorũ poſt mortem Ioãnæ punitio. Prioris proceſſus irritatio & plena Ioannæ purgatio.

❡Sequitur Liber Quartus.

VIX furor hoſtilis captiuæ parcit: in arcta
Clauditur extẽplo pedica: multoq̧ ligatam
Fune trahunt Pinquiniaci, ſtridẽtq̧ minaces
Dentibus: vt capto Phrygijs in ſaltibus apro
Exciti latrare ſolent venabula circum,
Et rictu geſtire canes. Burgundica caſtra
Iam ſubit: & lęſos fomentis delinit artus.
Tertia lux aderat captæ poſt vincla Puellæ
Trans Sõmonigenas & Vironandua rura
Mittitur, æratis illic ſeruanda cathenis.
Beluoſiam molẽ (qua Mauors gaudeat hoſpes)
Indigenæ dicunt. quo conuenire frequentes
Liſicolæ Terni, Catuaci, Neruia pubes
Hannonij, Tungri, & vicinæ ex ſedibus oræ
Omnigenum vulgus: ſic multos cura videndæ
Traxit Ioannæ: quam circo iuſſit equeſtri
Currere Ligniacus crebra in ſolatia gentis.
❡At uero vſa pijs tum Lucemburgia coniunx
Dicitur officijs: dequeſtaq̧ ſæpe puellæ
Infœlix omen prædulci affamine triſtes
Lenibat curas: afflicta tædia nymphæ.
Iandudum tamen Anglorum generoſa virago
Inuidiam ſibi conflarat. nam ſicubi ſignis
Dimicet explicitis, tanto terrore Britannę
Impallent acies: vt nemo tendere contra
Audeat, & longe reliquo plus agmine ſolam
Formident Bethfortiadæ, plæriſq̧ videtur
Hinc magnum portendi aliquid: mentẽq̧ puellę
Conijciunt (agitãte deo) ad tam magna moueri:
Propterea multo captiuam comparat auro
Bethfortus: primãq̧ vocat Normaniæ in vrbẽ:
Paſcat vt inflictis odium indelebile pœnis.
❡Haud tamẽ vnanimes in idem cõcordia flexit
Propoſitum. nam ferro alij dixere necandam:
Aut mox Sequanicę mergendam fluctibus vndę,
Ne magicis elapſa dolis in caſtra ſuorum
Furtim quęrat iter, maiorem auſura deinceps
Sæuitiam: ſeruata diu quid proderit (aiunt)
Omnia præcipiti miſcebit forte tumultu:
Quãdoquidẽ leuibus nimiũ plebs credula gerris
Decipitur: gaudetq̧ nouis mutabile vulgus.
Aſt ea Varuicio non conuenere Comarcho.
Veſtra (inquit) conſulta patres audiuimus: at non
Id capiunt omnes quod nos molimur in iſtam
Sortilegam: noſtros non diro carmine caſſes
Effugiet: ſontes mors vltrix puniet auſus.
Sed meminiſſe decet, tenuis q̃ gloria ſurgit,
Frigida q̃ laus eſt ſola de morte puellæ.
Iampridem fixum nobis ſtetit, igne piandum
Hoc immane ſcelus: ſed honeſto nomine flãmas
Prætextas volumus: vocat execrabilis auſi
Authores ſuperos: vt quicquid ſæuiat armis,
Id populus putet eſſe pium gratumq̧ tonanti,
Vt res cunq̧ habeat, paucis audite, puellam
Dicemus prauæ hæreſeos ſordere veneno.
Sic & Valleſium (quem dicit fœmina regem)
Participem tanti vulgabimus eſſe reatus,
Et regni indignum titulo, qui infamibus vti
Pręſidijs velit, & quęrat conſortia ditis.
❡Dũq̧ ita res pẽdet cõcreſcit rumor in horas,
Et venit in variũ populus problema. Magiam
Obſtupet indoctum vulgus: crebroq̧ requirit
Quid magicę poſſint artes, quo authore parent,
Sint ne pijs omnes aduerſæ moribus: & quo
Vſq̧ per has liceat vetitos deſcendere in vſus.
Tum ſedet in roſtris Caſtilius atq̧ ita fatur.
Pauca ſuper Magicis tenui memorare figura
Ex vſu fore crediderim: vt quæ quæſtio multos
Detinet: his breuibus partim reſoluta quieſcat.
❡Cum veteres primũ ſtudio verſantur olympi,

Et ſuperos luſtrant oculis & mentibus orbes:
Paulatim acceptis cœlorum motibus: vltra
Anxia progreditur rimandi cura, breuemq́
Ingenij captum non fert humana libido.
Nam quod inacceſſæ lucis caligo recondit,
Quodq́ opifex rerum ſecretis deſtinat vmbris,
Inſano exciti ſtudio plæriq́ requirunt.
Iuncturas atq́ aſtrorum diuortia, cauſas
Eſſe putant, quæ non moderētur corpora ſolum,
Sed neq́ id humanis concedunt mentibus, vt ſe
Legibus extricare queant radiantis olympi:
Quin fixos pendere aiunt ex æthere mores,
Inuitoſq́ trahi ſub ineuitabile fatum
Per varios cœli aſpectus, & ſideris ortus:
Pullulat hinc primo exitialis origo magorum.
¶ Sorduit antiquæ vana leuitate Magiæ
(Vt perhibent priſci annales) Chironia tellus:
Subdola quæ poſtq̃ Græcas peruenit in vrbes,
Traxit eo multos ſtudij dementis: vt inſtar
Perpetis exilij miſeram traducere vitam
Cenſuerint virtutis opus, peregrina petentes
Aequora cũ terris Zoroaſtris & Hoſtenis aucta ē
Multiplici ſcripto nihil eſt quin vaniter auſit:
Nunc petit æthereos fluxus, nunc infera tentat:
Se temere iactans terræ cœliq́ potentem,
Diſſimili cura, varioq́ errore ſequaces
Implicat, atq́ alios alia in diſcrimina mergit.
Sunt qui conſpectis tepido ſub ſanguine fibris
Certa futurarum ſpondent præſagia rerum:
Inuenias & qui velit accerſire ſepulchris
Corpora, cœleſteſq́ mouere & ſiſtere formas:
Euridicen herbis & carmine credidit Orpheus
In lucem reuocare: vetus ſed fabula certam
Inuoluit facti ſeriem. ſic credita Circe eſt
In pecudes mutare viros, rictuq́ ferino
Viuere captiuos, primaſq́ reſumere formas
Carmine mutato, demptiſq́ nocentibus herbis.
Iſta ſuperſtitio mirando perculit ęſtu
Arſacidas: ſic paulatim regalibus aulis
Succeſſit temere: domita quam Perſide magnus
Proſcripſit Macedo: natam ſed fęcibus Hydræ
Dixeris, exciſo nam vertice naſcitur alter
Tergeminus: molli ſemper ſe in pectora lapſu
Inſinuans, Indos, Nilotica regna, Arabeſq́
Detinuit. ſupraq́ alias id nequiter artes
Vendicat, vt cum vix ſtudijs muliebre ſit aptum
Ingenium: tamen hos propenſa mente furores
Fœmina proſequitur: domus eſt Æetia teſtis:
¶ Sæpe Paleſtinos infecit tabe penates,
Nec potuit ſanctis feralis belua Moſi
Legibus arceri. paulum ſi quando ſileſcit:
Muſſitat occultis ſemper rediuiua latebris.
Coniurat ventos genus hoc crudele magarum,
Suffocat ſegetes, abſentibus vbera vaccis
Siccat, & educto replet mulctralia lacte.
Extenuat maciæ vires, & morbida philtra
Miſcet corporibus: quæ vix niſi morte reſolui
Dira queat peſtis. Sunt qui ad maiora laborant:
Quæſita geneſi, vitæq́, neciſq́ recludunt
Fatalem euentum, pelui, ſpeculoq́ nitenti
Dęmonas accerſunt, coguntq́ venire vocatos.
Porrectis alij iactant prædicere dextris
Vitam, funus, opes: id apud nos ſæpe videmus
Cum venit incertum Pharia de littore vulgus.
Multa ſed indocti credunt miracula: ſolis
Quæ vel præſtigijs, vel diro carmine fiunt.
Præſtigiator enim (cui creber dęmonis vſus)
Faſcinat humanos ſenſus, vt recta videre
Non valeant: veroſq́ putant ſpectare colores,
Humanoſq́ audire ſonos, denſaſq́ virorum
Decertare acies, leporeſq́, caneſq́ per agros
Currere, & ingentes thalamis ſe pandere hiatus
Aut tonitru mugere, niueſq́ per aera ferri:
At nil tale ſubeſt, fallitq́ illuſio ſenſus.
¶ Sed neq́ multa negem fieri inconſueta, nouiſq́
Induci formis, quę non mox vera putentur.
Mirificis multæ donantur viribus herbæ,
Secretumq́ genus lapidum: ſed condidit illas
Et paucis voluit notas deus eſſe: videmus
Hinc miranda ſequi, quæ mens ignara negaret
Naturæ fieri ingenio. Sed paucula pergam
Addere: quaſq́ habeat rerum prædictio cauſas
Expediam, & quantus veteres deluſerit error.
¶ Multiſcius dęmon longęuo temporis vſu,
Aut acie clara ingenij plærunq́ futura
Præuidet, humanæ nequaq̃ peruia menti.
Delphica ſic olim multos Cortina trahebat,
Sic Latiam petijt ſerpens Epidaurius vrbem:
Dum cunctis perſuaſa fides vulgaret, id eſſe
Numinis occulti. nam nugis dęmon obumbrat
Quædam vera ſuis: vt poſt grauiore ruina
Præcipitet miſeros. Sic in ſua fata Meneceus
Currit, & exuitur regali tegmine Codrus:
Sic & Oiclides vaſto telluris hiatu
Mergitur: & grandi ſe intrudit Curtius antro.
Gallia ſic aras olim Teutatis & Heſi
Inſtituit: quom Ditigenis humana litaret
Hoſtia. quin eadem priſci fecere Quirites
Sacra Ioui. ſæuæ ſic Taurica templa Dianæ
Ad ſua deuectos dum mandat littora cædi.
Cætera quid dicam? veterum ſunt iſta deorum
Numina: qui ſtrages, qui ſontia facta monebant.

Nulla Quirinalis ſuſcepit bella ſenatus,
Decretis precibus quin conſuleretur aruſpex
Augur,& extiſpex,multoq; in honore fuerunt
Obſeruatores auium,vt prædicere ſortes
De paſtu,aut penna volitante per aera poſſint.
Iſta diu toto peſtis regnauit in orbe.
Cum notus Solymis tantum deus eſſet in oris,
Altaq; Tenariæ raperent ergaſtula faucis
Migrantes animas:nec peruius eſſet olympus.
At nunc vana pijs ceſſerunt orgia ſacris,
Diſpulit & Stygias lux mundo exorta tenebras.
Non tamen a veteri deſiſtunt fraude ſathanes:
Sortilegas,ſagaſq; cient,& multa per illas
Flagitia exercent,ſolis quæ viribus ipſi
Non valeant:rixas miſcent,& dira propinant
Troxica,vt innocuos pacta mercede trucident.
At ne vana teram prolixis tempora verbis:
Poſſumus ex ſancti longo certamine Moſi
Noſcere quæ magicas venerunt ſigna per artes.
¶Altius & ſiquid non eſt audire moleſtum:
Tradita ſunt olim ſacrarum nomina rerum
Patribus antiquis:qui fundamenta locarunt
Naſcentis fidei,vt per ſigna ſequentia cunctos
Dæmonas eijciant,& Chriſto pareat Orcus.
Hinc alij venere auſi temerare prophanis
Ritibus has voces,& iniquos vertere ad vſus:
Quando exorciſmis,& diro more precandi
Accerſunt Herebi manes,vt furta reſignent,
Aut rerum ſortes,aut æra recondita prodant.
Multa poteſt dęmon:maius niſi numen ab alto
Impediat vires.hominum ſed ſæpe meretur
Stulta fides tradi varia in diſcrimina rerum.
Sed quia non conſtat qui ſpiritus egerit iſtam:
Cui labor hic ſudat:paucis tentabimus,vt quod
Mens gerit occultum muliebri effutiat ore.
Belloacus pręſul ſiſti iubet ante tribunal
Parthenicen:tum doctorum præſente corona
Ipſa ſedet:iuſſuſq; ſenex hæc ore refundit.
¶Publica diſtrictis multari crimina pœnis
Sancta patrum decreta iubent: ne lurida tabes
Gliſcat,& in ſimiles trahat indulgentia noxas.
Tu vero(nec enim inficias potes ire)nefandi
Criminis argueris:tu noſtræ dogmata legis
Moribus inceſtas.Sed dic quo freta magiſtro
Talia moliris?quæ mentem inſana libido
Corripit armorum?tibi quæ commertia Marti?
Thermodoonteo noua nunc certamina more
Inſtaurare cupis?tibi quod genus?ede quis artē
Militiæ dederit?quo bella authore ſequaris?
Cur pudeat ſexus,vt tonſis ire capillis
Tantus amor,noliſq; togam abiectare virilem?
Cur non Moſaici deterret ſanctio verbi?
Præcipit & Paulus ſemper ſit fœmina tectis
Crinibus,atq; domi priuata negotia curet.
Dic quibus in terris tua ſit verſata iuuentus.
Arborea te ſæpe choros duxiſſe ſub vmbra
Fama refert:fatiq; deas(ſic nuncupat illas
Priſca ſuperſtitio)tecum ſalijſſe choreis:
Non pia relligio tales ſibi vendicat odas.
An Liciæ ſortes,an Phœbi oracula noſti?
An te Chaonię docuerunt carmina ſyluæ?
Dęmonibus fama eſt certas te dicere leges,
Imperijſq; vrgere tuis:rerumq; futuros
Rimari procul euentus,& certa docere
Auguria inſpectis auium per inania gyris.
Nec prius,vt referunt,cingis tibi callide frõtem
Qũ ſupplex in opem ſtygias eduxeris vmbras.
¶Hactenus effulſit monſtrorum neſcia ſola
Gallia:ſed turpes præſens dementia næuos
Intulit:& longi ſplendorem polluis ęui.
Carolus ille tuus furiali impellitur æſtro
Quiſquis hic eſt: quem nulla dei reuerẽtia tãgit.
Ad vetitum Phitona Saul deſcendit in Endor
Dum ſtudet inuitis hoſtem propellere diuis.
Sic tuus hic princeps, careat quom robore cauſæ
Ad Phitoniſſas refugit:ſtygijſq; parentat
Manibus,& quicquid ſacris eccleſia ſeptis
Abdicat:vt voto tandem potiatur,vbiq;
Anxius inquirit:nec iura nec ipſa veretur
Numina,ſpemq; tuis auges temeraria nugis.
Vt fidem dictis capias,te fingis habere
Congreſſus ſuperum:crebris & Coſtida verbis
Auditam,iugemq; tibi ſpondere pudorem.
Quid ſibi vult id conſilij,tibi ſemper adeſſe
Quod ſimulas:tetros quis neſciat eſſe ſathanes,
Aut mera fortaſſis mendacia?ſcilicet ad te
Confluit accenſis diuorum curia ceris.
¶A multis tibi iam ſacras audiuimus aras
Inſtitui,tangiq; manus vt numen habentes
A populo.Nec rem prohibes:ſed ſancta videri
Impenſo ardeſcis ſtudio:crediſne licere
Hoc impune nephas?oculos euolue tenebris:
Non reſipiſcentem feriet vindicta:fateri
Eſt opus errorem:ſpargendi ſanguinis author
Credendus Deus eſt?Si nuncia pacis adeſſes:
Id caperet pietas.Sed quom crudelibus armis
Omnia miſcueris:quis talia velle tonantem
Crediderit?ſanctę qui præcipit oſcula pacis.
Pręterea quem nõ moueãt figmenta cachinnum
Quæ de cœlitibus reſoluta fronte pudoris
In populum ſpargis:quid vulgo fingis habere
Membra Michaelem,& tactos tibi ſępe capillos

Margaris & diuæ Catharines: quis fuit huius
Dogmatis aſſertor? quæ tanta licentia vocis?
Num poterat ſatis eſſe tibi, terrena tumultu
Concutere infando, & non ore laceſſere diuos?
Prętides inſanas olim curaſſe Melampus
Dicitur helleboro, dum captę mente putarent
Eſſe boues: at non leuior te inſania mentis
Corripuit. quid enim? quom te natura puellam
Edidit: eſſe negas, gaudeſq; virilibus armis.
An tibi miſcuerit cantatrix pocula Circe?
Vt ſexum mutaſſe putes furiata venenis.
Finis erat verbis: ſic contra exorſa puella.
¶Libera purgandę ſi detur copia famæ
Oſtendam o patres, falſo mea nomina lędi,
Inſontemq; pati veſtrę conuitia gentis.
Si minus auditum genus eſt, ſi noſſe parentes
Eſt amor, expediā: & Frācos quæ cauſa penates
Viſere compulerit. Scythicis non eruta veni
Rupibus: infida non ſum ſata gente. parentes
Viuunt Barricei fluuiali in limite campi.
At mihi non alto natalia ſanguine fulgent,
Sors nec opima domi: ſed præſens ſufficit vſus.
In patrias ſedes miſſi potuere miniſtri
Explorare meos occulto examine mores:
Dicite (ſi noſtis fama referente) quid in me
Nequitiæ? quibus eſt curis educta iuuentus?
More puellarum vetulæ ſubiecta parenti
Vſq; fui, cui quicquid opis pro ętate licebat
Sub teneris impendi annis: non extera noui
Regna. nec Orthygiā colui, nec Phaſidis agros.
Non me ſortilegam, veteris neu credite patres
Imbutam ſtudijs: ſed nec Medæidas herbas,
Aut aconita lego: nec carmine faſcino mentes.
¶Sed qui res hominū ſumma deus arte gubernat
Ex caulis me ad bella tulit. ſic balthea mollem
Abiecere colum: gerit & pro floribus enſem
Dextera: vt ex alto virtus infirma potentes
Deijciat: diſcantq; homines ad regna ſat eſſe
Nec robur nec opes: ſceptrū niſi protegat ęther.
Paſcendas ſæpe inter oues ſæpe inter & vmbras,
Accepi a ſummo demiſſa oracula cœlo,
Vt peterem Loſcos: mœrens vbi Carolus ægras
Voluebat curas: ſumptoq; interrita ferro
Exigerem iniuſtos regni de finibus hoſtes.
Adueni tandem: ſed me diſtricta probauit
Pictauæ cenſura ſcholæ. nam Carolus arma
Ante michi vetuit, q̄ longa indagine veri
Res melius claram in lucem diſcuſſa veniret.
Sum regi tria pacta meo: dum cauſa rogata eſt
Aduentus. primo Aurelia de ſede Britannos
Pellere, & hinc Remos inuitis hoſtibus ire,
Atq; palam dici ſuſcepto chriſmate Regem.
Id vero plene (extremum quod in ordine pacti
Reſtat adhuc) dabit Altitonans cum lætior olim
Tota coruſcabit ſub Gallo Gallia rege.
Non michi præterea perſuaſit culpa virilem
Ferre habitum: tanti non hoc damnate reatus.
Neſcia ſum veneris, teſtes iubeantur adeſſe
Matronæ, quibus edixit Bethfortia princeps
Synceram noſtri ſpeciem explorare pudoris.
Poſt vbi me primo Deus hæc in bella vocauit,
Fœmineas veſtes belli pro more reliqui:
Sic permixta viris, Veneri non ſuſcito flammas:
Caſtra ſequor, manſura tamē nō ſemper in illis;
In patrios regreſſa lares, muliebria rurſus
Indumenta feram. verum quoaduſq; iubebit
Belligerare Deus conceſſis muniar armis.
Certa fides mihi de ſacrarum Margaris atq;
Coſtidis alloquijs iſto (quia quæritis) vtor
Conſilio, nec opus maiori examine: cum res
Sit pia quam ſuadent & apertis cognita ſignis.
A populo me velle coli; ſanctamq; videri
Dicitis: at certe non tanta inſania menti
Incidit: hæc neq; finxit mendacia liuor.
Præterea patres (rudis agreſtiſq; puella
Cum ſemper fuerim) quid pergitis alta rogare?
Quæ ſuperāt captū ingenij perquirere inane eſt:
Quandoquidē abſtruſos fidei non arrogo ſenſus.
¶Talia nequicq̄ lachrymis effatur obortis.
Mendacem & vanam vocat indignata Britanni
Curia conſilij: multos licet inde pigeret
Qui certo nouere dolos & fraudis operta.
In multo abiere dies obiecta ſenatus
Angligenū, inq; vicem afflictæ reſponſa puellę.
Sed nihil extremam potuit reſtinguere bilem,
Inſiſtunt exciti odio, rabieq; frementes
Brutiadæ: & flammas cunctorum vota repoſcūt.
Belloacus præſul (cui tum delata poteſtas
Iudicij) mediam conuitia ſæpe per vrbem
Suſtinuit: quia non præceps ſententia dicta eſt.
¶Caſtoris hoſpitio Titan exceptus amœnis
Graminibus depingit agros, inſtatq; iuuentæ
Menſis, & albentes incedit Flora per hortos:
In veteri pyra ſtructa foro miſerabile funus
Sternit Ioannæ: moritura educitur atro
Carcere. concurrit promiſcua turba per vrbis
Compita: ſeſe alij domibus clauſere gementes,
Nec tam immanę nephas potuerūt lumina ferre.
Tandem carnifici datur exurenda: cathenis
Vincta manꝰ, & colla: igni gemebūda ꝓpinquat.
Audires querulas ſupreſſo murmure voces:
Flagitium crudele vocat q̄plurima turba.

Vibratis tamen inſurgunt haſtilibus Angli:
Si quos inſpiciant mœrorem prodere vultu.
Iam fuerat ſubitura rogos: quom talibus orat.
❡Sũme deꝰ cui corda hoĩm ſunt peruia, cui ſunt
Abdita cũcta palam, qui ſingula ſimplice & vno
Intuitu luſtras: cernis q̃ indigna parantur
Funera: quid noxæ admiſi? quo crimine diris
Deuoueor flammis? patriam, charoſqꝫ parentes
Cum quibꝰ innocue ante fui (te authore) reliqui:
Spes erat afflictis noſtrum conferre laborem,
Et titulos dignæ nobis accreſcere laudis:
Sed video perpes vitæ mihi crimen inuſtum,
Hac rude militiæ magni donantur honores.
Eheu chara parens, eheu genus omne meorum
Perpetuis gnatæ ſoluetis iuſta querelis.
Qꝫ mallem pauiſſe greges, & (vt ante ſolebam)
Delituiſſe domi, nec Martis noſſe tumultus.
Sed nec eram viſis plus æquo credula monſtris:
Muneris accepti totus mihi teſtis olympus:
Non ferri crudelis amor, non mentis adegit
Impietas. quid te potuit cogente negari?
Noſti ſumme deus me pertædeſcere fuſi
Sanguinis: vtqꝫ manus non crebra cæde maderet.
Bellica ſigna lubens accenſo Marte ferebam:
Innocuam plebem ſpoliari, templa cremari,
Sacra rapi, occidi imbelles, ſanctumqꝫ pudorem
Proſtitui, captas nunq̃ ſum paſſa per vrbes.
Supra fœmineas iuſſiſti plurima leges:
Quid mirum ſi fœminei pro tempore mores
Mutandi pauliſper erant? ſi bella gerantur
Eſt clypeo inſertanda manus: ſunt apta virili
Officio capienda, enſes, galeæqꝫ, habituſqꝫ.
Scis pater huc quantis acceſſit territa ſignis:
Cũ ſtygiis mihi nulla vmbris ſunt fœdera: nunq̃
Vana ſuperſtitio noſtras penetrauit in aures.
Non mihi triſte mori: ſi pulchra morte liceret
Compoſuiſſe dies: ſed ſcis æquiſſime iudex
Qꝫ vitijs aliena fui, quæ plurima falſo
Impoſuit liuor: patriæ, generiqꝫ meorum
Perpetuo ſum dedecori: niſi forſitan olim
Hanc retegas fraudem. ſed non impune licebit
Vt ſpero, tam grande ſcelus: miſerere puellæ
Poſt obitum, miſerere deus tam dura ferentis.
Francigenæ populi, & ſolio firmetur auito
Carolus: extremis hoc vnum poſtulo verbis
Me non deſtituat patiens in funere virtus.
❡Hæc vbi commemorat tenſis ad ſydera palmis
Corruit in flammas auerſa, & nomen Ieſu
Dulcius inclamat moriens. Sed ſaxea corda
Angligenum, diris nequeunt miteſcere pœnis,
Altius increpitant: Dic, o fortiſſima miles
Dic vbi pacta fides, vbi ſunt oracula cæli?
Hoſne tuum te conſilium cælauerat ignes?
Deficeris nunc arte tua: Phitona require
Si fortaſſe aderit: Colchoo carmine noſtros
Perſtringas oculos, & viua elabere flammis.
Talibus inſultant probris. & ne vlla puellæ
Integra compages, aut membra illæſa ſuperſint
Sequana collectas lato bibit ore fauillas.

❡SEQVITVR SECVNDVS Proceſſus poſt mortem Ioannæ ſub Caliſto Tertio Pon. Ro.

SEd nec flamma pyræ, nec præceps fluminis vnda
Mergere lethæis famam potuere tenebris.
Tertius in Latia Caliſtus præſidet vrbe
Dum regẽ aggreditur mater gemebunda puellæ.
Maxime rex quem diuum (inquit) clemẽtia toto
Firmat in imperio, vt tenues vix colligat hoſtis
Relliquias: audi viduæ lamenta precantis.
Cum ſuperis fixum poſt tam miſeranda ſtetiſſet
Tempora Gallorum labefactam reſtitui rem:
Neſcio qua diuum ſecreta mente puella
(Cuiꝰ ego heu genitrix) ad opus tã nobile venit:
Multa ſupra ſexum referunt inſigniter auſam,
Quæ ſuperam teſtentur opem. ſed dura labori
Præmia ſuccedunt: dicta eſt cenſore Britanno
Hæreſeos ſatrix, & iniquis tradita flammis.
Quis ferat hoc ignominiæ damnabile crimen.
Cum nihil eſt culpæ reliquis nos cœtibus addi
Creditur eſſe nephas, & ſancti limina templi
Vix intrare licet. feret hæc ſtypendia virtus?
Qꝫ prius abfuerat, quicq̃ ne tale putarem,
Dira vtinam tabes aut ceruix fracta puellæ
Huic cœpto occluſiſſet iter. non vſa parentum
Conſilio te rex petijt. Vis altior iſtud
Mouit opus: tantoſqꝫ puellam erexit ad auſus.
Tu noſtræ miſerere domus clariſſime princeps:
Et melior fictam damnet ſententia litem.
Vir meus audito dilectæ funere prolis
Oppetijt: mortis cauſam execratus & ignes.
Me quoqꝫ non diſpar (ſi non miſerebere) vitæ
Exitus inuoluet. Sed mors pergrata futura eſt:
Si prius elutum gnatæ cognouero nomen.
❡Talia dũ lachrymãs Iſabellis verba profundis:
Vnanimes regem pronis ceruicibus orant
Gallorum proceres, vt curas eximat ægri
Pectoris, atqꝫ inopem ſoluat mœrore ſenectam.
Nec ferat: vt longis incaſſum venerit oris

Deſolata parens. id enim concedere magni
Eſt (aiunt) animi: nec quicq̃ dignius alto
Principe præſtabis. quin & maiora puellæ
Emeruit virtus: quæ poſt mandata tonantis
Pene oblita ſui, mentemq́, togamq́ virilem
Induit. & dulcem cum poſſet degere vitam
Omni Marte procul, nulliq́ obnoxia damno,
Hanc obiit belli ſexu non territa molem.
His precibus tractus, Caliſto deſtinat vnam
Carolus hac ferme verborum lege tabellam.
❡ Maxime pontificum qui ſancto numine terras
Sub ſolo moderare deo, cui tanta poteſtas
Vt cælos aperire, & apertos claudere poſſis,
Poſſis & ſtygiæ reſerare ergaſtula noctis:
Hæc ſub apoſtolico libranda examine cauſa
Te petit o ſacrate pater: quam quæſo paternis
Excipe viſceribus, iuſtoq́ attolle fauore.
Flaccida quom magnis lugeret Gallia bellis:
Finibus Auſtraſiæ digreſſa iuuencula paucis
Huc venit comitata viris: cauſamq́ rogata
Quæ ſuaſiſſet iter, vel vbi tractauerat arma:
Reſpondit ſuperis veniſſe authoribus: & rem
Non obiiſſe prius certis q̃ cognita ſignis
Conſtarent edicta dei. Sed cætera coram
Diſſeret orator melius: nec epiſtola paucis
Rem caperet verbis: tandem perfuncta recepto
Munere poſt victos crebris conflictibus hoſtes,
Dum Compendiaci decertat in æquore campi
Tranſfoſſo decūbit equo, & venundatur Anglis:
Qui dirum ſcelus obiiciunt, vulgantq́ Magiæ
Eſſe ream: & ſacra de relligione tenentem
Impie, vt aduerſus noſtri moderamina ſceptri
Diſſidium patrare queant: Sic perfidus hoſtis
Deſtinat inſontem flammis: ſed fraude retecta
Verſa alio res eſt. fieri quæcunq́ per arma
Et ferrum licuit, tentauimus: hoc tamen vnum
Reſtat adhuc, quod (te præter) contingere nemo
Audeat: iſta tuum poſcit cenſura tribunal:
Præcipias mores inquiri & facta puellæ,
Quamq́ ſit aduerſæ neq̃ ſententia partis.
Annuit indulgens Romanæ gratia ſedis:
Nam ſuper aerias ſe fama extenderat Alpes.
Parrhiſianus in hoc delectus munere præſul,
Remorum ſimul Antiſtes, de more forenſi
Litis agi totam ſeriem fecere vocatis
Iudicibus primis, aliiſq́ ex ordine quorum
Intererat. ſed iam longum cum tempus abiret,
Tæderetq́ moræ: pro roſtris ſedit Heraldus,
Et coram patribus tali ſermone perorat.
❡ Non bene perſpectis quicq̃ decernere cauſis,
Grande nephas. plæruncq́ deus ſecreta puſillis
Detegit ingeniis, quæ vult ſapientibus eſſe
Inuia: ſic puero Danieli prodita nequam
Culpa ſacerdotum, quos tantus mouerat ardor
Inguinis, vt turpes coitus cum caſta virago
Abnuit: intentant venerando ſaxa pudori.
Antea & accitur cæleſti voce quieſcens
In templo Samuel: qui (cum pretioſius eſſet
Et rarum domini verbum) diuina ter audit
Alloquia: & quæ caligans ætate ſacerdos
Abdita non meruit, puerili mente refundi
Et viſum ſuperis. ſed quid fornace probatos
Aſſyria dicam iuuenes? quos impius error
Perfidis, a vera non relligione reflexit:
Nam deus illuſtres pueros perfuderat almo
Lumine: dum ſordent Chaldæa labe parentes.
❡ Nec moueat quenq̃ generis depreſſa propago:
Quid duce Ieſſæo priſcis generoſius annis
Floruit? Allophilum qui caſtra potenter adortus
Rettulit inſignes palmas: dominoq́ ſecundam
Supponente manum procæra mole gygantem
Strauit humi, fretus balearis robore fundæ.
Ipſe tamen medio balantum de grege nuper
Venerat: haud aliis exercitus ante duellis.
Primus item Solymæ qui geſſit ſceptra coronæ
Dux fuit & cuſtos patrii gregis: ibat aſellas
Forte reducturus vacuum in præſepe parentis:
Dum rediit ſancto frontem perfuſus oliuo.
Pulchra Rachel, cuius benedictū in ſecula nomē,
Ducebat patrias ad aquarum ſtagna bidentes,
Cum dedit Iſrael ſynceris oſcula labris.
Armentum paſcebat Amos cum plurima vidit
Somnia, venturam procul indicentia cladem:
Chaldæiq́ ducis ſubiturum vincula Iudam.
Sed quid ego annitor rem perſuadere ſuapte
Luce coruſcantem? ſancto debetur Abeli
Inter paſtorum ſeriem primarius ordo.
Rure Paretonio ſoceri pecuaria Moſes
Paſcebat, cum prima dei mandata recepit,
Vt quateret crudis Pharaonis limina plagis.
Prima quis excelſæ poſuit fundamina Romæ
Quæ vix imperium ſignato limite clauſit
Paſtorū perhibetur opus? quid plura morabor?
❡ Elegit depreſſa deus, proſternat vt alta:
Cuius in aſpectu paribus ſunt omnia formis.
Vtitur his, illis: quom poſſit in omnia ſolus.
Virginea cur non potuit contundere dextra
Angligenas: ſic Aſſyrios fortiſſima Iudith
Expulit a patriis percuſſo principe campis.
Dixerat: Inde nouo cum Sol ſplendeſceret ortu
Conſedere patres: qui dum plæroſq́ reuoluunt
Articulos, capitumq́ notas, quibus ipſa puella

Cenſuram ſubijt tam diri funeris: inter
Cætera quæ longum tenuit digeſta volumen
In primis vitio arma dari, ſub lite priori
Deprendunt, tonſamq; comam, veſtemq; virilē.
Tum pater exculto Curcellius incipit ore.

¶Deſita iampridem facit aſſuetudo videri
Monſtroſum genus, exurgat ſi fœmina bello.
At vero illuſtres accepi heroidas olim
Plus bello valuiſſe viris: In gente Scytharum
Ambigitur, ſit ſexus vter præſtantior armis.
Geſta Semiramidis (defuncto coniuge) quis non
Audijt? Aſſyrium ſexum mentita virilem
Stemma diu geſſit, medioſq; animoſa per hoſtes
Se plærunq; tulit. nec primi anguſtia regni
Viſa ſatis: ſed finitimos erupit in agros
Inſtituens longi præclara exordia ſceptri.
Quis potuit Cyri tantos compeſcere niſus:
Dum victis Aſiæ populis penetrauit Eoas
Vſq; domos, magno graſſandi percitus œſtro?
Vltricem demum ſcelerati pectoris vnam
Inuenit Thomirim, quæ pleno ſanguinis vtre
Obruit exciſum caput: his effata loquelis.
Ardentem humani iamiam reſtingue cruoris
Cyre ſitim: pleno tandem ſatiaberis ore.
Ditia Pactoli non ſuffecere fluenta:
Non tot opes Crœſi ſed nec Babylonica regna.
Caucaſeus vertex te ſenſit, Hidaſpis, & Indus:
Dein ad Maſſagetas rabies extrema furentem
Appulit: hic ſiſtes immanis belua greſſum.
Quid viricidarum referam genus? Orithiam
Antiopē, Hypolitem, Menalippen, Pēthaſileā
Congreſſas ſummis ducibus, deſcendere in arma
Compulit Euriſtheus Alcmenæ pignora, contra
Virginem Amazoniam. nec vincla iugalia captæ
Reſpuit Egides: Smirnamq; Epheſumq; locauit
Fœmineus labor, atq; Aſiæ celeberrima quondā
Oppida tam belli ſtudio valuere: ſuperbis
Gentibus vt victis conſtanti lege vetarent,
Nequa maritalem virgo tranſiret in vſum:
Si non ante ſuo victrix occurrerit hoſti.
Adde q; & domito Pelides orbe Caleſtrim
In ſociale thori fœdus, partemq; recepit.
Quin referunt primo ex cunctis mortalibus ipſas
Scandere equos auſas, capitiq; innectere frenos:
Hinc ſtant Hippiadum pictis aulæa figuris.
Sed ne forte recens exemplum deeſſe putetur:
Magnanimus ductor Romanæ claſſis ad Iſtrum
Cum decertaret Scythicis, in ſtragis aceruo
Repperit accinctas ferro bis quinq; puellas.
Gorgonas ambiguo vicit certamine Perſeus:
Hinc ſerpentinos celebrauit fabula crines.
Non fuit Æthiopum Candax indigna potenti
Imperio: Phariam tenuit Cleopatra coronam:
Quæ nec Cæſareis timuit concurrere pilis.
Zenobia (euictis Perſarum regibus) auſa eſt
Romuleos tentare duces: hinc nobile germen
Prodijt, & claræ fecit primordia genti.
In Meroe ſceptrum ſemper regina gerebat.
Quis vetet vxorem ſubducat vt hoſte maritum
Armata ſiquando poteſt inſurgere dextra?
Eruit Harpalice Getico de carcere patrem.
Quis vel in Æneadas non audijt arma Camillę?

¶In commune malum cur non promiſcuus ire
Sexus vterq; queat? cur non ſtet fœmina muris?
Aut in ſaxa ruat quom proximus incubat hoſtis?
Fœmineum robur Spartanis mœnibus olim
Reppulit Epyri regem, & Meſſenia caſtra.
Bellica ductilibus neruis cum tela carerent
Romuleæ matres, conciſo vincula crine
Intexunt: ſic quæ virgo datur obſes Ethruſcis
Liberat attonitam traiecto flumine Romam.
Si plæroſq; viros obſcuro nomine vitam
Degere, & ignauos ad opus prodire virile
Cernimus: erectas quidnam vetet eſſe potenti
Robore matronas? Beronice armata volucres
Inſcendit currus, vt operta fraude perempti
Vindicet interitum nati: ſternitq; cruento
Puluere deprenſi contrita ſatellitis ora.
Ambronib9, Cymbris, Tigurinis, Teuthonib9q;
Mos fuit in bella aſſumptis vxoribus ire:
Quos vbi per Latij palantes plana, ſecundo
Fudiſſet Marius: magna virtute duellum
Fœmineæ inſtaurant acies, vt pene virorum
Turpiter aufugeret domitor, Latiumq; Latino
Sanguine tinxerunt: ſed quid ſi cætera verbis
Promere conſtituam, non me fortaſſe feretis.

¶Oebaliæ leges ſtatuunt authore Lycurgo
Virgineas crebra ſudare in gymnade dextras:
Hinc data Parthenio creduntur nomina monti:
Id quoq; Socraticæ præcepit dogma palæſtræ.
Illyricas Theuta imperium tenuiſſe per vrbes
Dicitur, & bello Latias fregiſſe cohortes.
Iura dabat Solymæ bellatrix Delbora genti
Quando Iahel Siſaræ traiecit tempora clauo.
Non operi veſtis, ſed mens ſua nomina ponit.
Effuſis caſti thalami dilexit habenis
Hipſicrathea virum, Ponti dum regna teneret:
Quæ greſſum profugi ſemper comitata mariti
Crinibus abraſis habitu tulit arma virili.
Cum Licios premerent dura infortunia, ſumpto
Fœmineo ornatu certis lugere diebus
Mos erat: id forſan ne prodigiale putetur.

Vt vir apud Carras muliebri veſte litabat:
Sic induta viri prodibat fœmina cultu.
Sed cui non audita ſatis pia vita Marinæ:
Illa viri quondam nomenq̧,togamq̧ recepit:
Extremumq̧ diem ſub ſancta clauſit eremo
Hoc habitu.ſic ignaro Theodora marito
Diluit enormem ſimulata veſte reatum.
Nec ſub oliuarum ſacrato monte morari
Erubuit Pelagia viri contecta cucullo.
Sed quis fœmineis regnaſſe in mentibus olim
Eximias vires,heroaq̧ facta negabit?
Ne ferat indignam Venerem ſe fluctibus Hippo
Obruit:& pœnas vltrices orgia ſtupri
Flagitat. Harmoniæ cōſtantia prouocat hoſtem.
Mos apud Indorum populos celeberrim⁹ extat,
Defuncto non vxorem ſupereſſe marito:
Sed viduam medijs vltro ſe immittere flammis.
Quid tantum miramur opus,ſtudiumq̧ puellę?
Mente reuoluamus,q̃ fortis ſpiritus olim
Fœmineos plærunq̧ animos accenderit:almæ
Coſtidis obuerſos orbes,ſæuumq̧ draconem
Margaris,atq̧ Agathes euulſas pectore mãmas,
Et ſeptem fratrum conſtanti mente parentem
Miremur magis:Inſtantis diſcrimina fati
Lætantes obiere omnes,nec flamma,nec enſes,
Nec potuit præſens ipſas terrere tyrannus.
Non ſunt hæc leuiora quidem certamina,q̃ quæ
Virgo monente deo,vireſq̧ ferente peregit.
Hæc ſenior fatus magno torrente diſerti
Eloquij cauſas non ſuffeciſſe docebat
Mortis Ioannæ.libertas eſt vbi ſanctus
Spiritus eſt author.Grauium primordia rerum
Portendit plærunq̧ nouis euentibus æther.
¶Sic dum Niliaci Iudæa propago tyranni
Soluitur imperio, promiſſaq̧ in arua remigrat:
Poſt ſeruile iugum,& multos ſudata per annos
Opprobria:inſuetis Ægyptum Moſe miniſtro
Prodigijs terret dominus:brucos,ciniſeſq̧
Suſcitat:in colubri mutatur virga figuram.
Inde cruentatos occiſis piſcibus amnes
Indurata videt tellus & ſuſtinet horrens:
Viſa prius nullis vſq̃ miracula ſeclis.
Ruris opes iactum permixta grandine fulmen
Proterit:attonitus decuſſas vinitor vuas
Cernit humi.ſpes frugifera de meſſe colono
Nulla manet:rapit exacti ſors vna laboris
Primitias,extincta cadunt animantia ſeptis:
Aera prætexunt tenebræ,dant nubila ranas
Et pluuios ignes,lambentibus omnia flammis.
Cælica quid referam deſertæ fercula terræ?
Quid ſilices?quibus irriguo ſalit impete riuus.
Quidve aſinam?quæ voce deum teſtatur adeſſe
Ante Sionæam q̃ Veſpaſianus in arcem
Irruet:multæ auditæ per inania voces:
Auditæq̧ acies,inſpectaq̧ ſigna per auras.
¶Vrgentes rerum euentus quis lege carere
Neſciat?accepit ſacrum ſine crimine panem
Proſcriptus Dauid:multis vxoribus vſos
Nouimus antiquos patres:dum rara coegit
Naſcentis mundi ſpecies.ſic omnia ſoluit
Vrgens conditio:& cunctos parere neceſſe eſt.
Furta deus prohibet:ſed vaſa Ægyptia iuſſit
Ferret vt Hebræus populus:diuina voluntas
Nomina dat,cauſamq̧ imponit rebus.iniquum
(Quod vetat)illud erit:ſed idē ſi forte viciſſim
Imperet,id rectum faciet vis ſola iubentis.
Adde q̧ excelſas crepitanti grandine turres
Non ſecus atq̧ leues culmos in fruſta reſoluit.
Belligerant humanæ acies:ſed pendet ab alto
Exitus:authores & habet victoria diuos.
Eſt lorica deus,mucro,pila,conus,& arma
Omnia:nil cataphratus eques,nil ferreus enſis:
Si ſuperum procul auertat clæmentia dextram.
¶Menſuram non vis recipit diuina:nec vllis
Clauditur obicibus:q̧ ſi proferre velimus
Argumenta:ſuis Iudas cum fratribus olim
Aggreſſus modicis hoſtilia caſtra maniplis
Duxit honorifico regeſq̧ duceſq̧ triumpho.
In Madionitas,Gedeone authore profecti
Ter centum pugiles ſignati ad pocula fontis,
Innumeram ſtragem fecerunt gentis Eoæ.
Cur hoſtes(cum nulla queant afferre puellæ
Flagitie,exceptis armis,& veſte virili)
Sic obdurata flammas ceruice repoſcunt.
¶Eſt aliud,primæ quo certa calumnia litis
Proditur:vt nulla poſſit ſubſiſtere lege.
Inuidiæ ſtimulos etſi plæriq̧ reſcirent
Non tamen Anglorum tulit imperioſa poteſtas,
Libera vt efferri patrum ſuffragia poſſent:
Rothomago quoſdam digreſſos conſtitit,vt non
Cogeret inuitos fraudi ſubſcribere iudex.
¶Hæc vbi voluuntur miſerandæ tēpora ſortis
Conuenit omnigeni Baſileam concio cleri
Vt poſſet mœrens eccleſia ſchiſmate ſolui:
Impenſe ad patres virgo ſua facta referri
Orat,& arbitrio tam ſancti ſtare ſenatus.
Nam cur veſtra fides(inquit)ſuſpecta Britanni
Non fuerit nobis?hoſtem pro iudice quiſnam
Accipiat?ſi forte mihi ſæuire velitis:
Vos penes eſt fateor vitæ,mortiſq̧ poteſtas:
Sed non iuſticiæ fucato nomine vitam
Perpetua infamate nota?ſaturate furorem,

Ceſſet & hoc odium ſaltem poſt fata puellæ:
Hoſtis ſum veſtri imperij, nec morte ſilebo:
Liligeris pax enſe meo fundatur in agris.
Et quia rem multũ odiſtis: me idcirco notãdam
Dicitis hæreſeos: quanq̃ ſequor omina diuum.
Et cælum quæcunq; dedit mandata faceſſo.
Talia commemorans lugubri voce rogabat
Sæpius admitti ſacris, mentemq; piari
Iudice preſbytero: ſed iniquę factio gentis
Non dedit hanc veniam: tantum q; veſte careret
Fœminea, nec Brutigenis ſe ſubderet vltro
Iudicibus, velletq; aliis cenſoribus vti.
Præterea ne cælari verſutia poſſit,
Ardua cum quærunt Angli myſteria: ſolam
(Quandoquidem non eſt vllo defenſa patrono)
Compellunt reſponſa dare, & ſiquid minus aptũ
Forſitan exciderit: calamos dextraſq; fatigant,
Oppletumq; notis creſcit ſine more volumen.
Hinc & blaſphemam, & verba incõceſſa loquẽtẽ
Turba vocat Bethfortiadum: ſic impius atram
Liuor agit bilem cæcoq; impellitur œſtro.
Quis putet ad ſacræ reſeranda ænigmata legis
Omni ope præſidij vacuam ſatis eſſe puellam?
¶Dum rapitur Paulus terni ad faſtigia cæli,
Accipit arcanas voces, & myſtica ſigna:
Sed raptus neſcire modum plærunq; fatetur.
Dum ſibi Margaritã, dum diuam Coſtida virgo
Diceret auditas, cuſtodeſq; eſſe pudoris:
Id nugas, fictumq; dolum, fraudiſq; cauillos,
Et nec ſpiritibus voces, nec membra ſubeſſe
Tota Caledoniæ conclamat curia gentis.
At vero angelicis humana negotia ſæpe
Credita ſpiritibus deſumpto corporis vſu
Nouimus: idne comes Thobiæ miſſus: & ingens
Cum puero permenſus iter nos edocet? arcta
Vincula quis Petri neſcit? quæ pagina crebros
Spirituum non dat congreſſus, atq; loquelas.
Multos præterea traxit pia cura puellæ
Qui viuentem olim norant, & caſtra ſequentem.
Iurarunt coram ſuperis, & teſtibus aris,
Nil fidei aduerſum ſub virgine poſſe notari,
Militiæ nam quando egit: ſi fœmina forte
Defuit in caſtris: tenui tum ſola grabato
Secubuit poſitis armis: crebroq; ſoporem
Nocturnæ rupere preces: quin traditur vſa
Quanq; per hebdomadem ſacri libamine panis.
¶Poſtremo enituit pietas in morte puellæ:
In cinerem cunctos dum flamma reſoluerat artus
Illæſas cor habet venas (mirabile dictu)
Nec ſynceri animi temerant incendia ſedem.
Albaq; tum viſa eſt igni prodire columba
Et petere æthereos multis ſpectantibus orbes.
Cumq; Latiniaci prodiſſet matris ab aluo
Exanimis fœtus, multis comitata puellis
Virgo ſubit templum, & coram prouoluitur aris
Vt redeant gelidos vitæ ſpiracula in artus:
Vagit, & ora mouet, baptiſmaq; ſuſcipit infans.
¶Nec ſuperi voluere ignes impune relictos:
Medeius ſiquidem longo ſermone profatus
Aſtruit eſſe ſcelus flammis & morte piandum,
Multaq; adulandi ſtudio confingit: vt Anglos
Sic ſibi conciliet. Sed paucis inde diebus
Corpus tabifico reſpergitur vlcere lepræ:
Alter in immundo reuolutus ſtercore vitam
Finijt: arguerat plærunq; in carcere ficti
Criminis inſontem pendenti lite puellam.
Sic & Calceonus qui cenſuit eſſe cremandam:
Pendula dum tonſor ſecat excrementa capilli
Expirans cadit, & gelida tellure cadauer
Decubat: vltrices ſic pendent crimina pœnas.
¶Tandem collatis patres vltroq; citroq;
Articulis, flammas ſub iniquo iudice paſſam
Darcida concordi decernunt ore: modumq;
Angligenas violaſſe fori, iuriſq; tenorem.

¶Finis quarti Libri de geſtis Ioannæ virginis Francæ, Anglorum expultricis.

¶De hac Ioãna vide ſupra in Iacobo Bergomẽſi folio 139. Et errata quædam ibidem hũc in modum corriges. Facie prima verſu 22 vbi eſt, in Aurelianã introducẽs: Lege, Remos perducẽs. Et verſu 32 vbi eſt, Remẽſem: pone, Rothomagenſem. Et verſu 36 vbi eſt, Remẽſium: pone, Rothomagenſium.

AD REVERENDVM PATREM Sancti Victoris Pariſienſium Abbatem.

Multa tibi venerande pater generoſa virago
Debet: & Auſtraſiæ nobile ſtemma plagæ.
Credidit Anglorum quondam neruoſa iuuentus
Valleſium Franco tollere ab orbe genus.
Sed deus attriti miſerans incommoda regni:
Fortia virgineas miſit ad arma manus.
Et qui vix alias ceſſere virilibus armis:
Fœmineo victi colla dedere iugo.
Suſtinuit claros deleri pene triumphos
Gallia: ſed pleno congeris acta libro.
Quid tua magnificum non bibliotheca reponat?
Cuius ab Eois fama it in occiduos.
Noſtra tibi grates exoluit muſa: q; huius
Hiſtoriæ nobis (te duce) aperta via eſt.

DE SANCTA CLOTILDE, BVRGVNDIONVM regis filia, & Francorum regina.

BEata & venerabilis regina Clotildis: quæ quanta ſecundum carnem nobilitate, quibuſq; parentibus nata fuerit, qualiterq; ad regni cæleſtis faſtigium peruenerit, & q̃ ſanctis operibus viuẽs floruerit, quo ve fine de hoc ſeculo migrauerit, intimemus futurorum poſteritati. Fuit quidam Rex Burgundionum nomine Gondoueus ſeu mauis Gondeugus, de genere Athanarici regis natus. Huic fuerũt quatuor filij, Gondebaudus, Godegiſilus, Chilpericus, & Gothmarus. Gondebaudus igitur Chilpericum fratrem ſuum interfecit gladio, vxoremq; eius ligato ad collum ſaxo in Rhodanum prope Maſſiliã mergi præcepit. Filias eius duas, quarum vna ſenior, vocabatur Chrona ſeu Sedelinda, quam mutata veſte exilio condemnauit. Iuniorem vero nomine Clotildẽ, dei diſpoſitione domi retinuit. Clodoueus itaq; Francorum rex dum frequenter legationem in Burgundiam mitteret: Clotildis puella inuenitur a legatis. Qui cum eam vidiſſent pulchram, elegantem atq; ſapientem Clodoueo nuntiarunt. At ille hæc audiẽs iterum legationem ad Gondebaudum miſit: Aurelianoq; legato & fido ſibi, Clotildis petẽdæ cauſa negotium committit. Erat enim Clotildis chriſtiana, Quæ cum quadam die ad miſſarum ſolennia veniſſet: Aurelianus legatus Clodouei, relictis pretioſis veſtibus quas ſecũ habebat, indutuſq; paupere amictu, ante eccleſiæ lumina in medio pauperum conſedit. Tranſactis itaq; miſſarum ſolenniis Clotildis iuxta ſolitam conſuetudinem, cœpit eleemoſynã dare pauperibus. Cumq; ad Aurelianum pauperem ſe ſimulantem veniſſet, miſit aureum in manum eius. At ille manum puellæ deoſculans retraxit pallium poſt tergũ. Poſthæc illa ingreſſa cubiculum ſuum, miſit ancillam ſuam vocatum peregrinum illum: qui annulum Clodouei regis manu tenens, Clotildi obtulit, & reliqua ornamẽta ſponſalia repoſita in ſacculo, retinuit: quem poſt oſtium cameræ Clotildis abſcondit. Cui ait Clotildis. Dic mihi quæſo iuuenis cur te pauperem ſimulas, vel quam ob cauſam retraxiſti pallium meum? At ille dixit. Loquatur obſecro ſeruus tuus tecum in occulto. Et illa ait: loquere. Qui dixit. Dominus meus Clodoueus rex Frãcorum miſit me ad te, & vult te habere reginam. Et ecce annulus eius & reliqua ornamenta ſponſalia. Reſpiciens vero poſt oſtium cameræ non inuenit ſacculum ſuum: & moleſtus cœpit triſtari. Illa vero ſolicite requirẽs ait. Quis tulit pauperis iſtius ſacculũ? Confeſtimq; inuenit eum. Recepit itaq; abſcondite ornamenta ſponſalia: acceptoq; annulo quem Clodoueus rex miſerat per Aurelianũ, repoſuit illum in theſauro Gondebaudi patrui ſui. Aureliano vero legato dixit: Clodoueo ſalutem dicito, ac ſubiunge. Licitum non eſt chriſtianæ, pagano nubere: & addidit. Vide vt hanc cauſam nemo ſciat. Quomodo vero iubet dominus meus, quem ego coram omnibus cõfiteor & adoro, ſic fiat. Tu autem vade in pace. At ille veniens nuntiauit hæc domino ſuo. Anno ſequenti miſit Clodoueus Aurelianum legatum ſuũ ad Gondebaudum pro ſponſa ſua Clotilde. Audiens hæc Gondebaudus: territus corde ait. Vt ſciant omnes fortiſſimi cõſiliarij & amici mei Burgundiones, qualem occaſionem quærat Clodoueus aduerſum nos: quia nunq̃ nouit neptem meam. Et ait ad Aurelianum. Tu exploratũ veniſti domos noſtras, prætextu ſponſationis quærendæ: ſed renuntia domino tuo, quia fruſtra mendacium loquutus eſt, ſe ſponſam habiturum neptem meam. Aurelianus conſtanter reſpondit. Sic mandat dominus meus Clodoueus rex. Si vis ei dare ſponſam ſuam, præpara ei locum denominatum quo vis: ſi autẽ non vis, ille cum exercitu Francorum in occurſum tuum venire diſponit. At ille ait. Vtcũq; vult: veniat, & ego contra eum ire diſpono, cum plurimo Burgũdionum exercitu, vt decidat ruina eius vſq; ad internitionem, & vindicetur ſanguis multorum, qui ſuis manibus fuſus eſt. Audientes hoc Burgundiones timentes valde iram Francorum & Clodouei, con-

ſilium pro more Burgundionum dederunt Gondebaudo, dicentes. Inquire domine rex a miniſtris,& cubiculariis tuis, ſi forte aliquando deportata ſint clanculum munera a legatis Clodouei regis: vt non inueniatur occaſio ſuper populum & regnum tuum. Nam (vt ait poeta) Frangit & attollit vires in milite cauſa: Quę niſi iuſta ſubeſt occupat arma pudor. Et ſapientiſſimus ille Solomon in Prouerbiis ſuis capite viceſimo octauo ait. Fugit impius nemine perſequente: iuſtus autem vt Leo confidens,abſq; terrore erit. Cura itaq; Gondebaude rex,vt mens tua non ſit conſcia culpæ. Nam animi ſimplex probitas,& cognita virtus Efficient impauidum pectus,& victor euades. Nimis enim furibunda eſt Clodouei nequitia. Requirentes autem inuenerunt in Gondebaudi theſauris Clodouei annulum,nominis ſculptura & imagine notatum. Eam ob rem contriſtatus Gondebaudus,iuſſit puellam ſuper hac cauſa interrogari. At illa ait. Scio domine mi rex ante hos annos tibi pro munere aurea munuſcula a legatis Clodouei allata,& mihi ancillæ tuę annulum in manu poſitum: ego vero in theſauris tuis recondidi. At ille dixit. Simpliciter, & ſine conſilio hoc factum fuit. Accipienſque eam, cum ira ipſi Aureliano tradidit. Ille autem cum ſociis,accepta Clotilde,cum magno gaudio ad Clodoueum regē eā adduxerūt,Sueſſione agentem. Gauiſus eſt autem Clodoueus rex: eamq; ſibi in matrimonium copulauit. Cum autem ſero die illo ſimul nuptiali more accumbere deberent: Illa prudentiæ ſuæ more in domino confiſa,ait. Deinceps domine mi rex audi ancillam tuā: & concedere digneris quod deprecor,anteq̄ famulatui tuæ dominationis ſubiaceam. Et rex ait. Poſtula quoduis,& ego concedam. At illam poſtulauit dicens. Primum peto vt deū cœli patrem omnipotētem qui vniuerſa creauit credas. Secūdo confiteri dominum Ieſum Chriſtum filium eius, qui te redemit: regem omnium regum a patre de cælis miſſum. Tertio ſpiritum ſanctum,confirmatorem & illuminatorem omnium iuſtorum. totam ineffabilem maieſtatem,omnipotentiamq; coæternam agnoſce, & agnitam crede. Idola inſuper vana derelinque: quia non ſunt dii ſed ſculptilia vana: & incende ea,eccleſiaſque ſanctas quas ſuccendiſti reſtaura, Et memento quæſo vt requiras portionem genitoris mei & genitricis meæ: quos patruus meus Gondebaudus malo ordine interfecit: quatinus ſanguinē eorum vlciſcatur dominus. Et Clodoueus ait. Vnum reſtat quod difficile petis vt deos meos relinquam, & deum tuum colam: Aliud vero quod poſtulas: pro virili mea factum iri curabo. At illa dixit. hoc maximum peto,vt dominum Ieſum Chriſtum deum omnipotētem,qui eſt in cælis, adores. Nihil itaq; maius in deſideriis habuit ſancta fœmina & herois Burgundica, q̄ Clodoueo congratulari vt tandem eum Chriſto lucrifaceret. Clodoueus autem iterum Aurelianum in Burgundiam ad Gondebaudum dirigit, propter theſaurum Clotildis reginæ ſuæ. Ob quod ira commotus Gondebaudus, ait. Nunquid in manus Clodouei tradetur regnum meum aut theſauri mei? Nonne præcepi tibi Aureliane vt non vltra venires in regnum hoc,explorare ſubſtantiam meam? Per ſalutem principum iuro,quatinus recedas, teq; a cōſpectu ſubtrahe noſtro, aut mors imminet capiti tuo. Cui Aurelianus reſpondit,dicens. Viuit dominus meus Clodoueus rex, & Franci qui cum eo ſunt: quia nō timeo minas tuas,quoad dominus meus viuit. Sic igitur mandat dominus meus Clodoueus rex,vt dotem ſiue hæreditatem quę vxori ſuæ dominæ meæ adueniat mittas. Igitur Burgundiones pro ſolito more dato conſilio Gondebaudo regi ſuo,dixerunt. Da nepti tuę aliquid de facultate theſauri tui, quæ ei contingit,quia ſic iuſtum eſſe decernitur: habeaſque fœdus & amicitiam cum Clodoueo,& gente Francorum: ne forte irruant in terram noſtram,quia populus validus & ferus eſt, & ſine deo. Audiens itaque conſilium eorum Gondebaudus dedit per manus Aureliani: partem maximam theſauri ſui,quæ Clotildi contingebat, aurum & argentum,& ornamenta multa,& ait. Quid reſtat aliud,niſi vt omne regnum meum,cum Clodoueo diuidam? Reuertere ad dominum tuum, quia habes quod ei

deferas,& longe maiora munera q̃ ei ſpectarent. Reuerſuſq; eſt Aurelianus cum theſauris multis ad dominum ſuum in Franciam. Succedente autem tempore concepit Clotildis ex Clodoueo, & peperit filium, quem baptiſmo conſecrare voluit. non enim credebat rex dominum deum. Regina vero ſedulo admonebat virum deos non colere: ſed eum cui ſeipſam addixiſſet dominum Ieſum Chriſtum. At ille veteri obſeruantiæ aſſuetus,ſe maiorum traditiones relicturum negat. Interea regina parat ad baptiſmum filium,ornat eccleſiam velis atque cortinis, quatinus cor regis ad Chriſti fidem impelleret. Baptizatus autem eſt puer, cui vocabulum Nygomiro fuit: qui chriſtiano more baptiſmo ablutus,intra paucos dies moritur. Hui⁹ interitũ rex in religionem vxoris transfert: Infantem ab iratis dijs abſumptum,q̃ illum Chriſto ſuo regina dedicaſſet. Ob quod nimis cõtriſtatus rex: vxorem increpando dicebat. Quia ſi in nomine deorum meorum puer dedicatus fuiſſet: vixiſſet vtique. ſed quia in nomine dei tui dedicatus eſt: viuere non potuit. Cui regina. Deo gratias ago,quia me non duxit indignam,vt de vtero meo primogenitum in regno ſuo locare dignaretur. Ego autem nullum dolorem in corde meo pro hac cauſa retineo. Grauida iterum Clotilde effecta: editum item infantem ſacris chriſtianis initiat. qui haud multo tempore poſt morbo correptus: moxque vt eum morbo laborantem rex accepit: vxori religionem improperat. quæ aduerſus regis querelas,patientiam ſpemque adhibens: ægrotanti filio ſalutem dei benignitate impetrauit. Clotildis autem non ceſſabat hortari regem,vt deum verum coleret & idola vana relinqueret. Cæterum nullo pacto regis animum ad credendum commouere poterat: donec tandem bellum contra ſæuos Alemannos moueretur. Quo compulſus eſt confiteri Clodoueus quem antea negauerat. Pertinaci ſiquidem in errore Clodoueo bellum in Alemannos inſtauratur. Conſtitutis in conſpectu vtrinq; exercitibus, & manus conſerentibus: cum diu pugnatum eſſet, victoria ad Alemannos tendebat. Quo territus Aurelianus regem affatur. Domine mi rex, crede tantummodo dominum cæli quem regina tua prædicat. At Clodoueus Francis cedentibus, timenſque ſibi, cælumque ſuſpectãs ait. Ieſu Chriſte (quem Clotildis prædicat eſſe filium dei viui) qui ſubuenis in tribulatione, qui das auxilium in te ſperãtibus: tuum adiutoriũ deuotus poſtulo. Si vicero, fide te perpetua colam. Inuocaui deos meos, & vt video ab auxilio meo elongati ſunt: vnde credo eos nullius eſſe poteſtatis, cum inuocati: credẽtibus in ſe non ſuccurrunt. Te vero deum ac dominum inuoco, & in fidem tuam iuro. Vix preces finierat: ecce alacres Francos prælium redintegrare conſpicatur. Quibus animum ipſe quoque adijciens: rege Alemanno perempto, victoria potitus eſt, & Alemannis lex poſita. Acta ſunt hæc quintodecimo anno, Clodoueo regnante. Clotildis credenti Clodoueo gratulata: Remigium Remorum pontificem (nihil morata) conuenit, atq; ad Clodoueum introducit: quem ad ſe admiſſum rex diligenter audit, de fide & Chriſti religione diſſerentem. Quo iam perſuaſo: ait. Libenter te audio beatiſſime pater, ſed vnum reſtat quia populus qui me ſequitur non vult relinquere deos ſuos: ſed vadam exhortatum eos iuxta verbum ſanctum tuum. Conueniens autem rex cum populo, cœpit eos ſalutaribus monitis cohortari. Acclamauerunt autem, præcurrente miſericordia dei & potentia ipſius, omnis populus Francorum vna voce: dicentes. Mortales deos relinquimus glorioſe rex, & deum verum immortalem quem Remigius prædicat adorare parati adſumus. Quo certe ineffabili gaudio repletus Remigius: iuſſit baptiſmi lauacrum parari. Velis depictis adumbrantur plateæ, fabricantur eccleſiæ, componitur baptiſterium, balſamo redolet delubrum, & fragranti odore ædem replebant incenſa thura. Talem gratiam dominus ſubminiſtrauit in populo, vt æſtimarent ſe in paradiſi odoribus collocatos. Dies itaque abluendo regi indicitur, & ingenti ornatu lauacrum paratur. Cum vero perueniſſent ad baptiſterium, clericus qui chriſma ferebat a populi conflictu interceptus, ad lauacrum venire nequiuit: Et quia ob incre-

dibilem populi preſſuram, nulli patebat egreſſus eccleſiæ vel in eam ingreſſus, cum ſacroſanctum oleum (quo liniri ritu chriſtiano qui abluuntur ſolent) non eſſet: ſanctus pontifex oculis ac manibus protenſis in cœlum, cœpit tacite orare cum lachrymis. & ecce de ſuperis delapſa columba: phialam, quam ampullam vocant, odoratiſſimi liquoris oppletam ad manus Remigij detulit. Creditum eſt ſpiritus dei miniſterio id perpetratum eſſe. Accipiente autem ſancto pontifice ipſam phialam: ſpecies Columbæ diſparuit. & de ſancto liquore fudit venerandus epiſcopus in fontem ſacratum. Viſo autem rex tanto miraculo, abnegatis diaboli pompis & operibus eius: petijt a ſancto pontifice baptizari. Procedis nouus Conſtantinus ad lauacrum ſalutiferum: in quo delendi erant veteris lepræ morbi, ſordenteſque antiquæ peccatorum maculæ diluendæ diuino munere, obſequente beato Remigio: in quo apoſtolica doctrina & virtutum gratia, quaſi alter repræſentari videretur Sylueſter. Ingreſſo autem in fontem vitalem Clodoueo, ſanctus epiſcopus dixit ore facundo. Mitis depone colla Sycamber: adora quod incendiſti, incende quod adoraſti. Erat autem Remigius vir ſapientiſſimus, rhetorum diſciplinis & eruditione præclarus, in virtutibus magnus. Igitur omnipotentem deum, in trinitate confeſſus, baptizatus eſt in nomine patris & filij & ſpiritusſancti: delibutuſque ſacro chriſmate, cum ſigno ſanctæ crucis domini noſtri Ieſu Chriſti. Quo ſane liquore Clodoueus hic primum, poſteriq; deinceps Francorum reges hactenus, regnum adminiſtraturi ſacrantur. Eius autem Clodouei regenerationis die, baptizata ſunt pluſq̃ tria virorum milia. Baptizantur & ſorores regis Alboſledis & Landechildis ipſa die: baptizaturque poſtea reliquus Francorum populus. Clodoueus vt profeſſam fidem inſigni aliquo opere illuſtraret, ac etiam Genouefæ inſignis virginis, & Clotildis reginæ ſuaſu: templum in monte Pariſino a fundamentis extructum, diuis apoſtolis Petro & Paulo (quod nunc Genouefæ appellatur) dicat. Hic autem illuſtriſſimus rex ante baptiſmum Clodoueus, & poſt ſacram ablutionem Ludouicus appellatus, ab Anaſtaſio imperatore conſul & Auguſtus creatus eſt. Hic etiam de Aquitanis, Gothos Arrhanos expulit, & totam terram illam vſq; ad montes Pyreneos ſubiugauit. Huic per Vigennam fluuium cerua miræ magnitudinis viam oſtendit. poſtquam rex & milites vadum tranſiere incolumes, in ciuſq; aduentu muri Angoliſinenſis ciuitatis corruerunt: Alemanniam, Thuringiam, & Burgundiam tributarias reddidit. terram adiacentem Sequanæ ac Ligeri acquiſiuit. Parrhiſijque ſedem regni conſtituit. Tandem poſt tam illuſtria & præclara geſta: relictis quatuor liberis, Theodorico, Clodomiro, Clotario, & Childeberto, quos ex Clotilde ſuſceperat: mortuus eſt Clodoueus rex in pace, ſepultuſque eſt in baſilica Petri & Pauli apoſtolorum, quam viuens in monte Lecuticio Parrhiſij ædificauerat. Mortuus eſt autem anno quinto poſtquam cum Alarico rege Gothorum pugnauit. Regnauitque ſimul annis triginta. A tranſitu ſancti Martini Turonorum archipræſulis, vſque ad tranſitum Clodouei regis: fluxere anni centum & duodecim. Succedentes itaq; Clodoueo filij: regnum quadrifariam concordibus animis (quod de imperio agitantibus raro euenit) partiti ſunt. Contigit autem Clodomirum filium ingredi vniuerſæ carnis viam relictis tribus filijs, Theobaldo, Guntario, & Clodoaldo. Quos Clotildis diligenter nõ ſecus ac ex ſe natos, apud Pariſios procurabat. Cęterum (cũ apud dominãdi cupidos nihil aut parum fidei ſit) ægre tulerũt Childebertus & Clotarius, q; mater tenerrime Clodomiri liberos diligeret, & quaſi illos ad regnandum educaret: Tantumque libidine habendi ferebantur, vt in illorum necem conſpirantes: Archadium quendam ad matrem mittunt, vt illos ad ſe dirigat, partim viſendorum nepotum cauſa, partim cognoſcendi ſi illorum ætas, diuiſa inter illos hæreditate, ad principandum idonea eſſet. Læta nuntio Clotildis: dimiſſos nepotes patruelibus commendat. Quibus in conſpectum adductis: maiorem natu, qui decem annorum erat, Clotarius mox terræ allidit: enſe per ilia adoleſcentis

proſtrati traiecto. Hinc perterritus alter ſeptennis,ad Childebertum ſe proripuit: orans vt ſe protegeret. Qui ſiue miſericordiam ſimulans,ſiue reuera pueri miſereretur: Clotarium placare pergit. In quem indignabũdus rex: tu inquit huius author es facinoris, & nunc pœnitet conſilij: aut ergo illum proijce abs te,aut mortẽ meis manibus obito. Ad hæc verba dimiſſum puerum Clotarius obtruncat. Interim dum in fratrum ſuorum nece intentos reges Clodoaldus videt,auxilio procerũ dilapſus: clericatum profeſſus eſt,& ſacerdos effectus,vitam religioſiſſimam vixit. Audiẽs autem regina tam crudelem nepotulorũ ſuorũ necẽ,nimio mœrore attrita: compoſitis corpuſculis infantium,cũ magno ſilentio & immẽſo luctu Pariſios deportata corpuſcula,in ſacrario baſilicæ ſancti Petri iuxta auum Clodoueum ſepeliuit. Ad hanc quoq; miſeriam reginæ acceſſit & inſequens belli motus: qui eam miſera pene ſolicitudine confecit. Theodorico filio (qui Metenſibus imperabat) vita ſublato, Theodebertus paternum regnum ſuſcepit. Qui aduerſus Clotarium in ſocietatem belli (quod iãdiu Childebertus Pariſiorum rex animo agitabat) accitus,vocanti Childeberto auxilio fuit. Iunctis ergo pari fide exercitibus: in Clotariũ proficiſci conſtituunt. Ea re Clotildis cognita: relictis Pariſijs,Turonum abijt,& diui Martini ædem lachrymans ingreditur. Orat religioſa mulier beatiſſimum confeſſorem: preces eius exaudiat, neq; ſinat fratres reges, filios ſuos inter ſe conflictari. qui tametſi compluribus eſſent coinquinati flagitijs: occurrat tamen furentibus, ne inſania efferati, fraternitatis quoque obliuiſcantur. Clotildis oratione, & bene de rebus humanis meriti Pontificis interuentu: creditum eſt in beniuolentiam fratres redijſſe. Nam cum acies non procul conſtitiſſent: miſſis ad alterutrum legatis,pacem vltro pollicentur: qua vtrinq; data diſceſſum eſt. Clotildis autem in eleemoſynis profluens, cum ſumma abſtinentia & ſobrietate vitam duxit. Nemo æſtimet hanc ſanctam, ante ſecula a deo electam, & in ſeculo regali proſapia ortam, & faſtigio regni ſublimatam, expertẽ martyrij fuiſſe, quãq̃ ſine igne & ferro,quæ tot dolores & tormẽta paſſa eſt in præſenti ſeculo. Pertrãſiuit enim gladius animã ipſius in cæde patris, in matris naufragio,in exilio ſororis, in eo ꝙ regi pagano nupſit. Corda gentis paganæ & ferociſſimæ Gallicanæ blãditijs emolliuit: & ſanctis exhortationibus & orationibus ſedulis,per beatũ Remigium ad dominum cõuertit. Quãto enim dolore attrita eſt pro morte regis,& filiæ ſuæ Clotildis,filiorumque Clodomiri? quanta inedia,quibuſve ieiunijs,vigilijs,& orationibus,ac corporis maceratione ſeipſam contriuit? quanta largitatis copia & eleemoſynarum diſtributione theſaurum regium minuit? Nam quæ antea regio more,pretioſis & deauratis veſtibus erat ornata,poſtea laneis & viliſſimis veſtibus induta incedebat. & abiectis cibis regijs & delitioſis, atque edulio carnis: pane tantummodo & legumine,& potu aquæ reficiebatur. Ædificauit præterea multa ſanctorum monaſteria per regiones plurimas: e quibus vnum ædificauit in honorem Petri apoſtoli in ſuburbio Turonicæ ciuitatis,ante portam caſtelli beatiſſimi Martini. Fecit & aliud monaſterium ſuper fluuium Sequanæ, in loco qui dicitur Andelenis non longe a muris ciuitatis Rothomagenſis,in honorem Chriſtiparæ virginis. Ædificauit præterea in ſuburbio Laudumcaſtri eccleſiam in honorem Petri apoſtolorum principis: præpoſitis ad rem diuinam ſacerdotibus, quibus negotium eſſet rebus diuinis intendere. Eccleſiam item ſancti Petri Remis (quæ nunc ſancti Remigij appellatur) ampliauit & ditauit prouentibus & eccleſiaſticis ornamentis. Hanc quoque baſilicam cunctis diebus quoad vixit multum dilexit & excoluit: ꝙ vir ſuus rex Ludouicus,in ea gratiam ſancti baptiſmatis accepit,& ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ chriſma & oleũ illuc detulit. Reſtaurauit etiam ab ipſis fundamentis quoddam miræ magnitudinis monaſterium,quod in ſuburbio vrbis Rothomagenſis tempore diui Dionyſij cõſtructum fuerat,& ab eo ſanctis Chriſti apoſtolis,Calẽdis Septembris dicatum: prout in petra,quæ ad fundamentum altaris eſt poſita,ſculptum eſt. Ibi enim congrega-

tionem clericorum deo ſeruientium congregauit. His & aliis ſanctis operibus referta ſancta Clotildis olim regina: tunc pauperum & ſeruorum dei famula, deſpiciens mũdum, & corde diligens deum, conſenuit in ſenectute bona & virtutibus: a Chriſto recepturа præmia in æuum ſine fine manſura. Contigit itaque eam ad Turonicam vrbem pergere: in qua ob deuotum illius animum ad pretioſiſſimum diui Martini inclyti confeſſoris feretrum ſæpius ac frequenter manere ſolebat. Qua in vrbe morans, & piis ſemper operibus inſiſtẽs: didicit angelica reuelatione, in proximo adeſſe diem vocationis ſuæ. Tunc exultans in deo, orabat corde deuoto dicens. Ad te domine leuaui animam meam: veni & eripe me domine, quia ad te confugi. Hinc corporali ægritudine grauata lecto decubuit: tamen ab oratione & eleemoſynarum largitione nunq̃ ceſſauit. Sed quid daret paupercula non habebat: quia regium theſaurum exhauſerat, & per manus pauperum cœlo tranſmiſerat. Miſit ergo nuntium ad filios ſuos Childebertum & Clotarium: iubens eos ad ſe venire. Qui mox audito matris nuntio, ſe itineribus accingentes Turonum adueniunt. Quibus ſancta dei famula, varia ſalutaris diſciplinæ præcepta expoſuit: eos ſancte exhortans ad pium dei cultum, ad pacem & iuſticiam, ad clementiam & plebis commiſerationem. His etiam plurima diuinitus edocta prædixit: quæ eis contigerunt. Triceſimo itaque die vocationis, ſecundum apoſtolum inuncta a ſacerdotibus oleo ſancto, & ſacri corporis & ſanguinis Chriſti percepto viatico: in confeſſione ſanctæ trinitatis corpus exuit, mundum reliquit, vitam cum morte mutauit. Cuius anima angelicis manibus ad cœlum deducta: inter choros ſanctorum agminum eſt collocata. Exiuit autem a corpore prima hora noctis, tertio Nonas Iunii. Qua migrante: tam immenſa claritas, tantuſq; ſplendor oculos, & odor nares & ora omnium repleuit: vt putarent ſe thymiamatis & omnium aromatum odoribus confoueri. Hic autem odor tandiu circa corpus permanſit donec dies illuceſceret. Itaque bonæ & ſanctæ memoriæ Clotildis regina bonis operibus prædita, apud vrbem Turonicam migrauit ad dominum plena dierum. Quæ cum magno pſallentium choro Parrhiſios deportata, in ſacrario baſilicæ ſancti Petri (quæ nunc Genouefæ nuncupatur) ad latus Clodouei regis viri ſui ſepulta eſt: & a filiis ſuis Childeberto & Clotario regibus inhumata. Poſtea vero ſanctarũ aſcripta numero, propter varia quæ illic edebat miracula: proxime capſam ſanctæ Genouefæ virginis pretioſo in feretro condita, eleuata eſt. Vbi ſuppliciter & deuote rogata, cum beata Genouefa, Pariſienſi populo conciliat altiſſimum: qui viuit & regnat trinus & vnus in ſecula ſeculorum Amen.

¶VITAE, SANCTAE CLOTILDIS BVRGVNdionum regis filiæ, & Francorum Reginæ inclytæ: Finis.

ℭ DE SANCTA GENOVEFA, VIRGINE GALlica, Parrhiſienſium patrona.

ETſi certum diem natiuitatis beatæ Genouefę virginis ignoramus: tamen conijcimus ex hiſtorijs veterum, ꝙ tempore imperatorum Honorij videlicet imperantis in occidente, & Theodoſij minoris in oriente: in Nanethodorenſi pago (vbi pater eius nomine Seuerus & mater eius Gerontia agebant) feliciſſimæ natiuitatis diem aſſecuta eſt. Nec multo poſt a ſancto Germano antiſtite Antiſſiodorenſe proficiſcente in maiorē Britanniam, Dei beneficio patefactum eſt multis: ꝙ Chriſto inuiolato & corpore & animo perpetuum exhibitura eſſet famulatum. Manſit vero illic vſq; ad tempus Valentiniani: ſub quo Romano imperio in finibus Galliæ terminus conſtitutus eſt: Francis Dinaſtiam vi armorum capiētibus, nomenq; prouincię a ſuo nomine dantibus. creſcens tā corpore q̃ moribus, oueſq; ꝑpaternas in paſcua villæ finitima præ ſe agens. At illa mox vbi adolenit a Villico Carnotenſi epiſcopo ſacris initiata eſt: in dieſq; magis ac magis deo inſeruiens, innumeris quotidie clarebat miraculis, viuente adhuc Nichaſio (qui ſub Hunnorum tyrānide martyrio coronatus eſt) & Remigio pręſulibus Durocordarum, qui nūc Remēſes appellantur. Regnantibus vero in Gallia Clotario & Childeberto regibus vita feliciſſime acta. curſuſque via conſummata, eius anima ab angelis in cœlum aſſumpta eſt. Sed tamen qua a deo gratia, quibuſq; dotibus cumulata fuerit, quaſq; hominibus opportunitates dum viuebat attulerit: ſigillatim ſcribere decretum eſt. Ac primum manauit tota Gallia rumor hæreſim quandam: e penetralibus Pelagianæ ſectę profectam, in tranſmarina Britannia latius ſerpere: eum qui baptiſatus non eſſet, cœleſtis regni participē fore, ſi tamen ex patre & matre Chriſtianis natus eſſet. Cui quidem opinioni peruerſæ contraria eſt omnino doctrina Ioannis. Nullus (inquit) vitā æternam habebit niſi qui ex aqua & ſpiritu ſancto renatus fuerit. Ad quam hæreſim extirpandam funditus, omnium Galliæ pręſulum ſuffragio delecti ſunt Germanus & Lupus Trecēſis, duo acerrima fidei orthodoxæ propugnacula, & pontificū ætatis illius clariſſima lumina. Quibus Nanethodorū euntibus, ſiue ꝙ via illa ad iter magis cōpendioſa eſſet, ſiue ꝙ Genouefę vidēdę cauſa, de cuius ſanctitate & religione futura cœlitus fuiſſent moniti, illac proficiſci vellent, cum circunfuſa hominum mulierumq;, ac vtriuſq; ſexus infantium multitudo obuiam eis proceſſiſſet: Germanus inter omnes Genouefam conſpicatus, ad ſe eam venire iubet. Cuius caput exoſculans, ſic ait. Felices tam venerandę ſobolis genitores. Eris enim magna coram domino, & multi vitam tuam, propoſitumq; ſanctum admirantes, declinabunt a malo, atq; ſceleſta hominum conſuetudine relicta conuerſi ad dominum, ac religioſi effecti: & remiſſionem peccatorum & præmia Chriſti ſunt percepturi. Quæſo te autem filia vt non verearis mihi profiteri, ſi vis ſanctimonialem profeſſa, vſque ad vltimum vitæ diem immaculatum deo corpus tuum tanq̃ ſponſa eius conſeruare. Cui Genouefa. O pater mi benedicte, quia quod deſidero inquiris, quodq; ambio conſequi: hoc ſolum ſupereſt, vt votum meum tuis orationibus intercedentibus dominus adimplere dignetur. Cui pontifex. Confide filia: viriliter age, & quod corde credis & ore profiteris: operibus comprobare ſtudeto. dabit enim dominus virtutem & fortitudinem decori tuo. Quem in modum locutus pontifex: accepto humi aureo nummo ſignū Crucis habente, illam eo donauit, dicēs. Rogo te Genouefa filia, vt hunc annulum ęternū amoris tui erga deum pignus, collo tuo appenſum ſemper geſtes. Neque vllo metallo, neq; auro, neq; argento, neq; quouis alio ornamento collum digitoſque tuos onerari patiaris. Vnde perpetuam rei memoriā panis luſtrali aqua benedictus qui marranis canonicis Parrhiſienſibus die natali eius in æde ſacra pecuniæ loco datur, annuli illius figuram retinet. Factum eſt autē poſtq̃ Germanus, & Lupus illinc diſceſſiſſent

Gerontia mater filiæ præciperet, vt tantiſper dum diuinum officium celebraretur domi ſe contineret. Quæ quidem memor fidei quam Germano dediſſet: matri ſuæ reſpondit. Ego mater Germano hinc abeunti pollicita ſum: me, vt digna Chriſto ſpōſa habear, frequenter aſſidueque cultui diuino affuturam. Quam rem ſi potero (pace tua dixerim) præſtabo haud dubie. Quibus verbis incenſa, filię alapam impegit. Sed pœna matrem non deſeruit. Eam ob rem enim cęca facta: tandiu vtroque caruit oculo, dum ad memoriam reuocans quid teſtimonij de filia ſua Germanus dediſſet: illius ope vtrunq; oculum recuperauit. Perge (inquit) mater ad puteum aquam quæſitura. Illa autem cum ſumma feſtinatione ad puteum cum veniſſet: ſuper marginem putei flens, eo ꝙ propter ſe mater eius oculos amiſiſſet. Plena vrna aquam ad matrē detulit. Mater vero eius extendēs manus ad cœlum cum fide & veneratione: aquam a filia ſua allatam, & ab ipſa ſigno Crucis notatam accepit, de qua abluēs ſibi oculos: quāuis non omnino, tamen nōnichil luminis recepit. Cūq; bis terq; id feciſſet: clariſſime eius oculi, ſuo ipſorum munere functi ſunt. Deinde vero Villico epiſcopo cum duabus puellis natu multo grādioribus ea ad cōſecrandum tradita: is, ſicut pauloante Germanus, cognoſcens eam omni virtutū genere fore cumulatiſſimam, hanc cęteris duabus antepoſuit. Sic & Symeon anachoreta in Syria agens: eā diuinitus agnouit, ipſi per negotiatores ſalutē impartitus: ſeq; ipſius orationibus commendauit. Parentibus eius vita functis, accerſita a matre ſua ſpirituali, Parrhiſium adijt. Et vt virtus domini in infirmitate eius probaretur, & gratia Chriſti eidem collata magis creſceret: per aliquod tempus ita eſt corpus eius paralyſi obſeſſum, vt luxatis artubus nulla membrorum compages ſuo loco cohęreret. Quo morbo mirū in modum affecta: corpus eius exanime, ſolis paululum rubentibus genis, triduo iam cuſtodiebatur. quę quum cōualuiſſet: profitebatur ſe in ſpiritu ab angelo in ſupplicium iniquorum, hinc in requiem iuſtorum deductam: & illic ſe vidiſſe parata diligentibus deum præmia. Pluribus deinde in hoc ſeculo viuentibus: velut edocta a ſpiritu ſancto, ſecretas conſcientias manifeſte declarabat. Vnde puella quędam Biturix, quæ conſecrationē violata fuerat, Genouefam adijt: neſcio tamen an eius rei, quæ vulgo ferebatur, explorandę cauſa, an zelo amoris erga eam eo adducta. Quam cum interrogauiſſet, eſſet ne corpore integro an violato: & illa integro reſpondiſſet. mox ei locum, tempus, ſtupratoremq; deſignauit. at illa conſcientia conuicta: veniam ſupplex a Genouefa poſtulauit. Multaq; in hanc rem a me & ſcribi & narrari poſſent, quibus ego propter arrogātes, & maleuolos ſuperſedere malui, q̄ propter bonos & humiles illa deſcribere. Increbeſcente autem rumore (qui tam veri q̄ falſi nuncius eſt) Attilam Hunnorum regem, ingentem manum ad depopulandam Galliam, ſuæq; ditionis faciendam apparare, ciuibuſq; Parrhiſienſibus ea fama perculſis: omnes ſuas facultates, quo eſſe tutius poſſent, in alias vrbes transferre deliberātibus: Genouefa accitis ad ſe matronis, eas rogat vt aſſidue orationi & ieiunijs vacent, neq; cōmittant vt bona ſua alio trāſportari paterentur. Futurum enim eſſe, vt ciuitates quas munitiſſimas arbitrarētur, hoſti prædę eſſent, Parrhiſij vero intacti euaderent. Sed vt homines ad deteriora credēda ſunt paratiſſimi: ciues quidā Parrhiſienſes, quibus ſalubris Genouefæ monitio offendiculo fuerat, pſeudo prophetiſſam apparuiſſe commenti: eius obruendæ lapidibus ſceleſtum ineunt conſilium. Quorum cogitationibus interueniens opportune Antiſſiodorenſis archidiaconus, qui crebris Germani de ea ſermonibus interfuerat, eos admonuit ne manus ſuas innocentiſſimæ atq; integerrimæ virginis ſanguine reſpargerent. Quare impletum eſt illud. Fidelis deus qui confirmabit vos, & cuſtodiet ab omni malo. A quintodecimo ætatis anno, vſq; ad quinquageſimum, vt crucifigeret carnem ſuam cum vitijs & affectibus, & exemplum foret imitabile per omne ſeculum, ieiunijs & orationibus vacabat. In die dominico tantum, quintaq; feria ie-

iunium ſoluens. Nullus tamen cibus ei erat omni tempore, niſi panis hordeaceus, fabæq;: ex quibus duas vel ad ſummũ tres in olla coctas, pro omnibus delitijs ſumebat. Ab omni vino autem atq; ab eo liquore qui inebriare poteſt, omni tempore vitæ abſtinuit. Sed a quinquageſimo anno epiſcoporum conſilio piſcem & lac cum pane hordeaceo: ad recreãdas vires, partim ſenio, partim vero abſtinentia effœtas edere cœpit. Et quoties hæc edebat, toties, cælum aſpiciens, in lachrymas prorumpebat. Cumque eſſet mundo corde, quemadmodum Lucas de beato Chriſti protomartyre ait, putabat ſe cælis apertis dominum noſtrum Ieſum Chriſtum intueri. Neq; enim irritum eſt promiſſum eius quo ait. Beati mundo corde: quoniã ipſi deum videbunt. Solebat præterea Catholacenſem locum ſex miliaribus a Nanethodoro diſtantem freqũter adire: eo ꝙ illic primus epiſcopus Parrhiſienſis, Dionyſius cum ſocijs ſuis Ruſtico ac Eleutherio ab impijs perſecutoribus martyrio coronatus eſt, & ab incolis loci illiꝰ, ſepulturæ donatus. quo in loco duodecim homines ab incredibili dęmoniorum vexatione prorſus liberauit. e quorum corporibus grauiſſimus fœtor exiuit. Planum omnibus fecit: deſiderio ingenti ſe teneri nouæ baſilicæ in eodem oppido ijſdẽ martyribus ædificandæ, ſed facultas virtuſq; deerat: Quare accitis ad ſe preſbyteris, Obſecro vos ait ſacerdotes, vt me ad id quod animo agitaui ac concepi perficiendum adiuuetis. Ego enim, quia horribilis & teter admodum locus ille eſt, in quo requieſcunt qui prima fidei noſtræ fundamenta patribus noſtris tradiderunt: baſilicam ſaneq̃ magnificã auxilio & ope veſtra freta conſtruere ſtatuo. At illi reſponderunt. Eſt nobis quoque voluntas nouæ ædis extruendæ. Sed inter alia quæ deſunt maxima calcis copia deeſt. Quibus Gęnouefa cæleſti afflata ſpiritu reſpondit. Egredimini quęſo foras, & quæ ſuper pontem audieritis renuntiate mihi. Qui cum ingreſſi fuiſſent in forum: ſtupore & admiratione pleni ſtabant attoniti. Et ecce duo cuſtodes porcorum, non longe ab eis ſtantes, qui cum interloquerentur, alter ait. Dum ſuis veſtigium parturientis legerem, inueni furnum calcis miræ magnitudinis. Alter vero paſtor: Item & ego inueni in ſylua arborẽ radicitus euulſam, ſub cuius radicibus ſimiliter furnus calcis erat, de qua nihil omnino eſſe ſublatum arbitror. Hæc audientes preſbyteri, attoniti ſtupore & admiratione, deum benedixerunt: qui tantam gratiam famulæ ſuę Genouefæ dignatus eſt conferre. Quibus locis repertis reuerſi preſbyteri: quæ viderant Genouefæ renuntiarunt. At illa gaudio exultans, ſinum lachrymis extemplo repleuit: imploratoq; omnium ciuium auxilio, architectos in ſyluam ad excidendas arbores mittit. In quibus excidendis aliud quoque miraculum edidit. Nam operarijs omnibus potu laborãtibus, tantũ ipſis vel vini vel aquę tribuit, quãtum ad perficiendam baſilicam ſatis eſſet. Inceſſit animo eius cupiditas: noctem ſabbati quæ luceſcit in prima ſabbati, pro antiquo patrum more inſomnem ducere. Cum autem ſub gallicinium egreſſa cubiculo: ad baſilicam ſancti Dionyſij ſe conferret, cereus qui ante illam ferebatur accẽſus, vẽti flatu forte eſt extinctus, Turbatis ea de re virginibus, horroremq; noctis caliginoſæ ac nimium cæcæ metuentibus. Quem cum manu accepiſſet, is cõtinuo illuminatus eſt: eumq; in manu geſtans ad baſilicam peruenit. Paucis poſt diebus mulier quędam quæ inſtinctu diaboli, qui ſemper bonis ſcandala pręparat, calceamenta eius furto ſubduxerat, oculos amiſit. Quare animum ipſius ſubeunte pœnitentia, ad Genouefam reuerſa eſt: orans vt ſibi ignoſceret, oculoſq; reſtitueret. illa vero ſubridens: orationem eius exaudiuit. In Laudunenſe vrbe cui Remigius præſul præfectus erat: filiam cuiuſdam mulieris nobiliſſimæ nouem annis paralyticam: contrectatis eius membris, e lecto iuſſit incolumem exurgere. Quod miraculum cum vidiſſent turbę, benedixerunt dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui tantam gratiam diligenti ſe præſtare dignatus eſt. Remeantem autem ex illa vrbe Genouefam, pſallentes & exultãtes reduxerũt. Cum illinc rediret: hominem cubito tenus aridam manum habentẽ, attrectatis compagibus digitorum eius, in vrbe Meldo-

rum,imperato infirmo membro: officio ſanitatis reddidit. Ibidem puellã Ciliniam nomine,primario adoleſcenti iam deſpõſatam:illius victã precibus ſanctimonialem inſtituit. Quod cum adoleſcens cui deſponſata fuerat reſciuiſſet: animo in iram cõcitato q̃ citiſſime Meldas,qua in vrbe Genouefa & Cilinia agebant perrexit.Illæ autem vt iuuenem furibundum adueniſſe cognouerunt ſubito fugientes(Res dictu mira)baptiſterium quod interius erat clauſum,ſua ſe ſponte reſerauit.Sic itaque prædicta puella ab huius mundi naufragio & contagione liberata vſque ad finem vitæ ſuæ in abſtinentia & caſtitate perſeuerauit.Sciens beata Genouefa ꝙ dominus Ieſus baptizatus a Ioannæ in ſolennitate quæ græco nomine Epiphania appellatur: confeſtim eremũ petijt,vt mortalibus ſpiritu ſancto & aqua renatis documenta daret,poſt baptiſmum vigilijs ac ieiunijs intendere debere,vt perficiant opere quod perceperint baptiſmo.Sic illa a primo die dominico ante eandem feſtiuitatem vſq; ad diem con ſecrationis chriſmatis & calicis, qui & domini cœna vocitatur, anachoretarũ exẽplo in cellula ſoli deo & orationibus vacabat. Quem in locum accedens fœmina ſolum exploratura quidnam illa tandiu in cellula ageret:ſimul atque appropinquare cœpit, oculis priuata eſt.Tamen eius oculos,tranſacta quadrageſima illinc egrediens, ſigno Crucis illuminauit.Proficiſcente in Arcienſe oppidum Genouefa ad annonam quærendam,laborãtibus extrema fame Parrhiſienſibus.cum ad eum locũ Sequanę veniſſet vbi arbor ingens erat,naues prope omnes illac tranſeuntes demergens.Iubet nautas nauibus prope iunctis arborem excidere ſecuribus.Illi autem primum vix ictum adegerant cum ſubito precibus illius ab radice conuulſa eſt. Ex qua mõſtra duo prodeuntia,tam grauem halitum ore efflauerunt vt ex nauigantibus nonnulli pene ex fœtore defecerint.Cum autem in oppidum Arcienſe ventum eſſet,occurrit & tribunus quidam: rogans vt vxoris iandiu paralyſi laborantis miſeretur. Cumque magis ac magis inſtaret:ad lectum ægrotãtis fœminę acceſſit,quam ſignaculo crucis facto,e lectulo iuſſit conſurgere. Trecas deinde profecta:innumeros illic male habẽtes ſanauit. Oblatũq; illic hominẽ quẽ domnico die operãtẽ diuina vltio excæcauerat illuminauit.Filium cuiuſdam ſubdiaconi quẽ decennium iam febris vexauerat: extincto morbo incolumem reddidit.Rediens vero illinc,impoſito nauibus frumento,cum non lõge a litore progreſſa eſſet:exorta ſubito tempeſtas,naues eius ſcopulis & arboribus illiſit, adeo vt eæ huc & illuc impulſæ, parum a naufragio abeſſe crederentur. Illico Genouefa manibus ad cœlũ tenſis,tranquillitatem aquis imperauit.Quo facto Beſſus preſbyter exhilaratus & qui cum illo erant,canticum Exodi cecinerunt, deo gratias agentes. Adiutor & protector factus es nobis dominus in ſalutem.Poſteaq̃ Parrhiſium venit:quibuſdam frumentum, quibuſdam panes integros: nonnunq̃ etiam laudabile furtũ perficiens,panes clam de clibano ſublatos pauperibus erogabat. Erat enim ſpes illi non de his quæ videntur,ſed quæ non videntur:credens diuinum eloquium quod ait.Quoniam qui pauperibꝰ erogat:deo fœneratur. Inde vero nauigio Turonum profecta,quo diui Martini ſacroſanctum feretrum inuiſeret:multa Ligeris perpeſſa eſt diſcrimina.Perueniensq; ad portum Turonicę vrbis,occurrit ei de baſilica ſancti Martini energuminorum multitudo,per quorum ora clamabant immundi ſpiritus:dignis ſe ſancti Martini ac Genouefæ meritis flammis exuri. Quinetiam & periculorum quę in Ligeri perpeſſa fuerat,authores ſe eſſe profitebãtur.Interea baſilicam ſancti Martini ingreſſa:multos dęmonibus obſeſſos,oratione & Crucis ſignaculo emundauit.Audientes etiam hoc tres viri quorum matronę in domibus ſuis vexabantur,eccleſiam adierunt:Genouefam deprecaturi,vt viſitatione ſua,vxores ſuas a ſpiritibus malignis emundare dignaretur. At illa, vt erat clementiſſima,ſecuta eſt eos,ingreſſaque vniuſcuiuſque domum matronæ: eas per olei vnctionem a vexatione dæmonum curauit. Perendie cum in ęde diui Martini vigilijs intereſſet,orans deum ac benedicens & laudans: vnus ex cantantibus a dęmonio ſubito correptus eſt,qui cri-

nes extrahens, artuſq; ſuos lanians, ad Genouefam properauit. Ex cuius corpore cum ſpiritum immundum iuberet exire, & ille per oculum exiturum ſe minaretur, vētris fluxu eiectus eſt. Quas ob res, Turonici varijs eam honoribus dignati ſunt. Clodoueus quoq; Francorum rex chriſtianiſſimus, tanta eam obſeruantia coluit, vt permultos ſontes rogatu eius e carceribus emiſerit. Quinetiam dum iret aduerſus Alaricū Gothorum regem (qui omnem prope Aquitaniam ſuæ ditioni ſubiecerat) ea hortatrice Parrhiſij in honorem Petri & Pauli eccleſiam iuſſit ędificare, quam vxor Clotildis vere chriſtianiſſima, defuncto Clodoueo ad faſtigium vſq; perduxit. Quibus omnibus, hiſq; pluribus miraculis editis per tempora Bonifacij primi (cuius pontificatu nata creditur) Celeſtini, Sixti, Leonis, Hilarij, Simplicij, Felicis, Gelaſij & Anaſtaſij, vſque ad Symmachi pontificatum, quo iam octogenaria in patriam ab hoc mundano carcere migrans, ad cœlos dilectam ſibi animam traducente Chriſto ſpōſo. Corpus eo in templo (quod ædificatum a Clodoueo & Clotilde eius perſuaſu nuper dixi) reliquit ſepeliendum: anno chriſtianæ pietatis quingenteſimo ſecundo. Cuius præſentiam felix fauſtuſq; ſuper omnes colles ille Lecutitius habet, qui eius toto venerandas orbe reliquias geſtat, baſilicamque eiuſdem nuncupatam nomini. In quo loco experiuntur infirmi, quantum deo dilectas animas conueniat honorari. vbi recipit cæcitas viſum, debilitas greſſus, obſtructæ aures auditum, febris æſtus medelam, ſterilitas fœcunditatem, phrenetici ſanā mentem, muti loquendi vſum, obliuioſi memoriam, parturientes leuamen, paralyſis ſanitatem, articularis morbus lenimen: omnis denique ſeu mentis ſeu corporis ægritudo curationem. vt non ſit mirum Pariſienſes, omnemq; circum late populum miro eam atq; præcipuo colere ardore. Tu ergo diua Lutetiæ Pariſiorum tutelaris Genouefa, tui cauſam amplectere populi: vrbem, regnumq; ſerua, vrbis, regniq; vniuerſum populum, ſe ſuaq; omnia tuæ iam olim fidei tutelæque committentem: cuſtodi, defende, foue: ſuperis concilia, vrbem inq̄ regnumq; tutare. Amen.

¶EXCVDEBAT HOC INSIGNE DE CLARIS
mulieribus opus Simon Colinæus, in celeberrimo totius terrarum orbis Pariſienſi gymnaſio, Anno a Chriſto nato,
primo & vigeſimo ſupra ſeſquimilleſimum, Die Nouembris octauo.

❡AVTHORVM IN HOC OPERE CONTENTOrum Catalogus, & illuſtrium fœminarum index.

❡Plutarchus de claris mulieribus. fo.4.
❡Iacobus Philippus Bergomenſis de virtutibus præditis, ſceleſtiſque mulieribus. folio. 14
❡Iacobi Pini Toloſani opuſculum ſaneq̃ elegans: in quo Diuæ Catharinæ Senenſis vitam narrat. fo.160.
❡Opuſculum aliud tum terſiore eloquio concinnum, tum hiſtoriarum varietate copioſum, Cui hæc inſunt capita.
❡Reginæ ſanctimonia illuſtres. fo.176. ❡Ab impudica, ad pudicam & meliorē vitam cōuerſæ. fo.177. ❡Familiæ ſanctæ.177. ❡Viduæ mulieres ſanctæ.177. ❡Virgines & martyres.177. ❡Mulieres ſub habitu virili, varios euentus ſortitæ.178. ❡Mulieres muſicæ. 178. ❡Mulieres quibus exitio amores fuere.178. ❡Nonnullæ, quæ modo mares, modo fœminæ fuere. 178. ❡Mares & fœminæ ſimul. fo.178. ❡Abbatiſſæ.178. ❡Prophetiſſæ.179. ❡Sibyllæ.179. ❡Mulieres venuſtiſſimæ.179. ❡Mulierum mortes voluntariæ. fo.179. ❡Prophetides gentiles.179. ❡Poetrides. fo.179. ❡Fœminæ philoſophi. fo.180. ❡Cauſidicæ, Oratrices, & Grammaticæ.180. ❡Mulieres longiſſimæ vitæ.181. ❡Mulierum felicitas. 181. ❡Mulieres pudicitia illuſtres. fo.181. ❡Medicæ. fo.182. ❡Mulieres rerum inuentrices.182. ❡Mulieres a poetis amatæ. fo.182. ❡Quæ habuere animalia in delitijs.182. ❡Mulieres pictrices, ſculptrices, & textrices.183 ❡Mulieres bello & vltione præſtantes. 183. ❡Mulieres quæ interemerunt maritos. fo. 183. ❡Matres in filios, nequā.183. ❡Magæ ſeu veneficæ.183. ❡Quæ impudice amauerunt patres aut fratres.184. ❡Mulieres conſpicuæ, quæ proprio corpore ſunt abuſæ. fo.184. ❡Meretrices vulgares.184. ❡Et quædam fœminæ illuſtres: quarum hæc ſunt nomina. ❡Claudia virgo Veſtalis. ❡Phidonis filię. ❡Demotionis filia. ❡Spartiatę virgines. ❡Stiphalis virgo. ❡Lacedæmoniæ quindecim virgines. ❡Scedaſi filiæ. ❡Mileſiæ virgines ſeptē. ❡Thebana virgo. ❡Dido Tyria, & Haſdrubalis vxor. ❡Nicerati cōiunx. ❡Arthemiſia. ❡Thenta Illyricorū regina. ❡Alcibiadis cōcubina. ❡Rhodogunę Darij filia. ❡Laodomia. ❡Lucretia Romana. ❡Bilia. ❡Martia Catonis. ❡Anna. ❡Portia. ❡Marcella. ❡Valeria. ❡Terentia. ❡Xantippe & Miro Socratis vxores. ❡Metella Syllæ vxor. ❡Mutia Pōpei vxor. ❡Atria Paula. ❡Vxor Philippi. ❡Vxor Gorgiæ. ❡Simoneta. ❡Violantina. ❡Hiſabella. ❡Prætia. ❡Sophoniſba Siphacis. ❡Zenobia. ❡Momina Mileſia. ❡Veronica. ❡Statira & Roxana.
❡Vita Sanctæ Monegundis. fo.186
❡De fœminis quæ doctrina excelluerunt, ex Baptiſta Fulgoſo. fo.188.
❡De moribus mulierum, & de ducenda quid præſtat: ex commentarijs Raphaelis Volaterrani. fo.189.
❡Blanchæ regis Caſtellæ filiæ, & Francorum Reginæ vita. fo.190.
❡D. Ioannæ Francorum reginæ vita: quæ Regalis collegij Nauarræ fundatrix fuit, vbi eiuſdem Collegij fundationis ordo explicatur. fo.190.
❡De mulieribus quibuſdam illuſtribus, capita aliquot ex Officina Ioannis Rauiſij Textoris Niuernenſis. fo.191.
❡Meretrices quædā. ❡Mulieres doctæ. fol.193. ❡Nomina quarundam fœminarum illuſtrium. folio.195. ❡Mulieres bellicoſæ & maſculę virtutis. folio.195. ❡Bella & alia quædam mala a mulieribus orta. fo.196.
❡Valerandi Varanij, doctoris theologi Pariſienſis: de geſtis Ioānę virginis Francę,

Anglorum expultricis: libri quatuor, carmine cum heroico, tum hiſtoriæ iucunditate, veritateq; inſignes. vbi cuiq; libro ſuum inuenies præmiſſum argumentum. fo.199
¶Sanctæ Clotildis, Burgundionum regis filiæ, & Francorum reginæ vita fo.214.
¶Annæ illuſtriſſimi Britonum ducis filiæ, & Franciæ admodum inſignis Reginæ, vita: quam inuenies poſitam inter folium 176 & 177
¶Sanctæ virginis Genoueſæ Francorum patronæ vita. folio.217.

¶INDEX in Plutarchi de claris mulieribus opuſculum.

A
Argiuæ fo.4
Aretafila f.10.
C
¶Camma fo.11.
Celtæ fo.5.
Chiæ 4 & 7
Chiomara fo 12
Chlœlia fo.7.
E
¶Erixona fo.13.
L
¶Lampſacæ fo.10
Lucretia fo.7.
Lyciæ fol.6.
M
¶Megiſtona fol.8.
Micca fo.8.
¶Mileſiæ fo.8.
P
¶Perſides fo.5.
Phocenſes 4 & 7
Pieria fol.9.
Pithei vxor f.14.
Policreta fo.9.
S
¶Saguntinæ fol.6.
Stratonica fo.12
T
¶Thimoclia fo.12.
Troades fol.4.
Thyrrhenæ fol.5.
V
¶Valeria fo.7.
X
¶Xenocrita fo.13.

¶INDEX in librum Iacobi Philippi Bergomenſis.

A
¶Afra martyr f.96.
Agnes virgo f.77.
Agrippina Neronis fo.53.
Albumea fo.52.
Amalthea fo.42
Amalaſuntha fo.121
Anaſtaſia martyr f.94.
Angela virgo fo.69.
Angela Nugarola f.142
Antonia minor fo.53.
Apollonia virgo. fo.70
Apoſtola Hyberorum f.101.
Arachne fo.33.
Argia f.34.
Arthemiſia f.45.
Aſella Romana f.105.
Athalia f.40.
Aurea, abbatiſſa f.127
B
¶Barbara virgo fo.92.
Barbara Germana fo.151
¶Baptiſta Malateſta f.134.
Baptiſta Vrbini f.147
Beatrix Sfortia fo.155
Blandina fo.68
Blancha maria f.146
Blancha mirandula f.155.
Bleſilla f.104.
Bona, Lombarda f.145.
Brigida Scotica f.123.
Brigida Suedia f.124.
C
¶Caia Cyrilla f.40.
Camilla fo.38.
Caſſandra f.37.
Caſſandra Fidelis f.155.
Catharina Coſtis fo.90
Catharina Senenſis f.136.
Catharina Foroliuienſis f.152
Cæcilia martyr fo.66
Cæſarea Perſarum f.128.
Ceres fo.31.
Chriſtina fo.83.

Circe fo.38.
Clara Franciſci fo.131
Clara de Montefalco fo.133
Claudia Veſtalis fo.46
Claudia Veſtalis altera fo.48
Cleopatra fo.50.
Columba virgo fo.76
Conſtantia imperatrix fo.131
Conſtantia Sfortiæ f.147
Cornificina fo.51.
Cunegunda ſeu Semigũda f.157.
Cymbricæ f. 49.

D

Damiſella Triulcia f.158.
Delbora prophetis fo.33.
Demetrias virgo f.117.
Demetria altera f.117.
Diana fo.32.
Dido fo.38.
Domicilla fo.62.
Dorothea virgo fo.88.
Dripetrua f.48.

E

Eliſa Sfortiæ f.148.
Emeretiana virgo fo.78.
Eua prima parens fo.27
Eugenia virgo fo.72
Eulalia virgo fo.79
Euphemia virgo fo.86.
Euphraſia fo.103
Euphroſyna f. 105.
Euſtothium fo. 117

F

Fabiola Romana f. 111
Fauſtina Auguſta fo.64
Fauſta virgo f. 84.
Felicitas martyr fo.65.

G

Galla Placidia fo.115
Geiſilla ſeu Galla f. 157
Genebria Gambaræ f.143.
Genebria Sfortiæ f.156.
Grata virgo f. 97.
Griſildis Salutij f.129.

H

Hecuba Priami fo.37.
Helena Tyndari fo.36.
Helena Conſtantini f. 97.
Helena Aldiabenorum f.101.
Helena Vtinenſis f.140
Heſter f.44.
Hippone f. 43.
Hippolyta Alphonſi f.151.
Hortenſia fo.51.
Hypermeſtra fo. 32.
Hypſicrathea f. 49.
Helizabeth Thuringorum fo.132.
Helizabeth Hiſpanica f.150.

I

IOANNA Gallica f. 138.
Ioanna Siciliæ fo.135
Ioanna quæ fuit papa f.128.
Irene f. 46.
Irene imperatrix f.128.
Iſabella Renati fo.139
Iſabella Ferdinandi .144.
Iſis dea fo.31.
Iſota virgo f.143.
Iudith vidua fo.42.
Iulia f.49.
Iuliana virgo fo.82.
Iuno fo. 31.
Iuſtiua Patanina fo. 80
Iuſtina Antiochena fo.81.

L

Lampedo fo.32.
Leocadia virgo fo.79
Leonora f. 153.
Lucretia fo.42
Lucia virgo f. 87.

M

MAria virgo dei genitrix fo.16.
Maria magdalena fo.58.
Maria Ægyptiaca f. 103
Maria Puteolana f. 134
Maria marchioniſſa 142.
Mariane Hebræa f. 52.
Mamea Ægyptiorum f.103.
Mamea Alexandri f.103.
Mantho Tyreſiæ fo.35.
Margarita virgo fo.85.
Margarita Anglica f.148
Margarita Scotica f.149
Marcellina virgo f.113.
Marcella f.114.
Marpeſia fo.32.
Martha f. 56.
Martia Romana f.47.
Martina virgo fo. 68
Matildis f. 130.

Maxentia Tridentinorum fo. 106
Medea fol.34.
Meduſa fo.35.
Mellania Romana fo.102.
Minerua fo.30.
Monica Auguſtini fo.107.

N

¶Nicaula quæ & Saba fo.39.
Nicoſtrata fo.35.
Niobe fol.33.

O

¶Olda fo.41.
Olympias Alexandri fo.46.
Orithia fo.34.
Ops ſiue Opis fol.30.

P

¶Pamphile fo.40.
Paula Romana fo.111.
Paula Gonzaga fo.136
Penelope Vlyſſis fo.37.
Pentheſilea fo.36.
Petronilla virgo 55.
Polixena Priami 37.
Pompeia Senecæ fo.54.
Portia Bruti 51.
Praxedes 64.
Proba poetris fo.113

R

¶Radegundis virgo fo. 133
Reparata virgo fo.71.
Rhea ſiue Opis fo.30.
Richarda Nicolai 149
Ruffina martyr fo.73.

S

¶Saba quæ & Nicaula fo.39.
Sabina martyr fo. 63.
Sabina Poppea 54.
Sappho Leſbia fo.41.
Sappho vates 41
Sara Abrahæ fo. 28
Scholaſtica virgo 121
Secunda fo.73.
Semiramis 29.
Serapia virgo 62.
Sibylla Erithrea fo.34
Sibylla Amalthea fo.42
Sibylla Tyburtina 52
Simphorioſa martyr 63.
Sophia virgo fo.74.
Sophoniſba 47.
Sulpitia fo.47.
Sulpitia Lentuli 51.

T

¶Tecla virgo fo.60.
Tertia Æmylia 48.
Thamiris 44.
Thedolinda fo.125.
Theutonicæ 49
Thomyris 41.
Triaria fo.62.

V

¶Veturia fo.43.
Victoria virgo fo.71.
Vrſula virgo 118.
Vrſina Guidi fo.137

Z

¶Zenobia fo.75.

FINIS INDICIS.

Finis indicis.

2. DE MEMORA- BILIBVS ET CLARIS MVLIE= | RIBVS: aliqvot di= | versorum scri= || ptorvm o- || pera. | Parisiis. || Ex ædibus Simonis Colinæi. MDXXI. | [F.219 v° :] *Excvdebat hoc insigne de claris || mulieribus opus Simon Colinæus, in celeberrimo totius terra= || rum orbis Parisiensi gymnasio. Anno a Christo nato, | primo & vigesimo supra sesquimillesi= | mum, Die Nouem= bris octa= | uo.* || [8 novembre 1521], in-fol. de 219 ff. ch., 2 ff. n. ch. de tables et 1 f. blanc, plus 2 ff. n. ch. entre les ff. 176-177, car. rom., veau fauve, dos orné, tr. marbr. *(Rel. anc.)*.

Recueil très curieux formé par Jean Tixier de Ravisy [Io. Ravisius Textor], dédié à Jeanne de Wignacourt, femme de Charles Guillard, président au Parlement de Paris. Il renferme une collection de textes illustrant des femmes célèbres dont un certain nombre sont françaises. Outre le *De virtutibus mulierum* de Plutarque et le *De claris mulieribus* de Giacomo-Filippo Foresti, nous y trouvons en effet la *Vie de Monegunde*, extraite de Grégoire de Tours, celles de Blanche de Castille, de Jeanne de France, de sainte Clotilde et de sainte Geneviève ainsi que le poème de Valerand de la Varanne sur Jeanne d'Arc : *De gestis Ioannæ virginis Franciæ egregiæ bellatricis*, qui constitue une source des plus importantes pour l'histoire de la sainte. On y remarque encore la Vie de sainte Catherine de Sienne de l'humaniste toulousain Jean de Pins, etc., etc.; les deux ff. encartés entre les ff. 176 et 177 contiennent différentes pièces de Jean Tixier de Ravisy sur Anne et Charlotte de Bourbon.

Très bien imprimé, ce livre est l'un des premiers de *Simon de Colines* qui s'était établi l'année précédente; le titre porte sa première marque aux lapins.

Mouillure à quelques ff. A = 5.500 (17-3-1947)

coll. complet
1940.

R[illegible], [illegible], pp. 20-22